QBeaixssimae ^irgini ^Lariae
ôe ^lonfe ÇSarme(o ôicafum.

THEOLOGIA
DOGMATICO-SCHOLASTICA

AD

MENTEM S. THOMAE AQUINATIS

AUCTORE

VALENTINO ZUBIZARRETA

ex Ordine Carm. Exc. Archiep. S. Jacobi de Cuba

Vol. II

DE DEO UNO,
DE DEO TRINO ET DE DEO CREATORE

Editio tertia ab auctore correcta

BILBAO
Ed. Elêxpuru Hnos., Typography S. Rituum Congr.
1937

Nihil obstat:
Sancti Jacobi de Cuba, 24 Octobris 1936.
Joannes Josephus Badiola
S. E. Cathed. Metrop. Oeconomus.
Censor.

Imprimatur:
Romae, mense Martii, anni 1937.
✠ MATTHAEUS, Episcopus Victoriensis

Quae juris sunt auctor sibi reservat.

TRACTATUS I

DE DEO UNO

Ad utilitatem eorum, qui veritates theologicas profundius investigare velint, subjicimus catalogum auctorum, qui in hoc tractatu praecipue consuli possunt.

1. Auctores consulendi. Ex Patribus. S. Clemens rom., *Pp., Epist. ι.Λ ad Cor.;* MG 1, 199: Hermas, *Pastor,* MG 2, 819; S. Justinus, *Apologia* 1, MG 6, 327; *Dialogus cum Tryphone fudaeo,* MG 6, 471; S. Theophilus antiochenus, *Ad Autolycum.* MG 6, 1023; S. Irenaeus, •Irfic *haereses,* MG 7, 433; Clemens alex., *Paedagogus,* MG 8, 247; *Stronata,* MG 8, 685: Tertullianus, *Apologeticus,* ML 1, 305; *Adv. Praxeam,* ML 2, 175; Origenes, *Contra Celsum.* MG 11, 642; S. Cyprianus, *De idolorum vanitate,* ML 4, 563; *Epistolae,* MI. 4, 192; Lactantius, *Divinae Institutiones,* ML 6, 111 : *De Opificio Dei,* ML 7, 9; S. Athanasius, *Oratio «utra gentes,* MG 25, 3 sqq.: *Adv. arianos orationes,* MG 26, 11 sqq.; S. Basilius, *Adv. Eunomium,* MG 29, 498 sqq.; S. Gregorius naz., *Oraoncs theol.,* MG 35, 395 sqq.; S. Gregorius nyssenus, *Oratio catechetica,* MG 45, 9 sqq.; S. Joannes Chrysostomus, *De incomprehensihili,* MG 48, 761 sqq.; *De consubstantiali, contra anomacos,* MG 48, 755 sqq.; S. Augustinus, *Enarrationes in psalmos.* ML 36, 67 sqq.; *Confessiones,* ML 32, 661; *Contra Faustum,* ML 42, 207 sqq.; *De civitate Dei,* ML 41, 13 sqq.; *De praedestinatione SS.,* ML 44, 959 sqq.; pseudo-Dionysius, *De divinis nominibus,* MG 3, 585 sqq.: S. Prosper aquitanus, *Responsiones ad cap. bj. gallorum,* ML 51, 155 sqq.; *Responsiones ad cap. obf. Γincenlianaim,* ML 51, 178 sqq.: S. Gregorius IW., *Moralia,* ML 75, 510 sqq.; S. Joannes Damascenus, *De fide orthodoxa,* MG 94, 789 sqq.

2. Ex theologis. Saec. xii: S. Anselmus, *Monologium,* ML 158, 142 sqq. et *Proslogion,* ML 158, 223: Petrus Lombardus, *Sententiarum Abri'quatuor,* ML 192, 521. Saec. xiii: Alexander Alensis, O. M., *Summa theologiae,* p. I. et *Theologiae clavis:* Albertus M., O. P., *Commentarii in libros Sent., Summa theologiae:* S. Thomas Aq., O. P., *Summa theologica, summa contra gentiles. Commentaria in Mag. Sent.,* lib. I, *De veritate,* q. 2 qq., etc.; S. Bonaventura, O. M., *Commentaria in Mag. Sent.,* lib. I; llenricus gandavensis, *Summa,* et *Quodlibeta.* Saec. xiv: Joannes Duns Scotus, O. M., *In quatuor libros Sent.,* lib. I, et *Quodlibeta:* Durandus a S. Portiano, O. P., *Super Sent... Commentariorum libri quatuor;* Gulielinus Ockam, G M., *Comment, super q libros Sent.;* Joannes Bachonus (liaconthorp), O. C., *Super quatuor Sententiarum libros,* et *Quodlibeta;*

Gregorius ariminensis, O. S. A., *Commentaria in libros Seni.:* Saec. xv: Joannes Capreolus, O. P., *Defensiones theologiae* (in quatuor libros Sent.); Gabriel Biel, O. M., *Super quatuor libros Sent.:* Saec. xvi: Thomas de Lemos, O. P., *Panoplia gratiae;* Didacus Alvarez, O. P., *De auxiliis divinae gratiae;* Gregorius de Valentia, S. J., *Commentariorum theologicorum libri quatuor:* Ludovicus Molina, S. J., *Commentaria in i."" D. Thomae partem,* et *Concordia:* Gabriel Vazquez, S. J.. *Commentar, in I partem S. Thomae;* D. Banez, O. P., *Commentaria in I partem S. Thomae;* Saec. xvii: Suarez, S. *J.. De Deo. Metaphysica,* et opuscula varia; Dionysius Petavius, S. J., *Theologica dogmata:* Franciscus Lugo, *Theologia scholastica in I partem D. Thomae;* L. Thomassinus, *Dogmata theologica de Deo Deique proprietatibus:* Joannes a S. Thoma, O. P., *Cursus theologicus in I p. D. Thomae;* Gonet, O. P., *Clypeus theol. thom.;* Zagaglia, O. C. C., *Cursus theologici:* Salmanticenses, O. C. Exc., *De visione Dei, de scientia Dei, de voluntate Dei, de praedestinatione;* Laurentius a S. Theresia, O. C. Exc., *Spicilegium theologicum:* Dominicus a SS. Trinitate, O. C. Exc., *Bibliotheca theologica:* Philippus a SS. Trinitate, O. C. Exc., *Disputationes theologicae:* Gabriel a S. Vincentio, O. C. Exc., *Scholastica commentaria in univ. D. Th. Summam;* Andreas a Cruce, O. C. Exc., *In I p. D. Thomae disputationes theol.;* J. B. Lezana, O. C. C., *Summa theologiae sacrae;* Franciscus Bonae Spei, O. C. C., *Commentarii 1res in universam theologiam schol.;* Liberius a Jesu, O. C. Exc., *Controversiae.* Saec. xviii: Gotti, O. P.. *Theologia scholastico dogmatica;* Wirceburgenses, S. J., *De Deo uno et trino:* Billuart, O. P., *Summa, De Deo;* Paulus a Conceptione, O. C. Exc., *Tractatus theologici:* Joannes a S. Michaele, O. C. Exc., *Cursus theologicus:* Joseph a Matre Dei, O. C. Exc., *Cursus triennalis;* Saec. xix: Perrone, S. J., *Praelectiones theologicae, De Deo;* Knoll, O. M. C„ *Institutiones theol., De Deo;* Franzelin, S. J:, *De Deo uno;* Billot, S. J.. *De Deo uno et trino;* Satolli, *De Deo uno;* Kleutgen, S. J., *De ipso Deo;* Scheeben, *Dogmatik.* vol. 2; San, S. J., *De Deo uno;* Pesch, S. J., *De Deo uno:* A. Farges, S. S.. *L'idée de Dieu d'après la raison et la science;* Urraburu, S. J.. *Theodicea;* Van Noort, *De Deo uno et trino;* Tanquerey, S. S., *Synopsis theol. dogm., De Deo uno;* Janssens, O. S. B., *De Deo uno;* Buonpensière, O. P.. *Comment, in I p. S. Thomae;* Lottini, O. P., *Institutiones dogm. specialis, De Deo in se considerato;* ac demum compendia Fei, Mancini, Hurter, Egger, Mazzella (Horatius), etc.

Saepissime consulendi sunt Denzinger Bannwart, *Enchiridion Symbolorum et definitionum;* M. J. Rouet de Journel, S. J., *Enchiridion patristicum;* et Kirch, S. J., *Enchiridion fontium historiae ecclesiasticae antiquae.*

QUAESTIO I

DE EXSISTENTIA DEI

ARTICULUS I

QUID INTELI.IGATUR NOMINE DEI

S. *Th., I p., q. I.*

3. «Ad probandum aliquid esse, ait S. *Thomas,* necesse est accipere pro medio, quid significet nomen, non autem *quid est,* quia quaestio quid est sequitur quaestionem *an est»*

Quare, antequam probetur exsistentia Dei, operae pretium est nominis Dei definitionem praemittere, ut benevolus lector cognoscat objectum hujus disputationis seu controversiae. «Nomina autem Dei imponuntur ab effectibus» [2]. Unde, quantum ad praesens attinet, describendum est nomen Dei, quatenus nobis innotescit ex rebus creatis.

Hoc sensu nomen Dei significat: *ens quoddam supremum, immobile, necessarium, primum principium et finis omnium rerum, atque gubernator earum, quo majus et excelsius nihil cogitari potest* [3].

Haec Dei definitio, ut vides, 1) non est essentialis [4], neque descriptiva secundum ea, quae de Deo cognoscimus per revelationem [6] sed nominalis descriptiva, quatenus Deum cognoscimus ex creaturis; 2) nihil continet Deo alienum, sed potius extollit ejus perfectiones; 3) praecipuas Dei proprietates refert, cum adserit Deum esse *ens supremum, immobile, necessarium, primum principium et finem omnium rerum atque gubernatorem earum;* 4) facile ab iis, qui partes philosophiae absolverint, intelligitur. Quare, haec nominalis Dei definitio prae oculis habenda est ab omnibus, qui studium theologiae scholasticae incipiunt.

1 *I p.,* q. 2, a. 2 ad 2.

2 S. Thomas, *I p.,* q. 2, a. 2 ad 2.

3 Cfr. Suarez, *Metaph.,* disp. 29, sect. 2, nn. 4-5: Urraburu, *Theod.,* disp. I, n. 10. P. Astete, *Catecismo de la Doctrina cristiana,* 1" p. ait: «Dios es lo mâs excelente y admirable que se puede decir ni pensar; un Senor infinitamentc bueno, poderoso, sabio, justo, principio y fin de todas las cosas».

4 Nulla de Deo dari potest definitio essentialis, quia Deus nec genere et differentia constat, nec intellectu hominis perfecte cognoscitur, nec verbis explicari potest, prout est in sc infinite perfectus. Cfr. Dens, *Theologia,* tr. de Deo, q. 1, n. 4; et Klee, *Manuel de l'histoire des dogmes chrétiens* (gall, vers.), 2 part, ch. 1, n. 1.

6 Definitio descriptiva Dei per revelationem dabitur inferius, cum loquendum erit de ejus natura.

Deus est, ut omnes concedunt, objectum praecipuum humanarum cogitationum, et ad ipsum tandem referuntur omnia, quae in hoc mundo agitantur, humanae vitae problemata[1].

ARTICULUS II

DE COGNITIONE NATURALI ET OBVIA EXSISTENTIAE DEI

4. Status quaestionis. Duplicem de Dei exsistentia possumus in hoc mundo habere cognitionem: 1) *naturalem* seu *obviam,* quam *vulgarem* alii vocant, et, ut bene ait *Reinstadler,* acquirimus «facili ratiocinio, cujus praemissarum veritatem necnon cum conclusione connexionem non reflexe sed directe tantum perspicit intellectus» [2]; 2) *scientificam* seu *reflexam,* quam studio et reflexa inquisitione acquirimus, statuendo scilicet praemissas et ex eis debita forma et perfecta cognitione deducendo conclusiones, necnon reddendo rationem legitimae argumentationis. De cognitione naturali et obvia exsistentiae Dei in praesenti, de cognitione scientifica in articulo sequenti agemus.

§ 1

Utrum Deus certo cognosci possit naturali rationis lumine.

5. Errores. Deum naturali humanae rationis lumine posse certo cognosci negaverunt *nominalistae, positivistae, liantistae, modernistae* et *traditionalistae.*

i) *Nominalistae,* considerando munus, quod exercet spiritus humanus in formatione idearum universalium ac in perceptione relationum similitudinis, causalitatis, etc., deduxerunt hujusmodi relationes non exsistere objective, sed esse ipsos conceptus, quibus res cognoscuntur ab intellectu *(nominalismus idealisticus),* vel sensationes phantasiae et sensuum *(nominalismus empiricus),* et consequenter dixerunt nihil a nobis nisi ideas atque sensationes percipi posse, negaveruntque intellectum humanum posse Deum certo cognoscere ex rebus creatis. Hinc *Petrus Alliacensis,* ockamista, dicebat: «Ex nullis apparentibus potest concludi Deum esse evidenter» [3]. Et *Nicolaus de Ultricuria* (d'Autrecourt), contemporaneus Ockami, ajebat inter alia: «Dixi, quod, excepta certitudine fidei,· non erat alia certitudo nisi certitudo principii (contradictionis), vel quae in primum principium potest resolvi» [4]. Recentius *Hobbes,* empirista, docuit hominem nihil posse concipere nisi per viam sensationum, et nullatenus posse formare ideam Dei [5]. Et

1 «Dieu, ait Vacherot, *Le nouveau Spiritualisme,* p. 288, c'est le plus grand mot des langues humaines... Il est le problème par excellence de plus grandes philosophies». Unde fallitur vehementer Calvinus, *Inst.,* lib. i, c. 2, n. 2, cum adserit *frigidis speculationibus* ludere eos, qui insistunt quaestioni *quid sit Deus.*

2 *Theol nat.,* lib. I, c. I, a. 2, assert. 2. Cfr Norberto dei Prado, *Problema ontolôgico* apud «La ciencia tomista». Nov.-Dbre. 1913, p. 178.

3 *Quaest. in Sent.,* lib. 1, q. 3, a. 1; q. 11, a. 2, *Quodlib.* 1, q. 1.

4 Prop, ii apud Denifle, *Chartularium Universitatis parisiensis,* t. 2, pagina 577 sq. Denz-Bannw., 558.

6 «Parce que, concevant toutes choses par la voie de la sensation, l'homme ne peut rien imaginer que ce qui frappe ses sens». *De cive,* ch. 5, § 14.

Hume, idealista scepticus, negavit non solum cognitionem verum etiam exsistentiam substantiarum et causarum [1].

2) *Positivistae agnostici,* non parum affines nominalistis empiricis, inter alia elocent principium causalitatis in ordine ontologico non significare causalitatem sed solummodo successionem, qualis est inter diem et noctem, et consequenter non habere certitudinem objectivant; valere tamen in factis et experimentis seu phaenomenis sensuum, ex quibus non licet homini adsurgere ad cognitionem causae ontologicae et Dei, extra sphaeram sensationum exsistentis. Ita *Augustus Comte, Littré, Stuart Mill* et alii [2].

3) *Kantistae* magis aggravant theoriam praecedentem, dicendo principium causalitatis solum valere in ordine pure phaenomenico, adeo ut omne phaenomenon habeat pro causa aliud phaenomenon non vero *noumenon* [3] [4] 1'nde idea causae et effectus objective, id est, extra perceptionem subjecti, nihil est, et idcirco causa non est ultima ratio effectus nisi in ordine pure subjectivo [5].

4) *Modernistae,* partim Kantium, partim agnosticos, partim pseudomysticos et partim sentimentalistas sequuti, suum systema construunt. Quoad praesens attinet, ex *agnosticisme* petunt humanam rationem imparem esse his cognoscendis, quae phaenomenis non apparent [5][7] Quare humana ratio «nec ad Deum se erigere potis est, nec illius exsistentiam, utut per ea, quae videntur, agnoscere» [6]. Deus igitur, utpote phaenomenis non apparens, non est objectum scientiae. Ex *sentimentalisme* et *pseudomysticismo* petunt modernistae partem positivam suae theoriae, quae consistit in immanentismo. Ea, quae non cadunt sub objecto scientiae, id est, quae phaenomenis non apparent, constituunt *incognoscibile,* quod juxta aliquos extra est, juxta alios in *subconscientia* latet. Coram hoc incognoscibili, indigentia divinorum commovet *sensum religiosum,* quo experimur et sentimus Deum in anima. Hic sensus religiosus est fides simul atque revelatio vel revelationis exordium, quia Deum fidei objectum et causam in animo manifestat. Unde, modernista qua *philosophus* non cognoscit Deum, qua *credens* eum experitur. intuetur ac palpat, atque admittit Deum esse etiam extra animam, non quidem ratione cognitum, sed in sensu religioso, qui fides est et revelatio, animis se manifestatem. Cum autem Deus sit objectum fidei aeque et causa, revelatio illa et de Deo pariter et a Deo est, habet Deum pariter revelantem simul ac revelatum [7], adeo ut modernistae credenti Deus sit immanens simul et transcendens [8].

5) *Traditionalistae* docent rationem humanam viribus suis imparem esse exsistentiae Dei cognoscendae, nisi illustretur revelatione primitiva, transmissa per sermonem seu traditionem, vel per consensum generis humani [9]. *Rigidi traditionalistae* volunt unicum motivum efficax, quo ratio humana adhaeret veritatibus supernaturalibus, esse immediate auctoritatem et instructionem socialem, mediate vero et in ultima analysi revela-

1 *A treatise of human nature,* B. 1, p. 1, sect. 8.

2 Comte, *Cours de philosopie positive:* Littré, *Revue des Deux Mondes,* i.er Juin 1865; Stuart Mill, *Essais sur la religion,* p 227.

3 Phaenomena in philosophia kantiana sunt res, *prout a nobis percipiuntur,* sive respondeant veritati objectivae sive non; noumena vocantur res, *prout sunt in se* in ordine ontologico.

4 Cfr. Dehove, *La critique kantienne des preuves de l'existence de Dieu,* Lille, 1905.

5 Encycl. *Pascendi:* Dsni-Bannw., 2072, 2073.

° Encycl. *Pascendi:* Denz-Bannw., 2072.

7 Cfr. Encycl. *Pascendi;* Denz-Bannw., 2075 sqq.

8 Hanc theoriam defendunt Ed. Leroy, *Revue de metaphys. et de morale.* Juillet, 1907; et auctores libri *Programma dei modernisa,* § 2, b) et c).

8 Ita Bonald, *Législation primitive,* livr. 2, *dissertation sur la pensée de l'homme,* p. 144 sqq. Parts, 1817; *Recherches philosophiques sur les premiers objects des connaissances morales;* ch. 8. p. 368 sqq.; Lamennais, *Essai sur l'indifférence en matière de religion,* t. 2. 3.nie partie, cc. 1-2; Bautain, *De l'enseignement de la Philosophie en France* (est introductio ad librum *Philosophie du Christianisme).*

Iκ ııııı ıı divinam; dum *traditional!star mitiores* requirunt solum per modum conditionis instructionem socialem, quae communicet revelationem primitivum, ita tamen, ut ratio semel instructa possit deinde viribus suis cognoscere Deum veritatesque morales [1].

6. THESIS. Exsistentia Dei naturali humanae rationis lumine certo cognosci potest.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura,* a) In Veteri Testamento haec leguntur: *Vani autem sunt* (id est. stulti—μάταιο-—) *omnes homines, in quibus non subest scientia Dei et de his, quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes cognoverunt, quis esset artifex... .4 magnitudine speciei et creaturae cognoscibiliter poterit creator horum videri... Si enim tantum potuerunt scire, ut possent aestimare saeculum, quomodo hujus Dominum non facilius invenerunt?* -. Et psalmista insipientiae accusat eum, qui *dixit in corde suo: Non est Deus* [3]. [4] Sed potest homo naturali rationis lumine stultitiam et insipientiam vincere. Ergo potest homo naturaliter Deum cognoscere.

b) Clarius in Novo Testamento: *Quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, quae jacta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus et divinitas; ita ut sint inexcusabiles. Quia, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt* '.

Ex his Apostoli verbis facile deducuntur quaedam consectaria:

a) *Pagani et omnes generatim homines potuerunt Deum cognoscere.* Nam «quod notum est Dei (id est, cognoscibile in actu primo), manifestum est in illis» gentibus, quia Deus illis manifestavit.

β) Cognitio Dei, quam homines acquirere possunt, est *naturalis,* quia procedit «per ea, quae facta sunt» [5,6] et est *certa,* quia «Deus illis manifestavit», et «invisibilia... ipsius... intellecta conspiciuntur...»®.

γ) *Haec cognitio Dei est facilis et omnibus hominibus obvia.* Illi siquidem, qui vel Deum non cognoverunt, veritatem Dei in injustitia detinentes [7], vel, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.

1 Ita Doctores Lovanienses, J. Th. Beelen, J. B. Lefebre, G. C. Ubaghs et N. J. Laforet in litteris ad Emm. Card, de Andrea, S. C. Ind. Praefectum, sub data i Febr. i860. Cfr. Laforet, *Dogmes catholiques,* t. 1, p. 467 Has ideas explanavit Ubaghs, *Onto/.,* nn. 17-19: et *Theodicea,* n. 17.

2 *Sap.* 13. 1-10.

3 *Ps.* 13, i.

4 *Rom.,* i, 19-21. Disputant exegetae, num Apostolus loquatur de gentibus, quae vere Deum cognoverunt, vel de illis, qui eum cognoscere potuerunt. *Nonnulli* cum S. Thoma docent Apostolum loqui de illis, qui de facto Deum cognoverunt, et inexcusabiles vocantur, quia cum cognovissent eum, non sicut Deum glorificaverunt. *Alii* contendunt Apostolum se referre ad eos, qui potuerunt Deum cognoscere, sed, rationi naturali obstaculum ponentes, veritatem Dei in injustitia detinuerunt. Quaelibet ex his interpretationibus sufficit ad scopum nostrum.

6 Verba illa *Deus enim illis manifestavit* intelliguntur de manifestatione naturali.

8 In his locis sermonem esse de cognitione Dei certa docent omnes antiqui, excepto Vazquez, qui, *In I p.,* disp. 20, n. 8. adserit non constare, utrum in Scriptura agatur de notitia Dei evidenti, an solum de probabilissima

7 *Rom.,* i. 18.

inexcusabiles vocantur; quod non vere diceretur, nisi cognitio Dei esset facilis [1].

o) *Docet Apostolus homines posse Deum naturaliter cognoscere, ut est suntmus, aeternus, potens et majestas suprema.* Quia «invisibilia ipsius... intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus et divinitas» [2].

i) *Deus naturaliter satis cognosci potest, ut homo teneatur ipsum colere.* Ideo namque inexcusabiles dicuntur gentes, quae, «cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt» [3].

7. 2) *Ex Ecclesiae auctoritate.* Concilium Vaticanum haec declaravit: *Eadem S. Mater Ecclesia tenet et docet Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse* [4]. —Si *quis dixerit Deum, unum et verum, creatorem et Dominum nostrum, per ea. quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse, a. s. s.* [5]

Circa hanc definitionem adverte sequentia:

a) Concilium non docet, ut bene notat *Ciasca* [6], homines singulos reapse Dei cognitionem ex creaturis haurire, sed homini naturaliter inesse potentiam cognoscendi Deum.

b) Declaratum est posse Deum naturali humanae rationis lumine *certo* cognosci, quin tamen determinata fuerit extensio hujus cognitionis. Itaque definitum non est quid taxative possit ratio naturaliter de Deo cognoscere, sed dictum est nos posse Deum, unum et verum, creatorem et Dominum nostrum, rerum omnium principium et finem, naturaliter cognoscere [7] [8] Docemur tamen Deo placuisse «alia eaque supernatural! via se ipsum ac aeterna voluntatis suae decreta humano generi revelare» [8].

c) Noluerunt Patres concilii determinare, an haec potentia naturalis cognoscendi Deum competat homini in statu naturae purae vel in statu naturae lapsae. In utroque statu potuit certe homo Deum cognoscere, ut apposite dixit episcopus brixinensis [9], sed ex contextu et circumstantiis videntur Patres loqui voluisse de homine, prout nunc est in statu naturae lapsae.

1 Cfr Pesch., *De Deo uno,* nn. 5-6.

2 Murillo, *La Iglesia romana,* t. 2, lib. 4. sec. j, c. 2, dilucide hoc consectarium probat ex ipso textu Apostoli. Ut tamen plurium cavillationibus praecludatur via, notandum est cum Cajeiano, *In 1 p.,* q. 2, a. 3, rationem naturalem cognoscere Deum ex creaturis, non quatenus Deus est in se infinite perfectus, sed quatenus est primum movens immobile, primum efficiens, ens necessarium, summum. potens, supremum, perfectiones creaturarum in se uno continens.

3 Cfr. Ciasca, *Examen critico-apolog. super const, dogm. de fide cath.,* p. 3, c. 2, § 22, pag. 152.

4 Sess. 3, c. 2; Denz-Bannw., 1785.

5 *Sess.* 3, Can. de revelatione, can. 1: Denz-Bannw., 1806.

6 *Examen critico-apolog. super const, dogm. de fide cath.,* p. 3, c. 2, § 22.

' Nonnulli Patres fecerunt difficultatem in vocabulo *creatorem* dicentes hominem non posse naturaliter cognoscere creationem seu productionem rerum ex nihilo, sed alii dixerunt vocabulum *creatorem* retineri in canone sensu quo adhibetur in S. Scriptura (Sap. 13, 5), quin concilium definierit creationem proprie dictam ratione posse demonstrari. Cfr. *Acta Concit. Vat.,* Collect. Lac., t. 7, p. 79.

8 Sess. 3, C. 2; Denz-Bannw., 1785.

° *Acta et decr. Concit. Vat.,* Collect. Lac., t. 7, p. 131.

d) Per verba *ex rebus creatis* et *per ea quae jacta sunt* noluit concilium modum cognoscendi Deum restringere ad argumenta metaphysica vel physica, sed nomine rerum creatarum ea potius indigitavit, quae facta sunt, sive physica fuerint sive metaphysica, sive psychologica, sive moralia sive ex alio ordine, dummodo apta censeantur ad Deum cognoscendum.

3) *Ex SS. Patribus. Tertullianus:* «Nemo negat, quia nemo ignorat, quod ultra natura suggerit, Deum esse universitatis conditorem» [1]. Rursum: «Nos definimus Deum primo natura cognoscendum, dehinc doctrina recognoscendum; natura ex operibus, doctrina ex praedicationibus» [2]. *S. Joannes Chrysostomus:* «Creatum orbem in medio posuit; ita ut sapiens, idiota, scitha, barbarus ex solo visu visibilium pulchritudinem edoctus, ad Deum conscendere posset» [3] [4] S. *Hieronymus:* «Nulla gens est, quae naturaliter non intelligat Deum»

Corollarium. Ex his facile refutantur in hac materia *nominalistae, positivistae, kantistae* et *modernistae,* qui obstinate negant hominem posse acquirere *certam Dei cognitionem:* necnon *traditionalistae,* qui inficiantur rationem humanam cognoscere Deum nulla praecedente fidei instructione.

§ 2

Unde nobis proveniat prima seu naturalis Dei cognitio.

8. Status quaestionis. Affulgent homini *naturalis inlelligentia, experimentum, tides* et *discursus* pro veritatis investigatione, et juxta diversitatem horum luminum excogitari possunt modi, quibus dicitur Deus primo nobis innotescere.

9. Systemata. Omnium hac in re opiniones ad pauca systemata brevitatis gratia reducam.

I. *Ontologismus.* Hujus systematis fautores, confundentes esse Dei cum esse abstracto, quod in omnibus creaturis invenitur, putant primum ontologicum esse etiam primum logicum, seu primum exsistens esse primum a nobis cognitum, et immediatam Dei cognitionem saltem habitualem esse humano intellectui connaturalem. Unde tuentur primam Dei cognitionem in nobis oriri ex immediata ipsius Dei intuitione, quatenus Deus est exemplar omnium rerum.

Ontologistae plura certe confundunt, sed, si attente legantur, per immediatam Dei intuitionem, quam menti humanae in hac vita concedunt, duo videntur innuere: a) Intuitum mentis in Deum esse, non *judicium* de Dei exsistentia, sed simplicem ac confusam ejus notionem, quatenus est ens, verum, bonum, etc., ut inde intellectus hac notione Dei perfusus possit res externas considerare, et ex earum consideratione

1 *De spectaculis,* c 2; ML 1, 631.
2 *hlv Miireioncm,* lib, 1. n. r8; Ml. 2. 266.
" *Hom ,J i» ‹'p ad Hom ,* 11 2; MG 80, 412
4 *Inerdota Maredsolaiia,* 3, 2, 137

exsistentiam Dei clare percipere E b) Essentiam divinam immediate a nobis primo intueri, non ut est absolute in se, sed ut est archetypus et exemplar omnium rerum. Exinde docent intellectum humanum non posse creaturas intelligere, nisi prius essentiam divinam qua archetypum inspiciat, et ex ea ad creaturas in se considerandas se convertat. Quare Deum vocant *lumen intellectus nostri,* sine quo nihil intelligere possumus [1].

Ontologismus alius est *rigidus,* alius *moderatus.* Uterque defendit Dei essentiam a nobis immediate intueri; sed quoad visionem creaturarum unus ab altero discrepat: rigidus vult omnia, universalia et singularia, in Deo non in se ipsis videri; moderatus exsistimat universalia in Deo singularia in se ipsis cognosci.

1) Rigidioris ontologismi error jam inde a saeculo iv invectus est ab Eunomio, Actii disciplulo, qui docuit nos immediate Dei substantiam viribus naturae conspicere atque comprehendere [3]. «Quidam veteres docent, ait S. *Thomas,* quod primum quod a mente humana cognoscitur, etiam in hac vita, est ipse Deus, qui est veritas prima, et per hunc omnia alia cognoscuntur» [4]. Revixit iterum saeculo xin per *Henricum gandavensem* (f 1293) [5], .quem deinde sequutus est celeber *Joannes Iiachonus* [6].

Saeculo xiv ontologisinum rigidum professi sunt beguardi et beguini, qui damnati fuere a Clemente V in Concilio Viennensi in Gallia [7].

Denique *P. Nicolaus Malebranche,* C. O. (171.5), opere *De la recherche de la vérité,* liv. 3, p. 2, ch. 2-6, rigidum ontologismum restauravit, cui Card. *Gerdii* saeculo xvin, scripto opusculo *Défense du sentiment du P. Malebranche,* nomen dedit.

2) Ontologismi moderati patrocinium suscepere *Julius Fabre,* professor Sorbonae, *L. Branchereau,* C. S. S., *Hugonin, Rosmini, Gioberti, Ubaghs, Laforet* et alii bene multi elapsi saeculi scriptores [8].

10. Critica. Ontologismus turn rigidus tum mitigatus adversatur 1) doctrinae S. Scripturae, 2) dogmaticis Ecclesiae definitionibus, 3) constanti Patrum traditioni, et 4) principiis sanae philosophiae.

1) *Adversatur doctrinae S. Scripturae,* a) In sacris litteris inveniuntur quamplurima testimonia^ quibus ostenditur Dei visionem esse supra vires naturales humani intellectus. *Qui solus* (Deus), inquit Apostolus, *habet immortalitatem et lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest* [9]. S. Joannes: *Deum nemo vidit un-*

1 Cfr. Kleutgen, *Os ipso Deo,* n. 125.

2 Vid. Zigliara, *Delta luce intellettuale e dell'ontologismo,* vol. I, η. 17; Hergenrôther, *Hist, ecl.,* period. 9, n. 362 sq (cd. esp., t. 6, p. 516 sqq.).

3 Cfr. Socrates, *Hist, eccl.,* lib. 4, c. 7; MG 67, 473.

4 *Opusc. 63 in lib. Boëtii de Trinitate,* q. 1, a. 3.

5 *Summa,* a. 22, q. 2 (ed. Jodoci Badii Ascensii, 1520), fol. 130.

8 *I Sent.,* dist. 3, aa. 1 et 3.

7 Denz-Bannw., n. 475.

8 Fabre, *Défense de l'ontologisme:* Branchereau, *Psychol.,* sect. 1, n. 36: Hugonin, *Études philosophiques:* Rosmini, *Teosofia,* vol 4. n. '2 sqq.; Gioberti, *Tntroduzione allo studio della filosojia,* vol I, c. 3; Ubaghs, *Theodiceae elementa,* nn. 14, 15, 41, 112 et 113; Latorot, *Les dogmes catholiques,* liv. 1, ch. 2.

" *I Tim., 6,* 16.

quam \ Ipse Deus per Moysem: *Non... videbit me homo el vivet*1. b) Promittitur nobis visio Dei solum in altera vita. *Carissimi,* inquit S. Joannes, *nunc filii Dei sumus; et nondum apparuit quid erimus. Scimus, quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* 3. Clarius adhuc Apostolus: *Videmus nunc per speculum in enigmate; tunc autem facie ad faciem* '4.

2) *Adversatur dogmaticis Ecclesiae definitionibus.* In Concilio Viennensi (a. 1311-1312) damnati sunt beguini et beguardi, qui dicebant animam non indigere *lumine gloriae ipsam elevante ad Deum videndum* 5. Benedictus XIII per suam constitutionem *Benedictus Deus* declaravit proprium esse beatorum visione intuitiva et faciali Deum videre. Hinc S. C. Univ. Inq. a. 1861 declaravit septem propositiones ontologistarum, quas examinaverat, *tuto tradi non posse 6.*

Ut nemo posset hanc declarationem Ecclesiae effugere, dicendo praefatas propositiones ad ontologismum rigidum non ad mitigatum referri, S. C. S. O. a. 1867 rursum declaravit quindecim propositiones de ontologismo moderato, quas D. Branchereau tradiderat examinandas, *tuto doceri non posse 7.*

Rursum S. C. S. O. decreto *Dost obitum* 14 Dec. 1887 proscripsit 40 propositiones Rosminii, quarum septem priores doctrinis ontologistarum scatent8.

Thesis denique 22 approbata a S. Studiorum Congregatione sub die 27 Jul. 1914 haec habet: «Deum esse neque immediata intuitione percipimus, neque a priori demonstramus» 9.

1 *I Joan.,* 4, 12.

2 *Ex.* 33, 20. Hanc impossibilitatem videndi Deum in praesenti vita, quam sacrae litterae testantur, non tantum ad visionem corporalem sed etiam ad intellectualem referri vel inde patet, quod S. Scriptura negans visionem Dei in hac vita concedit in altera, ubi non oculo corporeo sed mente sumus Deum visuri.

3 *I Joan.,* 3, 2.

4 *I Cor.,* 13, 12. j.

5 Denz-Bannw., 475.

° En quinque priores propositiones: «1. Immediata Dei cognitio, habitualis saltem, intellectui humano essentialis est, ita ut sine ea nihil cognoscere possit, siquidem est ipsum lumen intellectuale. 2. Esse illud, quod in omnibus et sine quo nihil intelligimus, est esse divinum. 3. Universalia a parte rei considerata a Deo realiter non distinguuntur. 4. Congenita Dei tanquam entis simpliciter notitia omnem aliam cognitionem eminenti modo involvit, ita ut per eam omne ens, sub quocumque respectu cognoscibile est, implicite cognitum habeamus. 6. Omnes aliae ideae non sunt nisi modificationes ideae, qua Deus tanquam ens simpliciter intelligitur». Denz-Bannw., 1659-1663.

' Harum duae sic exprimuntur: 12. «A primo exsistentiae instanti mens perceptione ideali fruitur, non quidem reflexe sed directe». 13. «Inter veritates intelligibiles, quas idealiter apprehendimus, imprimis reponitur Deus, cujus intellectio, licet ab intuitione beatorum essentialiter distincta, non ad imaginem repraesentativam, sed ad Deum ipsum terminatur».

8 Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 20, p. 398, et Denz-Bannw., 1891 sqq. Emm. D. Card. Xystus Riario Sforza, archiep. neapol. et Joachim Pecci, Card, archiep. perusinus, postea Leo XIII, postulatum, validis argumentis munitum, obtulere Concilio Vaticano, ut ontologismum proscribere vellet juxta eam formam, «quae aperte catholicae doctrinae opponitur, et fundamentum est multorum errorum, qui nunc late pervagati sunt, et continetur in illa propositione: *naturalis est homini cognitio Dei directa et immediata».* Cfr. *Collect. Lac.,* vol. 7, p. 849 sqq.

• *Acta Ap. Sedis,* vol. 6, p. 386.

3) *Contradicit constanti SS. Patrum traditioni.* SS. Patres Ecclesiae crebro docent Dei cognitionem in hac vita nunquam haberi posse, ipsum Deum immediate intuendo, sed colligi ex creaturis discurrendo. S. *Gregorius M.* ait: «Omnis homo, eo ipso quo rationalis est conditus, debet ex ratione colligere eum, qui se condidit, Deum esse. Quem nimirum jam videre est dominationem illius ratiocinando conspicere. Quum vero dictum sit: *Omnes homines vident eum* (Job 36, 25), recte subjungitur: *unusquisque intuetur procul.* Procul quippe intueri eum est, non jam illum per speciem cernere, sed adhuc ex sola operum suorum admiratione pensare»[1]. Eodem fere modo loquuntur S. *Gregorius nazianzenus* [2] et alii. Unde S. *Thomas* haec habet: «Nos aliter Deum notum habere non possumus, nisi ex creaturis ad ejus notitiam veniamus» [3].

4) *Pugnat cum principiis rectae philosophiae.* «Cognitio enim, inquit S. *Thomas,* contingit secundum quod cognitum est in cognoscente. Cognitum autem est in cognoscente secundum modum cognoscentis. Unde cujuslibet cognoscentis cognitio est secundum modum suae naturae. Si igitur modus essendi alicujus rei cognitae excedat modum naturae cognoscentis, oportet, quod cognitio illius rei sit supra naturam illius cognoscentis» [4]. Porro manifestum est modum essendi Dei excedere modum naturae animae nostrae, quia anima nostra est forma substantiae corporeae, et habet esse participatum, Deus autem est ipsum suum esse. «Non igitur potest intellectus creatus Deum per essentiam videre, nisi in quantum Deus per suam gratiam se intellectui creato conjungit, ut intelligibile ab ipso» [5].

11. Scholion. Eminentissimi Cardinales Sforza et Pecci, aliique doctores catholici merito animadvertunt ontologismum sternere viam rationalisme, pantheismo et ecclectismo, atque pessimas consequentias producere in ordine practice. 1) *Rationalisme* quidem sternit viam, quia immediatam Dei cognitionem menti humanae tribuens, mysteriorum aeque ac veritatum supernaturalium notitiam naturaliter acquiri posse autumat. 2) *Pantheismo* quoque viam parat, quia rebus creatis intelligibilitatem propriam negans, realitatem quoque earum extra Deum inficiatur. 3) *Ecclectismo* viam pandit, quia «si omnia in Deo cognoscimus, mens nostra erroris capax esse non potest, et diversae et oppositae philosophorum opiniones sunt semper quaedam partes ac veluti facies veritatis». 4) In ordine practice producit pessimas consequentias, quia admissa hominis cum Deo immediata communicatione, «aperitur aditus ad theosophiam quamdam mysticam et occultam, qua facile persuaderi possunt et a culpa liberari actiones quaelibet, et superbus cujuslibet auctoritatis aut legis contemptus non sine magno moralis et socialis ordinis detrimento» [6].

1 *Moral.,* lib. 27, c. 5: ML 76, 403.
2 Orat. 28, n. 12; MG 36, 41.
3 *De Veritate,* q. 18, a. 2.
4 *I p.,* q. 12, a. 4.
5 *I p.,* q. 12, a. 4. Hinc vides quomodo Angelicus suo jam tempore ontologismum profligaverit.
6 Vid. *Colled. Lac.,* vol. 7, p. 853.

12. II. *Systema idearum innatarum.* Idearum innatarum fautores comminiscuntur cognitionem Dei naturalem esse nobis ingenitam seu per ideas innatas nobis naturaliter insertam, quae ad cb monstrationem scientificam exsistentiae Dei nos manuducit. Ita *Cartesius* [1], *Thotnassinus, Kuhn, Klee, Staudenmaier* -, et alii non pauci.

Critica. Haec theoria, si cognitio ingenita et ideae innatae stricte accipiantur, rejicienda est. 1) Quia ia philosophia docemur nullam admittendam esse in intellectu nostro ideam innatam 2. *2)* Quia nostra de Deo cognitio naturalis ex rebus creatis ratiocinando hauritur et per analogiam ad res creatas efformatur, experientia teste.

13. 111. *Systema luminis ingeniti.* praecedenti theoriae c alde affine, docet Deum nobis innotescere ingenito quodam intelligentiae lumine, seu spontaneo ac daeco mentis instinctu, ex sola terminorum perceptione, eo ferme modo, quo prima principia nobis innote.·, tint. Hoc lumen ingenitum appellatur facultas *inspirationis* seu b;;.. !.·· 7.-.-s, et *sensus communis.* Ita *Reid* (f 1796), a quo sententia reidiana vocari consuevit [4], et alii.

Critica. Hanc theoriam do prima Dei cognitione per lumen mentis ingenitum profundissime refutat Kleutgen dicens: «Ille spontaneus motus vel animi instinctus, cui judicium de Dei exsistentia attribuitur, aut est cum cognitione conjunctus, aut non est. Si est cum cognitione conjunctus. haec cognitio, quoniam adversarii ratiocinationem excludunt, non potest esse nisi immediata. Sed omnis naturalis Dei cognitio immediata humanae intelligentiae repugnat. Sin, motus ille sine cognitione dicitur judicium caecum est, instinctui brutorum simile, a natura autem mentis alienum. Hoc enim in natura omnis intelligentiae positum est, ut non judicet nisi aliqua cognita ratione impellente» 56

14. IV. *Sentimentalismes seu pseudomyslicismus.* auctore Henrico Jacobi (f 1819), philosopho protestante, ortus est ®, et docet nos non tam cognoscere quam sentire Deum intimo quodam sensus interni et cordis affectu. Cor enim hominis sentit in se immediatam Dei praesentiam et quodammodo experitur atque percipit ejus notitiam 78 Huic systemati subscripserunt *Kôppen,* discipulus Jacobi, *Bûchez, Hemsterhnis, Christianus* Iftuss, celeber *P. Augustinus Gratry* et alii, praeser-

1 *Médit, métaphys.,* 3.mc et 5.me. si tamen Cartesius intelligendus sit de idea innata actuali exsistentiae Dei. quod ipse negare videtur in ep. 99 his verbis: ^Quand j'ai dit que l'idée de Dieu est naturellement en nous, je n'ai jamais entendu, si non que la nature a mis en nous une faculté par laquelle nous pouvons connaître Dieu, mais jamais je n'ai écrit ni pensé que de telles idées fussent actuelles».

2 Thomassinus, *De Deo Deique proprietatibus,* lib. i sqq.; Kuhn, *Gotteslehre,* 542 sqq. (2 ed.); Klee, *Theol. dogm.,* vol. 2, p. 1. lib. 1, c. 1; et *Manuel de l'histoire des dogmes chr.,* 2 part., ch. I, n. 2; Staudenmaier, *Christliche Dogmatik, 2,* § 20

3 Cfr. Balmes, *Filosofia fundamental,* lib. 4, c. 30.

4 Reidio praeiverant plures scotistae et Tournely, *De Deo,* q. 1, a. 1, quorum sententiam probabilem vocavit Frassen, *Scotus acad.,* disp. 1, a. 1, q. t, concl. 1. et approbavit Knoll, *Theol. dogm. polem, specialis,* p. 1, sect. 1, c. 1, a. 1.

6 *De ipso Deo,* n. 148.

6 *l'on den gottlichen,* p. 33.

7 Cfr. Gonzalez, *Historia de la Filosofia,* t. 3, § 61.

8 *La Connaissance de Dieu,* ch. 1.« et 7.™«.

tim hodierni modernistae[1] Hanc facultatem cognoscendi vel potius sentiendi Deum Jacobi *rationem,* Gratry *sensum divinum,* modernistae *sensum religiosum* appellant [2][3]

Critica. Sentimentalistae perperam conati sunt sensui interno et affectui naturali cordis habitualiter tribuere, quod per dona gratiae, caritatis et sapientiae quandoque sanctis hominibus divinitus collatum est. Ex historia novimus justos, qui Dei familiaritate etiam in hac vita supernaturaliter fruebantur, non semel Deum sibi praesentem expertos fuisse [3], sed hoc sensui interno et affectui cordis naturaliter tribuere, commentum est temerarium.

Juxta patronos hujus sententiae in sensu interno ac in corde sentitur experiturque Dei praesentia: imo et cor ipsum est centrum cognoscitivum veritatis. Sensui religioso, non rationi, debetur exsistentiae Dei rerumque moralium cognitio [4]. Hoc autem quam sit alienum a veritate, nemo non videt. Sensus quippe et cor hominis non sunt in vera philosophia facultates cognoscitivae.

15. V. *Traditionalismus,* ut jam diximus, docet primam Dei rerumque moralium cognitionem nobis provenire a primitiva revelatione hominibus impertita et nobis per traditionem vel per instructionem socialem communicata [5].

Critica. Traditionalismus 1) adversatur S. Scripturae, 2) contradicit doctrinae SS. Patrum, et 3) proscriptus est ab Ecclesia catholica.

1) *Traditionalismus adversatur S. Scripturae.* S. Scriptura tum in libro Sapientiae [6], tum in epistola ad Romanos [7], tum alibi passim docet posse hominem naturali rationis lumine ad Dei cognitionem pervenire, adeo ut *vani* seu *stulti* vocentur homines, quibus non affulgeat scientia Dei a magnitudine speciei et ex iis, quae facta sunt, collecta.

2) *Traditionalismus contradicit doctrinae SS. Patrum.* «Nos porro dicimus, ait S. *Basilius,* generatim quidem in disciplinis fidem cognitioni praeire... At in fide, quae circa Deum versatur, praeit illa cogitatio, Deum esse, hanc autem ex creaturis colligimus... Cognitionem istam fides sequitur, et fidem talem adoratio» [8]. S. *Athanasius:* «Certe ex rebus aspectabilibus Dei cognitionem haurire (anima) potest, quandoquidem res creatae admirabili ordine et concentu, quo compositae sunt, quibusdam veluti *litteris* Dominum et creatorem indicant et quasi voce praedicant» [9]. Id ipsum alii PP. unanimiter docent[10].

1 «In sensu religioso (dicunt modernistae) quemdam esse agnoscendum cordis intuitum, quo homo ipsam, sine medio, Dei *realitatem* attingit, tantamque de exsistentia Dei haurit persuasionem... ut persuasionem omnem, quae ex scientia peti possit, longe antecellat.» Encycl *Pascendi,* Denz-Bannw., 2081.

2 Cfr. Gonzalez, *Historia de la Fit.,* t. 3, § 102.

3 S. Theresia, *Vita,* c. 22, n. 2 ait: «Parecfame sentir la presencia de Dios». Et *ibid.,* c. 27, n. 2: «Estar siempre a mi lado derecho sentialo muy claro». Cfr. S. Joannes a Cruce, *Subida dei Monte Carmelo,* lib. 2, c. 30 (ed. Toledo, 1911).

1 Cfr. Gonzalez, *Hist, de la Fil.,* t. 3, § 61.

5 Cfr. *Theol. fund.,* n. 100; et *De Deo uno,* n. 5, 5).

6 *Sap.* 13, i sqq. 7 *Rom.,* 1, 18-21.

8 *Ep.* 235, i (ad Amphilochium); MG 32, 872.

° *Oratio contra gentes,* n. 34; MG 25, 69.

10 Cfr. S. Joannes Chrysostomus, *Hom. J in ep. ad Rom.,* n. 2; MG 60, 412; S. Augustinus, *Serm.* 141, 2; MT. 38, 776.

3) *Traditionalismus est ab Ecclesia proscriptus.*

Dominus Bautain coactus est die 8 Sept. 1840 subscribere sex propositiones *De fide et ratione,* quarum 5.“ sic se habet: «Quoad has quaestiones varias ratio fidem praecedit debetque ad eam nos conducere» P

Die 15 Jun. 1855 jussu S. C. Indic, subscripsit D. Bonnety 4 propositiones, in quibus dicebatur: 2 «Ratiocinatio Dei exsistentiam... cum certitudine probare potest». 5 «Rationis usus fidem praecedit et ad eam hominem ope revelationis et gratiae conducit» [1].

Concilium Vaticanum diserte definit: *Si quis dixerit Deum, unum et verum, creatorem et Dominum nostrum, per ea, quae jacta sunt, naturali rationis lumine certo cognosci non posse, a. s.* [3]. Per hanc concilii definitionem proscribitur directe traditionalismus rigidus, qui supernaturalem revelationem requirit ad cognitionem Dei comparandam; indirecte vero traditionalismus mitior, qui institutionem socialem requirit ut conditionem ad cognitionem Dei acquirendam.

16. VI. *Systema tenendum.* 1) *Prima Dei cognitio, quamvis vere dicatur a SS. Patribus aliquo sensu nobis congenita,* 2) *non est tamen proprie innata, sed vere acquisita.*

1) *Prima Dei cognitio vere dicitur aliquo sensu nobis congenita.* Quamplurima sunt SS. Patrum testimonia, quibus docemur notionem Dei esse animae nostrae *naturaliter insitam* vel *insertam, naturalem, congenitam, dotem a primordio collatam,* etc. Conferantur S. *Justinus, Tertullianus, Clemens alex., S. Hieronymus, S. J. Damascenus* et alii [4] His expressionibus significare voluerunt Patres notionem Dei vulgarem facili negotio et absque diuturno studio a ratione humana adipisci. Inest enim naturaliter homini facultas, qua ex effectuum cognitione ad notitiam creatoris adsurgere possit. Ad rem apposite S. *Thomas:* «Ejus (Dei) cognitio nobis innata dicitur esse, in quantum per principia nobis innata de facili percipere possumus Deum esse» [5].

2) *Prima Dei cognitio non est proprie innata sed vere acquisita.* Ipsi SS. Patres, qui cognitioni Dei innatae favere videntur, suam mentem explicant sensu, quo diximus cum S. Thoma, de facili negotio cognitionis Dei adipiscendae. Unde a) *Clemens alex,* adserit cognitionem Dei, quae dicitur nobis ingenita, inita, naturalis, etc., hauriri ex aspectu omnium, quae videntur effectorum [6] b) *Tertullianus* docet conscientiam seu notitiam Dei esse dotem animae a primordio collatam, quatenus «a primordio rerum conditor earum cum ipsis pariter compertus est, ipsis ad hoc prolatis, ut Deus cognosceretur» [7]. c) *Alii* dixerunt cognitionem

1 Denz-Bannw., 1626.

2 Denz-Bannw., 1650-1651.

3 Denz-Bannw., 1806.

4 S. Justinus, *Apol. 2.* n. 6; MG 6, 453; Tertullianus, *Adv. Marcionem,* lib. I, c. to; MI. 2, 282; Clemens alex., *Strom.,* lib. 5, c. 14, n. 260; MG 9, 130; S. Hieronymus, *Ep. ad Gal.,* c. 1; MI. 26, 351; S. Joan. Damascenus, *De fide orth.,* lib. I, c. 1; MG 94, 789.

5 *Opusc. 63, in lib. Bollii de Trinitate,* q. 1, a. 3 ad 6. Cfr. Scheeben, *La dogmatique* (gall, vers), 2, n. *2g.*

6 *Strom.,* lib. 5, 14; MG 9, 197.

7 *Adv. Marcionem, 2,* 10; MI. 2, 282.

Dei esse nobis ingenitam, non in oppositione ad acquisitam simpliciter, sed in oppositione ad scientificam seu reflexam, quia ex obvio conspectu mundi naturaliter et sponte in nobis nascitur.

ARTICULUS III

DE DEMONSTRATIONE SCIENTIFICA EXSISTENTIAE DEI

17. Locuti sumus hactenus de *vulgari* et *naturali cognitione* exsistentiae Dei, nunc pergimus ad disserendum de cognitione philosophica seu scientifica ejusdem. Cognitio vulgaris et demonstratio philosophica exsistentiae Dei non differunt specie sed gradu perfectionis tantum, ut scite animadvertit *Van ~Noort*[1] Utraque habet idem objectum et procedit ex creaturis ad Deum per verum ratiocinium, sed differunt, in quantum *cognitio vulgaris* quasi sponte nascitur ex consideratione creaturarum, et *demonstratio philosophica* est fructus laborjs et reflexionis, rationem argumentationis reddit, et adversariorum difficultates diluit.

§ 1

Utrum Deum esse sit per se notum.

18. Status quaestionis. 1) Quaeritur hic, an propositio *Deus est* ita ex sola terminorum perceptione absque ulla deductione aut discursu \era esse perspiciatur. ut nulla egeat demonstratione. Quaestio, ut vides, est quasi consequentia praecedentium.

2) Ad meliorem quaestionis intelligentiam meminisse oportet propositionem esse per se notam, *cujus veritas per se et immediate ex terminorum significatione innotescit.* Bifariam dividitur, renuentibus Scoto et cotistis, *per se nota quoad se solum,* et *per se nota quoad se et quoad nos.* i Dicitur propositio *per se nota* quoad se tantum, *cujus praedicatum ncluditur quidem in essentia subjecti vel immediate consequitur rationem jus, sed nobis hoc immediate ex terminis non constat,* v. gr. *Deus est iUnus in personis,* b) Est propositio *per se nota* quoad se et quoad nos, *‹ iijus praedicatum est de ratione subjecti aut prima ejus passio et ex sola terminorum apprehensione nobis innotescit.* Potest esse nota quoad omnes, it *quodlibet est vel non est, totum est majus sua parte,* et nota quoad sapientes, ut *incorporalia non sunt in loco*[2].

3) Quaeritur hic, an Deum esse sit nobis viatoribus per se notum.

19. Theologorum placita, i) *Nonnulli,* divisionem propositionis per notae quoad se et quoad nos inficiantes, negant absolute Deum esse per notum. Ita *Gandavensis, Scotus, Ockani, Biel, Arriaga* et alii[3].

1 *De Deo uno et trino,* n. 8.

2 Cfr. Complulensos, *Dialectica,* disp. i8, q. I, n. 7 sqq.

3 Honrious Gandavensis, *Summa,* a. 22, q. 3; Scotus, *I Sent.,* dist. 2, q. 2; Ockain, */ Sent*. dist. 3, q. 4; Biel, */ Sent*, dist. 3, q. 4, conci. 1; Arriaga, *De Deo uno,* disp. 2, sect. 1, n. 6.

2) *Alii* volunt hanc propositionem *Deus esi* ita esse omnibus compertam, ut, apprehensa vocabulorum significatione, illico nobis pateat sine discursu. Sic 5. *Albertus M., Abulensis, Aversa, Dionysius Carthusianus* et alii [1]

3) *Alii* fere communiter docent propositionem *Deus esi* esse quidem per se notam quoad se, non vero quoad nos, nobisque innotescere per ea, quae sunt magis nota. Ita S. *Thomas* [2], omnes thomistae et plures extranei.

20. Thesis. Deum exsistere est quidem per se notum quoad se, non vero quoad nos.

Arg. 1) *Quoad se.* Illa propositio dicitur per se nota quoad se, cujus praedicatum includitur in ratione subjecti. Sed talis est propositio *Deus exsistit.* Ergo Deum exsistere est per se notum quoad se. «Haec propositio *Deus est,* inquit S. Thomas, quantum in se est, per se nota est, quia praedicatum est idem cum subjecto» [3].

2) *Quoad nos.* Propositio dicitur per se nota quoad nos, cujus praedicatum essentialiter subjecto convenire cognoscimus ex sola terminorum apprehensione. Sed ex sola terminorum apprehensione propositionis *Deus est* non illico cognoscimus exsistentiam Deo convenire. Ergo. «Quia nos, inquit Angelicus, non scimus de Deo quid est, non est nobis per se nota (propositio *Deus est),* sed indiget demonstrari per ea, quae sunt magis nota quoad nos, et minus nota quoad naturam, scilicet per effectus»45

21. Objicies. Deus est objectum nostrae beatitudinis. Beatitudo autem est cuilibet per se nota, quia naturaliter ab omnibus appetitur. Ergo.

Resp.—Dist. min. Beatitudo est cuilibet per se nota, in confuso, conc.; distincte, neg. Unusquisque habet quidem aliquam notitiam confusam beatitudinis, ad quain naturaliter tendit, sed ex hac confusa notione non illico suboritur distincta notitia beatitudinis et Dei. Ad rem apposite 5. *Thomas:* «Cognoscere Deum esse in aliquo communi sub quadam confusione est nobis naturaliter insertum; in quantum scilicet Deus est hominis beatitudo. Homo enim naturaliter desiderat bcatitudinem, et, quod naturaliter desideratur ab homine, naturaliter cognoscitur ab eodem. Sed hoc non est simpliciter cognoscere Deum esse, sicut cognoscere venientem non est cognoscere Petrum, quamvis sit Petrus veniens. Multi enim perfectum hominis bonum, quod est beatitudo, existimant divitias, quidam vero voluptates, quidam autem aliquid aliud» [5].

§ 2

Utrum ratione naturali demonstrari queat exsistentia Dei.

22. Status quaestionis. Difficultas est, num ratio naturalis, praecisa revelatione, possit argumenta excogitare, quae plene ac philosophice demonstrent exsistentiam Dei.

1 S. Albertus M., *Summa Theol., I p.,* tr. 3, q. 17 (ed. Vivès, tom. 31, p. 1r6); Abulensis *In Ex.,* 5, 2 (Venet. 1528, t. 2, p. 53); Aversa, q. 2, dub. 2; Dionysius Carthusianus, *Γη I Sent.,* dist. 3, q. 2.

2 *I p.,* q. 2, a. i.

3 *I p.,* q. 2, a. i.

4 *I p.,* q. 2, a. i.Cfr. Mangenot, *Dictionnaire de théologie catholique,* v. *Dieu,* col. 889, sqq.

5 *I p.,* q. 2, a. i ad i.

23. Errores, 1) *Nominalistac, positivistae, kantistae, modernistae* et *traditionalistae,* sicut negant Deum naturali humanae rationis lumine certo cognosci cognitione spontanea et vulgari, ita negant rationem humanam posse viribus suis demonstrare exsistentiam Dei [1].

2) *Sentimentalistae,* sive ponant *facultatem instinctivam* seu *sensum communem* cum Reid, sive *sensu interno* et *cordis affectu* ducantur cum Jacobi, sive *cordis intuitum in sensu religioso* velint admittere cum modernistis et pseudomysticis [2], contendunt exsistentiam Dei non proprie demonstrari sed potius sentiri.

3) *Theologi protestantes,* partim sentimentalistis cum Schleiermacher addicti [3], partim cognitione Dei vulgari, quae ex obvia mundi contemplatione sponte nascitur, contenti [4] docent exsistentiam Dei ratione naturali stricte demonstrari non posse.

24. Thesis. Potest homo ratione naturali exsistentiam Dei ex rebus creatis demonstrare.

Arg. 1) *Ex ratione theologica.* Ostensum est supra ex disertis testimoniis Sapientiae, Psalmorum, epistolae S. Pauli ad Romanos et ex definitione Concilii Vaticani rationem naturalem sibi relictam posse Deum certo cognoscere. Sed ratio humana viribus suis Deum certo cognoscere non potest, nisi habeat argumenta, quae demonstrent ejus exsistentiam, quia «certo cognoscere et demonstrare aliquatenus est unum idemque». Ergo.

2) *Ex documentis Ecclesiae.* Pius X motu proprio 1 Sept. 1910 declaravit Deum naturali rationis lumine ex rebus creatis «tanquam causam per effectus certo cognosci adeoque demonstrari etiam posse». *Acta Ap. Sed.,* vol. 2, p. 669, et *Denz-Bannw.,* 2145. Cfr. propositio 22 approbata a S. C. Stud, sub die 27 Jul. 1914; *Acta Ap. Sed.,* vol. 6, p. 386.

Gregorius XVI brevi «Dum acerbissimas», 26 Sept. 1835 reprobavit opera Hermesii eo quod plura continerent «absurda et a doctrina catholicae Ecclesiae aliena... circa argumenta, queis exsistentia Dei adstrui confirmarique consuevit» [5].

Die 8 Sept. 1840 coactus est D. Bautain subscribere sequentem propositionem: «Ratiocinatio potest cum certitudine probare exsistentiam Dei et infinitatem perfectionum ejus» [6].

Ac tandem S. C. Ind. a. 1843 praecepit D. Ubaghs corrigere propositionem, qua docebat «probationes exsistentiae Dei reduci ad quamdam fidem».

25. Scholion. Visis hujusmodi documentis, dubitari posset, an doctrina hujus theseos sit de fide tenenda.

Antiqui fere communiter docent exsistentiam Dei ex creaturis ratione naturali demonstrari posse. Contrarium adserere censet S. *Thomas* esse manifeste falsum» [7] vel «erroneum» [8]; *Banez* «temerarium» [9]; *Molina*

1 Vid. supra, n. 5.
2 Cfr. Encycl. *Pascendi,* Denz-Bannw., 2107.
3 Cfr Pesch., *De Deo uno, n.* 32.
4 Vid. Van Noort, *De Deo uno,* n 8.
5 Denz-Bannw., 1620.
6 Denz-Bannw., 1622.
7 *De veritate,* q. 10, a. 12.
8 *Contr. Gent.,* lib. 1, c. 12.
9 *In 1 p.,* q. 2, a 2.

«non solum temerarium sed in fide minime tutum»[1]: *Suarez* «temerarium et errori proximum»[2]; *Valentia* «erroneum in fide, si non est aperta haeresis»[3]; *Andreas a Cruce* «censura dignum»[4].

Ex recentioribus cl. *Huonpensière, Litdovicus San, Stentrup*[5] et alii docent nostram thesim esse «certum dogma fidei» propter definitionem Concilii Vaticani. Concilium tamen Vaticanum, ut alii observant, minime declaravit exsistentiam Dei ex rebus creatis naturali rationis lumine *demonstrari posse,* sed *Deum... e rebus creatis certo cognosci posse.*

Validius forte in favorem definitionis hujus doctrinae sumi potest argumentum ex motu proprio Pii PP. X diei 1 Septembris 1910 et ex juramento antimodernistico, quod jussu ejusdem Pontificis saepe emittimus sacerdotes, habeturque apud *Acta Apostolicae Sedis,* vol. 2. p. 669.

Difficultatibus satisfit.

26. Obj. 1. Deum esse est articulus fidei. Sed ea, quae sunt fidei, non sunt demonstrabilia, quia demonstratio facit scire, fides autem de non apparentibus est, ut patet per Apostolum ad *Hebr.,* 11, i; nec actus scientiae et fidei possunt haberi simul de eodem objecto. Ergo «Deum esse non est demonstrabile».

Resp. i. Disputatur inter theologos, an scientia et fides possint esse simul in eodem intellectu de eodem objecto.

a) *Plures* volunt actus fidei et scientiae non repugnare simul in uno intellectu de eodem objecto, dummodo per diversas rationes et motiva eliciantur, actum scilicet *fidei ex motivo revelationis* et actum *scientiae ex rationibus lumine naturali partis.* Ita omnes fere ex Societate philosophi ac theologi[6]. In hac sententia facile evertitur difficultas, negando *minorem.*

b) *Alii* tamen arbitrantur fidem et scientiam dé eodem objecto non posse esse simul in eodem intellectu. Ita *S. Thomas*[7], et omnes thomistae[8]. Juxta hanc sententiam:

Resp. 2.° Cum S. *Thoma:* «Deum esse et alia hujusmodi, quae per rationem naturalem nota possunt esse de Deo, ut dicitur *Horn.,* i, 18-21, non sunt articuli fidei, sed praeambula ad articulos. Sic enim fides praesupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam, et ut perfectio perfectibile; nihil tamen prohibet ilhul, quod secundum se demonstrabile est et scibile, ab aliquo accipi ut credibile, qui demonstrationem non capit»[9]. lino verbo: Deum esse est articulus fidei pro indoctis, conc., pro sapientibus, neg.

Dices. Plurima ex hac solutione sequuntur absurda. 1) Cum certitudo fidei sit firmior certitudine scientiae, rudes exsistentiam Dei credentes habebunt firmiorem de ea certitudinem quam philosophi. 2) In rudibus, qui exsistentiam Dei scientifice demonstrare incipiunt, minuetur imo amit-

1 *In 1 p.,* q. 2, a. 2.

2 *De Deo,* tr. 1, lib. 1, c. 1, n. 13.

3 *In I p.,* disp. r, q. 2. p. 2, assert. 3.

4 *In I p.,* n. 320.

5 Buonpensière. 7» *1 p.,* nn. 160 et 163; San, *De Deo uno,* n. 34; Stentrup, *De Deo uno,* th. 1.

6 Cfr. inter alios Toletus, *In I p.,* q. 2, a. 2 ad 2; Valentia, *In II-II,* disp. I, q. 1, p, 4; Suarez, *De fide,* disp. 3, sect. 9; Lugo, *De fide,* disp. 2, sect. 2; Franzelin, *De Deo uno,* th. 9, et alii.

7 *II-II,* q. I, a. 5, et q. 2, a. 4 ad 2.

8 Cfr. Banez, *In II-II,* q. I, a 5: Complutenses, *Dialectica,* disp. 20, q. 4, § 4: Salmanticenses, *De fide,* disp 3, dub. 2; Philippus a SS. Trinitate, *In II-II,* disp. 2, dub. 4; Joannes a S. Th., *De fide,* disp. 2, a 1. et alii.

9 *I p.,* q. 2, a. 2 ad 1.

tetur fides. 3) Rustici qui fidem habent, erunt melioris conditionis coram Deo, quam philosophi exsistentiam Dei validis argumentis probantes.

Resp. Ad 1."m Certitudo fidei est firmior certitudine naturali nude et solitarie accepta, conc.; certitudine naturali, quae aliunde revelatione ac testimonio divino firmatur, neg. Cognitio philosophi de exsistentia Dei desinit esse fides, non quod philosophus abhorreat a revelatione aut detrectet adhaerere veritati, sed quia cognitio certa philosophiae et obscura fidei de eodem objecto nequeunt compati simul in eodem subjecto. Caeterum philosophus Christianus, exsistentiam Dei demonstrans, cognoscit actibus reflexis hanc veritatem esse revelatam et fide accipiendam ab iis, qui demonstratione carent [1].

Ad 2."n' In rudibus, qui exsistentiam Dei demonstrare incipiunt, non minuitur nec amittitur fides. Augmentum enim et diminutio fidei non attenditur penes pluralitatem credendorum, sed penes motivum et ardorem credendi. Rudes igitur, qui habitum scientificum de Dei exsistentia acquirere incipiunt, non dicuntur fidem amittere, quia omnibus a Deo revelatis motivo supernatural! adhaerent.

Ad 3.lll,l Philosophi Christiani non sunt rustico deteriores, nec amittunt meritum fidei, cum Dei exsistentiam ratione naturali demonstrant. Parati enim sunt etiam hanc veritatem credere, ubi ipsis impossibile foret eam demonstrare; imo et credunt in praeparatione animi, habentes omne meritum fidei.

Obj. 2.° Omnis cognitio in hac vita acquiritur per conversionem ad phantasmata et per species ab eis abstractas. De Deo autem non habemus phantasmata nec species. Ergo.

Resp. Dist. maj. Omnis cognitio in hac vita acquiritur per conversionem ad phantasmata propria vel aliena, conc.; semper propria, neg. Cognitiones nostrae ordiuntur quidem per conversationem ad phantasmata, ex quibus eruuntur species, sed ex habita semel cognitione unius rei potest intellectus ad alterius rei cognitionem pervenire, sicut animam cognoscit per suas operationes et Deum per suos effectus.

Obj. 3. Essentia in Deo non distinguitur ab exsistentia. Sed essentiam Dei nemo cognoscit in hac vita. Ergo nec exsistentiam.

Resp. Hoc argumentum vitio laborat. Unum est enim ostendere *Deum esse* seu *exsistere* et aliud demonstrare *quid sit ejus esse* seu exsistentia. Possumus demonstrare Deum esse essentiamque habere, sed qualis sit ejus exsistentia omnino nos latet.

§ 3

Quo genere argumentationis probetur exsistentia Dei.

27. Satus quaestionis. 1) Demonstratio alia dicitur *a priori,* quando aliquid per suam causam probatur, alia *a posteriori,* quando via contraria ex effectibus causa demonstratur [2]. Nonnulli addunt aliud genus demonstrationis, quod vocant *a simultanée.* Vocant *a simultanée,* quia non per causam nec per effectum sed per essentiam aut praedicatum essentiale rei probandae procedit.

2) His addunt nonnulli argumentum, quod vocant *metalogicum* seu *inductivum.* Ex idea entis finiti volunt in nobis statim absque ratiocinio exsurgere ideam entis infiniti atque exsistentiae Dei.

28. Theologorum placita. 1) Voluerunt nonnulli exsistentiam Dei, non quidem *a priori,* quia Deus non habet causam, sed a simultaneo demonstrari posse. Ita S, *Anselnius, Cartesius* et *Leibnitz,* quos sequuti sunt alii.

1 Cfr. Blasius a Conceptione, *Metaphys.,* disp. 9, § ult.
2 Cfr. S. Thomas, *1 p.,* q. *2,* a. 2.

2) *Rev. P. Gratry,* sacerdos oratorii[1], et *Günther,* philosophus bohemus, contenderunt exsistentiam Dei demonstrari posse argumento metalogico, adsurgendo ex idea finiti ad infinitum, quod nolunt reduci ad demonstrationem *a posteriori.*

3) Theologi communiter putant exsistentiam Dei ratione naturali demonstrari posse non *a priori* neque *a simultaneo,* sed solum *a posteriori.*

29. Thesis I. Exsistentia Dei non «a priori»' neque «a simultaneo» potest naturali rationis lumine demonstrari.

Pars 1.a Non a priori.

Arg. Demonstratio *a priori,* ut novimus ex philosophia, est probatio alicujus rei per suas causas. Sed exsistentiae Dei nulla est causa. Ergo exsistentia Dei *a priori* probari nequit.

Pars 2.a Non a simultaneo.

Arg. In argumento *a simultaneo,* quomodolibet exponatur, fit transitus ab exsistentia ideali et possibili ad realem. Ergo non concludit.

30. Argumentum S. Anselmi. S. Anselmus hoc fere modo proponit argumentum [2]. Dei nomine intelligitur id, quo majus nihil cogitari potest. Sed id, quo majus nihil cogitari potest, debet necessario exsistere in rerum natura. Ergo Deus exsistit. Prob. min. Id, quod exsistit in rerum natura, est majus, quam quod exsistit in mente. Ergo id, quo majus cogitari non potest, debet necessario exsistere in rerum natura.

Hoc S. Doctoris argumentum probavere *Vazquez, Antonius Perez, Silvester Maurus* et alii [3].

Critica. Id, quo majus nihil cogitari potest, necessario exsistit in rerum natura, si supponatur ens reale, conc.; secus, neg. Ex ente ideali perfectissimo, quo majus nihil cogitari potest, naturaliter non deducitur Deum exsistere in rerum natura, sed in apprehensione solum cogitantis. Apprehenso namque hujusmodi ente perfectissimo, adhuc remanet dubium, utrum possibile sit in rerum natura. «Dato etiam, ait ad rem S. *Thomas,* quod quilibet intelligat hoc nomine *Deus* significari hoc, quod dicitur, scilicet, illud quo majus cogitari non potest, non tamen propter hoc sequitur, quod intelligat id, quod .significatur per nomen, esse in rerum natura, sed in apprehensione intellectus tantum. Nec potest argui, quod sit in re, nisi daretur, quod sit in re aliquid, quo majus cogitari non potest; quod non est datum a ponentibus Deum non esse» [4].

Praedicatum in propositione tribuitur subjecto in eodem ordine, quo accipitur subjectum. In argumento autem *a simultaneo* subjectum accipitur in ordine ideali. Ergo et praedicatum, id est. conceptus exsistentiae, tribuitur Deo in apprehensione, et concluditur Deo convenire exsistentiam non in ordine reali sed in ordine ideali[5].

1 *Connaissance de Dieu,* ch. 8.
2 *In Proslogio,* c. 2; ML 158, 228.
3 Vazquez, *In I p.,* disp. 20, c. 4, η. 13: Antonius Perez, *Γη I p.,* t. I, disp. I, C. 4 sq.; Silvester Maurus, *Quaesi, physico-metaphys.,* q. 12, arg. 3.
4 *I p.,* q. 2, a. i ad 2.
6 Wiroeburgenses, *De Deo uno,* n. 10.

31. Argumentum Cartesii. Cartesius multipliciter proposuit argumentum *a simultaneo* ad probandam exsistentiam Dei.

a) «Realitas objectiva cujuslibet ex nostris ideis requirit causam, in qua eadem ipsa realitas non tantum objective sed formaliter vel eminenter contineatur... Habemus autem ideam Dei... hujusque ideae realitas objectiva nec formaliter nec eminenter in nobis continetur... nec in ullo alio, praeterquam in ipso Deo, potest contineri. Ergo haec idea Dei, quae in nobis est, requirit Deum pro causa»[1].

b) «In omnis rei idea sive conceptu continetur exsistentia, quia nihil possumus concipere nisi sub ratione exsistentiae; nempe continetur exsistentia possibilis sive contingens in conceptu rei limitatae, sed necessaria et perfecta in conceptu entis summe perfecti». Unde «exsistentia necessario in Dei conceptu continetur. Ergo verum est dicere necessariam exsistentiam in eo esse»[2].

c) Quidquid in idea clara et distincta alicujus rei continetur, id de ea re praedicandum est. Sed in idea Dei clara et distincta continetur realis exsistentia. Ergo Deus realiter exsistit. Prob. min.: Deus est ens summe perfectum. Sed in idea clara et distincta entis summe perfecti continetur exsistentia realis. Ergo. Prob. min. Exsistentia realis est perfectio. Ergo in idea clara et distincta entis summe perfecti continetur exsistentia realis[3].

Critica. Ad 1."m Neganda est major Cartesii. Ut in nobis enascatur idea Dei, non requiritur, ut realitas objectiva ipsius contineatur formaliter aut eminenter in nobis vel in rebus, ex quibus ideam colligimus, sed sufficit, ut in rebus creatis attendatur aliqua ratio, quae nos ad ognitionem Dei manuducat.

Ad 2."n Distinguendum est *antecedens.* In Dei conceptu necessario continetur exsistentia idealis, conc.; realis, subdist.: in Dei conceptu reali, conc.; in ideali, neg. Deus equidem necessario secum fert exsistentiam, vel potius est ipsum esse subsistens; sed haec exsistentia in nobis est idealis, non realis. Ex conceptu autem ideali non licet transire ad statum realem in argumentatione, quia oportet, ut diximus, subjectum et praedicatum esse ejusdem ordinis.

Ad 3."" Dist. min.: In idea Dei clara et distincta continetur ejus xsistentia idealis. conc.; realis, neg. In hoc pariter argumento fit tranatus a statu ideali ad exsistentiam realem contra regulas logices.

32. Argumentum Leibnitz. Deus est possibilis. Sed Deus possibilis necessario exsistit. Ergo Deus necessario exsistit[4].

Critica. Hoc argumentum plures philosophi ac theologi probavere, tum enim ens infinitum possibile careat causa, qua ex possibilitate ad exsistentiam deducatur, Deus possibilis idem esse videtur ac Deus exsistens. Hic contendunt ex ipso Deo, id est, *a simultaneo,* exsistentiam Dei probari.

1 *Medii.,* Appendix, prop. 2.
2 *Médit.,* Appendix, axiom. 10.
3 Cartesius, *Médit. 5 metaph.*
4 Leibnitz, *Discurso sobre la existencia de Dios hecho por Descartes* (hisp. vers.); Obras, t I. p. 240 sqq.; et *Ensayo sobre el entendimiento humano,* lib. 3, § 10 (t. 3, pàg. 254).

Alii tamen probabilius putant in hoc etiam argumento transitum vitiosum fieri a statu ideali ad realem. Unde: Dist. maj.: Deum conspicimus possibilem intrinsece, seu quoad ejus proprietates intrinsecas, cone.; extrinsece, seu quoad realitatem objectivant, neg. Nos enim Deum quodammodo concipientes ejusque proprietates comparantes, colligere possumus eum possibilem esse; sed haec possibilitas in statu mere ideali sistit, a quo logice non deducitur Deum extra mentem possibilem esse aut exsistere.

33. Thesis II. Aigumentum metalogicum vel reducitur ad argumentum «a posteriori» vel impar est exsistentiae Dei probandae.

Arg. In argumento metalogico vel datur vera ratiocinatio, ut a notitia entis finiti ad cognitionem infiniti manuducamur, vel non. Si primum, habebitur demonstratio *a posteriori,* reducenda ad alias vias communiter notas theologis. Si secundum, perperam vocabitur demonstratio [1].

34. Thesis III. Argumenta, quibus ratio naturalis probat exsistentiam Dei, constituunt demonstrationem «a posteriori».

Plena probatio hujus theseos dabitur in paragraphe sequenti. Interim hic meminisse sufficiat rationem naturalem non aliter probare exsistentiam Dei, quam ex effectibus prius cognitis adsurgendo ad primam causam. Haec autem probatio vocatur demonstratio *a posteriori.* Ergo.

§ 4

Exponuntur argumenta, quibus ostenditur exsistentia Dei.

35. Status quaestionis. 1) Exsistentia Dei dupliciter spectari potest: a) quatenus est veritas supernaturalis revelatione tradita; b) quatenus est veritas naturalis, demonstrabilis ex effectibus.

2) Exsistentiam Dei, ut est veritas supernaturalis revelata, non est cur probandam suscipiamus. Siquidem Deum exsistere a) omnes sacrae litterae testantur; b) Ecclesia in symbolis apostolico, nicaeno-cpolitano et athanasiano docet his verbis: *Credo in imum Deum;* c) Concilium Vaticanum definit dicens: *Si quis unum verum Deum... negaverit, a. s.* [2]; d) SS. Patres acerrime defendunt: et e) fideles unanimi consensu profitentur.

3) Quatenus est veritas naturalis, demonstratur diversimode ex effectibus juxta diversam effectuum rationem. Nam ex effectibus a Deo productis a) aliqui sunt supernaturales, facta scilicet stupenda gratiae et miraculorum, ex quibus ducitur argumentum speciale; b) alii sunt naturales, ut motus, entia contingentia, ordo rerum, etc., ex quibus sumuntur argumenta naturalia seu *philosophica.*

1 Cfr Urraburu, *Theodicea,* disp. i. n 23.
2 *Sess. 3.* can. I, Denz-Bannw., iSoi

4) Argumenta naturalia possunt esse a) *metaphysica,* quae ducuntur ex motore immobili, ex prima causa efficiente, ex ente necessario et possibili et ex gradibus perfectionum b) *physica,* quae ex ordine et finalitate rerum adsumuntur; c) *psychologica,* quae vitaè facultatumque auctorem detegunt; d) *moralia,* quae ex naturali beatitudinis desiderio et universali populorum persuasione Deum esse concludunt 1.

Singula breviter exponamus.

A.

Argumenta metaphysica.

36. Quatuor per ordinem exponam argumenta metaphysica verbis Angelici Doctioris, additis ad calcem, quae notatu fuerint digna.

1) *Ex motu* seu *cinesiologicum*—κινησι . motus—quo ostenditur omnem motum ad primum motorem immobilem referendum esse.

«Certum est enim, ait S. Doctor, et sensu constat aliqua moveri in hoc mundo. Omne autem, quod movetur, ab alio movetur; nihil enim movetur, nisi secundum quod est in potentia ad illud, ad quod movetur; movet autem aliquid, secundum quod est actu; movere enim nihil aliud est quam educere aliquid de potentia in actum. De potentia autem non potest aliquid reduci in actum nisi per aliquod ens in actu; sicut calidum in actu, ut ignis, facit lignum, quod est calidum in potentia, esse actu calidum, et per hoc movet, et alterat ipsum. Non autem est possibile, ut idem sit simul in actu et potentia secundum idem, sed solum secundum diversa; quod enim est calidum in actu, non potest simul esse calidum in potentia, sed est simul frigidum in potentia. Impossibile est ergo, quod secundum idem et eodem modo aliquid sit movens et motum, vel quod moveat se ipsum. Omne ergo, quod movetur, oportet ab alio moveri. Si ergp id, a quo movetur, moveatur, oportet et ipsum ab alio moveri, et illud ab alio. Hic autem non est procedere in infinitum, quia sic non esset aliquod primum movens, et per consequens nec aliquod aliud movens. quia moventia secunda non movent nisi per hoc quod sunt mota a primo movente; sicut baculus non movet, nisi per hoc quod est motus a manu. Ergo necesse est devenire ad aliquod primum movens, quod a nullo movetur. Et hoc omnes intelligunt Deum» 3.

Brevius: Certum est aliqua moveri in mundo, ut experientia docet. Quidquid autem movetur, ab alio movetur; quia movens est *in actu,* mobile vero *in potentia,* et nihil potest esse simul in actu et potentia secundum idem 4. Sed in causis per se subordinatis, moventibus et motis,

1 Cum Cosmologia a quibusdam metaphysica specialis ab aliis physica apelletur, haec argumenta nonnunquam *metaphysica,* aliquando *physica,* interdum *cosmologica.* vocantur, sed quaestio est de nomine, non magni facienda.

2 *Revue thomiste,* anno 19, pp. 1-14 edidit eruditissimum articulum, in quo dilucide exposita sunt argumenta plurium SS. Patrum et veterum scriptorum, qui, insistendo ratiociniis Tullii, *De natura deorum, 2, 6;* S. Augustini, *De civitate Dei,* 8, 6, et aliorum, diversimode conati sunt exsistentiam Dei demonstrare.

3 */ p.,* q. 2, a. 3.

4 ‹ fi Laurentius a S. Theresia, *Spicilegium theol.,* t. I, p 2, controv. I, § 1.

non datur processus in infinitum h Ergo datur aliquis primus motor immobilis, qui est Deus.

a) Hoc argumentum, ab *Aristotele* et *Platone* [2] primo molitum, probatum est S. *Joanni Damasceno* [3] et omnibus fere scholasticis [4].

b) Attamen *Suarez* et *Conimbricenses* [5] putant hoc argumentum vel nihil valere, vel, si quid valet, complendum esse ac firmandum alio argumento de *causa efficiente,* ut objectiones, quibus impugnatur, dissipentur.

c) *Alii* tamen communius docent rationem S. Thomae esse efficacem ad demonstrandam exsistentiam primi motoris immobilis, scilicet Dei.

Ex his a) *nonnulli* putant hoc argumentum solum valere, si intelligatur de motu locali, non de aliis motibus, puta de applicatione potentiae vitalis ad actum. Sed in hoc errant, ut modo videbimus, β) *Alii,* admittentes argumentum esse validum in quolibet genere motus, etiam lato sensu accepti, exsistimant ipsum urgeri posse et urgent in materia motus localis[6], γ) *Alii* censent argumentum esse infirmum, si intelligatur tantummodo de motu locali[7], sed validum, si extendatur ad motum latiori sensu acceptum; juxta aliquos quidem ad motum physicum, cujus species sunt alteratio, augmentatif», eliminatio et motus localis [8], [9] juxta alios ad omnem motum sive physicum sive metaphysicum ",

1 Dominicus a SS. Trinitate, *Bibliotheca theol.,* t. 5, p. 1, sect. 3, c. 6; et Pegues, *Commentaire française littéral de la Somme théol.,* q. 2, a. 3, p. 99.

2 Aristoteles, *Phys.,* lib. 7. c r, et lib. 8, c. 5; Plato, *De legibus,* lib. 10; ed. Didot, vol. 2, p. 451 sq.

3 *De fide orth.,* lib. 1, c. 3: MG 94, 796.

4 Cfr. Valentia, *In I p.,* disp. 1, q. 2, p. 3; Blasius a Conceptione, *Metaphys.,* disp. 9, q. 3, § 6; Laurentius a S. Theresia, *Spicii, theol.,* t. i, p. 2, contr. 1: Urraburu, *Theodicea,* disp. 1, c. 2, a. 2, § 1: Billot, *De Deo uno.* th. 4. § 1; Willems, *Theol. naturalis,* c. 2, § t. a. I.

5 Suarez, *Metaphys.,* disp. 29, sect. 1, nn. 7 et 17; Conimbricenses, *Physic.,* lib. 8, c. b, q. un., a. 3.

3 Egregius philosophus Farges, *L'idée de Dieu,* p. 64 sqq. (5.n,e ed.), et *Theodicea,* n. 16 sqq., dilucide probat ea, quae moventur localiter, ab alio semper moveri, et consequenter supponere motorem immobilem, quem dicimus Deum.

Facillime se expedit cl. auctor 1) a difficultatibus, quas *mechanicistae* petunt a necessitate et aeternitate motus, quia nullus motus est necessarius, et ideo, quamvis foret aeternus, supponeret motorem immobilem; 2) ab objectionibus, quas *dinamislae* petunt a lege attractionis seu ab essentiali activitate materiae, qua unum corpus movet aliud attrahendo, quia haec activitas seu vis materiae, utpote essentialiter indifferens ad actum aut potentiam, indiget motore, a quo ponatur in actu.

' Ad rem Banez: «Si nomen motus solum intelligatur motus physicus, bene dicit Cajetanus, quod per illam rationem solum devenitur ad primum motorem, immobilem quidem per se, per accidens tamen potest esse mobilis». /11 *I p.,* q. 2, a. 3 ad 2. Cfr. M. Chossat, *Dictionnaire de Théol. cath.,* v. *Dieu,* col. 934.

8 Urraburu, *Theodicea,* n. 32.

9 «Sed noh debet sic sumi, addit Banez, sed ut comprehendat etiam motus spirituales ac metaphysicos, qualis est quaevis operatio, et etiam quaevis applicatio potentiae spiritualis ad suum actum, et etiam motus metaphysicos, qualis est motio finis. Et tunc ratio ista sic debet disponi. Omne quod movetur quocumque motu, sive spirituali, sive metaphysico, sive morali propter appetitum alicujus finis superioris, ab alio movetur, et in istis motibus non datur processus in infinitum. Ergo deveniendum est ad unum motorem, qui istis motibus est omnino immobilis, qualis est Deus», *In I p.,* q. 2, a. 3 ad 2.

Dices, i) Viventia se movent, quin ab alio moveantur; 2) Principium primi motus potest esse ipsa natura, ut vult Plinius, vel elementa, ut docet Empedocles, vel atomi moleculares ac graves, ut contendunt alii; 3) Intellectus noster est simul movens et motus, quia est agens et patiens intellectionem.

Resp. 1) Viventia se movent secundum diversas partes, ita ut una pars sit semper mota et alia movens. Ultima autem pars, a qua incipit in vivente motus, licet elicitive se moveat, efficienter movetur a generante. Viventia itaque sunt secundum aliquid in potentia et secundum aliquid in actu.

2) Natura, elementa et atomi, quantumvis graves, nequeunt esse principium omnis motus, quia in se sunt mutabilia et ab agentibus extraneis crebro mutantur ad statum, quem ex se ipsis non postulant.

3) Intellectus est agens et patiens secundum diversas rationes. Nam agit in phantasmata, et per species rerum ponitur in actu primo ad intellectionem, ad quam movetur a Deo motore immobili [1].

37. 2) *Ex ratione causae efficientis.* «Invenimus enim in istis sensibilibus esse ordinem causarum efficientium, nec tamen invenitur, nec est possibile, quod aliquid sit causa efficiens sui ipsius, quia sic esset prius se ipso, quod est impossibile. Non autem est possibile, quod in causis efficientibus procedatur in infinitum; quia in omnibus causis efficientibus ordinatis, primum est causa medii et medium est causa ultimi, sive media sint plura sive unum tantum. Remota autem causa, removetur effectus. Ergo, si non fuerit primum in causis efficientibus, non erit ultimum nec medium. Sed, si procedatur in infinitum in causis efficientibus, non erit prima causa efficiens, et sic non erit nec effectus ultimus, nec causae efficientes mediae, quod patet esse falsum. Ergo est nccesse ponere aliquam causam efficientem primam, quam omnes Deum nominant» [2].

Brevius: Plura entia fiunt in mundo. Omne autem, quod fit, ab alio fit. Sed non potest fieri processus in infinitum in causis efficientibus ordinatis. Ergo datur aliqua causa non effecta, quae est Deus.

Hoc argumentum magni fecere SS. Patres ac philosophi, quos inter videri possunt *Plato. Aristoteles, S. Anselmus, Scotus, Suarez, Frassen, Dominicus a SS. Trinitate* et omnes thomistae [3].

Displicet tamen quibusdam philosophis modernis a) quia ens a se concipi non potest (Spencer); b) quia ens a se ex rebus creatis, utpote contingentibus, cognosci non valet (Stuart Mill); c) quia principium causalitatis non est analyticum et certum (Hume, Spencer); vel non habet valorem nisi ad summum in ordine logico et non verificatur nisi in campo experientiae *(Kant, Critique de la raison pure; Dialectique transcendentale,* liv. 2, ch. 3, sect. 5).

Verum hi philosophi a veritate multum aberrant. Etenim: a) ens a se et causa non effecta optime cognoscitur ex rebus creatis, imo et ejus essentia quodammodo adumbratur; b) Ex rebus contingentibus perfecte

1 Cfr. Banez, *In I p.,* q. 2, a. 3. ad i.am confirmationem.

2 S. Thomas, *I p..* q. 2, a. 3-

3 Plato. *Phileb.,* § 16, ed. Didot; Aristoteles. *Metaphys.,* lib. 2, c. 2; S. Ansolmus. *Monolog.,* cc. 3. 5. 6. 7; ML 158, 147 sqq.; Scotus, */ Seni.,* dist. 2, q. 2, Suarez, *Metaphvsica,* disp 29, sect. 1. n. 20 sqq.: Frassen, *Scotus acadcmicus,* tr. 1, disp. 1, q. 4; Dominicus a SS. Trinitate. *Bibliotheca theol.,* t 5, p. 1, sect. 3, c. 6.

non cognoscitur quid sit ens a se, ipsum tamen exsistere bene demonstratur. c) Gratis omnino adseritur principium causalitatis non esse analyticum et certum, vel non valere nisi in ordine logico.

38. Aliud argumentum ex ratione causae efficientis hoc pacto proponi potest.

Historia tum sacra tum profana nobis refert quamplurima facta extraordinaria, ut sunt stupenda miracula, opera gratiae, etc., locum habuisse. Haec autem, cum omnes virtutes naturae longe excedant, exigunt causam potentissimam, moderatorem scilicet supremum omnium rerum et gubernatorem sapientissimum generis humani. Hanc autem causam vocamus Deum. Ergo Deus exsistit.

39. 3) *Ex possibili et necessario* seu *ex contingente.* Vocatur *alloiologicum* ex graeco αλλο'.α *diversus.*

«Invenimus in rebus quaedam, quae sunt possibilia esse et non esse; cum quaedam inveniantur generari et corrumpi, et per consequens possibilia esse et non esse. Impossibile autem est omnia, quae sunt talia, semper esse, quia, quod possibile est non esse, quandoque non est. Si igitur omnia sunt possibilia non esse, aliquando nihil fuit in rebus. Sed, si hoc est verum, etiam nunc nihil esset; quia quod non est, non incipit esse nisi per aliquid, quod est. -Si igitur nihil fuit ens, impossibile fuit, quod aliquid inciperet esse, et sic modo nihil esset, quod patet esse falsum. Non ergo omnia entia sunt possibilia, sed oportet aliquid esse necessarium in rebus. Omne autem necessarium vel habet causam suae necessitatis aliunde vel non habet. Non est autem possibile, quod procedatur in infinitum in necessariis, quae habent causam suae necessitatis... Ergo necesse est ponere aliquid, quod sit per se necessarium, non habens causam suae necessitatis aliunde, sed quod est causa necessitatis aliis, quod omnes dicunt Deum»[1].

Hoc inconcussum argumentum egregie exposuerunt atque illustrarunt *Valentia. Suarez, Blasius a Conceptione, Dominicus a SS. Trinitate, Balmes* et alii[2].

Kantius fatetur «artem dialecticam adhibuisse omne artificium, ut huic argumento speciem daret legitimae argumentationis, cum tamen revera dolus in eo lateat sitquç totum nidus arrogantiarum dialecticarum» [3]. a) Putat philosophus germanus, in hoc argumento partim latere argumentationem *a priori;* quia «ratio, valedicens argumento *a posteriori·'·),* declarat ex conceptibus, quales proprietates habere debeat ens necessarium, b) Praeterea, cum subjectum et praedicatum, quando sunt termini singulares, converti possint, si hoc valeret: «ens necessarium est realissimum», valeret etiam: «ens realissimum est necessarium».

Sed frustra fatigatur Kantius: Nam a) ratio valedicit argumento *a posteriori,* postquam ex contingentia rerum demonstravit exsistentiam

1 *I p.,* q. 2, a. 3. Cfr. Maimonides, *Moreh,* lib. 2, c. 1.

2 Valentia, *In I p.,* disp, i, q. 2, p. 3: Suarez, *Metaphysica,* disp. 28. sect. 1; Blasius a Concepi., *Metaphysica,* disp. 9, q. 3, § 2; Dominicus a SS. Trinitate, *Bibliotheca theol.,* t. I, part. I, sect. 3, c. 9; Balmes, *Filosofia elemental, Teodicea,* c. 3; et *Filosofia fundamental,* lib. 10, ce. 1-2.

3 *Critique de la raison pure* (gai. vers.) *Dialectique transcendentale,* liv. 2, ch. 3, sect. 5.

entis necessarii, b) Propositio «ens necessarium est ens realissimum» converti potest in eodem ordine juxta regulas logicae, ita ut vere dicatur: «aliquod ens realissimum est ens necessarium».

40. 4) *Ex gradibus perfectionum.* Appellatur argumentum *henologicum,* ex graeco εν unum.

«Invenitur enim in rebus aliquid magis et minus bonum et verum, et nobile, et sic de aliis hujusmodi. Sed magis et minus dicuntur de diversis, secundum quod appropinquant diversimode ad aliquid, quod maxime est; sicut magis calidum est, quod magis appropinquat maxime calido. Est igitur aliquid, quod est verissimum, et optimum, et nobilissimum, et per consequens maxime ens. Nam, quae sunt maxime vera, sunt maxime entia, ut dicitur 2 Metaphys., text. 4. Quod autem dicitur maxime tale in aliquo genere, est causa omnium, quae sunt illius generis; sicut ignis, qui est maxime calidus, est causa omnium calidorum, ut in eodem libro dicitur (text. eod.). Ergo est aliquid, quod omnibus entibus est causa esse et bonitatis, et cujuslibet perfectionis; et hoc dicimus Deum» [1].

Haec via demonstrandi exsistentiam Dei, qua non semel usi sunt S. *Augustinus, S. Anselmus, Richardlus a S. Victore*[2] et alii, vel penitus omittitur vel non recte declaratur a nonnullis scholasticis. Aliis tamen maxime probatur [3].

Dices. Si magis et minus dicuntur de rebus, secundum quod diversimode appropinquant ad aliquid, quod est maxime ens et causa aliorum, sequitur in omnibus rebus dari aliquod maximum; il est, maxime minerale, maxime planta, maxime homo, maxime album, etc., quae sint causa mineralium, plantarum, hominum, etc., quod patet esse falsum.

Resp. Principium *S. Thomae* nullatenus accipiendum est sensu Platonis, qui dicebat in omni genere admittendum esse aliquid maximum ac perfectissimum, cujus participatione exsisterent individua, sed ita intelligendum est, ut, quando sunt gradus in rebus eo quod perfectiones recipiantur in eis deficienter et diminute, debeat exsistere in illo genere aliquod maximum, quia illa diminutio in perfectionibus non provenit a natura rei sed a participatione imperfecta. Unde exsistit aliquid maximum, quod sit causa aliorum. Sic, quia animal habet vitam deficienter in gradu vivendi, et homo intelligentiam in gradu intelligendi, oportet dari aliquod maxime vivens et maxime intelligens, quod sit causa vitae animalis et intelligentiae humanae [4].

B.

Argumentum physicum.

41. Arg. *Ex ordine et finalitate rerum,* quod *teleologicum* audit.

Cum adspectabilem rerum naturam oculis corporeis'-vel intellectu cernimus, immensus nobis apparet pulchritudinis, armoniae et finalita-

1 S. Thomas, *I p.,* q. 2, a. 3.

2 S. Augustinus, *De civitate Dei,* lib. 8, c. 6; ML 41, 231; et *De Trinitate,* lib. 8, 3: ML 42, 949; S. Anselmus, *Monol.,* c. 1 sqq.; ML 158, 145 sqq.; Richardus a S. Victore, *De Trinitate,* lib. I, c. 9; ML 196, 895.

8 Vide Urraburu, *Thcodicea,* disp. I, n. 29; et Hontheim, *Theodicea,* n. 135 sqq.

4 Cfr. Tabarelli, *De Deo uno,* q. 2, a. 3.

tis ordo, in quo omnia etiam anorganica in unum finem conspirant. «Videmus enim, ait Angelicus, quod aliqua, quae cognitione carent, scilicet corpora naturalia, operantur propter finem; quod apparet ex hoc, quod semper aut frequentius eodem modo operantur, ut consequantur id, quod est optimum. Unde patet, quod non a casu, sed ex intentione perveniunt ad finem. Ea autem, quae non habent cognitionem, non tendunt in finem nisi directa ab aliquo cognoscente et intelligente, sicut sagitta a sagittante. Ergo est aliquid intelligens, a quo omnes res naturales ordinantur ad finem, et hoc dicimus Deum»[1] «Interroga mundum, ajebat ad rem S. .1 *ugustiniis,* ornatum caeli, fulgorem dispositionemque siderum, solem diei sufficientem, lunam noctis solatium; interroga terram fructificantem herbis et lignis, animalibus plenam, hominibus exornatam; interroga mare, quantis, et qualibus natatilibus plenum; interroga aëra, quantis volatilibus viget; interroga omnia et vide, si non sensu suo tanquam tibi respondent: *Deus nos fecit»*[2].

Haec demonstratio ab Anaxagora, ut dicitur, primum excogitata, a *Socrate, Platone* et *Aristotele*[3] adhibita et a *Cicerone*[4] exornata, valde laudata fuit a SS. Patribus et theologis scholasticis.

Darwin[5] eam quasi cogentem et *Kantius*[6] omni veneratione commemorandam appellant. Affirmat tamen *Kantius* per eam solum probari exsistentiam cujusdam architecti et ordinatoris mundi, non creatoris materiae. Kantium sequuntur *Froschammer, Hartmann. Joannes Caird, modernistae*[7] et alii, futilibus plerumque ducti rationibus, quas exponere non vacat[8].

C.

Argumenta psychologica.

42. Argumentum psychologicum est illud, quo auctorem vitae facultatumque animae probamus. Porro triplex est vita, vegetativa, sensitiva et rationalis, atque animae rationali sunt duae facultates spirituales, intellectus et voluntas. Ex hac triplici vita et duplici facultate quintuplex posset sumi argumentum psychologicum pro exsistentia Dei probanda. Praecipua tantum seligemus.

Arg. 1) *Ex exsistentia vitae.* Cernimus in mundo plantas et animalia habere vitam vegetativam atque sensitivam, et inter ipsa viven-

1 *I p.,* q. 2, a. 3.

2 *Serin.* 141, c. 2, n. 2; ML 38, 776.

3 Socrates, apud Xenophon, *Memorabilia Sacralis,* 1, 4; et 4, 3; Plato, *Phaedo,* 46; *Timeo,* 46; Aristoteles, *Phys.,* lib. 2, c. 8.

1 De *natura deorum,* lib. 2, cc. 30-37.

5 Apud Arintero, *La providenda y la evoluciôn,* prol., p. 2; et *Introducciôn general a la evoluciôn,* p. 126.

6 *Critique de la raison pure, Dialect, transe.,* liv. 2, ch. 3, sect. 6.

7 Froschammer, *Die Philosophie des Thomas von Aquin,* c. 3; Hartmann, *La filoso/ia dell'inconscio di Edvardo Hartmann;* Caird, *Introduction to the philosophy of religion:* Modernistae, *Programma dei modernisa,* § 2, b).

8 Cfr. Tabarelli, De *Deo uno,* q. 2, a. 3; Ephem., *Divus Thomas,* a. 1904, pagina 404 sqq.; Willems. *Theologia naturalis,* lib 1, th. 8.

tia reperiri diversas species. Sed vita tum vegetativa tum sensitiva diversaeque viventium species non possunt oriri nisi a Deo. Ergo exsistit Deus. Major constat ex psychologia et scientiis naturalibus, botanica, zoologia, etc. Min. prob. Viventia non possunt oriri a) *a se ipsis,* quia nihil est causa sui ipsius; neque b) *a causis anorganicis,* quia nemo valet efficere, quod in se non habet; neque c) *a causis creatis nobis occultis,* quia hae causae vel sunt anorganicae vel organicae; si primum, impares sunt vitae producendae; si secundum, denuo quaerendum est, a quo vitam receperint, quousque deveniamus ad primum et aeternum vitae principium x.

2) *Ex vita rationali.* Anima nostra praedita est vita rationali facultatibusque spiritualibus, quae essentialiter distinguuntur a vita et facultatibus sensitivis. Sed vita rationalis facultatesque spirituales arguunt exsistentiam Dei. Ergo exsistit Deus. Prob. min. Vita'rationalis facultatesque spirituales animae nequeunt oriri a se, neque a causis anorganicis, neque a vita vegetativa aut sensitiva, neque a causis creatis nobis occultis, ut facile quisque videt. Ergo 2.

D.

Argumenta moralia.

43. Arg. 1) *Ex naturali beatitudinis desiderio.* Homo naturaliter desiderat felicitatem aeternam in altera vita possidere. Sed naturale desiderium implendum est, et hoc desiderium impleri non potest sine Deo. Ergo exsistit Deus. Major constat ex experientia. Minor prob. «Béatitude enim, ait S. *Thomas,* est bonum perfectum, quod totaliter quietat appetitum... Objectum autem voluntatis, quae est appetitus humanus, est universale bonum, sicut objectum intellectus est universale verum. Ex quo patet, quod nihil potest quietare voluntatem hominis nisi bonum universale, quod non invenitur in aliquo creato, sed in solo Deo» 3.

2) *Ex consensu generis humani.* Universalis, constans et uniformis omnium gentium persuasio est Deum exsistere. Ergo exsistit Deus.

Consequentia patet, quia consensus generis humani in admittendis veritatibus ad vitam religiosam et socialem spectantibus falli non potest. Quare *Seneca* ajebat: «Apud nos veritatis argumentum est aliquid omnibus videri»4. «Sicut enim judicium de saporibus, inquit Angelicus, quod ab omni gustu datur, non potest esse falsum, ita judicium, quod ab omnibus de veritate datur, non potest esse erroneum» “.

1 Hoc argumentum destruere conantur *materialistae,* qui inter organica et anorganica nullam differentiam essentialem agnoscunt, et *evolutionistae,* qui hanc differentiam per evolutionem naturalem explicant.

2 Contra hoc, argumentum insurgunt non solum *materialistae* et *evolutionistae,* qui differentiam essentialem inter vitam rationalem et sensitivam negant, sed etiam *atomistae* et *pantheistae,* qui animae spiritualitatem hominisque libertatem inficiantur.

3 Cfr. Willoms, *Theol. nat.,* th. 6.

4 *Ep.* n7, «Multum·.

3 *Contr. Geni.,* lib. 2, c. 34, n. t.

Ant. prob. Si historiographi et ethnographi fidem merentur, omnes sine exceptione gentes crediderunt et credunt in Deum. Romani, germani, anglosaxoni, hebraei, assyrii, phoenices, syrii, arabes, aegyptii, persae, indi, sinenses, africani, américain, atque Occeaniae incolae Deum admittebant colebantque [1]. Omnes historiographi, poëtae, astronomi, philosophi antiqui et moderni, si paucos excipias, populusque simplex, semper docuerunt numen aliquod supremum esse colendum. Unde *Tullius* haec habet: «Firmissimum hoc afferri videtur, cur deos esse credamus. quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cujus mentem non imbuerit deorum oponio>> [2].

APPENDIX

DE ATHEISMO

44. 1) Athei dicuntur αὁεο , sine Deo, et negant Deum exsistere.

2) Alii sunt *speculativi* alii *practici.* a) *Speculativi* seu theoretici sunt, qui Deum exsistere ignorant, b) *Practici* vocantur, qui, licet Deum esse non inficientur, ita libere et flagitiose vivunt, ac si Deus ultor vitiorum non exsisteret.

3) Ex theoreticis a) alii sunt *negativi,* qui usum rationis adepti Dei notitia carent; b) alii *positivi,* qui doctrinam de exsistentia Dei, quam sciunt ab aliis defendi, renuunt admittere [3].

4) Sub duplici adspectu cognoscitur Deus: a) *Jn ordine naturali,* quatenus est auctor seu principium naturae ex effectibus demonstrabilis. b) *In ordine supernaturali,* quatenus est auctor gratiae, caritatis, etc.

Quaeritur hic, utrum revera dentur athei.

I. Plurimi dantur non solum ex ethnicis sed etiam ex Christianis athei practici. Ubique cernuntur homines, proh dolor! carnis delectationibus effrenaeque libidini ita dediti, ut suis factis negare videantur esse Deum. De iis Apostolus: *Confitentur se nosse Deum, jactis autem negant* [4]. Rursum: *Multi enim ambulant, quos saepe dicebam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est* [5].

II. Dantur athei speculativi, qui Deum ut auctorem supernaturalem ignorant. Ad habendam cognitionem Dei, ut auctoris supernaturalis, requiritur instructio religiosa dc rebus sacris ac supernaturalibus. Sed hac instructione plurimi carent, ut constat ex relationibus missionariorum. Ergo dantur athei speculativi, qui Deum ut auctorem supernaturalem ignorant.

1 Cfr. Menéndez y Pelayo, *Hist, de los hétérodoxes esp.,* 1911, prol., p. 79-

2 Tuscul.. lib. I, c. 13. Cfr. Farges, *L'idée de Dieu* (5.me cd.), p. 221 sqq.

3 Athei fuisse dicuntur Cosmas Buggieri, Vanini, Pajot de Linière, Viand. (Cfr. Wouters, *Hist, eccl.,* epoch. 12, n. 28), Santhibal (apud Bayle, *Did. hist, et crit).* Fouerbach, Moleschott, Haeckel, Dantec, Schopenhauer et alii.

4 *Tit.,* 1, 16.

5 *Philipp.,* 3, 18-19.

III. Non dantur nec dari possunt athei speculativi negativi, qui Deum ut auctorem naturalem penitus ignorent, saltem per longum tempus. Cognitio exsistentiae Dei, ut auctoris naturalis, tam obvia est, et ex creaturis ita hauritur, ut facile cuique pateat. 1) Inest siquidem nobis, cum adspectabilem naturam intuemur, inclinatio naturalis quaerendi rerum auctorem. 2) Omnes, qui in societate vitam agunt, illico audiunt loqui de numine supremo, auctore hujus mundi adspectabitis. Ergo.

Diximus *saltem per longum tempus,* ut consuleremus probabilitati sententiae quorumdam theologorum, qui exsistimant posse aliquem post inceptum rationis usum privari per aliquod temporis spatium notitia exsistentiae Dei.

IV. Athei theoretici positivi dari non possunt, id est, nemo datur nec dari potest inter homines, qui argumentis positivis certo sibi persuadeat Deum non exsistere. Fieri non potest, ut quis serio sibi rationibus pernadeat Deum non exsistere, quin statim de argumentis cogitet, quibus certo exsistentia Dei comprobatur. Haec autem argumenta ita sunt valida, ut a nemine possint elidi. Apposite ad rem ajebat *Seneca:* «Mentiuntur, qui dicunt se non sentire esse Deum; nam etsi tibi affirment interdiu, noctu tamen et soli dubitant»[1].

Diximus *certo,* quia aliquando fieri potest, ut quis vitiis deditus culpa •na ita torqueat voluntatem, obnubilètque intellectum, ut tandem de ipsa serio dubitet exsistentia Dei. Ad rem S. *Augustinus* dixisse fertur: Xemo incredulus nisi impurus»[2]; et *Bacco de Verulamio:* «Nemo deos nun esse credit, nisi cui deos non esse expedit»[3].

QUAESTIO II

DE ESSENTIA ET ATTRIBUTIS DEI IN COMMUNI

ARTICULUS I

QUALIS SIT NOSTRA IN TERRIS DE NATURA DEI COGNITIO

45. Ex duplici fonte possumus in terris cognitionem Dei haurire: /.λ *lumine rationis,* ascendendo a creaturis in Deum et concludendo pur legem causalitatis omnes proprietates perfectionesque creaturarum i u creatori convenire: 2) *Ex lumine gratiae,* accipiendo illustrationes alto per dona gratuita, secundum quod placuit Spiritui Sancto ma-:nl< stare nobis arcana Dei. De utraque naturae Dei cognitione in duplici p.uagrapho.

1 D<- *ira,* lib. I. Refert Baylius, *Did. hist, et erit.,* Santhibalum, famosum h Ih uin saeculi xii, acriter queri solitum fuisse, quod nemo in sua secta dono i 'verantiae gaudebat, sed omnes morti proximi resipiscebant.

Apud Fr. Coppée. *La bonne souffrance.*

' *Serm. fidei.,* i6 de atheismo.

§ 1

An ei quomodo cognoscamus naturam Dei in terris lumine rationis naturalis.

46. Status quaestionis. 1) Duplex est rerum cognitio: a) *intuitiva,* qua aliquid in se ipso immediate conspicimus; et b) *abstractiva,* qua objectum per species vicarias cognoscitur.

2) Tripliciter possumus nos aliquid in hoc mundo per abstractionem cognoscere: a) *Comprehensive,* quatenus rem cognoscimus, quantum cognoscibilis est, ut duo et tres sunt quinque, b) *Quidditative,* quatenus rem aliquam, non quidem quantum cognoscibilis est intensive et extensive, sed tamen quoad naturam cognoscimus, apprehensis speciebus ab ipsa re vel ab aliquo objecto ejusdem naturae, ut hominem cognoscimus per Petrum, Paulum, etc. c) *Analogice,* quatenus rem aliquam imperfecte cognoscimus, per species abstractas ab alia re diversa in natura, ut temperiem aëris ex amoenitate prati.

Quaerimus hic, an aliquo ex his modis cognoscamus naturam Dei in terris.

47. Errores, i) *Gnostici* imprimis docuerunt nihil nos de natura Dei in hac vita cognoscere.

2) *Eunomiani* e contra saeculis iv et v dixerunt nos posse Deum in hac vita intuitive videre.

3) Intuitivam item naturae Dei cognitionem intellectui nostro in hac vita tribuerunt: a) *Pantheistae* per immediatam entis absoluti contemplationem vel secundum alios per entis in abstracto perceptionem, b) *Ontologistae* per immediatam ipsius Dei intuitionem. c) *Seniimenialistae* et *modernistae* per internam experientiam.

48. Thesis. Dum in terris vivimus, cognoscimus naturam Dei aliquo modo ratione naturali, non quidem intuitive sed abstractive. Et haec cognitio, quam habemus de natura Dei, non est comprehensiva, nec quidditativa ex propriis, sed analogica.

1) Cognoscimus naturam Dei aliquo modo ratione naturali. Expresse hoc docet Apostolus dicens: *Invisibilia Dei a creatura mundi per ea, quae jacta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus et divinitas* E Haec «invisibilia Dei», «sempiterna virtus et divinitas» sunt natura Der. Ergo naturam Dei per ea, quae facta sunt, quodammodo rationis lumine cognoscimus. Ratio est, quia, cognitis creaturarum perfectionibus, concludimus per legem causalitatis eas eminentiori modo Deo convenire. Non possumus quidem omnia Dei arcana ratione naturali investigare, sed ea, quae ex creaturarum consideratione Deo tribuimus, vere ipsi competere scimus.

2) Non cognoscimus Deum intuitive sed abstractive. Intuitiva cognitio dicitur, qua res in se ipsa sine ulla specie immediate conspicitur. Deum autem, dum in terris peregrinamur, non immediate in se ipso,'

1 *Rom.,* i, 20.

sed ex rebus creatis mediate cognoscimus. Quare ontologistae, et quotquot immediatam Dei cognitionem sibi adstruxerunt, damnati sunt ab Ecclesia.

3) Cognitio abstractiva, quam in terris habemus de natura Dei, non est comprehensiva. Intellectus noster, non modo in hac vita, sed etiam in altera, ubi roboratur lumine gloriae, impar est cognoscibilitati Dei omnino exhauriendae. Unde Aëtius et Eunomius damnati sunt ab Ecclesia, et in Concilio Lat. IV (a. 1215) cap. *Firmiter* Deus dicitur *incomprehensibilis* [1]

4) Non est quidditativa ex propriis. Cognitio quidditativa ex propriis colligitur ex speciebus ab ipsa re vel alia ejusdem naturae acceptis, ut cognitio patris ex filio. Sed species, quibus Deum cognoscimus in terris, non apprehendimus ab ipso Deo nec ab alia re, quae conveniat cum Deo in natura, sed a creaturis. Ergo cognitio Dei, quam habemus in terris, non est quidditativa ex propriis [2].

5) Est proprie analogica. Cognitio analogica dicitur, qua res in aliquo simili alterius naturae cognoscimus. Ergo cognitio naturae Dei, quam ex rebus creatis derivamus, est proprie analogica [3].

49. Corollarium. Ex hac doctrina consequitur nostram de Deo in terris cognitionem multis conceptibus inadaequatis contineri. Perfectiones siquidem creaturarum, ex quibus ad Deum cognoscendum adsurgiums, innumerae sunt, et juxta earum diversitatem, diversos de Deo formamus conceptus.

50. Scholion. Deum cognoscimus in hac vita per viam *excellendae. affirmationis* et *remotionis.* Cum Deum in hac vita cognoscamus ex rebus creatis, attente consideranda sunt ea, quae important creaturae. (reatura autem, ut apposite ait ad rem *Banez,* «est ens, et ab alio, et x nihilo. *Ens* dicit perfectionem, et quantum ad hoc cognoscimus Deum per viam excellentiae; *ab alio* dicit causalitatem, et per eam cognoscimus Deum per viam efficientiae; *ex nihilo* dicit imperfectionem, et per remotionem ejus cognoscimus Deum per viam negationis» [4].

1) Per viam *excellentiae* seu *eminentiae,* υπεροχή (excessus). Ex negata limitatione perfectionum plane concludimus perfectiones non eo modo, quo nos concipimus, sed eminentiori modo, in tota scilicet sua plenitudine, in Deo reperiri. Unde a Patribus saepe vocatur Deus *superessentia, supersapientia,* etc.

2) Per viam *affirmationis,* Μεσι (causalitas). Cum adspectabilem hunc mundum conspicimus, in eoque multiplicis generis perfectiones

1 Denz-Bannw., n. 428. Cfr. quae dicenda sunt q. 12

- Contrarium defendit Ponoius, *TJieol. cursus int..* disp. 2, q. 4, conci. 6.

3 Id ipsum confirmat S. Thomas, *De veritate,* q. 8, a. 1, «Sed oportet» dicens: similitudo divinae essentiae in intellectu recepta non potest habere aliquam con-'■nientiam cum essentia divina nisi *analogice tantum.* Et ideo *cognitio, quae esset l talem similitudinem, non esset ipsius Dei per essentiam,* sed multo imperfectior, quam si cognosceretur substantia per similitudinem accidentis». Cognitio autem ' *-r-st secundum formas exsistentium creatorum, et ideo non potest pertingere ad 'd. quod est supra exsistens».* Ibid, ad 10.

4 *In I p .* q. 2, a. 3, *Secundo notandum.* Cfr. Dionysius, *De div. nom.,* c. 7, r 'l agr. 3; MG 3, 869; S. Thomas, *De potentia,* q. 7, a. 5 ad 2; Petavius, *Theol. dogm.,* I I, lib 1, n. 5; Franzolin, *De Deo uno,* th. 12.

contemplamur, illico vi argumenti causalitatis ad primam causam adsurgimus, eique creaturarum perfectiones adseribimus. Quare recte dicimus: *Deus est sapiens, justus, bonus,* etc., quia in effectibus a Deo productis inveniuntur sapientia, justitia, bonitas, etc.

3) Per viam *remotionis,* ἀφαίρἷσι (ablatio). Cum Deum ex creaturis analogice intelligimus, removemus ab eo non solum imperfectiones et defectus, sed etiam limitationes perfectionum, quas in creaturis conspicimus, negamusque ei defectum absolutae realitatis. «Sunt, ut recte ait *Franzelin,* negationes negationum, seu efficacissimae affirmationes, licet confuse a nobis concipiatur perfectio hoc modo affirmata. Hoc pacto dicimus: *Deus non est sapiens eo modo, quo nos intelligimus* 1.

Observat *Franzelin* has tres vias cognoscendi Deum «non esse tres cognoscendi rationes adaeqtiate distinctas, sed in singulis quodam modo omnes tres esse conjunctas, dum semper una ratio *directa* reliquas duas includit in obliquo»

§ 2

Qualem in terris de divina natura habeamus cognitionem per lumen gratiae.

51. Status quaestionis. Lumen gratiae, quod est donum quoddam supernaturale omnino gratuitum, et lumini naturali superadditum, multipliciter conceditur hominibus: 1) *per revelationem mediatam* sine lumine fidei, ut in haereticis, quorum cognitio de Deo perfectior est quam paganorum: 2) *per revelationem mediatam* cum lumine fidei, ut in catholicis; 3) *per gratiam sanctificantem,* superadditam fidei; 4) *per revelationem immediatam,* qua quis a Deo immediate illustratur; 5) *per contemplationem,* qua sancti, mediante gratia, altissimam Dei cognitionem saepe adipiscuntur; 6) *per unionem mysticam et consequentes Dei communicationes,* quibus non semel, adjuvantibus donis Spiritus Sancti, arcana secretissima divinorum sanctis in terra panduntur 2.

52. Thesis. Cognitio divinae naturae, quam acquirimus in hoc mundo per lumen gratiae, est etiam analogica.

Arg. Licet plura de Deo per lumen gratiae nobis manifestentur, quae rationem naturalem omnino excedunt, cognitio tamen hujusmodi sicut et cognitio Dei, quam habemus per lumen rationis, producitur in nobis per conversionem ad phantasmata et per species creaturarum. Quamvis per revelationem, ait S. *Thomas,* elevemur ad aliquid cognoscendum, quod alias esset ignotum, non tamen ad hoc, ut alio modo cognoscamus nisi per sensibilia. Unde *videmus nunc,* Apostolo teste, *per speculum in aenigmate, tunc autem (in caelo) facie ad faciem: nunc co-*

1 *De Deo uno,* th. 12.
2 *De Deo uno,* th 12.
3 Cfr. S. Joanno» a Cruoo, *Llama de amor viva,* cancion -|

gnosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum [1]. Id est, videbimus Deum in gloria facie ad faciem, sicut et cognitus sum; in terra autem St ἐσοπτρου (per aliud visum); Εν αἰνίγματι, (quasi sub signorum involucris), et Ez μέρου imperfecte et quasi per partes. Ergo haec cognitio est analogica.

Scholion. Lumine tamen gratiae habetur de Deo perfectior cognitio quam lumine naturali, et eo perfectior quo magis participentur gradus ordinis supernaturalis, quia, ut ait Apostolus, *nobis revelavit Deus per spiritum suum, quae nemo principum hujus saeculi cognovit* [2]. Hoc constat ex multiplici capite: 1) lumine gratiae elevatur potentia ad ordinem supernaturalem et disponitur ad eliciendos actus entitative perfectiores quam vi propria naturali; 2) lumine gratiae, id est, per fidem et illustrationes supernaturales, plura cognoscimus quam per rationem naturalem; 3) cognitio, quae habetur per revelationes a Deo factas est certior omnibus cognitionibus naturalibus, ut probatum est in theologia fundamentali, n. 38; 4) per revelationem vel infunduntur novae species, quae naturaliter acquiri non possunt, vel species naturaliter habitae rectius ordinantur, ut expressius veritatem repraesentent [3].

ARTICULUS II

QUODNAM SIT CONSTITUTIVUM METAPHYSICUM ESSENTIAE DIVINAE

53. Status quaestionis. I) Constitutivum alicujus rei potest esse *physicum* vel *metaphysicum.* a) Constitutivum *physicum* est complexus omnium proprietatum et perfectionum, quae rei in ordine reali conveniunt [4]. b) *Metaphysicum* dicitur illa proprietas seu praedicatum, quod concipitur tanquam primum et nobilissimum in re, et ut fons seu principium aliarum perfectionum.

2) Constitutivum physicum. Satis communiter docent theologi constitutivum physicum Dei consistere in complexu omnium proprietatum, perfectionum et attributorum tum absolutorum tum relativorum, quae in Deo identificantur cum essentia. Quare Deus physice est *ipsum esse* seu «esse simpliciter... secundum quod includit in se omnem perfectionem essendi» [5]; imo est «totum... esse..., ut inquit S. *Gregorius naz.,* quasi pelagus quoddam essentiae immensum, interminatum» [6]; vel ut ait *Knabenbauer,* «ipse est omnia» [7].

3) Dubium est in praesenti de constitutivo metaphysico essentiae divinae, et quaeritur, quodnam sit in Deo primum ac nobilissimum praedicatum, quo nostro modo concipiendi Deus constituitur, et a quo caeterae proprietates quasi fluere et manare intelliguntur.

1 *I Cor.,* 13, 12.
2 *I Cor.,* 2, 8.
3 Cfr. S. Thomas, *I p.,* q. 12, a. 13; Paquet, *De Deo uno,* disp. 3, q. 2, a. 13.
4 Cfr. Franzelin, *De Deo uno,* th. 20; Urraburu, *Theod.,* disp. 2, n. 83.
5 S. Thomas, *I-II,* q. 2, a. 5 ad 2.
6 *Orat* 45, n. 3; MG 36, 625.
7 *Ecclesiasticus,* 426.

54. Placita theologorum, i) *Nonnulli* distinguunt inter essentiam et naturam Dei, et adserunt constitutivum essentiae divinae, quatenus virtualiter distinguitur a natura, consistere in ratione substantiae spiritualis per essentiam, constitutivum vero naturae in intelligere divino. Ita *Petrus Cornejo* apud *Salmanticenses*[1] *Andreas a Cruce*[2] et alii.

Critica. Cum natura et essentia non distinguantur in Deo virtualiter seu cum fundamento in re juxta doctrinam S. *Thomae,* facile evertitur, vel potius ex se ipsa corruit haec sententia.

2) *Alii* docent constitutivum metaphysicum essentiae divinae esse aggregationem omnium perfectionum divinarum. Tribuitur *nominalibus, Suarez*[3] et aliis.

Critica. Haec sententia vera esset loquendo de constitutivo physico, sed non est ad rem.

3) *Quidam* volunt essentiam divinam metaphysice constitui per infinitatem radicalem. Ita *Scotus*[4] cum suis discipulis[5].

Critica. Haec theoria ex eo saltem excludenda videtur, quod essentia divina constituatur per aliquid positivum, quod sit distinctivum aliorum attributorum. Infinitas autem, si bene consideretur, nec est positivum nec distinctivum aliorum attributorum, sed quid negativum, imbibitum in omnibus attributis.

4) *Alii* contendunt essentiam divinam metaphysice consistere in intellectione radicali seu in esse intellectuali apto ad intellectionem eliciendam. Ita *Godoy, Curiel, Arrubal, Arriaga, Laurentius a S. Theresia,* etc.[6]

Critica. Intellectio radicalis non videtur esse in Deo primum ac nobilissimum praedicatum, nec origo ac principium aliarum perfectionum et attributorum.

5) *Plures* volunt essentiam Dei metaphysicam constitui per ipsum intelligere actuale et simplicissimum sub ratione ultimae actualitatis per se subsistentis. Argumentum praecipuum hujus sententiae est: Constitutivum metaphysicum essentiae divinae reponi debet in gradu entium perfectissimo, et intra ipsum gradum in eo, quod est magis actuale et purum. Sed intelligere actuale et simplex sub ratione ultimae actualitatis per se subsistentis est inter omnes gradus entium, essendi nempe, vivendi, sentiendi et intelligendi perfectissimum, et intra hunc gradum est magis actuale et purum, quia actus purus. Ergo. Ita *Salmanticenses, Joannes a S. Thoma, Gonet, Paulus a Conceptione, Billuart, Herice* et alii[7].

Critica. Haec sententia, cui non semel favere visus est S. *Thomas*[8], est valde probabilis, tum extrinsece ob auctoritatem doctorum, quos citavi, tum intrinsece ob valida, quibus nititur, argumenta. Malui tamen eam relinquere: i) propter auctoritatem S. *Thomae,* quam censeo sequenti opinioni magis favere; 2) ob numerum et pondus theologorum, qui communius hodie ab ea recedunt; 3) quia intelligere actuale est actus, qui nostro modo concipiendi Deum jam constitutum supponit[9].

1 *De scientia Dei,* disp. 4, dub. 1, § r.

2 *In l p.,* n. 1905.

3 *De Deo,* lib. 1, c. 3; si tamen loquitur eximius Doctor de constitutivo metaphysico essentiae Dei.

4 *In I Seni.,* dist. 8, q. 3, n. 29, *Respondeo quod quando aliquid.*

5 Cfr. Frassen, *Scotus acad.,* tr. r, disp. 1, a. 3.

6 Godoy, *De Deo,* q. 2, tr. 1, disp 4, sect. 12; Curiol, *Controv.,* lib. 2, controv. 3, n. 166; Arrubal, *In I p.,* disp. 28, cc. 3-4; Arriaga, *De Deo,* disp. 16, sect. 4, et disp. 47, n. 62: Laurentius a S. Th,, *Spicileg. theol.,* t. I, p. 2, controv. 4, n 102 sqq.

7 Salmanticenses, *De scientia Dei,* disp. 4, n. 43; Joannes a S. Th., *De Deo,* disp. 16, a. 2; Gonet, *De Deo uno.* tr. 1, disp. 2, a. 1, § 5; Paulus a Conceptione, *De Deo ejusque attributis,* disp. 2, n. 35 sqq.; Billuart, *De Deo,* diss. 2, a. 1, § 2; Herice, *In I p.,* q. 4, a. 2, dub. 7.

8 *I p.,* q. 14, a. 4 ad 2 et 3.

9 Ad rem ait Angelicus: «Post considerationem eorum, quae ad divinam substantiam pertinent, restat considerandum de his, quae pertinent ad operationem ipsiuss. *I p.,* q. 14. praef.

6) *Alii* denique communius dicunt essentiam Dei metaphysicam reponendam esse in *aseitate,* seu, quod idem est, in *esse a se subsistente.* Interminabilis forem, si omnes vellem hujus sententiae patronos referre. Praecipui sunt *Contenson, Gotti, Roselli, Petavius, Franzelin, Kleutgén, Hontheim, Pesch, San, Urraburu,* etc. [1].

55. Thesis. Essentia Dei metaphysica probabilius reponenda est in «aseitate» vel potius in «esse a se subsistente». Idcirco Deus nostro modo concipiendi definiri potest: «ens a se subsistens».

Nota. *Ens a se* idem esse puto ac *ens a se subsistens,* ut mox explicabitur[2]; quia tamen aliqui patroni hujus sententiae non videntur *aseitate* omnino satisfieri, adjunxi per modum explicationis verba *seu esse a se subsistente.*

Arg. 1) Essentia Dei metaphysica in eo consistit, quod directe exprimitur per nomen Deo maxime proprium. Sed *aseitas* seu *esse a se subsistens,* est nomen Deo maxime proprium. Ergo. Major est certa, quia, ut ait S. *Thomas,* «quodlibet... nomen est institutum ad significandum naturam seu essentiam alicujus rei» [3]. Minor prob. Moysi interroganti: *Si dixerint mihi* (filii Israel): *Quod est nomen ejus? Quid dicam eis?* Dixit Deus... *Ego sum qui sum*—mnx iιτv ~'ΠΧ —*Ait: Sic dices filiis Israel. Qui est* ΓΡΠΝ (vel potius *qui sum,* in graeco ὁ ὢν) *misit me ad vos*[4]. Credendum est autem Deum sibi imposuisse nomen maxime proprium. Ergo *aseitas* seu *esse a se subsistens* est nomen maxime Deo proprium.

2) *Aseitas* in Deo seu *esse a se subsistens* spectat ad essentiam divinam et est nostro modo concipiendi primum in re et radix caeterarum perfectionum. Ergo est constitutivum metaphysicum essentiae divinae. *Antecedens* illustratur et simul destruitur argumentum praecipuum quintae sententiae. Inter ea, quae participant esse, «entibus quidem viventia, viventibus vero sensitiva atque his rationalia et rationalibus ipsi spiritus antecellunt», ut ait *Dionysius* [5]; quia, «si consideretur ipsum... esse, prout participatur in hac re vel in illa, quae non capiunt totam perfectionem essendi, sed habent esse imperfectum (et determinatum ad unum gradum), sicut est esse cujuslibet creaturae, sic manifestum est, quod ipsum esse cum perfectione superaddita est eminentius. Unde et *Dionysius (De divin, nom.,* c. 5 a princ, lect.) dicit quod viventia sunt meliora exsistentibus, et intelligentia viventibus» [6].

1 Contenson, *Theol. mentis et cordis,* lib. 1, diss. 1. c. 2; Gotti, *De Deo,* tr. 2, q. 3, dub. 3; Rosselli, *Summa phil.,* t. 5. q. 25; Petavius. *Theol. dogm.,* lib. 1, c. 6; Franzelin, *De Deo uno,* th. 20; Kleutgon, *De ipso Deo,* n. 216: Hontheim, *Theodicea,* n. 482; Pesch, *De Deo uno,* n. 115 sqq.: San. *De Deo,* n. 44 sqq.; Urraburu, *Theodicea,* disp. 2, n. 84.

2 «Nomen *entis a se,* ait cl. Kleutgen, n. 217, proxime et per se non indicat nisi Deum propria virtute esse; cum tanquam fundamentum et radix omnium perfectionum concipiatur potius illa plenitudo essentiae, qua totum esse comprehendit » Eodem modo loquitur Mendive, *Theodicea,* nn. 65 et 97 cum aliis.

3 *Contra Gentiles,* lib. 1, c. 22, «Hanc autem».

4 *Exod.,* 3, 13 sqq. Vide apud *Revue biblique* ,1893, pp. 329-350, explicationem verborum *Ego sum, qui sum.*

5 *De div. nom.,* c. 5, § 3; MG 3, 817.

6 *I-II,* q. 2, a. 5 ad 2.

Unde *ens per participationem,* addita aliqua perfectione, restringitur, et eo est perfectius quo restrictius; quia «gradus restrictior *rationalis* includit gradum universaliorem *vitae;* hic iterum gradum superiorem *entis,* non autem viceversa»1. At *«esse simpliciter* acceptum, ait Angelicus, secundum quod includit in se omnem perfectionem essendi, praeeminet vitae et omnibus perfectionibus subsequentibus (etiam gradui intellectivo). Sic igitur ipsum esse praehabet in se omnia bona subsequentia» 2. Ad rem *Dionysius:* «Deus igitur... ab antiquiore dono suo laudatur ut ens; siquidem prius esse et excellentius esse, cum prius habeat et excellentius habeat» 3.

Hac ratione docet .S. *Thomas esse* et *intelligere* distingui in Deo «secundum intelligentiae rationem» 4, et essentiam esse principium operationis, quae est intelligere 5.

56. Scholion. *Dr. Hermannus Schell,* herbipolensis, excogitavit aseitatem positivam pro constitutivo divinae essentiae, dicens: *«Esse a se* (Die Aseitat) nedum est quaedam negativa affirmatio, quasi Deus nullam causam habeat, sed positive affirmat, quod est causa sui ipsius per semetipsum consistens»6. Consequenter constitutivum metaphysicum essentiae divinae continetur his verbis: *Deus est causa sui.* Sententiam deinde aliquantulum modificavit dicens se per causam intelligere principium, ita ut Deus dicatur *principium sui* 7.

Hoc tamen admitti non potest: 1) quia essentia divina caret causa et principio; 2) quia esse Dei nunquam incepit: 3) quia *aseitas*—αὐτοσίαν —seu *esse a se subsistens* optime salvatur in Deo sine ratione causae vel principii; 4) nemo potest esse causa vel principium sui ipsius.

ARTICULUS III

QUID ET QUOTUI'LEX SIT ATTRIBUTUM IN DEO

57. Notio. Attributum Dei dupliciter sumitur: 1) *Late,* in quantum significat quidquid de Deo praedicatur; et complectitur Dei proprietates, tum absolutas tum relativas, ut scientiam, relationes, etc., ipsas quoque denominationes extrinsecas et metaphoricas, ut iram, passiones, etc. 2) *Stricte,* quatenus est, ut definit *Billuart: Perfectio absoluta simpliciter simplex, necessario el formaliter in Deo exsistens, et ad essentiam constitutam nostro modo concipiendi consequens*8. Dicitur 1) *Perfectio absoluta,* ut excludantur relationes reales *ad intra,* quae in Deo non sunt proprie attributa. Proprietates, quae nostro modo concipiendi re-

1 Franzeiin, *De Deo uno,* th. 20, .4*nimadvertalur.*
2 *I-II,* q. 2, a. 5 ad 2.
3 *De div noni.,* c. 5, § 5; MG 3, 820.
4 */ p.,* q. 26, a. 2.
5 *1 Sent.,* dist. 6, q. 1, a. 3; et dist. 7, q. 1, a. 2.
8 *Die Gottl Wahrh. des Christentums* et *Kath. Dogmatik,* die 15 Dec. 1899, in *Indicem* relati.
7 Religion U. Offenbarung, Teii 1, § 2, p. 21. Cfr Janssens, *De Deo uno,* p. 229; Foi, *De Deo uno,* n 26: Egger, *Enchiridion Theol. dogni., De Deo uno,* n 19.
8 *De Deo,* diss. 2, a. 2.

feruntur *ad extra,* ut misericordia, justitia, providentia, etc., vere sunt attributa. 2) *Simpliciter simplex* seu nullam in suo conceptu involvens imperfectionem, vel, ut scholastici dicunt, melius est rei, quatenus est ens, illam habere quam non habere, ut sapientia. Quare, perfectiones *secundum quid,* quae denotant in se aliquam imperfectionem, ut facultas ratiocinandi, non sunt in Deo nisi eminenter, nec vocantur attributa. 3) *Necessario et formaliter in Deo exsistens.* Uberiorem haec verba continent explicationem clausulae praecedentis. Perfectio enim *simpliciter simplex* est quaedam proprietas necessario et formaliter in Deo exsistens. 4) *Ad 'essentiam constitutam nostro modo concipiendi consequens.* Attributum siquidem non constituit essentiam divinam metaphysice, sed consequitur, ab ea necessario et formaliter quasi fluens.

58. Divisio. Attributa divina possunt esse.

1) *Affirmativa* et *negativa,* a) *Affirmativa* sunt, quae significant et tribuunt Deo aliquam perfectionem positivam, ut sapientia, misericordia, etc. b) *Negativa* dicuntur, quae removent a Deo imperfectiones, ut infinitas.

2) *Absoluta* et *relativa,* a) *Absoluta* vocantur, quae non important respectum ad aliud, ut bonitas, simplicitas, etc. b) *Relativa* sunt, quae exprimunt respectum ad aliquid *extra,* ut ratio creatoris, dominium, providentia, etc. Relationes *ad intra* non sunt proprie attributa.

3) *Quiescentia* et *actuosa,* a) *Quiescentia* sunt, quae substantiam Dei exprimunt, ut aeternitas, simplicitas, etc. b) *Actuosa* nuncupantur, quae, respiciunt operationes Dei, ut potentia, vita, etc.

4) *Transcendentalia* et *particularia: communicabilia* et *non commitnicabilia; physica* et *moralia,* quae satis constant ex terminis.

59. Scholion. 1) Attributa *negativa* nihil reale formaliter important, quamvis materialiter ipsum esse Dei implicent. Unde infinitas formaliter sumpta negat Deo limites, sed, negando limites, implicat fundamentaliter substantiam Dei. 2) Attributa *relativa* (ad extra) formaliter significant respectum rationis ad creaturas, fundamentaliter ipsam substantiam Dei important [1]. 3) Attributa *affirmativa absoluta,* quamvis ab essentia virtualiter distinguantur, ipsam tamen substantiam Dei inadaequate significant, quia Deus, simplicissimus in se exsistens, omnes perfectiones et attributa complectitur ac sibi identificat. De his uberius, dum de nominibus Dei.

ARTICULUS IV

AN ET QUOMODO ATTRIBUTA DEI INTER SE ET AB ESSENTIA DISTINGUANTUR

60. Status quaestionis. Distinctio definitur: *Carentia identitatis inter plura.* Unde distincta sese invicem excludunt per particulam negantem; v. gr. *hoc non est illud.*

Divisio. Distinctio est duplex, *realis* et *logica* seu *rationis.*

1) Distinctio *realis* est: *Carentia identitatis inter plura, existons a*

1 Cfr. Valentia, *In I p.,* disp, i, q. 13, p. 2.

parte rei independenter a mentis consideratione, ut inter lapidem et ferrum. Potest esse *absoluta* seu *major,* et *modalis* seu *minor,* a) *Prima* est carentia identitatis, quae exsistit inter duo entia absoluta, sive substantialia sint sive accidentalia, ut inter Petrum et Paulum, hominem et virtutem, colorem et saporem, b) *Altera* est, quae inter rem et ejus modum vel inter duos modos exsistit, ut inter Petrum et ejus sessionem, inter sessionem et accubitum.

2) Distinctio *logica* seu *rationis* est *carentia identitatis in eadem re mente jacta per conceptus inadaequatos,* ut inter animal et rationale in homine. Potest esse a) *rationis ratiocinantis,* si intellectus noster illam formet sine fundamento in re, ut inter ensem et gladium, Tullium et Ciceronem; et b) *rationis ratiocinatae* seu *virtualis,* si intellectus eam efformet cum fundamento in re. puta inter animal et rationale in homine. Haec ultima potest esse a) *major* seu *per modum excludentis et exclusi,* cum intellectus distinguit in objecto formalitates seu conceptus inadaequatos sese invicem excludentes, sicut gradus viventis, sensitivi et rationalis in Petro; et 3) *minor* seu *per modum expliciti et impliciti,* cum duas formalitates ita distinguimus in re, ut in conceptu explicito unius altera implicite includatur, ut substantia et ens.

3) *Scotus* [1]. quem generatim schola franciscana sequitur, aliam excogitavit distinctionem, *actualem* scilicet *formalem ex natura rei,* mediam inter realem et virtualem, «qua quidditativus conceptus unius, v. gr., sapientiae, non est quidditativus conceptus alterius, v. gr.. omnipotentiae»[2]. Vocatur *actualis* contra distinctionem rationis, quia dicitur antecedere omnem actum intellectus; et *formalis,* quia non est inter rem et rem, sed inter aliquid et aliquid ejusdem rei, vel inter duas formalitates seu conceptus objectives seorsim conceptibiles.

61. Errores et theologorum placita, i) *Aelius* ejusque discipulus *Eunoniius* saeculo iv docuerunt attributa divina nullo modo, ne mentaliter quidem, inter se et ab essentia Dei distingui. His proxime accesserunt *Ekardus* [3] et generatim nominalistae, qui cum *Ockam, Gregorio arimineiisi, Petro alliacensi* et *Biel* [4,5] dixerunt attributa divina a se invicem et ab essentia Dei distingui ratione tantummodo ratiocinante.

2) *Gilbertus porretanus,* episcopus pictavierisis, saeculo xu [5], *Joachim abbas,* ex congregatione florensi in Calabria (1202), et *Gregorius Palamas,* a quo palamitae, primo monachus, dein archiepiscopus graeco-schismaticus thessalonicensis, saeculo xiv, dixerunt attributa divina tum a se invicem tum ab essentia realiter distingui. *Hermesius* et *Giintherus* plura in suis operibus tradiderunt, quae huic errori favent.

3) *Scotus* denique ac scotistae volunt attributa divina inter se et ab essentia Dei distingui *actualiter formaliter ex natura rei.*

1 *In I Sent.,* dist. 8, q. 4, *Ad quaestionem respondeo.* De mente Scoti dubitarunt multi, sed de mente scotistanim non est dubitandi locus. Cfr. San, *De Deo uno,* n. 99.

2 Frassen, *Scotus academ.,* tr. I, disp. 2, a. 2. Cfr. Casanova, *Ontologia,* n. 99; Henno, *De Deo uno,* disp. 2, q. 2, conci. 3.

3 Ekardi propositiones damnatae sunt a Joanne XXII, die 27 Martii 1329. Cfr. Denz-Bannw., 529 sq.

4 Ockam, *I Sent.,* dist. 2, q. 1; Ariminensis, *I Sent.,* dist. 7, q. un., a. 2; Alliacensis, *I Sent.,* dist. 8, q. 6, a. 2; Biol, *I Sent.,* dist. 2, q. 8.

5 Ecclesiae decretis laudabiliter se subjecit Gilbertus in Concilio Rhemensi, a. 1148.

62. Thesis I. Attributa divina ab invicem et ab essentia non distinguuntur realiter.

Arg. 1) *Ex traditione. S. Anselmus,* disputando cum graecis. expresse docuit omnia in Deo esse unum et idem, «ubi non obviat aliqua relationis oppositio» [1]. Et Concilium *Rhemense,* praesente Eugenio III, cohibuit audaciam Gilberti porretani docens «solum Deum Patrem et Filium et Spiritum Sanctum aeternum esse, nec aliquas omnino res, sive relationes, sive proprietates, sive singularitates vel unitates dicantur, et hujusmodi alia, adesse Deo, quae sint ab aeterno, quae non sint Deus» [2]. Unde S. *Bernardus* in eodem concilio, ubi Gilbertum porretanum acerrime impugnavit, ajebat: «Scribatur stylo ferreo in ungue adamantino, vel sculpatur in silice, quod divina essentia, forma, natura, deitas, bonitas, sapientia, virtus, potentia, magnitudo, vere est Deus» [3].

2) *Ex ratione.* Attributa divina, realiter ab invicem et ab essentia Dei distincta, sunt Deus vel non. Si primum, plures sunt dii, quia datur aliquid extra Deum, quod vicissim sit Deus. Si secundum, Deus non est in essentia infinite perfectus, quia afficitur et modificatur perfectionibus extrinsecis, ab ipso realiter distinctis.

Dices. Tres personae divinae sunt ab invicem realiter distinctae, et sunt Deus absque detrimento unitatis Dei. Ergo a pari, posita distinctione reali inter attributa divina, concipi potest unum esse Deum.

Resp.—Neg. conseq. Non datur paritas inter personas et attributa divina. Personae siquidem constituuntur relationibus et important oppositionem relativam, qua stante, inter se identificati nequeunt. Sed attributa non habent inter se et cum essentia oppositionem relativam, ac idcirco realiter distingui non possunt.

63. Thesis II. Attributa divina a se invicem et ab essentia Dei non distinguuntur distinctione actuali formali ex natura rei scotistarum.

Arg. 1) Juxta testimonia S. Scripturae et effata SS. Patrum attributa in abstracto praedicantur de Deo, quia Deus dicitur vita, sapientia, veritas, etc., ut patet ex illo Joannis 14, 6: *Ego sum via, veritas et vita.* Sed admissa distinctione actuali formali, vulgo scotistica, hoc fieri non potest, quia nihil praedicatur de alio, a quo actu ex parte rei distinguitur. Ergo.

2) Distinctio actualis formalis ex natura rei contradicit omnimodae simplicitati Dei et obstat perfectioni ejusdem. Ergo, a) *Contradicit omnimodae simplicitati Dei,* quia, posita illa distinctione inter attributa divina, Deus esset *unio actualiter distinctorum,* atque idcirco compositus; b) *Obstat perfectioni Dei,* quia Deus se haberet in potentia ad attributa actualiter ex natura rei a se distincta.

1 *De processione S. Spiritus,* c. 2; ML 158, 288.

2 Migne, PL 185, 618; Denz-Bannw., 391.

3 Gaufridi epistola ad Card. Alban, de condemnatione Gilberti Porretani; ML 185, 590. Idem docent alii SS. Patres. Cfr. S. Athanasius, orat. 4 adv. arian; MG 28. 469. Cyrillus hieros., *Catech.* 6, n. 7 sqq.; MG 33, 549; S. J. Damascenus, *De Fide orth.,* lib 1, c. 8; MG 94, 829; S. Augustinus, *De Trinitate,* lib. 5, c. 8; ML 42, 916.

Enodantur difficultates.

64. Obj. 1.° S. *Augustinus* ait: «Substantia Patris ipse Pater est, non quo Pater est, sed quo est» 1, quasi diceret: Pater alio est Deus, alio Pater; Deus est Deus essentia, Pater paternitate. Ergo essentia Dei non est paternitas.

Resp. S. *Augustinus,* quando dicit Deum alio esse Deum et alio Patrem, loquitur juxta S. *Thomam* 2 de Deo ex parte modi significandi, non ex parte rei significatae. Modus autem significandi relationis est ad aliud esse, essentiae vero esse in se. Hinc alio est Pater et alio Deus, quia Pater relatione et Deus suo esse subsistente constituitur. Ex parte vero rei significatae omnia sunt idem etiam formaliter ex natura rei.

Obj. 2.° Ea distinguuntur actu formaliter ex natura rei, de quibus praedicata contradictoria verificantur. Sed de essentia et attributis Dei velificantur praedicata contradictoria; quia dicitur: justitia punit, misericordia non punit; intellectus intelligit, essentia non intelligit; etc. Ergo.

Resp.—Dist. maj. Ea distinguuntur actu formaliter ex natura rei, de quibus praedicata contradictoria verificantur, si utrumque contradictionis membrum eodem sensu accipiatur, cone.; secus, neg. Si in primo membro contradictionis totum, quod est in objecto, affirmetur, et in altero negetur, non possunt praedicata contradictoria de eodem verificari. At, si objectum propter infinitam perfectionem sit virtualiter multiplex, et in uno contradictionis membro una proprietas, et in altero alia exprimatur, optime possunt contradictoria de eodem verificari. Deus autem continet, ut diximus, plures perfectiones, et nihil impedit, quominus contradictoria de diversis proprietatibus ei tribuantur. Cum dicitur *justitia punit, misericordia non punit,* subintelligitur particula restrictiva *quatenus* vel alia consimilis, et facit sensum: *justitia quatenus justitia punit, misericordia quatenus misericordia non punit* 3.

Obj. 3.° Beati videntes totam Dei essentiam non vident totam ejus omnipotentiam. Ergo essentia et omnipotentia distinguuntur in Deo actu formaliter ex natura rei. Ratio *consequentiae* est, quia beati vident totam Dei essentiam, prout est in se.

Resp.—Neg. ant. Beati siquidem videntes Dei essentiam, vident in ea totam entitatem omnipotentiae. Quia tamen non comprehendunt nec comprehendere possunt Deum, non vident ea omnia, ad quae divina omnipotentia se extendit.

65. Thesis III. Attributa divina a se invicem et ab essentia Dei distinguuntur virtualiter seu ratione ratiocinata, ac idcirco plus quam ratione ratiocinante.

Arg. 1) *Ex SS. Patribus. S. Basilius:* «Quod si omnia haec unum ad significatum tendunt, necesse omnino est, ut nomina idem inter se valeant, quemadmodum fit in his, quae multis nominibus appellantur, sicut cum eumdem dicimus Simonem. Petrum et Cepham. Quare, qui audiet immortalitatem Dei, deveniet ad ingenerationem: item, qui audierit indivisibilem esse, ad creandi facultatem deferetur. Ecquid hac confusione fieri possit absurdius?»4.

2) *Ex auctoritate et ratione S. Thomae.* «Quia, ait Angelicus, unumquodque eorum (attributorum) est in Deo secundum sui veris-

1 *De Trinitate,* lib. 7, c. 6, n. 11; ML 42,943.
2 *De potentia,* q. 8, a. 2 ad 14.
3 Cfr. S. Thomas, *De potentia,* q. 7, a. 1ad 5: et Laurentius a S. Theresia, *Spicii, theol.,* t. 1, p. 2, controv. 6, n. 13.
4 *Adv. Eunom.,* lib. 1, n. 8; MG 29, 527.

simam rationem, et ratio saj ientiae non est ratio bonitatis in quantum hujusmodi; relinquitur, quod sunt diversa ratione, non tantum ex parte ipsius ratiocinantis sed ex proprietate ipsius rei» b

3) *Ex ratione.* Deus praebet verum fundamentum, ut intellectus noster distinguat attributa divina inter se et ab essentia. Ergo attributa divina a se invicem et ab essentia Dei distinguuntur virtualiter seu ratione ratiocinata. Fundamenta, quae Deus praebet ad praefatam distinctionem sunt: a) *Continentia* omnium perfectionum et proprietatum in una simplici natura; unde Deus, unus cum sit, aequivalet pluribus realiter distinctis, b) *Eminentia divinae majestatis,* quam intellectus noster non valet percipere nisi per conceptus inadaequatos. «Sua perfectio, inquit S. Thomas, superat unamquamque conceptionem nostri intellectus. Et ideo pluralitati istarum rationum respondet aliquid in re, quae Deus est; non quidem pluralitas rei, sed plena perfectio, ex qua contingit, ut omnes istae conceptiones ei aptentur» 2.

66. Thesis IV. Attributa divina a se invicem et ab essentia, item relationes ab essentia et attributis distinguuntur distinctione rationis ratiocinatae, non quidem «majori» et «perfecta», quae dicitur per modum «excludentis» et «exclusi», sed «minori» et «imperfecta», quae se habet per modum «expliciti» et «impliciti».

Nota. Doctrina, quae hucusque tradita est circa attributa divina, satis communis est inter theologos. At non parum disputatur de genere distinctionis virtualis attributorum. Ut jam diximus superius, distinctio virtualis seu rationis ratiocinatae est duplex: 1) una *major* seu *perfecta* et per modum *excludentis* et *exclusi,* quando rationes diversae, quas intellectus considerat in objecto, ita se invicem excludunt, ut nec explicite nec implicite aliae in aliis contineantur, ut animalitas et rationalitas, quarum una ne implicite quidem continetur in essentia alterius; 2) altera *minor* seu *imperfecta* et per modum *expliciti* et *impliciti,* quando rationes diversas ita intellectus in re distinguit, ut una sit de essentia alterius, in eaque implicite contineatur, ut ens et substantia, siquidem ens continetur in substantia.

Distinctionem virtualem *majorem* seu per modum *excludentis* et *exclusi* ponunt inter attributa divina et essentiam *Capreolus, Vazquez, Tanner, Arriaga* et alii 3. *Minorem* solummodo seu per modum *expliciti* ı i *impliciti* admittunt *Banez, Salmanticenses, Blasius a Conceptione, Valentia, Suarez, Billuarl, Hontheim, Urraburu,* et alii communissime 4.

Arg. 1) *Ex SS. Patribus.* SS. Patres expresse docent notitiam unius attributi divini nos illico ducere ad cognitionem alterius, unam

1 *In I Seni.,* dist. 2, q. I, a. 2. Cfr. ibid, ad 2.

2 *In I Sent.,* dist. 2, q. i, a. 3, *Quantum vero ad quartum.*

3 Capreolus, *In I Sent.,* dist. 8. q. 4, a. 2 ad 16; Vazquez, *In I p.,* disp. 119; Tanner, *De Deo,* disp. 2, dub. 5 et 6; Arriaga, *In I p.,* disp. 16, n. 15.

4 Banez, *In I p.,* q. 28, a. 2, dub. 3: Salmant., *De voluntate Dei,* disp. 4, nn. 17-■I, et disp. 7, nn. 85-86: Blasius a Conceptione, *Metaphysica,* disp. 12, n. 11 sqq.; Valentia, *In 1 p.,* disp. I, q. 12, p. 6; Suarez, *Metaphys.,* disp. 30, sect. 6; et *De Dro,* lib 1, c. ii sqq.; Billuart, *De Deo,* diss. 2, a. 3: Hontheim, *Theodicea,* 572; Urraburu, *Theodicea,* n. 103.

appellationem respectu Dei idem esse ac aliam, etc. Sed admissa sententia distinctionis virtualis majoris per modum *excludentis* et *exclusi,* notitia unius attributi minime nos manuduceret ad cognitionem alterius, nec una appellatio esset eadem ac altera, quia in hac sententia unum attributum non contineretur implicite in altero. Ergo.

2) *Ex ratione.* Deus concipitur et est actus omnino purus. Sed posita distinctione virtuali *majori* inter attributa divina et essentiam, non jam conciperetur Deus ut actus omnino purus, quia ratio essentiae excluderet rationem attributorum, et esset quasi in potentia ad illa. Ergo.

67. Scholion. Quaerunt hic nonnulli, quomodo attributa de se invicem ac de Deo, et Deus vicissim de attributis praedicentur. Breviter hic per simplices enuntiationes dabimus doctrinam tenendam [1].

1) *Concreta de concretis recte* ■*praedicantur in Deo.* Unde haec vera sunt: «Deus est sapiens, justus; sapiens est Deus»; item «sapiens est justus».

2) *Attributa absoluta et positiva in abstracto vere praedicantur de Deo in concreto.* Hinc vere affirmatur: «Deus est sapientia, misericordia», etc.

3) *Deus et attributa in concreto recte praedicantur de aliis attributis in abstracto.* Sic dicitur: «Deitas est Deus;, sapientia est immortalis».

4) *Attributa essentialia in abstracto praedicantur de aliis attributis essentialibus in abstracto, nisi horum sensus aliqua particula reduplicativa restringatur.* Ita dicimus: «Sapientia est justitia; intellectus est voluntas». Falsae tamen sunt propositiones: «Sapientia ut sapientia est justitia; intellectus quatenus intellectus est voluntas».

5) *Quae actionem propriam alicujus attributi significant, possunt de aliis attributis in concreto praedicari per verba adjectiva,* v. gr., «misericors punit», *non vero de aliis attributis in abstracto,* ut «justitia miseretur» [2]. «Consequenter aliquid dici potest de uno abstracto et non de alio» [3].

QUAESTIO III

DE SIMPLICITATE DEI

S. *Th., 1 -p., q. 3.*

68. Exposita breviter doctrina de attributis Dei in communi, ratio ordinis postulat, ut de iisdem singillatim tractationem auspicemur, ita tamen, ut primo (q. 3-13) de *quiescentibus,* quae Dei substantiam afficiunt, deinde (a q. 14) de *actuosis,* quae operationem aliquam denotant, Angelico duce, loquamur.

1 Cfr. Suarez, *De Deo,* lib. I, c. 14; Urraburu, *Theodicea,* disp 2, n. 105; Zagaglia, *De Deo,* tr. 2, disp. i, sect. 5: Gonet, *De Deo,* tr. i, disp. 3, n. 34.

2 Urraburu, *Theodicea,* disp. 2, n. 105.

3 Suarez, *De Deo,* lib. I, c. 14, n. 9.

ARTICULUS I

NOTIONES GENERALES TRADUNTUR

69. Definitio. *Simplicitas*—quasi sine plica—est *carentia compositionis seu partium.*

1) Cum dicitur *carentia,* disputant theologi, an simplicitas sit perfectio simpliciter, id est, an formaliter entitatem aliquam positivam et pro materiali negationem compositionis importet. Simplicitatem esse perfectionem simpliciter docuerunt *Scotus, Durandus, Toletus, Valentia, Blasius a Conceptione, Zagaglia* et alii '. Contrarium tenuere *Cajetanus, Banez, Zumel, Molina, Suarez* et alii 23 Veremur, ne controversia sit solum de nomine, orta praesertim ex diverso modo considerandi simplicitatem. Juxta primam sententiam simplicitas est perfectio, quia excludit imperfectionem compositionis; juxta secundam vero est pura negatio, quia non addit per se essentiae novam perfectionem positivam 8.

2) Dicitur *compositionis* (carentia). Unde eo dicitur aliquid simplicius, quo magis careat compositione. Porro compositio, quae est *actualiter distinctorum unio,* alia est *substantialis,* alia *accidentalis,* prout ex partibus substantialibus vel accidentalibus coalescit.

3) Compositio *substantialis* potest esse: a) *physica,* quae constat vel ex partibus integrantibus, vel ex materia et forma; b) *metaphysica,* quae fit vel ex natura et supposito, vel ex essentia et exsistentia; c) *logica,* quae constat ex genere et differentia.

4) Compositio *accidentalis* potest esse: a) *physica* ex substantia et accidentibus, ut ex corpore et albedine; vel b) *metaphysica* ex potentia et actu.

Hic per ordinem probabimus Deum excludere omnem compositionem.

ARTICULUS II

UTRUM IN DEO SIT COMPOSITIO SUBSTANTIALIS PHYSICA, VEL DEUS CONSTET EX PARTIBUS INTEGRANTIBUS SEU CORPORALIBUS, AUT EX MATERIA ET FORMA

70. Status quaestionis. Compositio substantialis physica fit, ut modo diximus, quando partes integrantes vel materia et forma coeunt ad aliquid unum efficiendum. Hinc quaerimus: 1) utrum Deus habeat corpus; et 2) an constet materia et forma. Ambo in idem redeunt, quia *corpus* hic accipimus, non mathematice pro trina dimensione in altum,

1 Scotus, *I Sent.,* dist. 8, q. i ad i; Durandus, *I Sent.,* dist. 8, p. 2, q. i; Tolotus, *In I p.,* q. 3, a. 7, conci. 2; Valentia, *In I p.,* q. 3, p. 7, *Postremo possumus;* Blasius a Conceptione, *Metaphysica,* disp. 10, q. 4; Zagaglia, *De Deo,* tr. 2, disp. 3, sect. I.

3 Cajetanus, *De ente et essentia,* c. 2: Banez, *In I p.,* q. 3, a. 7; Zumel, *In I p.,* <| 3. a. 7: Molina, *In I p.,* q. 3, a. 7, disp. 2; Suarez, *Metaphys.,* disp. 30, sect. 3, n. 3.

3 Cfr. Suarez, *Metaphysica,* disp. 30, sect. 3, n. 3.

latum et profundum, sed physice, quatenus partibus integralibus, et consequenter materia et forma constat.

71. Errores, i) Idololatrae, *aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stillarum, aut nimiam aquam, aut solem et lunam rectores orbis terrarum deos putaverunt... aut infelices... qui appellaverunt deos opera manuum hominum* '.

2) I *eteres philosophi gentiles*2, *sadducaei* 3, et *materialistae* docuerunt Deum partibus quantitativis seu integralibus non secus ac hominem constare.

3) *Manichaei,* teste S. *Augustino* 4, dicebant Deum esse infinitam quamdam lucis substantiam per infinitum spatium distentam.

4) *Anthropomorphitae* —ἀνδ-ρωπο — homo, et μορφή — forma— membra humana et passiones Deo tribuerunt. Hic error, cui ansam dedisse dicitur Audacus Syrus (f 380), vir, ut dicit S. *Epiphanius* 5, sanctitate celebris, viguit quondam (saec. iv) apud plures monachos Aegypti 6.7

5) *Pantheistae* demum diversimode, ut dicetur a. 5, corpus Deo tribuerunt.

72. Thesis. Impium est adserere Deum habere corpus vel materia et forma constare.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura,* a) Dominus noster Jesus Christus sic affatus est mulierem Samaritanam: *Spiritus est Deus, et eos. qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* 7. Et Apostolus: *Dominus autem Spiritus est* 8. Unde Concilium Vaticanum expresse confitetur «unum esse Deum verum et vivum... qui... sit... *substantia spiritualis»* 9.

b) Deus dicitur in Scriptura ens a se, et independens, immutabilis, infinitus, immensus. Entia autem physice composita nequeunt esse a se, immutabilia, infinita, immensa. Ergo10.11

2) *Ex traditione.* SS. Patres, documenta ecclesiastica, et consensus universalis fidelium docent Deum non esse corpus. Unde S. *Cyrillus alexandrinus* diserte adseruit Deum incorporeum esse et figurae et quantitatis et magnitudinis omnino expertem u.

3) *Ex rationibus S. Thomae,* a) «Nullum corpus movet non

1 *Sap.,* 13, 2-10.

2 Cfr. Tullius, *De nat. deorum,* lib. i, c. 27.

3 *Act.,* 23, 8. Cfr. Zschokke, *Hist, sacra A. T.*

4 *De haeres* , 46; MI. 42, 35. Cfr. S. Thomas, *Contr. Geni.,* lib. 1, c. 20 in fine.

° *Adv. haeres.,* haeres. 70, in initio; MG 42, 340.

° Cfr. Socrates, *H. E.,* lib. 4, c. 7; MG 6 7, 684; Sozomenus, *H E.,* lib. 8, c. n; MG 67, 1543; Cassianus, *Collât.,* 10, cc. 2 et 5; MI. 49, 821 et 824. Melito, sardensis episcopus saeculi 11, Tertullianus et S. Epiphanius anthropomorphism! accusantur a quibusdam, sed immerito. 1) Melitonis verba de Dei corpore referuntur ad Deum hominem factum seu Filium incarnatum. Cfr. Eusebius, *H. E.,* 4. 26; MG 20, 391. 2) Tertullianus vocavit corpus omne quod est reale vel est extra nihil. Cfr. S. Augustinus, *De haeres.,* 86; MI. 42, 46 3) S. Epiphanius injuste accusatus est de anthropomorphismo ex falsa relatione Theophili alex, et Joannis hierosolymitani. Vid. S. Hieronymus, contra Joannem hierosol., n. 11; MI. 23, 380, et Wirceburgenses. *De Deo uno,* 42 sq.

7 *Joan.,* 4, 24.

8 *II Cor.,* 3, 17.

9 *Sess.* 3, c. 1; Denz-Bannw., 1782.

10 Cfr Hetzenauer, *Theol. bibi.,* t. 1, § 38, n. 8.

11 *De Trinitate,* dial. 1; MG 75, 670. Cfr. Clemens *utex., Strom.* 5, 12, 81; MG 9, 121; S. Athanasius. *Ep. de decr. nic. syn , 22;* MG 25, 453; S. Basiltus, *Ep.* 8, 2; MG 32. 248.

motum, ut patet inducendo per singula. Ostensum est autem supra q. 2, a. 3, quod Deus est primum movens immobile. Unde manifestum est, quod Deus non est corpus».

b) «Necesse est id, quod est primum ens, esse in actu et nullo modo in potentia. Licet enim in uno et eodem, quod exit de potentia in actum, prius sit tempore potentia quam actus, simpliciter tamen actus prior est potentia, quia, quod est in potentia, non reducitur in actum nisi per ens actu. Ostensum est autem supra, q. praec. a. 3. quod Deus est primum ens. Impossibile est igitur, quod in Deo sit aliquid in potentia. Omne autem corpus est in potentia, quia continuum, in quantum hujusmodi, divisibile est in infinitum. Impossibile est igitur Deum esse corpus».

c) «Deus est id, quod est nobilissimum in entibus... Impossibile est autem aliquod corpus esse nobilissimum in entibus, quia corpus aut est vivum aut non vivum. Corpus autem vivum... est nobilius corpore non vivo. Corpus autem vivum non vivit in quantum corpus, quia sic omne corpus viveret. Oportet autem quod vivat per aliquid aliud, sicut corpus nostrum vivit per animam. Illud autem, per quod vivit corpus, est nobilius quam corpus. Impossibile est igitur Deum esse corpus»[1].

73. Corollaria. 1) Quando S. Scriptura ait: *Faciamus hominem <ui imaginem et similitudinem nostram... Creavit Deus hominem ad imaginem suam* [2], similitudo et imago accipiuntur, non quoad corpus, ut vult *Gunkel* [3], anthropomorphitis nimis favendo, sed *secundum rationalem mentem,* ut ait S. *Augustinus* [4].

2) Membra humani corporis, scilicet, *jacies* (Gen., 4, 14), *cor* (Gen., 5, |>), *oculi* (Gen., 38, 7), *manus* et *brachium* (Ex., 6, 6), *os* (Num., 12, 8), *aures* (II Reg., 22, 7), *nares* (II Reg., 24, 1), *labia* et *lingua* (Is., 30, 27), *hedes* (Is., 60, 13), etc., adseribuntur Deo metaphorice ratione suorum .ll tuum secundum quamdam similitudinem, ut significetur Deo convenire id, quod praefata membra principaliter indicant, v. gr., oculus scientiam, brachium potentiam.

3) Diversas item dimensiones S. Scriptura tribuit Deo per metaphoram ad designandas perfectiones spirituales. *Profunditas* denotat virtutem ad cognoscendum occulta; *altitudo* excellentiam virtutis super omnia; *longitudo* ducationem sempiternam sui esse; *latitudo* affectum dilectionis super omnia.

4) *In Deo non datur compositio ex materia et forma;* quia «materia •d id, quod est in potentia», Deus autem «est actus purus non habens (liquid de potentialitate» [5]. Praeterea, «omne compositum ex materia I t forma est perfectum et bonum per suam formam; unde oportet, quod n bonum per participationem, secundum quod materia participat formam»[6]. Deus autem est perfectus et bonus per essentiam.

/ -p., q. 3, a. -i.
Gen., i, 26-27.
Gen., 102 sq.
De Trinitate, 12, 7, 12; ML 42, 1004.
S. Thomas, *I p.,* q. 3. a. 2-
S. Thomas, *t p.,* q. 3. a. 2.

ARTICULUS III

UTRUM IN DEO SIT COMPOSITIO SUBSTANTIALIS METAPHYSICA

74. Status quaestionis. Compositio substantialis metaphysica dicitur fieri, quando principia seu elementa substantialia metaphysica, realiter distincta, coeunt ad unum efficiendum. Elementa substantialia metaphysica sunt: 1) natura et suppositum seu persona; *2)* essentia et exsistentia; 3) essentia et attributa seu proprietates substantiales. Hinc quaeritur, num haec elementa realiter in Deo distinguantur, et compositionem metaphysicam constituant T

Errores, i) *Tritheitae,* auctoribus *Joanne Asconaghe* et *Joanne Philopono* [2], docuerunt saeculo vi tres personas divinas esse totidem substantias realiter distinctas unum Deum *componentes.* Huic haeresi affines sunt error *Joachim abbatis,* qui sub finem saeculi xn docuit tres personas in Deo esse tres substantias unamque naturam *collectivam* constituere [3], et sententia *Giintheri* [4] qui tres personas divinas appellavit tres substantias *relativas* constituentes unam naturam *absolutam.*

2) *Gilbertus porretanus* adseruit, ut diximus, personas divinas, necnon attributa Dei realiter distingui ab essentia; consequenter admisit compositionem metaphysicam in Deo. Huic errori subscribere visus est Hermcsius, cum dixit «divinitatem non esse Deum ipsum, sed Deum constituere» [e].

75. Thesis. Nulla datur in Deo compositio substantialis metaphysica, sive 1) ex essentia et personis, sive 2) ex essentia et exsistentia, sive 3) ex natura et proprietatibus.

Pars 1.a Non datur compositio ex essentia et personis.

Arg. 1) *Ex Concilio Rhemensi.* Teste Ottone frisingensi, *Romanus Pontifex definivit, ne aliqua ratio in theologia inter naturam et personam divideret* [7]. Unde Concilium Rhemense edidit professionem fidei, in qua dicitur: *Cum de Iribus personis loquimur, Patre, Filio et Spiritu Sancto, ipsas unum Deum, unam divinam substantiam esse fatemur* [8].

2) *Ex ratione S. Thomae.* In his, quae sunt composita ex materia et forma, necessario differunt essentia et suppositum. Quia essentia solum comprehendit in se ea, quae cadunt sub definitione speciei, sicut

1 Nolumus hic agitare controversiam, an natura et suppositum, necnon essentia et exsistentia in rebus creatis distinguantur realiter.

2 Op. Λ'.ιζ.-ητή ή rapi ενωκω . Vid. Hurter, *Nomenci. litt.,* ad aa. 501-550, n. 264, nota.

3 Damnatus est in Concilio Lat. IV. Vid Denz-Bannw., 431; Petavius, *De Trinitate,* lib. 6, c. 12, n. 2.

l *Propaedeuiica theol. spec.,* vol. 1, p. 108.

6 Vazquez, *In I p.,* disp. 116, c. 2, cum aliis putat Gilbertum posuisse distinctionem realem inter essentiam divinam et personas, non inter essentiam et attributa, sed verba Concilii Rhemensis huic opinioni contradicunt.

° *Dogm.* i, § 133. Cfr. Denz-Bannw., 1620.

' Denz-Bannw., 389 in nota.

8 Denz-Bannw., 390. Hoc documentum aliqui referunt inter decreta Innocentii III, alii ponunt ut partem epistolae Innocenti! II.

humanitas comprehendit in se ea, quae cadunt in definitione hominis, ea scilicet, quibus homo est homo. Materia autem individualis, subsistentia, etc., quibus natura redditur individua et suppositum, non cadunt in definitione speciei; non enim cadunt in definitione hominis haé carnes et haec ossa. Unde id, quo res fit individuum et suppositum, scilicet materia, differt ab essentia. «In his vero, quae non sunt composita ex materia et forma, in quibus individuatio non est per materiam individualem, id est, per hanc materiam, sed ipsae formae per se individuantur, oportet, quod ipsae formae sint supposita subsistentia; unde in eis non differt suppositum et natura. Et sic, cum Deus non sit compositus ex materia et forma... oportet, quod Deus sit sua deitas, sua vita, et quidquid aliud sic de Deo praedicatur» r.

76. Pars 2.a Non datur in Deo compositio ex essentia et exsistentia.

Arg. «Quidquid est in aliquo, quod est praeter essentiam ejus, oportet esse causatum vel 1) *a principiis essentiae,* sicut accidentia propria consequentia speciem... vel 2) *ab aliquo exteriori,* sicut calor in aqua... Impossibile est autem, quod esse sit causatum tantum ex principiis essentialibus rei, quia nulla res sufficit, quod sit sibi causa essendi, si habeat esse causatum. Oportet ergo, quod illud, cujus esse est aliud ab essentia sua, habeat esse causatum ab alio. Hoc autem non potest dici de Deo, quia Deum dicimus esse primam causam efficientem. Impossibile est ergo, quod in Deo sit aliud esse et aliud ejus essentia» 2.

Praeterea, in rebus compositis essentia se habet ad exsistentiam, sicut potentia passiva ad actum. In Deo autem nulla datur potentia passiva. Ergo.

1 *I p.,* q. 3, a. 3. Haec ratio luculenter probat in Deo non dari compositionem ex essentia et persona; sed verba S. Thomae magnam offerunt difficultatem. Innuere siquidem videntur in angelis, qui materia carent, suppositum seu personam non distingui ab essentia, quod clarius innuere videtur S. Doctor, *Contra Gentiles,lib.* 4, c. 55, § «Considerandum» dicens: «Convenientius adsumpta est humana natura quam angelica, quia in homine aliud est natura, aliud persona, cum sit materia et forma compositus, non autem in angelo, quia immaterialis est». Cum hoc sit omnino alienum a doctrina thomistarum, diversi diversimode explicare tenlarunt mentem Angelici Doctoris, ut videre est apud Joanncm a S. Thoma, *In l p.,* disp. 4, a. i, n. 31 sqq.

Ad intelligentiam hujus difficultatis notandum est cum eodem profundissimo theologo subsistentiam, qua completur persona, considerari posse dupliciter: t) *Originative seu radicaliter,* prout importat principia individuantia, quae supperadduntur naturae. 2) *Formaliter,* quatenus est complementum et terminus naturae reddens eam sui juris et alteri incommunicabilem. Subsistentia igitur duo addit naturae, principia individuantia et incommunicabilitatem. A pari, persona, quae efficitur per subsistentiam, potest considerari uno modo, *radicaliter,* quatenus accipit principia individuantia, et hoc sensu non distinguitur in angelis a natura, quia principia individuantia non distinguuntur in eis ab essentia bene tamen in iis, quae constant materia et forma. Hoc sensu procedit ratio S. Thomae, quia naturam, cui addita sunt principia individuantia, vocat personam. Alio modo potest considerari persona, quatenus accipit incommunicabilitatem ut terminum naturae, et sic distinguitur realiter in angelis ab essentia.

2 S. Thomas. *I p.,* q. 3, a. 4.

Pars 3.a Non datur in Deo compositio ex natura et proprietatibus.

Arg. Concilium Rhemense a. 1148 ait: «Credimus et confitemur simplicem naturam divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu catholico posse negari, quin divinitas sit Deus, et Deus divinitas. Si vero dicitur. Deum sapientia sapientem, magnitudine magnum, divinitate Deum esse, et alia hujusmodi: Credimus nonnisi ea sapientia, quae est ipse Deus, sapientem esse; nonnisi ea magnitudine, quae est ipse Deus, magnum esse: nonnisi ea aeternitate, quae est ipse Deus, aeternum esse; nonnisi ea unitate, quae est ipse Deus, unum esse; nonnisi ea divinitate Deum, quae est ipse: id est, seipso sapientem, magnum, aeternum, unum Deum»[1]. Similia habet Concilium Toletanum XV [2].

Corollarium. Ex dictis facile deduces in Deo non dari compositionem ex essentia et potentiis operatives, nec ex potentiis operatives et actibus. In Deo siquidem essentia, intellectus, voluntas et actus sunt una et simplex substantia. Cfr. Concilium Tolet. XV modo citatum.

ARTICULUS IV

UTRUM IN DEO SIT COMPOSITIO SUBSTANTIALIS LOGICA

77. Status quaestionis. Alii quaerunt, *utrum Deus sit in aliquo genere vel praedicamento,* sed idem sonat.

Compositio substantialis logica coalescit, ut diximus, ex genere ct differentia. Ex his duobus, quae se habent sicut potentia et actus, constituitur species. In qualibet igitur specie duo sunt attendenda; *genus.* quo res cum aliis speciebus convenit, et *differentia,* qua ab aliis distinguitur; ut homo in genere animalis convenit cum brutis, et per differentiam, quae est rationale, differt ab eis. Quaeritur itaque, an Deus constet genere, quo conveniat cum rebus creatis, et differentia, qua ab eis distinguatur.

78. Theologorum placita, 1) Nominales, quibus subscripsit *Arriaga* [3], posuerunt in Deo compositionem ex genere et differentia.

2) *Alii theologi* communiter cum S. *Thoma* negant Deum esse compositum ex gradibus generis et differentiae [4].

79. Thesis. In Deo non datur compositio ex genere et differentia.

Arg. «Aliquid est in genere dupliciter: *uno modo* simpliciter et proprie. sicut species, quae sub geneie continetur: *alio modo* per reductio-

1 Denz-Bannw., 389.

2 Cfr. Migne, *Patrol, lat.,* 84, 513. Ex his, quae dicta sunt superius q. 2, a. 4, de distinctione inter essentiam et attributa Dei, clarius patet haec doctrina.

3 *De Deo,* disp. 2, n. 73.

4 Hanc communissimam sententiam defendunt: S. Thomas, *I p.,* q. 3, a. 5; Sootus, *I Sent.,* dist. 8, q. 3, *Teneo;* Capreolus, *I Sent.,* dist. 8, q. 2. a. 1, conci. 1 et 4: Molina, *In I p*. q. 3, a. 5; Banez, *In I p.*. q, 3, a. 5 Tolotus, *I p.,* q. 3. a. 5 periculosam et quasi erroneam vocat nominalium opinionem, dum Valentia, *In I p.,* disp. i, q. 3, p. 5, censet controversiam esse potius de nomine quam de re.

nem, sicut principia et privationes; sicut punctus et unitas reducuntur ad genus quantitatis sicut principia; caecitas autem et omnis privatio reducuntur ad genus sui habitus. Neutro autem modo Deus est in genere» [1].

1) *Deus non est species constans ex genere et differentia.*

a) Genus et differentia sunt in specie per modum potentiae passivae et actus. Sed in Deo nulla datur nec dari potest potentia passiva. Ergo.

b) Cum exsistentia Dei sit ejus essentia, si Deus esset species contenta sub genere, oporteret ejus genus esse ens. Ens autem non potest esse genus, ut docet Philosophus, in 3 Metaphys. text. 10, quia omne genus habet differentias extra essentiam generis; nulla autem differentia est extra ens, quia non ens non est differentia. Ergo Deus non est species contenta sub genere s.

c) In Deo nulla datur differentia, quae non pertineat ad ejus essentiam. Ergo Deus non est species sub uno genere.

2) *Deus non est in genere per reductionem.*

«Principium, ait S. *Thomas,* quod reducitur in aliquod genus, non se extendit ultra genus illud; sicut punctum non est principium nisi quantitatis continuae, et unitas quantitatis discretae. Deus autem est principium totius esse, ut infra ostendetur, q. 44. a. 1; unde non continetur in aliquo genere sicut principium» 8.

Corollarium. Deus dicitur et est vera substantia, ut egregie probat Wzi'Z/ewis 4. non quidem praedicamentalis sub se continens diversas species, sed transcendentalis infinita, quae analogice tantum convenit cum creaturis. Unde immerito putant aliqui Deum esse sub genere ex eo, quod sit substantia.

80. Scholia. I. Theologorum communis sententia docet Deum non esse compositum ex substantia et accidente. «Hoc enim est Deo, ait Concilium Toletanum XV, esse, quod velle; hoc velle, quod sapere»5.

Ratio est, quia, ut ait S. *Thomas,* «subjectum comparatur ad accidens sicut potentia ad actum; subjectum enim secundum accidens est aliquo modo in actu. Esse autem in potentia omnino removetur a Deo, ut ex praedictis patet» ®.

1 S. Thomas, *I p.,* q. 3, a. 5.

2 S. Thomas, *I p.,* q. 3, a. 5.

3 *t p.,* q. 3, a. 5. S. Doctor, *De potentia,* q. 7, a. 3 ad 7, haec habet: «Licet Deus non pertineat ad genus substantiae quasi in genere contentum, sicut species vel individuum sub genere continentur; potest tamen dici, quod sit in genere substantiae per reductionem sicut principium et sicut punctum est in genere quantitatis continuae et unitas in genere numeri; et per hunc modum est mensura substantiarum omnium, sicut unitas numerorum». Cum haec verba contradicere videantur doctrinae in Summa traditae, Capreolus, *I Sent.,* dist. 8, q. 2, a. I, conci. 5; Toleius, *In I p.,* q. 3, a. 5, et alii opinantur S. Thomam mutasse sententiam in Summa; alii cum Cajetano, *I p.,* q. 3, a. 5; Banez, *I p.,* q. 3, a. 5, etc., dicunt Angelicum Doctorem in quaestionibus *De potentia* posuisse Deum in praedicamento substantiae reductive tanquam principium continens ipsum genus, non tanquam contentum sub genere. Quidquid sit, putamus verius dici Deum non esse in genere, sed extra genus.

4 *Theol. nat.,* th. 12.

6 Denz-Bannw., 294.

’ *I p*·. q· 3- »· 6

II. Ex dictis facile concluditur Deum esse omnino simplicem, id quod Angelicus probat quintuplici ratione: 1) Quia excluditur a Deo omne genus compositionis, partium scilicet integralium, materiae et formae, naturae et suppositi, essentiae et esse, generis et differentiae, subjecti et accidentis. 2) Quia omne compositum est posterius suis componentibus et dependet ab eis. 3) Omne compositum habet causam. 4) In omni composito datur potentia et actus. 5) Omne compositum est aliquid non conveniens singulis ejus partibus. Unde Deus in Concilio Lateranensi IV dicitur *substantia seu natura omnino simplex* [1] et in Concilio Vaticano *simplex omnino et incommutabilis substantia* [2].

ARTICULUS V

UTRUM DEUS IN COMPOSITIONEM ALIORUM VENIAT

S. *Th., I p., q. 3, a. 8.*

81. Status quaestionis. *Cajetanus* [3], *Banez* [4], et alii requirunt quatuor conditiones, ut aliqua res veniat in compositionem, alterius. «Prima, quod una distinguatur realiter ab alia. Secunda, quod conjunctio sit realis. Tertia, quod sit conjunctio non solum secundum situm aut operationem sed secundum proprium esse reale. Quarta, quod unum se habeat ut potentia et alterum ut actus, vel in ordine ad aliquod tertium actuatum ab utroque» [5]. Ex hoc patet scopus hujus articuli. Investigandum est, num Deus, quem diximus esse substantiam in se omnino simplicem, alicui enti a se realiter distincto conjungatur substantialiter in ratione potentiae vel actus.

82. Errores. Doctrinae catholicae in hac parte contradicunt pantheistae.

Pantheismus, quasi *omnia Deus,* quamvis multiplex sit, ad quatuor systemata potest reduci.

1) Pantheismus *formalisticus*—hylozoismus—docet Deum esse principium formale intrinsecum mundi. Conformiter ad hanc theoriam, a) *schola jonica* cum *stoicis* inter graecos, et *Varro* (116 a. C.), teste S. *Augustino* [6] inter latinos, docuerunt Deum esse animam mundi [7]. b) Hanc theoriam restaurarunt *Petrus Abaelardus* et *Almaricus carnutensis,* doctor sorbonicus († 1209), quorum primus dicebat Spiritum Sanctum esse animam mundi [8] et alter Deum esse principium formale omnium rerum [9], c) *Priscillianistae* dicuntur docuisse animam hominis esse ejusdem naturae ac Deum [10]. d) *Joannes de Oria* in universitate salmantina affirmabat, juxta *Banez* [11], omnes creaturas participare formaliter deitatem, sicut ignita ignem; sed «coactus

1 Cap. *Firmiter;* Denz-Bannw., 428.
2 *Sess.* 3, c. 1; Denz-Bannw., 1782
3 *In I p.,* q. 3, a. 8
4 *In I p.,* q. 3, a. 8.
5 Banez, *In I p.,* q. 3, a. 8.
6 *De civitate Dei.* lib. 7, c. 6; ML 41, 199.
7 Hujus erroris meminit Virgilius, cum ait: «Mens agitat molem et magno se corpore miscet». *Aeneidas,* lib. 6, v. 727.
8 Denz-Bannw., 370.
9 Damnatus est in Concilio Lat. IV. Cfr. Denz-Bannw., 433.
10 Cfr. S. Augustinus, *De haeres,,* 70; ML 42, 44.
11 *In I p.,* q. 3, a. 8.

est publice recantare», e) *Rosmini* quoque in suo opere *Teosojia,* krausistarum theoriam plerumque sequutus, pantheism! formalistici labe infectus est x.

2) *Pantheismus materialisticus* tenet Deum esse realiter omnia vel saltem principium materiale rerum mundanarum, a) Hic error viguit primo apud aegyptios et persas, deinde apud brahmanes, quibus Brahma est omnia, et quidquid Brahma non est, nihil est. b) *Veteres eleates—Xenophccnes, Zeno, Parmenides*—dicebant unicam in universo exsistere substantiam, Deum simplicem, resque externas esse meras sensuum illusiones, c) *Wiclejfo* tribuitur haec propositio: (.Quaelibet creatura est Deus. Ubique omne ens est, cum omne ens sit Deus», d) *Scotus Erigena* (saec. ix) in libro de *divisione naturae* docuit Deum esse principium materiale rerum mundanarum, e) *David de Dinando* «stultissime posuit Deum esse materiam primam» 2. Ipsum sequuti sunt *Gulielnius parisiensis* (saec. xm), Almarici discipulus, et *Jacobus Bôhrne* (t 1624). f) Crassius adhuc erraverunt *Sansimonius, Ferrari, Haêckel* et alii, qui ipsum quoque Dei nomen rejicientes, purum *panphysicismum* atheisticum praedicaverunt.

3) *Pantheismus emanatisticus* contendit omnia per successivas et naturales ex substantia Dei emanationes procedere, a) *Neoplatonici,* auctore praesertim Plotino (205-270 p. C.), hoc systema excogitarunt. Eos deinde sequuti sunt *Avicenna* et *caballistae* judaei necnon *Giordanus Bruno* (f 1600). b) *Baruch Spinoza* unicam admisit substantiam, aeternam, *extensione* et *intelligentia* praeditam. Universus mundus (natura naturata) est manifestatio essentiae divinae (naturae naturantis), corpora scilicet sunt manifestatio *extensionis* Dei, et spiritus manifestatio *intelligentiae* divinae.

4) *Pantheismus idealisticus* seu *pantologismus* complectitur systemata quorumdam philosophorum Germaniae, qui specie altissimae contemplationis ludunt terminis, dicentes Deum, ens absolutum, abstractum, universale ac indeterminatum, ideali evolutione se determinando, constituere genera, species et singularia, a) *Hegel* statuit *unicam realitatem,* quae quatenus idea, est *Deus* (aeternus Pater); quatenus evolutione se determinat et extra se ponit, est *natura* (Filius); quatenus ope conscientiae ad se redit seseque cognoscit, est *Spiritus* (Spiritus Sanctus), b) *Fichte* ex conscientia absoluta *Ego* et *non Ego; Schelling* ex quodam Absoluto, quod est essentia rerum; et *Lessing* ex intuitione Dei in se ipsum, omnes res derivant.

83. Thesis. 1) Nullatenus potest Deus in compositionem aliorum venire, atque idcirco 2) omnis pantheismus est absurdus.

Pars 1.a Nullatenus potest Deus in compositionem aliorum venire.

Arg. 1) *Ex SS. Patribus. Pseudo Dionysius:* «Quoniam ejus (Dei) nulla est tactio, neque alia cum participantibus mixtionis communio» 3. S. *Bernardus:* «Est ergo (Deus) omnium, quae facta sunt, ipse factor eorum, sed causale non materiale»4.

2) S. *Thomas ita argumentatur,* a) «Cum Deus sit prima causa efficiens, ejus est primo et per se agere. Quod autem venit in compositionem alicujus, non est primo et per se agens, sed magis compositum; non enim manus agit sed homo per manum, et ignis calefacit per calorem. Unde Deus non potest esse pars alicujus compositi».

b) «Nulla pars compositi potest esse simpliciter prima in entibus;

1 Cfr. apud Denz-Bannw., 1804 sqq. propositiones 4-12, a S. C. U. I., die 14 Dec. 1887 damnatas. Vid. Satolli, *In I p.,* q. 3, a. 8, § 4

2 S. Thomas, *I p.,* q. 3, a. 8.

3 *De div nom.,* c. 2, § 5: MG 3, 644.

4 *Serm 4 in Cant.,* n. 4; ML 183, 798.

neque etiam materia et forma, quae sunt primae partes compositorum; nam materia est in potentia, potentia autem est posterior actu simpliciter... Forma autem, quae est pars compositi, est forma participata. Sicut autem participans est posterius eo, quod est per essentiam, ita et ipsum participatum, sicut ignis in ignitis est posterior eo, quod est per essentiam. Ostensum est autem, q. 2, a. 3, quod Deus est primum ens simpliciter» [1].

84. Pars 2.a Omnis pantheismus est absurdus.

Arg. Pantheismus in qualibet forma est ab Ecclesia proscriptus. Ergo.

1) *Formalisticus.* Concilium Lat. IV ait: *Reprobamus... et condemnamus perversissimum dogma impii Almarici, cujus mentem sic pater mendacii excaecavit, ut ejus doctrina non tam haeretica censenda sit, quam insana* [2]. Item pantheismus Rosminii damnatus est a S. C. U. I. sub die 14 Dec. 1887 in propositionibus 4-12 [3].

2) *Materialisticus.* Concilium Vaticanum haec habet: *Qui* (Deus), *cum sit una, singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, praedicandus est re et essentia a mundo distinctus.—Si quis dixerit unam eamdemque esse Dei, et rerum omnium substantiam vel essentiam, a. s.* [4].

3) *Emanatisticus.* Concilium Vaticanum hanc definitionem edidit: *Si quis dixerit res finitas tum corporeas tum spirituales, aut saltem spirituales, e divina substantia emanasse, aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia... a. s.* [5]

4) *Idealisticus.* Idem Concilium: *Si quis dixerit... divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia, aut... Deum esse ens universale seu indefinitum, quod, sese determinando, constituat rerum universitatem in genera, species et individua distinctam, a. s.* [6].

QUAESTIO IV

DE PERFECTIONE DEI

S. Th., I p.. q. 4.

ARTICULUS I

UTRUM DEUS SIT PERFECTUS

85. Status quaestionis. Perfectum—τέλειον—quasi totaliter factum, est ens in actu [7]; et eo est aliquid perfectius, quo est magis in actu. Tripliciter autem potest aliquid esse in actu: 1) *Quantum ad esse,* quo aliquid dicitur totaliter factum, seu eductum de potentia ad actum, ut

1 *1 p.,* q. 3, a. 8.
2 Cap. *Damnamus;* Denz-Bannw., 433.
3 Denz-Bannw., 1894 sqq.
4 *Sess.* 3, c. 1; Denz-Bannw., 1782; ct *ibid.,* can. 3; Denz-Bannw., 1803.
5 *Sess. 3, De Deo rerum creatore,* can. 4. Denz-Bannw., 1804
6 *Ibid.,* can. 4; Denz-Bannw., 1804.
7 S. Thomas. *De veritate,* q. 2, a 3 ad 13.

planta, quae ex semine oritur. 2) *Quantum ad accidentia,* quibus aliquid attingit in uno genere perfectionem sibi convenientem et a caeteris rebus ejusdem speciei haberi solitam. 3) *Absolute* seu *modo essendi optimo,* quatenus est actus purissimus, excludens om iero potentialitatem. Primo modo Deus non dicitur perfectus, quia non est factus. Secundo modo non est proprie perfectus, quia non habet accidentia, quamvis sit perfectus in quolibet ordine, habens in se eminenter omnes perfectiones accidentales. Quaeritur hic, an Deus sit tertio modo perfectus, id est, an Deo competat *modus essendi optimus,* excludens omnem potentialitatem.

86. Errores, i) *Quidam philosophi antiqui,* ut pythagorici, *Leucippus,* et alii, putantes Deum esse principium materiale rerum, dixerunt Deum non esse optimum [1].

a) *Manichaei* posuerunt duo rerum principia seu causas, suoque modo duos deos, unum bonum, alterum malum [2].

3) Qui Deum faciunt aliquo modo compositum, invehuntur ex consequenti in ejus perfectionem, quia admittunt in Deo potentiam et actum.

4) *Panthcistae* omnes, praesertim idealistic!, Dei perfectionem inficiantur, cum volunt Deum per evolutionem idealem jugiter tendere ad sui perfectionem et actualitatem.

87. Thebis. Deus est absolute perfectus=αὐτοτενή .

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Dicitur in psalmo: *Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis* [3]. Per magnitudinem hic intelligitur perfectio, quia, ut apposite ait S. *Augustinus,* «in iis, quae non mole magna sunt, hoc est majus esse, quod est melius esse» [4]. Unde Dominus hortatus est discipulos dicens: *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est* [5]; id est, «estote perfecti perfectione *gratiae,* ut interpretatur Concilium Lat. IV. sicut Pater vester caelestis perfectus est perfectione naturae» [6].

2) *Ex definitione Ecclesiae.* Concilium Vaticanum expresse declaravit *Deum esse omni perfectione infinitum... qui ad manifestandam perfectionem suam... condidit creaturam* [7].

3) *Ex ratione,* a) «Deus... ponitur primum principium, non materiale, sed in genere causae efficientis; et hoc oportet esse perfectissimüm; sicut enim materia, in quantum hujusmodi, est in potentia, ita agens, in quantum hujusmodi, est in actu. Unde primum principium activum oportet maxime esse in actu, et per consequens maxime esse perfectum. Secundum hoc enim dicitur aliquid esse perfectum, secundum quod est actu; nam perfectum dicitur, cui nihil deest secundum modum suae perfectionis» [8].

b) «Ipsum esse est perfectissimum omnium; comparatur enim ad

1 S. Thomas, *I p.*. q. 4, a I.
2 Cfr. Wouters, *Hist. eccl. comp.,* ep. 2, n. 87.
3 *Ps.* 144, 3.
4 *De Trinitate,* lib. 6, c. 8; ML 42, 929.
6 *Maith.,* 5, 48.
ll Cap. *Damnamus;* Denz-Bannw., 432.
’ *Sess.* 3, c. 1. Cfr. Concilium Plen. Americae Lat. Deer., tit. 1, c. 5.
8 S. Thomas, / *p.,* q. 4, a. I.

omnia ut actus; nihil enim habet actualitatem, nisi in quantum est; unde ipsum esse est actualitas omnium rerum, et etiam ipsarum formarum» [1]. Sed Deus est ipsum esse subsistens, ut superius probavimus. Ergo Deus est absolute perfectus.

Corollarium. Non dicitur ergo Deus absolute perfectus, quia est causa sui per intellectum, voluntatem, et omnipotentiam, ut contendit *Schell*[2], sed quia est *ipsum esse subsistens* et actualitas omnimoda.

ARTICULUS II

UTRUM ET QUOMODO SINT IN DEO PERFECTIONES OMNIUM RERUM

S. *Th., I p., q. q, a. 2.*

88. Status quaestionis. 1) Juxta S. *Anselmum* [3], et omnes post ipsum theologos, perfectiones sunt duplicis generis. Aliae vocantur *simpliciter simplices,* aliae *simplices secundum quid.* Perfectio simpliciter simplex dicitur, quae in suo conceptu nullam involvit imperfectionem, nec excludit a subjecto aliam perfectionem majorem vel aequalem, ac proinde melius est ipsa quam non ipsa, scilicet melius est enti ipsam habere quam non habere, ut sapientia, vita, etc. Perfectio *simplex secundum quid* est. quae in suo conceptu formali denotat imperfectionem: idcirco melius est enti contrarium ejus quam ipsam habere. Sic corpus est perfectio implicans in suo conceptu negationem perfectionis superioris, scilicet spiritus, qui melius est enti quam corpus. Duae, ut vides, requiruntur conditiones ad perfectionem *simpliciter simplicem:* a) Non involvat imperfectionem, b) Non excludat a subjecto in ratione entis aliam perfectionem majorem vel aequalem [4].

2) Tripliciter potest perfectio in alio contineri, *jormaliter* scilicet, *virtualiter* et *eminenter:* a) *Vormaliter,* quando inest alteri secundum proprium conceptum in definitione expressum, ut animalitas est in homine, b) *Virtualiter,* quando inest subjecto capacitas producendi perfectionem illam, ut planta continetur in semine, et omnis effectus in sua causa, c) *Eminenter,* quando inest alteri facultas praestandi, quidquid praestaret perfectio ipsa formaliter habita, ut discursus in angelo [5].

1 S. Thomas, *1 p.,* q. 4. a. I ad 3.

2 *Kathol. Dogm.,* 1889, vol. 1, p. 268. Cfr. Egger, *Enchirid. theol.,* vol. 2, n. 19.

3 *Monol.,* c. 15 (al 14); ML 158, 163.

4 Billuart, diss. 3, a. 3; Tabarelli, *De Deo uno.* q. 3, a. 2, et alii ex hac conditione inferunt relationes, quibus personae divinae constituuntur (paternitatem, filiationem et spirationem passivam), non esse perfectiones simpliciter simplices, quia vicissim sese excludunt. *Alii* tamen verius contrarium tenent. «Ut aliquid sit perfectio simpliciter simplex, ait Blasius a Conceptione, *Metaphysica,* disp. 11, q. I, n. 2, sufficit, quod taliter enti conveniat, ut in ratione entis compossibilitatem dicat cum quacumque alia ratione, quae non claudit imperfectionem in suo conceptu; at taliter inter se opponuntur relationes in divinis secundum esse *ad* relationis, ut tamen compossibilitatem et identificationem realein in ratione entis dicant ad invicem».

s Hic merito notat Urraburu, *Theodicea,* disp 2, n 68, continentiam virtualem et eminentialem non solum ratione sed etiam re distingui separarique posse.

3) Perfectiones possunt etiam contineri in alio a) *physice,* secundum propriam entitatem, ut anima in homine, et b) *objective,* seu intentionaliter per species vicarias rei, ut cognitum est in cognoscente.

89. Error. *Plato* ab ideis separatis, et *Anaxagoras* ac *Avicenna* ab intellectu quodam agente finito omnia creata repetierunt, et exinde negaverunt perfectiones creaturarum in Deo contineri.

90. Thesis I. In Deo sunt perfectiones omnium rerum.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Scriptura dicit: *Intelligite, insipientes... et, stulti, aliquando sapite. Qui plantavit aurem, non audiet? A ut qui linxit oculum, non considerat?* [1]. Rursum: *Ex ipso* (Deo), *ct per ipsum et in ipso sunt omnia* [2]. 3 Trimegistus haec explicans Deum appellat «rerum omnium universitatem».

2) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus* de Deo loquens ait: «Quid cum illo non est?... Cum illo est totum... cum illo ager, cum illo species (pulchritudo) terrae, cum illo species caeli, cum illo omnia volatilia, quia ipse ubique» [3].

3) *Ex ratione.* «Quidquid perfectionis est in effectu oportet inveniri in causa effectiva, *vel secundum eamdem rationem,* si sit agens univocum, ut homo generat hominem; vel *eminentiori modo,* si sit agens aequivocum, sicut in sole est similitudo eorum, quae generantur per virtutem solis... Cum ergo Deus sit prima causa effectiva rerum, oportet omnium rerum perfectiones praeexsistere in Deo» [4].

91. Thesis II. Perfectiones omnes «simpliciter simplices» creaturarum sunt formaliter eminenter in Deo, «simplices secundum quid» virtualiter eminenter.

Pars 1.a

Arg. Perfectiones *simplices,* quae nullam connotant imperfectionem, sunt, ut bene adserit *Philippus a SS. Trinitate*[5], quaedam Dei proprietates, quae formaliter de eo praedicantur non solum in concreto, sed etiam in abstracto. Sic dicimus: *Deus est justitia, veritas, sapientia, vita,* etc., juxta illud Joannis: *Ego sum via, et veritas et vita*[6]. Quae autem formaliter in abstracto de Deo praedicantur, formaliter in eo continentur, ut patet. Ergo.

Continentur tamen *eminenter* seu, ut dicit *S. Thomas,* hujusmodi «perfectiones in Deo sunt secundum eminentiorem modum quam in creaturis»[7], quia nullam habent in Deo limitationem ad certum genus

Filius virtualiter non eminenter est in Patre; virtus et operatio sensitiva eminenter non virtualiter continentur in angelo. Aliquae perfectiones virtualiter simul et eminenter continentur in alio.

1 *Ps.* 93, 8-9.
2 *Rom.,* ii, 36.
3 *In psalmum* 49, 18 (v. 11); ML 3β, 577.
4 S. Thomas, *I p.,* q. 4, a. 2. S. Doctor hic agit de causa efficiente principali non instrumental!.
3 *Summa theol. myst.,* p. 2, tr. r, disc. 3, a. 4.
° *Jaan.,* 14, 6.
' S. Thomas, */ p.,* q. 13, a. 3.

vel speciem ceu in creaturis, sed secundum suam rationem formalem Deo identificantur. Quare dici solet eas in Deo *jormaliter eminentor* contineri.

Pars 2.a

Arg. Perfectiones *simplices secundum quid,* quae in suo conceptu denotant imperfectionem, nequeunt formaliter Deo convenire, quin ipse Deus supponatur imperfectus vel majori perfectione carens. Absit autem, ut Deum supponamus imperfectum. Ergo.

Virtualiter tamen atque *eminenter* Deo conveniunt, tum 1) quia virtualis et eminentialis earum continentia nullam denotat imperfectionem, tum 2) quia Deus potest eas producere (continentia virtualis), et praestare quidquid per eas fit in creaturis (continentia eminentialis). Hinc verum est, quod ait Apostolus: *Ex ipso, et per ipsum et in ipso sunt omnia*[1].

92. Thesis III. Res creatae dicuntur quodam modo verius esse in Deo quam in se ipsis.

Arg. Haec habet Angelicus: «Cum... quaeritur, utrum res verius sint in se ipsis quam in Verbo, distinguendum est: quia ly *verius* potest designare vel *veritatem rei* vel *veritatem praedicationis.* Si designet veritatem rei, sic proculdubio major est veritas rerum in Verbo, quam in se ipsis [2]. Si autem designetur veritas praedicationis, sic est e converso: verius enim praedicatur homo de re, prout est in propria natura, quam de ea, secundum quod est in Verbo» [3].

93. Scholion. *Deus simul cum creaturis noli est aliquid majus et perjectius quam ipse solus,* si loquamur de majoritate et perfectione absoluta, non de multitudine, quae minus recte dicitur perfectio [4]. Est communis contra *Durandum* et alios paucos.

Ratio est, quia infinito nihil addi potest, ut docent *Aristoteles, S. Thomas* et omnes philosophi, et, si adderetur, non fieret aliquid majus ac perfectius. Sed Deus est infinitus in ratione entis atque perfectionis, continetque in se omnia. Ergo. Ad rem S. *Augustinus:* «Si fueris sine Deo, minor eris; si fueris cum Deo, major Deus non erit. Non ex te ille major, sed tu sine illo minor»[5].

1 *Horn.,* ii, 36.

2 Ad rem S. Augustinus: «Sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia; hinc, quae fiunt per ipsam artem, non continuo vita sunt, sed quidquid factum est, vita in illo est. Terram vides; est in arte terra. Caelum vides; est in arte'caelum. Solem et lunam vides; sunt et ista in arte. Sed foris corpora sunt; in arte vita sunt». *In Joannem,* tr. 1, n. 17; ML 35, 1387.

3 *De veritate,* q. 4, a. 6.

1 Cfr. S. Thomas, *In III Sent.,* dist. 6, q. 2, a. 3 ad 1.

3 *In Joan.,* tr. II, n. 5; ML 35. 1478.

ARTICULUS III

UTRUM ALIQUA CREATURA POSSIT ESSE SIMILIS DEO

94. Status quaestionis. 1) Quaestio hic, verbotenus quidem de creatura, sed revera est de perfectione Dei. Quaeritur enim: «an perfectio naturae divinae sit tanta, quod nulla creatura possit esse similis, an non»

2) Similitudo est *convenientia duorum vel plurium in aliqua forma seu perfectione.* Potest esse multiplex secundum diversos modos communicandi in forma.

a) Sunt *specifice* et *perfectissime* similia, «quae communicant in eadem forma secundum eamdem rationem et secundum eumdem modum; et haec non solum dicuntur similia, sed aequalia in sua similitudine; sicut duo aequaliter alba dicuntur similia in albedine» [1].

b) Sunt *specifice* sed *minus perfecte* similia, «quae communicant in forma secundum eamdem rationem (specificam), et non secundum eumdem modum, sed secundum magis et minus, ut minus album dicitur simile magis albo» [34]

c) Sunt *generice* vel *imperfecte* similia, quae communicant in eadem forma, non secundum eamdem rationem specificam, sed solum secundum rationem genericam, ut brutum est simile homini in vita.

d) Sunt denique *analogice* seu imperfectissime similia, quae communicant in eadem forma, non secundum eamdem rationem specificam vel genericam, sed solum secundum quamdam analogiam, ut risus est similis prato.

Similitudo analogica potest esse a) *analogia attributionis* per ordinem ad unum principale, quod dicitur *suminum analogatum,* sicut medicina et aër sunt sanae et similes per ordinem ad animal, in quo producunt sanitatem, et β) *analogia proporlionalitatis* per ordinem ad ideam universalem, in qua conveniunt, ut risus convenit homini et prato.

95. Error. Antiquitus *Scotus* ’, et recenter *Rosminius* docuerunt creaturas esse similes Deo univoce.

96. Thesis. 1) Creaturae sunt similes Deo, 2) non quidem specifice nec generice, 3) sed analogice.

Pars 1.a Creaturae sunt similes Deo.

Omne agens agit sibi simile, quia, cum agens agat secundum suam formam, necesse est, ut in effectu relinquat similitudinem suae formae. Sed Deus est agens omnium creaturarum. Ergo Deus egit creaturas sibi similes. Unde dixit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* [5].

1 Cajetanus, *In I p..* q. 4, a. 3.
2 S. Thomas, *I p.,* q. 4, a. 3.
3 S. Thomas, *I p..* q. 4, a. 3.
4 *In I Sent.,* dist. 3, q. 2, n. 5: *Secundo:* et dist. 8, q. 3. n. 16 sqq.
3 *Gen.,* i, 26.

Pars 2.a Creaturae non sunt similes Deo specifice nec generice.

Creaturae non communicant cum Deo in eadem forma secundum eamdem rationem specificam vel genericam, quia Deus non continetur in genere vel specie. Ergo creaturae non sunt similes Deo specifice nec generice.

Hoc sensu intelligenda sunt illa verba S. Scripturae: *Deus, quis similis erit tibi?*[1].—*Quis in nubibus aequabitur Domino, similis erit Deo in filiis Dei?* [2].

Pars 3.a Creaturae sunt similes Deo analogice.

Creaturae siquidem conveniunt imperfecte cum Deo in eadem perfectione tum secundum analogiam *attributionis,* in quantum accipiunt esse et nominantur entia per respectum ad primum ens; tum secundum analogiam *[>roportionalitatis,* quatenus perfectiones Dei et creaturarum habent aliquam proportionem in ordine ad unam ideam universalem, sicut sapientia, qua Deus et homo intelligunt [3].

97. Scholion I. *Vestigium et imago Dei in creaturis.* Similitudo Dei in creaturis, quae intellectu carent, vocatur *vestigium,* in quantum creaturae manuducunt nos ad imperfectam Dei cognitionem; in creaturis intellectualibus nuncupatur *imago,* quatenus magis determinate Deum repraesentant [4].

Scholion II. *Nullatenus concedendum est Deum esse similem creaturis.* «Simile alicui dicitur, ait S. Thomas, quod ejus possidet qualitatem vel formam (quasi participatam)... Non autem potest dici Deum habere, quod creaturae est; unde nec convenienter dicitur Deum creaturae similem esse; sicut nec hominem dicimus suae imagini fore similem, cui tamen sua imago recte similis enuntiatur. Multo igitur minus proprie dicitur, quod Deus creaturae assimiletur; nam assimilatio motum ad similitudinem dicit, et sic competit ei, quod ab alio accipit, unde simile ei sit» [5].

1 *Ps.* 82, i.
2 *Ps.* 88, 7.
3 Cfr. thesis 4 approbata a S. C. Stud, sub die 27 Julii 1914. *Acta Ap. Sedis,* vol. 6, p. 384.
4 Cfr S. Thomas, *In I Sent.,* dist. 3, q. 2 et 3; Michael de Maria, *Theol. nat.,* p. T, q. 3, a. 2.
5 *Contra Gentiles,* lib. 1, c. 29. Cfr. *I p.,* q. 4, a. 3 ad 4. Ad rem S. Augustinus: «Quis in speculum attendat, et recte dicat se esse illi imagini similem, ac non potius illam sibi?» *Soliloq.,* lib. 2, c. 6; ML 32, 889.

QUAESTIO V

DE BONO IN COMMUNI

S. *Th., I p„ q.* 5.

ARTICULUS I

IN QUO CONSISTAT FORMALITER RATIO BONI

98. Status quaestionis. 1) Aliud est bonum *morale* aliud *transcendentale.* Bonum *morale* dicitur, quod est conforme regulis morum; *transcendentale* est ipsum ens naturale aliqua formalitate modificatum. De hoc ultimo in praesenti acturi quaerimus, in quo formaliter consistat ratio boni.

2) Angelicus Doctor a) *I p.,* q. 5, a. 1, adserit rationem boni in hoc consistere, quod aliquid sit *appetibile,* sed b) ibidem a. 5, ait: «Unumquodque dicitur bonum in quantum est *perfectum».*

Occasione horum verborum S. Thomae disputant theologi, quid importet bonitas transcendentalis in suo conceptu formali, et quid supra ens addat sibi peculiare ac proprium, an scilicet *appetibilitatem* an *perfectionem.*

99. Placita theologorum. Diversi diversa circa hoc dixere, sed omnium placita ad duas opiniones facile reducuntur.

1) *Nonnulli* docuerunt bonitatem transcendentalem consistere formaliter in aliquo absoluto, scilicet in perfectione. Ita *Scotus, Cajetanus, Molina,* et alii [1].

2) *Alii* bonitatem formaliter reposuere in aliquo relativo reali vel rationis. Sic *Durandus* [2] et *Suarez* [3] posuerunt in relatione convenientiae; *Vazquez* [4], in relatione integritatis ex pluribus; alii non pauci in relatione appetibilitatis.

100. Thesis. Bonitas transcendentalis non consistit formaliter 1) in relatione, neque 2) in aliquo absoluto enti superaddito, sed 3) in perfectione, non absolute considerata, sed quatenus est conveniens appetitui in genere causae finalis.

Nota. Ante probationem animadverte cum *Billuart* et *Joanne a S. Thoma* [5], perfectionem posse dupliciter considerari: I) *In genere causae formalis,* quatenus constituit aliquid in suo esse perfecto seu in actu essendi proprio. 2) *In genere causae finalis* moventis et allicientis appetitum. Potentia enim appetitiva movetur et quasi attrahitur a perfectione in objecto exsistente. Perfectio primo modo considerata sistit in ratione entis et non importat rationem formalem bonitatis; secundo modo considerata constituit formaliter bonitatem transcendentalem.

1 Sootus, *In I Sent.,* dist. 3, q. 3, n. 26 sqq.; Cajetanus, *In I p.,* q. 5, a. 1; Molina, *In I p.,* q. 5, a. 1, disp. un.
2 *In II Sent.,* dist. 34, q. 1, n. 22.
3 *Metaphysica,* disp. 10, sect. 1, n. 12.
4 *In I p.,* disp. 23, cc. 3, 4 et 7.
6 Billuart, *De Deo,* diss. 3, a. 3: Joannes a S. Th., *De Deo,* disp. 6, a. I, n. 13.

Pars 1.a Bonitas non consistit formaliter in relatione reali vel rationis.

1) Non in relatione *reali,* quia haec relatio realis vel est praedicamentalis vel transcendentalis. Si *primum,* erit quaedam res bona requirens aliud constitutivum in ratione boni; si *secundum,* cum relatio transcendentalis sit ipsum ens ex natura sua ordinatum ad aliud, nequit constituere bonitatem. 2) Non in relatione *rationis,* quia in hoc casu nullum ens reale esset bonum.

Pars 2.a Bonitas non consistit formaliter in aliquo absoluto enti superaddito.

Ratio est, quia quodlibet absolutum enti superadditum est vicissim bonum, requirens aliquod constitutivum in ratione boni.

Pars 3.a Bonitas formaliter consistit in perfectione, quatenus movet appetitum in genere causae finalis.

Cum bonum sit, quod omnia appetunt, necessario debet esse perfectio, qua res in esse constituitur, et habere proprietatem, qua appeti possit. Sed in perfectione, quatenus est in genere causae finalis, haec duo salvantur. Ergo. Perfectio siquidem non solum rem in suo esse constituit, sed quatenus est in genere causae finalis perficit appetitum per modum finis et objecti terminativi, sicut finis movet ac perficit appetitum suadendo[1]. Unde «bonum formaliter acceptum, ait *Zigliara,* est ipsum appetibile fundamentaliter acceptum»[2].

Corollarium. Ex hoc facile colliges ens esse secundum rationem prius quam bonum, et ambo ratione dumtaxat distingui.

ARTICULUS II

UTRUM OMNE ENS SIT BONUM

101. Status quaestionis. 1) Manichaei, ponentes duplex rerum principium, unum bonum et alterum malum, dixerunt naturas quoque ab eis productas, alias esse bonas, alias malas. Hoc manichaeorum delirium nulla indiget refutatione, quia caret fundamento et relinquitur hodie ab omnibus.

2) Speciales difficultates occurrunt de bonitate materiae primae, rerum mathematicarum, entium possibilium, peccatorum ac relationum divinarum. De singulis pauca.

102. Thesis. **Omne ens, in quantum ens, est bonum.**

Arg. «Omne ens, in quantum est ens, est in actu, et quodammodo perfectum, quia omnis actus perfectio quaedam est. Perfectum autem

1 Cfr. S. Thomas, *De veritate,* q j i, a i «Oportet»
2 *Ontologia,* 17, 2.

habet rationem appetibilis et boni... Unde sequitur omne ens, in quantum hujusmodi, bonum esse»[1]

103. Corollarium I. *Materia prima* non est in se quid bonum formaliter, sed participative et aptitudinaliter tantum, in quantum intrinsece ordinatur ad bonum. Est contra *Suarez* [2]. Ratio est, quia materia prima non est in actu nec habet perfectionem [3].

Dicitur tamen esse bona participative et extrinsece, in quantum ordinatur ad actum et bonum. Dicitur etiam una materia perfectior altera, non perfectione intrinseca et absoluta, sed extrinsece. quatenus una ordinatur ad perfectiorem formam quam altera.

Corollarium II. *Figurae mathematicae,* si abstracte considerentur, praecisione facta a ratione individual! et a ratione sensibili, ut linea imaginaria, nullam sortiuntur bonitatem formalem. Contra *Vazquez* [4]. Ratio est, quia figurae mathematicae, sic abstractae, sunt in statu pure imaginario, in quo res nullam sortiuntur bonitatem [5].

Corollarium III. *Res mere possibiles* non potiuntur bonitatem actualem. quia nullatn habent actualitatem, sed dicuntur bona in potentia[6]. Adverte in hoc differentiam inter objectum intellectus et voluntatis. Intellectus, cujus objectum est verum, praescindit ab exsistentia sui objecti, et, considerando praedicata essentialia naturae cujusque, invenit veritatem in rebus etiam possibilibus; sed voluntas, cum tendat in suum objectum, quod est bonum, semper requirit exsistentiam actualem sui objecti. Quare bonum non potest esse nisi exsistens.

Corollarium IV. Nullatenus dici potest peccatum esse bonum. In peccato siquidem duo sunt distinguenda, positivum et defectus; quantum ad positivum non habet rationem peccati; quantum ad defectum non est bonum.

De bonitate relationum divinarum in tractatu de *Deo trino.*

QUAESTIO VI

DE BONITATE DEI

.S. *Th., I p., q. 6.*

ARTICULUS I

UTRUM DEUS SIT BONUS

104. Status quaestionis. Triplex bonitas potest in Deo considerari, *ontologica* nimirum, *moralis* et *beneficentiae:* 1) *Ontologica* seu essentialis et absoluta (bonum quod) est ipsum esse subsistens seu perfectio di-

1 S. Thomas, *I p.,* q. 5, I. 3.
2 *Mctaphysica,* disp. 10, sect. 3, n. 24.
3 S. Thomas. *I p.,* q. 5, a. 3 ad 3.
4 *In I p.,* q. 5, a. 3, *Explicatio articuli.*
6 S. Thomas, *l p.,* q. 5, a. 3 ad 4. Ad rem dicebat Aristippus apud Aristotelem •mathematicas nullam de bonis et malis rationem habere». *Metaph.,* 2, cap. 2.
• Cfr. ZiKliara, *Ontologia,* 17, 7.

vina appetibilis. 2) *Moralis,* quae alio nomine *sanctitas* dicitur, est amor boni et odium mali. 3) *Beneficentiae* seu *bonitas cui* significat propensionem voluntatis ad bona elargienda[1].

Quaeritur hic, utrum haec triplex bonitas proprie competat Deo.

105. Thesis. **Deus est summe bonus bonitate ontologica, morali et beneficentiae.**

Pars 1.a Deus est summe bonus bonitate ontologica.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Duplici nomine manifestavit Deus suam essentialem bonitatem, scilicet lahve— "im —est— et mnx —qui est *ipsum esse* et *totum esse.* Haec verba, saepe repetita a Moyse atque prophetis, facta sunt «pulcherrima Israelis confessio», ut bene notant *Kehler* [2] et *Hetzenauer* [3]. Ens siquidem et bonum convertuntur, et in eo, quod est suum esse, reperitur summa bonitas essentialis seu ontologica. Unde Concilium Vaticanum expresse docet Deum bonitate sua condidisse creaturas [4].

2) *Ex ratione.* Deus est causa efficiens prima omnium creaturarum, non quidem univoca sed aequivoca, quae earum perfectiones excellentius continet. Ergo Deus est in se absolute et essentialiter bonus, omnem creaturarum bonitatem excellentissime continens.

Pars 2.a Deus est moraliter bonus, id est, summe sanctus omnisque sanctitatis exemplar atque fons.

Arg. 1) Omnes S. Scripturae paginae celebrant omnimodam Dei sanctitatem, a) Ipse Dominus ait: *Sancti estote, quia ego sanctus sum* [5]* b) Propheta David: *Sanctus Dominus Deus noster* [6]. c) Seraphim: *Sanctus. sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum* [7]. d) Beata Virgo Maria: *Sanctum nomen ejus* [8].

2) Deus, cum sit plenitudo perfectionis et fundamentum rectitudinis moralis, se ipsum amando, necessario amat fundamentalem rectitudinem et ex consequenti odit peccatum. Sed sanctitas in amore Dei et odio peccati proprie consistit. Ergo Deus est essentialiter sanctus. Ratio itaque sanctitatis Dei est amor, quo se ipsum infinite diligit.

Deus non solum in se sanctus est, verum etiam omnis sanctitatis *exemplar* atque *fons.* «Omnis enim sanctitas participata, ut bene ait *Franzelin,* constat et perficitur amore et conjunctione cum Deo» [9].

1 Cir. Hetzenauer, *Theol. bibi.,* § 39, 2.
2 *Psalmen,* 294.
3 *Theologia biblica,* § 39, 2. Item Dominus dixit ad Moysem: *Ego ostendam omne bonum tibi* (Ex., 33, 19), «per hoc dans intelligcre, ut ait S. Thomas, in se omnis bonitatis plenitudinem esse». *Contr. Geni.,* lib. 1, c. 38, n. 5.
4 Sess. 3, c. x; Denz-Bannw., 1783.
5 *Lev.,* n, 44.
6 *Ps.* 98, 9.
7 *Is.,* 6. 3.
8 *Luc.,* i, 49.
9 *De Deo uno,* th. 29, *Halio itaque.*

Pars 3.a Deus est bonus bonitate beneficentiae seu bonus alteri.

Arg. 1) Deus passim appellatur in Scripturis *javens,* id est favores elargiens; *misericors,* quatenus egenorum et pauperum miseretur; d'ïn "ïχ *longanimis,* quia peccatores exspectat. Unde in S. Scriptura celebrantur: a) *Misericordia Dei: Miserator et misericors Dominus, patiens et multum misericors Misericordia Domini plena est terra* [2]. b) *Benignitas Dei: Viditque Deus cuncta, quae jecerat, et erant valde bona* [3]. Aperiens *manum suam* implet *omne animal benedictione* [4]. c) *Caritas Dei: In caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans* [5].

2) «Bonum est diffusivum sui», ut fert commune axioma. Deus autem est infinite bonus. Ergo Deus bonitatem suam diffundit et communicat aliis. «Deus, ait ad rem Concilium Vaticanum, bonitate sua et omnipotenti virtute non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quae creaturis impertitur... utramque de nihilo condidit creaturam»[6]. Huc veniunt illa *pseudo-Dionysii* verba: «Sic essentia sua bonus est Deus, ut tanquam substantiale bonum bonitatem in omnia porrigat» [7].

ARTICULUS II

UTRUM SOLUS DEUS SIT BONUS PER ESSENTIAM

106. Status quaestionis. 1) Dupliciter potest aliquid dici *bonum per essentiam,* a) Quatenus est a se et opponitur ei, quod est bonum per participationem, b) In quantum est bonum ratione formae essentialis constituentis ipsum.

2) Aliud est *bonum simpliciter* et aliud *bonum secundum quid.* «Id, quod est ultimo perfectum dicitur *bonum simpliciter;* quod autem non habet ultimam perfectionem, quam debet habere, quamvis habeat aliquam perfectionem, in quantum est actu, non tamen dicitur perfectum simpliciter, nec bonum simpliciter, sed *secundum quid»* [8].

3) Certum est nullam creaturam posse habere bonitatem independenter a causa efficiente prima, quia omnes creaturae pendent a Deo in esse, perfici et operari. Hoc sensu intelligitur illud Christi: *Nemo bonus nisi solus Deus* [9]. Ad quod addit *Boetius:* «Alia omnia a Deo sunt bona per participationem».

Quaestio est pure philosophica, an creaturae per suam essentiam seu ratione suae formae eas in esse constituentis sint bonae *simpliciter.*

1 *Ps.* 144, 8.
2 *Ps.* 32, 5.
3 *Gen.,* i, 31.
4 *Ps.* 144, 16.
5 31, 3.
Sess. 3, c. 1; Denz-Bannw., 1783.
7 *De div. nom.,* c. 4, § 1; MG 3, 693.
3 S. Thomae, *T p.,* q. 5, a. I ad I.
° *Lue.,* 18. 19.

107. Auctorum placita, i) Nonnulli contendunt creaturas per suam essentiam esse bonas simpliciter, quia putant a) essentiam et exsistentiam in rebus creatis non distingui realitcr, et b) ipsam essentiam satis habere perfectionis, ut dici queat bona simpliciter. Ita *Vazquez, Valentia* et alii non pauci [1].

2) Alii tuentur solum Deum esse bonum simpliciter per essentiam, creaturas vero ratione suae formae non esse bonas simpliciter sed secundum quid et inchoative. Ita S. *Thomas,* et cum eo thomistae [2].

108. Thesis. **1) Solus Deus est bonus «simpliciter» per essentiam; 2) creaturae vero ratione formae, quam habent, sunt bonae «secundum quid» seu inchoative.**

Pars 1.a

Egregie S. *Thomas:* «Unumquodque... dicitur bonum secundum quod est perfectum. Perfectio autem alicujus rei triplex est. *Prima* quidem, secundum quod in suo esse constituitur; *secunda* vero prout ei aliqua accidentia superadduntur ad suam perfectam operationem necessaria; *tertia* vero perfectio alicujus est per hoc quod aliquid aliud attingit sicut finem... Haec autem triplex perfectio nulli creato competit secundum suam essentiam, sed soli Deo, cujus solius essentia est suum esse, et cui non adveniunt aliqua accidentia; sed, quae de aliis dicuntur accidentaliter, sibi conveniunt essentialiter, ut esse potentem, sapientem et alia hujusmodi...; ipse etiam ad nihil aliud ordinatur sicut ad finem, sed ipse est ultimus finis omnium rerum. Unde manifestum est, quod solus Deus habet omnimodam perfectionem secundum suam essentiam; et ideo ipse solus est bonus per suam essentiam» [3].

Pars 2.a

Creaturae tamen per id, quod habent ex sua essentia seu forma, sunt bonae secundum quid, quia sunt entia. Quodlibet autem ens, cum sit actualitas quaedam, est bonum inchoative et secundum quid.

109. Scholion I. *Creaturae dicuntur bonae per bonitatem divinam.* Omnia creata habent intrinsece bonitatem aliquam per formam sibi convenientem juxta esse, quod ab auctore receperunt. Dicuntur etiam bona bonitate divina, non quidem bonitate divina ipsis formaliter inhaerente, ut volunt pantheistae, sed quatenus bonitas divina est *primum principium efficiens,* et *exemplar,* necnon *causa finalis* omnis bonitatis creatae. Unde

1) A bonitate divina tanquam a *primo principio efficiente* conferuntur: a) *bonum naturale* omnibus creaturis per creationem, conservationem atque providentiam; b) *Verbum divinum* hominibus per incarnationem seu unionem hypostaticam; c) *Deus ipse* omnibus justis per gratiam et virtutes in sanctificatione animae; d) *Deus* item *ipse* angelis et animabus beatis per visionem in gloria, quando ineffabili sua pulchritudine et mira claritate conspiciendus sistit [4].

1 Vazquez, *In I p.,* disp. 24, cc. 1-3; Valentia, *In I p*, disp. 1, q. 6, p. 2

2 S. Thomas, *I p.,* q. 6, a. 3; Cajetanus ct Banez, *In I p.,* q. 6, a. 3

3 S. Thomas, *I p.*. q. 6, a. 3

4 Cfr. Lessius, *De perfectionibus div*. lib 14, c. 5, n 78 sqq,: Franzelln, *De Deo uno,* th. 29; Urraburu, *Theodicea,* vol, 1. n 121

2) A bonitate divina ut *a 'principio exemplari* res creatae dicuntur bonae, quia omnis bonitas creata non est nisi imitatio et manifestatio bonitatis divinae. «A primo igitur per suam essentiam ente et bono unumquodque potest dici bonum et ens, in quantum participat ipsum per modum cujusdam assimilationis»[1]. «Ita ut sensus sit, addit *Valentia,* denominationem intrinsecam boni, quam tribuimus formaliter creaturae ab ipsius propria bonitate, pendere quidem a bonitate divina tanquam a fundamento quodam et origine bonitatis creatae» [2].

3) Bonitas divina est etiam *causa finalis* bonitatis creatae. Bonum siquidem participatum ordinatur intrinsece ad bonum absolutum, non secus ac esse participatum refertur ad esse absolutum. Est tamen differentia inter creaturas irrationales ac rationales, quatenus creaturae irrationales sola sua entitate et perfectione naturali ordinantur ad Deum ut ad finem *cujus gratia;* rationales vero intellectu concipiunt et voluntate appetunt Deum, atque tendunt in ipsum, ut in finem *qui* debeat possideri.

Scholion II. *De pulchritudine Dei.* Pulchritudo, si ad res sensibiles restringatur, est: *Proportio partium cum suavitate coloris.* Unde ad eam requiruntur: 1) *Integritas* seu *perfectio rei;* 2) *proportio partium;* 3) *claritas,* ut objecta per oculum visa complacentiam in animo ingenerent.

Quia tamen non solum ocido corporeo verum etiam, et quidem longe perfectius, intellectu res videntur et visae appetitui spirituali placent, latius pulchritudo dicitur de quolibet bono, sive materiali sive spirituali [3], et definitur a S. *Thoma: Id cujus ipsa apprehensio placet* [4]. Hoc sensu verissime pulchritudo in sacris litteris Deo tribuitur.

Sap. 13, 3, dicitur: *Quorum si specie*—τή καλλονή—*delectati deos putaverunt; sciant quanto his dominator eorum speciosior est. Speciei enim generator haec omnia constituit*—d γαρ τν. xxMmiq γενεσιάρχή , pulchritudinis auctor—. Deus igitur, auctor pulchritudinis, pulcher est, ac idcirco mente cognitus delectat. Unde pseudo-Dionysius de Deo loquens apposite ajebat: «Ipsum autem pulchrum superessentiale pulchritudo quidem appellatur propter illam pulchritudinem, quam rebus omnibus pro cujusque modulo communicat, in quantum est causa omnis pulchritudinis ac venustatis, dum rebus omnibus pulchrificas fontalis sui radii distributiones lucis in morem afflat, omniaque ad se καλει id est, vocat (unde et κάλλο , id est pulchritudo, dicitur), et tota in totis quasi in se colligit»[5].

1 S. Thomas, *I p.,* q. 6, a. 4.
2 *In I p.,* disp. I, q. 6, p. 3.
3 Cfr. Menéndez y Pelayo, *Historia delas ideas estéticas enEspaüa,* t. I, § 3.
4 *I-II,* q. 27, a. i ad 3.—Eodem sensu intelligendum est illud Angelici Doctoris: «Pulchra dicuntur, quae visa placent». *I p.,* q. 5, a. 4 ad 1. Cfr. Mercier, *Ontologia,* n. 266 sqq.
5 *De div. nom ,* c. 4, § 7; MG 3, 701.—Cfr. Franzelin, *De Deo uno,* th. 30; Hetzenauer, *Theol. bibl.,* § 38, n. 7; Krug, *De pulchritudine divina;* Menéndez y Pelayo, *Historia de las ideas estéticas,* passim.

QUAESTIO VII

DE INFINITATE DEI

S. *Th., I p., q.* 7.

ARTICULUS I

UTRUM DEUS SIT SIMPLICITER INFINITUS

110. Status quaestionis. *Notio infiniti. Infinitum,* quasi fine carens, recte definitur a S. Bonaventura: *Id, quod non habet terminum* [1]; vel a Tullio: *Id, quod non habet extremum* [2]. Unde est *id, quod nullo clauditur limite.* Porro limes—ὁρο —est coarctatio vel limitatio entitatis.

111. Divisio. 1) Infinitum aliud est *simpliciter* seu *absolutum,* quod caret limite in ratione entis, aliud *secundum quid* seu *relativum,* quod caret termino in uno genere, puta in extensione.

2) Infinitum *secundum quid* bifariam dividitur, scilicet in *categorematicum* seu in actu (negativum) et *syncategorematicum* seu in potentia (privativum). Primum est, quod in uno genere, puta in- magnitudine, non habet limites [3]; alterum, quod in se quidem finitum est, sed secundum ea, quae potest habere, caret termino, ut numerus, qui semper augeri potest [4].

Aliqui philosophi, ut *Urraburu* et *Casanova* [5], infinitum *in potentia* et *indefinitum* indiscriminatim accipiunt, sed verius puto non esse confundenda. Infinitum *in potentia* est, quod in infinitum augeri potest, indefinitum vero, cujus limites nobis non innotescunt.

3) Termini limitantes seu ad certum genus trahentes essentiam possunt esse *extrinseci* vel *intrinseci.* Terminus *extrinsecus* contrahens essentiam est causa efficiens; termini *intrinseci* possunt esse metaphysici, ut genus et differentia; vel physici, ut materia et forma; vel generarim omne receptivum et receptum per modum potentiae et actus.

Hic quaeritur, an et quomodo Deus sit infinitus.

112. Errores. 1) Veteres quidam philosophi, ut *Democritus* et *Anaxagoras,* licet crederent primum principium esse infinitum, quia tamen, ut ait S. *Thomas,* «ponebant primum principium materiam, consequenter attribuebant primo principio infinitatem materialem, dicentes aliquod corpus infinitum esse primum principium rerum» [6]. His accensendi sunt a) *pantheistae* tum materiales, qui non secus ac Democritus dixerunt Deum esse principium materiale omnium rerum, tum idealistae, qui fingunt Deum pri-

1 *In I Sent.,* dist. 43, a. un., q. 1.
2 *De Divinat.,* lib. 2, c. 50.
3 Traditur haec definitio, quia, licet in rerum natura infinitum categorematicum exsistere nequeat, ut inferius dicetur, hic tamen praescinditur de ejus exsistentia ac possibilitate, et describitur in abstracto conceptus ejus proprius.
4 Cfr. Complutonsos, *Phys.,* disp. 18, q. I, n. 3.
5 Urraburu, *Onlologia,* disp. 3, n. 191; Casanova, *Ontol.,* η. 170.
° *I p.,* q. 7, a. I.

mo indeterminatum dein ideali evolutione determinatum res constituere; b)» *positivistae,* praesertim agnostici, qui, symbolismo cuidam ridiculo deditì, contendunt Deum esse solummodo immanentem ac limitatum in homine.

2) *Socinus, Hobbesius, Vorstius* et alii[1], diversis ducti rationibus, negaverunt infinitatem Dei.

3) Ex theologis catholicis, qui, ut par est, Deum infinitum pronuntiant, nonnulli docent hanc Dei infinitatem demonstrative probari non posse, sed fide tantum et opinione constare. Ita *Ockam, Petrus alliacensis, Augustinus Niphus* [2], traditionalistae recentiores et alii.

113. Thesis. **Fide catholica tenendum est Deum esse simpliciter infinitum.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* *Magnus Dominus,* inquit psaltes, *et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis* [3]. His concordant illa verba pseudo-Dionysii: «Magnus quidem Deus appellatur secundum sibi propriam magnitudinem, quae... omni magnitudini extrinsecus superfunditur et superexpanditur... omnem transiliens infinitatem» [4].

2) *Ex conciliis.* Concilium *Vaticanum* vocavit Deum *intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum* [5].

3) *Ex ratione,* a) Nullus est in Deo terminus limitativus essentiae; non quidem *extrinsecus,* quia Deus, cum sit ens a se, nullam habet causam; neque *intrinsecus,* quia Deus est expers materiae et formae, non continetur sub genere et differentia, non recipitur in alio subjecto, nec recipit formas substantiales vel accidentales, quibus modificetur; sed est ens simplicissimum complectens in sua essentia omnes omnino perfectiones. Ergo Deus est simpliciter infinitus.

b) Deus est id, quo nihil majus vel excellentius cogitari potest. Hoc autem est simpliciter infinitum. Ergo.

114. Corollarium I. Theologi fere communiter ex his et aliis argumentis recte deducunt infinitatem Dei non solum fide teneri sed etiam ratione demonstrari. Infinitatem enim Dei certissime probant tum argumenta, quae modo adduximus, tum praecipue ratio entis per se subsistentis, tum etiam ratio unitatis, qua Deum cognoscimus in linea entis infinite perfectum [6].

Corollarium II. Deus, utpote infinitus, omnia quodammodo in se complectitur et continet, quia infinitus prohibet exsistentiam eorum, quae ipse non habet.

1 Socinus, *Catechismo Dei;* Hobbesius, *De cive,* c. 15, § 14; Vorstius, apud Raynaud, *Theol. nat.,* dist. 7, q. 3. a. 2, n. 134.

2 Ockam, *Cenlilogium theol.,* conci. 3; Alliacensis, *In I Sent.,* dist. q. 13, a. I, coroll. 3 et 6; Niphus, *De infinito primi motoris.*

3 144. 3.

4 *De div. nom.,* c. 9, § 1; MG 3, 909. Cfr. S. Hilarius, *In ps.* 144, 6; ML 9, 857, et S. Joan. Damascenus, *De fid. orth.,* lib. I, c. 5; MG 94, 801.

5 *Sess.* 3, C. i; Denz-Bannw., 1782.

6 Vid. Suarez, *De attributis Dei,* lib. 2, c. 1, n. 6.

ARTICULUS II

QUAE SIT RATIO FORMALIS INFINITATIS DEI

115. Status quaestionis. Licet in superioribus tradita fuerit aliqua notio infiniti, nondum tamen perspicue constat, in quo praecise reponenda sit ratio formalis absolutae infinitudinis Dei. Dubitari enim posset, num ratio haec consistat in aliquo positivo vel negativo, an in cumulo omnium perfectionum possibilium vel in una tantum, quae sit radix aliarum, etc. Unde explicandum est, quae sit ratio formalis infinitatis Dei.

116. Placita theologorum, i) Nonnulli putant Deum formaliter constitui infinitum per aseitatem seu per ipsum esse subsistens.
2) Alii volunt ex eo esse Deum infinitum simpliciter, proprie et quasi a priori, quia tantae perfectionis est, ut non possit habere alium superiorem nec aequalem distinctum a se in natura. Ita *Suarez l.*
3) Thomistae denique contendunt Deum ideo esse infinitum, quia est actus purus carens terminis, quibus res solent limitari 2.

117. Thesis. **Deus ideo dicitur simpliciter infinitus, quia est actus purissimus carens compositione actus et potentiae.**

Arg. Deus ideo est infinitus, quia excludit terminos limitativos essentiae. Sed ideo excludit terminos limitativos essentiae, quia est actus purus carens compositione actus et potentiae. Ergo.

Scholion. Ex hoc discere licet, quid dicendum sit de infinitate creaturarum.

1) Nulla creatura est vel esse potest simpliciter infinita, quia eo ipso, quod sit creatura, dependet ab alio, atque constat genere et differentia per modum potentiae et actus, quibus limitatur 3.

2) In rebus creatis non datur nec dari potest infinitum secundum quid categorematicum seu in actu sive in genere quantitatis (magnitudine et multitudine) sive in genere qualitatis. Ratio est, quia nequit dari creatura adeo magna vel perfecta, quae non constet vel partibus integrantibus, vel saltem genere et differentia, atque idcirco potentia et actu. Quae autem constant partibus integrantibus, oportet habere ultimam partem actualem, qua finiantur, quia finitum additum finito non facit infinitum 4. Quae vero constant genere et differentia necessario contracta sunt atque limitata; genus siquidem semper contrahitur per differentiam 5.

1 *De attributis Dei,* lib. 2, c. i, n. 5.
2 Cfr. Blasius a Conceptione, *Metaph.,* disp. 13.
3 Cfr. S. Thomas, *I p.,* q. 7, a. 2; Complutenses, *Phys.,* disp. 18, q. 2.
4 cfr. Valentia, *In I p.,* disp. I, q. 7, p. 3.
5 Fere communiter tenent philosophi contra Anaxagoram, Democritum et alios, quos citat Aristoteles, *Phys.,* lib. 3, text. 28, et contra quosdam cartesianos, infinitum categorematicum revera non dari in rebus creatis; idque intrinsece etiam de potentia Dei absoluta repugnare communius defendunt thomistae cum S. Thoma, */ p.,* q. 7, aa. 3 et 4; Scotistae cum Doctore subtili, *Quodlib* 5, *De primo:* et ex Societate Molina, *I p* , q 14, aa. 5-6, Valenti». *In I p.,* disp. 1, q 7, p. 3; Suarez,

3) Potest dari in creaturis infinitum syncategorematicum seu in potentia, tum ratione perfectionis essentialis tum ratione quantitatis, quia cuilibet creaturae addi possunt perfectiones et partes in infinitum.

QUAESTIO VIII

DE IMMENSITATE DEI

S. *Th., I p., q. 8*

ARTICULUS I

UTRUM DEUS SIT IMMENSUS ET UBIQUE EXSISTAT

118. Status quaestionis. *Immensitas* proprie dicta definitur: *Proprietas sen attributum vi cujus Deus est super omnes conditiones loci et spatii cum exigentia essendi in omnibus rebus sine limitatione*T Sicut infinitas terminis essentialibus caret, et aeternitas finem durationis nescit, ita immensitas nullo loco clauditur. Non exigit exsistentiam in rebus sed virtutem essendi.

Omnipraesentia seu *ubiquitas* petit ulterius actualem Dei conjunctionem et contactum cum omnibus rebus. Quare Deus ante creationem, quando, ut loquitur *Tertullianus,* «erat solus» [2], vocari poterat *immensus,* quia erat capax sua virtute tangendi omnia, se diffundendi totum simul in omnem dimensionem sine termino, nunc autem est *immensus* et *ubique,* quia essentialiter adest praesens in omnibus sine limite.

119. Errores, i) Jam antiquitus nonnulli blasphemabant dicentes: *Nubes latibulum* (Dei), *nec nostra considerat, et circa cardines caeli perambulat* [3]. His consentiebant illi philosophi, qui, ut ait S. *Thomas,* Deum collocabant in primo caelo ex parte orientis [4].

2) *Judaei rudiores,* teste S. *Hieronymo* [5] existimarunt Deum «templo hierosolymitano posse concludi».

3) *Ariani, Vorstius* calvinista, et ex catholicis *Augustinus Steuchus Eugubinus* [6] Deum non essentia sed virtute et operatione rebus cunctis adesse docuerunt.

4) *Rationalistae* denique non pauci cum *Stade* [7] negant Deum esse immensum.

120. Thesis. **Fide catholica tenendum est Deum esse immensum et adesse omnibus rebus intime praesentem.**

Metaphysica, disp. 25, sect. 3, n. 23, et alii contra Vazquez, *In I p.,* disp. 26, cc. 2-3; Hurtado, *Phys.,* disp. 13, sect. 2 et 3: Arriaga, *Phys.,* disp. 13: Toletum, *In I p..* q, 7, a. 4, et alios.

Cfr. Franzelin, *De Deo uno,* th. 33; et Tabarelli, *De Deo uno,* q. 6, a. I.

2 *Adv. Prax.,* c. 5; ML 2, 183.

3 *Job., 22,* 14.

4 *Contr. Geni.,* 3, 68.

5 *In Is.,* 66, v. 1; ML 24. 677.

4 *Comment, in ps.* 138.

7 *Théologie,* 103 sqq.

Pars 1.a Deus est immensus.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura. Ergone putandum est,* ait Salomon, *quod vere Deus habitet super terram? Si enim caelum et caeli caelorum te capere non possunt, quanto magis domus haec, quam aedificavi?* Job: *Excelsior caelo est... profundior inferno... longior terra mensura ejus, et latior mari*[2]. Haec explicans ait apposite S. *Hilarius:* «In caelo est (Deus), in inferno est, ultra maria est. Inest interior, excedit exterior. Ita cum habet atque habetur, neque in aliquo ipse neque non in omnibus est» [3].

2) *Ex conciliis.* Concilium Lat. IV [4] et Vaticanum [5] expresse confitentur Deum esse *immensum.* Praeiverat auctor symboli athanasiani dicens: «Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus, et tamen... non tres immensi, sed... unus immensus»[6].

3) *Ex ratione.* Deus est absolute et simpliciter infinitus. Ergo immensus. *Consequentia* patet, quia, sicut infinitas simpliciter caret limitibus in ratione entis, ita immensitas transcendit terminos nbicationis et praesentialitatis.

Pars 2.a Deus adest omnibus rebus intime praesens.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Sacrae litterae passim testantur omnipraesentiam Dei. *Quo ibo a spiritu tuo,* ait Psaltes, *et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in caelum, tu illic es: si descendero in infernum, ades; si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me et tenebit me dextera tua* [7]. Item Dominus per Jeremiam: *Numquid non caelum et terram ego impleo* [8].

2) *Ex traditione.* Id ipsum docent consensus communis totius antiquitatis et Patrum testimonia: «Primum omnium credo, ait *Hermas,* unum esse Deum, qui... omnia capit, solus autem incapabilis—αχώρητο , incircumscriptibilis—est» [9]. S. *Augustinus:* «Sic est Dcusjier cuncta diffusus, ut non sit qualitas mundi, sed substantia creatrix mundi, sine labore regens et sine onere continens mundum. In solo caelo totus est, et in sola terra totus, et in caclo et in terra totus, et in nullo contentus loco, sed in seipso ubique totus»[10]. «Ya sabéis, ait S. *Theresia,* que Dios esta en todas partes»[11].

1 *III Peg.,* 8, 27: *II Par.,* 6, 18. 2 *Job,* 11, 8-9.
3 *De Trinitate,* lib. 1, n. 6; ML 10, 30.
4 Cap. *Pirmiter;* Denz-Bannw., 428.
6 *Sess.* 3, C 1: Denz-Bannw., 1782. “ Denz-Bannw., 39.
7 *Ps.* 138, 7 sqq. His omnino similia habentur *Amos,* 9, 1 sqq. Cfr. Hetzenauer, *Theol. bibi.,* § 38 ,n. 6.
8 Je»-., 23, 24. 9 *Past.,* mandat. 1, 1; MG 2, 913.
10 Ep. 187, c. 4, n. 14; ML 33, 837. Cfr. S. Gregorius M., lib. 2, c. 12, n. 20; ML 75, 565: cujus doctrinam Hildebertus (juxta alios Abaelardus), *De SS. Trinitate,* v. 3, § ap.; ML 171, 1411, rithmice descripsit dicens:

«Super cuncta, subter cuncta, extra cuncta, intra cuncta.
«Intra cuncta, nec inclusus: extra cuncta nec exclusus.
•Super cuncta nec elatus; subter cuncta nec substratus.
•Super totus praesidendo: subter totus sustinendo.
•Extra totus complectendo: intra totus es implendo.
•Intra nunquam coarctaris; extra nunquam dilataris.
•Super nullo sustentaris: subter nullo fatigaris ·

11 *Camino de perfecciin,* c. 28, n. 1

3) *Ex ratione.* Cum actio Dei non distinguatur ab ejus essentia, Deus, ubi agit, ibi est per essentiam. Sed Deus in omnibus rebus aliquid operatur. Ergo Deus est omnibus rebus intime praesens[1].

121. Corollarium I. *Immensitas* proprie dicta, ut ex dictis patet, est attributum Dei absolutum et necessarium, connotans possibilitatem creaturarum; *omnipraesentia* vero seu *ubiquitas* est attributum relativum et temporaneum, supponens creaturas actu exsistentes.

Coroll. II. Deus conjungitur creaturis, non sicut pars essentiae vel sicut accidens subjecto, sed conjunctione immediata et intima tum virtutis tum suppositi, quia Deus, cujus virtus non distinguitur a supposito, per se ipsum sine ullo interposito subjecto agit in creaturas[2].

Coroll. III. 1) Deus non est in loco *circumscriptive* per commensurationem partium ad dimensiones loci et per exclusionem aliorum objectorum ab eodem loco sicut corpora, sed totus est in toto ac totus in qualibet parte, compatiturque alia objecta, in quibus ipse est per suam substantiam. 2) Neque est *definitive* in loco sicut spiritus creati; quia spiritus creati supponunt locum, quem occupant, Deus autem illum producit; spiritus creati contingunt locum extrinsece. Deus Hiabitur in essentias creaturarum; spiritus creati ita sunt in uno loco, ut non alibi, Deus autem est ubique. 3) Deus dicitur esse *ubique,* quatenus infinita sua virtute attingit omnia, et est totus in uno loco et totus in omnibus locis.

Coroll. IV. Universus mundus est sanctuarium Dei, ubi Dominus non solum est, sed exaudit et accipit fidelium preces, videt ac condemnat errantium flagitia. Undique ad eum habemus recursum atque refugium. Omnium nostrum ipse miseretur, et filiorum sanctitati congaudet. Non desinat Christianus ad hunc amantissimum Deum, qui ubique est, cum fiducia confugere, ut amplissima ab eo et pretiosa accipiat dona.

ARTICULUS II

QUAE SIT RATIO FORMALIS PRAESENTIAE DEI IN REBUS CREATIS

122. Status quaestionis. Quaestio hic movetur, inter scholasticos acute simul et utiliter agitata, de ratione formali praesentiae Dei in creaturis. Novimus corpora esse in loco ratione quantitatis, sed, cum

1 Hoc argumentum S. Thomae improbaverant Scotus, *In I Sent.,* dist. 37, q. un.; et *In II Sent.,* dist. 2, q. 6, ejusque discipuli (Ockam, Biel, Henno, etc.); necnon Vazquez, *In I p.,* disp. 28, cc. 4-5; Franoiscus de Lugo, *De Deo uno,* disp. 18, c. 4; Franzelin, *De Deo uno,* th. 33, aliique. E contra, summis laudibus illud approbarunt omnes thomistae, atque ex extraneis Molina. *In I p.,* q. 8, a. 1, disp. 2 (ubi sententiam contrariam parum tutam in fide appellat); Suarez, *Metaphysica,* disp. 30, sect. 7, n. 11; Kleutgen, *De ipso Deo,* n. 380; Urraburu, *Theod.,* vol. I, n. 152, et alii. Omnipraesentiam Dei hoc argumento efficaciter probari puto, quia actio in distans, ita ut agens nec substantia nec virtute effectui conjungatur, repugnat. Hinc, ubi Deus operatur, ibi est virtus ejus. Sed virtus Dei realiter non differt ab ejus substantia et supposito. Ergo Deus, ubi operatur, est praesens immediatione substantiae et suppositi.

8 Cfr Banez, *I p.,* q. 8, a. I ad 5 et 6; Urraburu, *Theod.,* vol. I, n. 152, prob. 3.

Deus quantitate careat, dubium occurrit, quae sit ratio formalis fundans ubicationem Dei, vel qualis conceptus reddat Deum praesentem omnibus rebus[1].

123. Placita theologorum, r) *Nonnulli* volunt rationem formalem praesentiae Dei in creaturis esse ipsam essentiam illimitatam seu ipsum esse absolutum Dei [2]; *alii* infinitatem, quae omnem expellit distantiam [3]; *alii* virtutem infinitam Dei [4]; [5] *alii* immensitatem divinam [8]

2) Communior ac verior sententia docet rationem formalem praesentiae Dei in creaturis esse actionem ipsius Dei virtualiter transeuntem, qua in creaturis operatur. Ita ex antiquis *Hugo a S. Victore, S. .ilbertus M.*, S. *Thomas* °, tota schola thomistica ', et plures extranei [8].

124. Thesis. **Actio Dei virtualiter transiens est ratio formalis praesentiae Dei in rebus.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus ait: *In ipso enim vivimus, et movemur et sumus* [9]. Videtur hic Apostolus praesentiam Dei in nobis probare ex ejus operatione[10]. [11] Unde S. *Augustinus:* «Cum aliud simus, quam ipse (Deus), non ob aliud in illo sumus, nisi quia id operatur» u.

2) *Ex ratione,* a) Deus dicitur rebus creatis intime praesens, quatenus eas aliquo modo contingit. Sed nullatenus Deus contingit res creatas nisi per operationem virtualiter transeuntem. Ergo. Ad rem apposite S. *Thomas:* «Essentia autem ejus, cum sit absoluta ab omni creatura, non est in creatura, nisi in quantum applicatur sibi per operationem, et secundum hoc, quod operatur in re, dicitur esse in re per praesentiam»[12].

b) Solummodo per operationem productivam et conservativam illabitur Deus in essentias creaturarum, adeo ut nihil intactum in eis relinquat. Ergo per solam operationem virtualiter transeuntem est Deus in rebus creatis. «In ipsam essentiam, inquit S. *Thomas,* non intrat nisi ille, qui dat esse, scilicet Deus creator, qui habet intrinsecam essentiae operationem. Aliae autem perfectiones sunt superadditae ad essentiam»[13].

Corollarium. Ex his obiter deducere licet cum Salmanticensibus

1 Cfr. Laurentius a S. Theresia, *Spicii, theol.,* t. I, p. 2, controv. 8, § 3, ubi statum hujus quaestionis egregie exponit.

2 Ita Scotus, *In I Seni.,* dist. 37, q. un.; Vazquez, *In I p.,* disp. 28, c. 4; Molina, *In I p.,* q. 8, disp. 4, *Quoniam vero;* Franzelin, *De Deo uno,* th. 33, et alii.

3 Sic Aureolus, *In I Sent.,* dist. 37, a. I.

4 Valentia, *In I p.,* disp. I, q. 8, p. 1, *Dico postremo.*

5 Suarez, *Metaphysica,* disp. 30, sect. 7, nn. 18, 19 et 32; Urraburu, *Theodicea,* vol. 1, n. 159.

6 Hugo a S. Vietore, *Erud. didasc.,* lib. 7, c. 19; ML 176, 828; S. Albertus M., *In I Sent.,* dist. 37, a. 1, 2 et 3; S. Thomas, *I p.,* q. 8, a. i; et *In I Sent.,* dist. 37, q. I, a. 2.

7 Cfr. Capreolus, */ Sent.,* dist. 37, q. 1, a. 1-2; Cajetanus, *I p.,* q. 8, a. 1; Banez, *I p.,* q. 8, a. 1; Salmantioenses. *De angelis,* disp. 2, nn. 80, 83; Blasius a Conceptione, *Metaphysica,* disp. 14, q. 2; Billuart, *De Deo uno,* diss. 3. a. 6, § 3.

8 Cfr. Paquet, *De Deo uno,* disp. 2, q. 3, a. 3; Billot, *De Deo uno,* q. 8; Tabarelli, *De Deo uno,* q. 6, a. 1, concl. 3; Satolli, *De Deo uno,* q. 8, a. I, § 4.

9 *Act.,* 17, 28.

10 Haec interpretatio est probabilis. Nihilominus aliqui volunt Apostolum non loqui de ubiquitate Dei, vel saltem non designare rationem formalem praesentiae Dei in rebus.

11 *De Gen. ad lilt ,* lib. 4, c. 12, n. 23: ML 34, 305.

12 *In I Sent.,* dist. 37, q 1, a. 2. 18 *In II Sent.,* dist. 8, q. 1, a. 5 ad 3.

«omnipotentiam et immensitatem non distingui in Deo ut duo attributa ex aequo distincta», sed esse duas rationes inadaequatas ejusdem attributi nostro modo concipiendi distinctas. Hinc, licet omnipotentia, quatenus praecise aequivalet virtuti, activae in agente, concipi possit sine ratione immensitatis, attamen, ut «intelligatur ut ratio essendi in loco, debet etiam concipi sub illo conceptu omnipotentiae et immensitatis, id est, sub conceptu expresso operantis, quantum est ex se in omni loco» x.

ARTICULUS III

UTRUM DEUS ACTU EXSISTAT IN SPATIIS IMAGINARIIS

125. Status quaestionis. 1) Spatium imaginarium, quantum ad praesens attinet, est extensio quaedam magna, vacua, et inanis, quam extra hunc mundum concipimus, vel ante rerum creationem fuisse fingimus in spatio, quod nunc mundus occupat. Non est aliquid reale positivum, nec privativum, neque ita imaginarium aut purum figmentum, ut nemine cogitante nihil sit, sed est aliquid eo modo, quo sunt possibilia 2.

2) Dupliciter intelligi potest Deum esse in spatiis imaginariis. *Primo,* quatenus Deus supponitur termino imaginario actu coexsistens et in illo operans. *Secundo,* quatenus Deus dicitur spatiis imaginariis ex parte sui ita praesens, ut nullum sit punctum adsignabile, in quo adscri non possit: «Deus in se absolute exsistens est huic spatio praesens». Certissimum est Deum primo modo non esse in spatiis imaginariis, quia haec nihil reale sunt, quibus Deus coexsistat. Difficultas est de secundo modo, et quaeritur, an Deus ita in se absolute exsistat, ut dicatur etiam praesens illis spatiis vacuis et inanibus, quae cogitatione extenduntur in infinitum.

126. Placita theologorum, t) Affirmant *Molina, Suarez, Zwnel, Conimbricenses, Arrubal* 3 et alii ‘.

2) Negant *Scotus, S. Bonaventura* B, omnes fere thomistae e, et plures extranei.

127. Thesis. **Deus non est actu et absolute in spatiis imaginariis, nec propter exsistentiam absolutam, quam in se habet, potest dici illis spatiis adesse praesens.**

1 *De angelis,* disp. 2, n. 83.

2 Cfr. Gabriel a S. Vincentio, *In I p.,* disp. 8, n. 21; Kieffer, *De Deo uno,* disp. 2, q. 6, a. 2, art. spec. 2.

3 Molina, *In I p.,* q. 8, a. I, disp. 3: Suarez, *Metaphysica,* disp. 30, sect. 7, *ll 37'·* Zumel, *In I p.,* q. 8, a. 2, q. un.; Conimbricenses, *Physica,* lib. 8, c. 10, q. 2. ua. 2 et 4; Arrubal, *In I p.,* q. 8, disp. 11, c. 6.

' Valentia, *In I p.,* disp. I, q. 8, p. 2, et Kleutgen, *De ipso Deo,* n. 377, putant questionem esse de modo loquendi.

Scotus, *In I Sent.,* dist. 37, q. un. in fine; S. Bonaventura, *In I Sent.,* dist. 37, p. 2, a. I, q. 2-3.

° Cfr. Capreolus, *In I Sent.,* dist. 37, q. un. ad 4; Gabriel a S. Vincentio, *In I p.,* <‖ p. 8, dub. 3; Paulus a Conceptione, tr. I, disp. 4, dub. 3; Laurentius a S. Theresia, *Spicileg. theol.,* t. 1, p. 2, controv. 8, § 4 ad 4; Blasius a Conceptione, *Metaphysica,* disp. 14. q. 3, et alii.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* S. Joannes loquendo de Filio Dei in principio ait: *Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*[1]. Ergo Deus, antequam res crearentur, erat in se ipso tantum. Ad rem S. *Augustinus:* «Antequam faceret Deus caelum et terram, ubi habitabat?... Et antequam faceret Deus sanctos, ubi habitabat? In se habitabat Deus, apud se habitabat, et apud se est Deus»[2]. S. *Bernardus:* «Ubi erat (Deus), antequam mundus fieret, ibi est. Non est quod quaeras ultra ubi erat; praeter ipsum nihil erat. Ergo in se ipso erat»[3].

2) Deus non est actu, ubi non operatur. Sed Deus non operatur in spatiis imaginariis. Ergo Deus non est praesens spatiis imaginariis[4].

ARTICULUS IV

UTRUM DEUS SIT OMNIBUS REBUS SUBSTANTIALITER PRAESENS PER ESSENTIAM, PRAESENTIAM ET POTENTIAM, ATQUE HOMINIBUS JUSTIS PER GRATIAM

128. Status quaestionis. 1) Deus est omnibus rebus praesens per suam operationem virtualiter transeuntem, quatenus res in principio creat et dein in esse conservat ac perficit. Sed, cum haec operatio diversimode se habeat respectu creaturarum, dubium occurrit, quotuplici modo sit Deus ubique praesens.

2) Statuit *Angelicus Doctor*[5] duplicem esse modum essendi Dei in creaturis, *generalem* unum, *particularem* alterum, prout operatio Dei ad omnia, vel ad aliqua tantum se extendit.

3) *Modus generalis.* Quantum ad modum generalem S. *Thomas* in Summa aliquantulum corrigens quod in libris Sententiarum scripserat[6], docet Deum esse ubique *per essentiam,* in quantum adest omnibus, ut causa essendi; *per praesentiam,* quatenus omnia nuda sunt et aperta oculis ejus; et *per potentiam,* in quantum universa ejus potestati subduntur.

4) *Modus specialis.* Iterum docet *Angelicus* Deum esse speciali modo a) in justis sicut cognitum est in cognoscente et amatum in amante, ac b) per unionem hypostaticam in Christo.

5) Hic difficultas est a) an Deus sit in omnibus rebus *per essentiam, praesentiam* et *potentiam,* atque in hominibus justis *per gratiam;* b) an hi modi essendi Dei in creaturis distinguantur virtualiter seu cum fundamento in re; c) quae sit ratio formalis singulorum.

129. Errores et theologorum placita, i) Quantum ad l.um a) *Aliqui,* ut gnostici et Valentiniani, existimantes non omnia esse a Deo immediate creata, negaverunt Deum esse in omnibus rebus *per essentiam,* b) *Alii,*

1 *Joan., i,* i,
2 *In ps.* 122, v. «Qui habitas in caelis»; ML 37, 1632.
3 *De Consideratione,* lib. 5, cap. 6; ML 182, 796.
4 Cfr. S. Thomas, *Catena aurea,* in Joan, ev., c. 1; et Joannes a S. Thoma, *In I p.,* q. 8, disp. 8, a. 4.
6 *I p.,* q. 8, a. 3.
° *In I Sent.,* dint. 37, q. 1, a. 2; *I p.,* q. 8, a. 3.

ut *Democritus, Epicurus, Plato, Maimonides, Averroès, fatalistae,* etc., putantes divinam providentiam ad haec usque inferiora non descendere, dixerunt Deum non esse in omnibus rebus *per praesentiam,* c) *Alii,* ut *manichaei,* fabulantes spiritualia dumtaxat, non corporalia, divinae potestati subjicere, inficiati sunt Deum exsistere in creaturis *per potentiam,* d) *Nonnulli* e contra cum *Molina* 1, putant alios dari modos essendi Dei in creaturis praeter enumeratos, per specialia scilicet signa, ut in scala *Jacob* ', in Romano Pontifice ne erret, etc.

2) Quantum ad 2.“ a) Sententia valde communis docet contra *Aureolum* 3, modos essendi Dei in creaturis per essentiam, praesentiam et potentiam virtualiter distingui, b) *Vazquez* 4 cum aliis existimat modum specialem, quo Deus est in justis, spectare ad rationem communem immensitatis; et *Franzelin* illum reducit ad modum *praesentialem singularem* 5. *Thomistae* communiter 6 et plures extranei 7 propugnant Deum per gratiam sanctificantem et caritatem exsistere in anima justi speciali modo, adeo ut, si per impossibile non esset in rebus triplici modo generali, per gratiam et caritatem fieret justis substantialiter praesens per modum rei possessae et fruibilis.

3) Quantum ad 3.“ a) *Aliqui* volunt Deum esse in creaturis *per essentiam,* quatenus, abstrahendo ab operatione Dei, spectatur «solum exsistentia essentiae per sese (per immensitatem, infinitatem, etc.)...; *per potentiam,* quatenus omnia in toto suo esse, in omni sua perfectione, in omni suo actu pendent a conservatione et actione divina»; *per praesentiam,* quatenus oculus lucidior super solem tenet «sibi intime praesentes creaturas tum omnes tum singulas». Ita *Franzelin* 8 cum aliis. Item existimant Deum *modo speciali* esse in justis non solum per gratiam sanctificantem, verum etiam, quatenus «sese praesentem ostendit singularibus manifestationibus, singularibus donis tum transeuntibus tum permanentibus, etc.» b) *Thomistae* cum pluribus extraneis defendunt Deum esse omnibus creaturis substantialiter praesentem, *per essentiam,* in quantum est omnibus causa essendi; *per praesentiam,* quatenus omnia nuda sunt et aperta oculis ejus; *per potentiam,* in quantum omnia subduntur potestati ejus; et *speciali modo* justis per solam gratiam sanctificantem, non per alia dona quantumvis singularia.

130. Thesis **I. 1) Deus est omnibus creaturis substantialiter praesens triplici modo, «per essentiam» scilicet, «praesentiam» et «potentiam»; 2) hi tres modi virtualiter seu cum fundamento in re distinguuntur; 3) ratio formalis singulorum est illa, quam adsignat S. Thomas in Summa.**

Pars 1.a Deus est omnibus creaturis praesens triplici modo.

1 *In I p.,* q. 8, a. 3.
2 *Gen.,* 28, 16. *Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam.*
3 *In I Sent.,* dist. 37, q. un., a. 3, prop. 1.
4 *In I p.,* disp. 30, c. 3.
5 *De Deo uno,* th. 34. Adserit Deum inesse quibusdam creaturis «per praesentiam singularem, ubi sublato velut velamine sese praesentem ostendit singularibus manifestationibus, singularibus donis, tum transeuntibus tum praesertim permanentibus, singulari elevatione et conjunctione creaturae secum ipso, praesertim creaturae rationalis, cui se ipsum velut tradit et speciali modo unit, ut objectum fidei, spei et caritatis, visionis et beatificae fruitionis».
6 Cfr. Salmanticenses, *De SS. Trinitatis mysterio,* disp. 19, n. 77; Paulus a Conceptione, tr. I, disp. 4. dub. 4.
7 Vide Suarez, *De Trinitate,* lib. 12, c. 5, nn. 12-13.
8 *De Deo uno,* th. 34. Cum his cohaerent, quae scripsit Angelicus, *In I Sent.,* dist 37, q. i, a. 2, non tamen quae docuit *I p.,* q. 8, a. 3.
9 Franzelin, *De Deo uno,* th. 34.

Arg. 1) Concilium *Vaticanum* ait: *Universa vero, quae condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter*[1]. Id est, *condidit, tuetur,* atque *gubernat:* condidit et attingit *per essentiam,* tuetur *per praesentiam,* gubernat *per potentiam.*

2) Modus essendi Dei in creaturis cognosci potest ex modo essendi regis in regno. Porro a) rex dicitur esse *per essentiam* in solio, quatenus sedendo illud per se jpsum contingit et replet; et hoc pacto Deus est in rebus, quas actione sua pertingit et quodammodo replet juxta illud Jeremiae: *Numquid non caelum et terram ego impleo?* [2]. b) Rex est in tota aula *per praesentiam,* videns omnia, quae in ea fiunt; et similiter Deus est in omnibus rebus juxta illud Apostoli: *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus* [3]. c) Rex dicitur esse in toto regno *per potentiam,* dirigens et gubernans omnia: ita pariter Deus est in cunctis rebus juxta illud Esther: *Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita* [4].

Pars 2.a Hi tres modi virtualiter distinguuntur.

Arg. Hi tres modi essendi Dei in creaturis, licet in Deo sint una simplicissima actio, pluribus tamen realiter distinctis aequivalent, diversosque effectus producunt. Ergo virtualiter distinguuntur.

Pars 3.a Ratio formalis singulorum est illa, quam S. Thomas adsignat in Summa.

1) Ratio formalis essendi Dei in creaturis *per essentiam* est operatio ejus virtualiter transiens. Ergo Deus est in rebus per essentiam, quatenus adest omnibus ut causa essendi. 2) Deus est in omnibus rebus *per praesentiam,* quatenus eas videt ac scrutatur; sed Deus videt creaturas, in quantum eas per operationem factas et in esse conservatas, tum omnes generatim tum singulas speciatim, conspectui suo subordinat et in propria mensura praesentes sibi facit. Ergo. 3) Deus est in rebus *per potentiam,* in quantum gubernat et dirigit eas in suos fines; sed gubernat creaturas, in quantum suae potestati subdit universa. Ergo.

131. Thesis **II. Deus est substantialiter praesens animae justi speciali modo per gratiam sanctificantem, animam scilicet inhabitando, sicut cognitum est in cognoscente et amatum in amante.**

Arg. Christus Dominus ait in Evangelio: *Si quis diligit me... Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus* [5]. *Regnum. Dei intra vos est*[6]. Apostolus: *Nescitis, quia templum Dei estis*

1 Sess. 3, C. i; Denz-Bannw., 1784.
2 *Jer.,* *23.* 24.
3 *Hebr.,* 4, 13.
4 *Esther,* 13, 9. Cfr S. Theresia. *Moradas quintas,* c. 1, n. 9.
5 *Joan.,* 14, 23.
• *Luc.,* 17, 21.

et Spiritus Dei habitat in vobis? Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis [2]. Hinc S. *Thomas:* «Spiritus Sanctus, cum Deus sit, per suam substantiam mentem inhabitat» [3]. Et rursum: «Per donum gratiae gratum facientis perficitur creatura rationalis ad hoc, quod libere non solum ipso dono creato utatur, sed ut ipsa divina persona fruatur» [4].

Per hanc specialem praesentiam Deus est in anima justi, sicut cognitum est in cognoscente et amatum in amante in genere causae formalis terminativae [5].

Haec doctrina, utpote intime connexa cum vita spirituali, est maximi momenti in re mystica, et ideo paulo latius explananda.

Cum gratiae productio sit quaedam operatio, Deus, ubi animam sanctificat, dicitur esse in ea *per essentiam,* non secus ac quando in esse conservat; nihil enim refert ad modum exsistendi Dei per essentiam, an effectus naturales vel supernaturales producat; satis est, ut per modum agentis objectum attingat, sive ipsum creando ac conservando, sive perfectionibus, gratia, caritate, aliisque donis augendo. Deus itaque contingit animam justi ratione immensitatis, cum gratiam in ea producit.

Hoc contactu supposito, nascitur in anima justi alius modus specialis praesentiae Dei, realis et physicae, per modum familiaris convictus et rei fruibilis amicique conviventis, sicut cognitum est in cognoscente et amatum in amante.

Ad cujus intelligentiam nota cum *Laurentio a S. Theresia* [6] cognitionem objecti esse duplicem, *speculativam,* quae per discursum adipiscitur; et *experimentalem,* quae per intimam conjunctionem cognoscentis et cogniti habetur, quaeque potest esse a) *clara,* quando res intime conjuncta cernitur per propriam speciem, sicut angelus se ipsum cognoscit; b) *obscura,* quando reé potentiae conjuncta cognoscitur aliena specie, sicut homines, speciem animae non habentes, eam in corpore esse experiuntur.

Elicit anima actus cognitionis et amoris erga Deum, et Deus fit illi praesens, sicut cognitum est in cognoscente notitia experimental!, non clara, quae per propriam essentiam erit in patria, sed obscura et imperfecta, et sicut amatum est in amante, amore viatoribus proprio.

132. Scholion. Duplex potest haberi de Deo cognitio experimentalis et amor in ordine supernaturali. 1) Quatenus anima justi informatur et movetur ad cognitionem et amorem per gratiam sanctificantem et caritatem progressu ordinario, et sic unitur Deus cum justis *in via ascetica* modo humano. 2) Quatenus, suppositis gratia sanctificante et virtutibus in anima, moventur ejus facultates per influxum Dei extraordinarium, qui elevat facultates ad ordinem extraordinarium *in via mystica.*

1 ***I*** *Cor.,* 3, 16.
2 *Rom.,* 5. 5.
3 *Contra Gentiles,* lib. 4, c. 18. «Sic ergo».
4 */ P* ı ‹| 43. a. 3 ad i.—«No es otra cosa el alma dei justo, ait S. Theresia, sino un paraiso adonde Él (Dios) tiene sus deleites». *Moradas primeras,* c. 1, n. 1.
5 S. Thomas, ***i*** *p..* q. 8, a. 3, et q. 43, a. 3.
• *Spicileg. theol.,* t. 1. p. 2, controv. 8, § 6, n. 85 sqq.

Utraque supponit gratiam supernaturalem in anima, sed una evolvitur modo ordinario et humano, et altera modo extraordinario [1].

133. **Corollarium I.** Ex dictis colliges Deum non esse speciali modo in anima per quaecumque alia dona sive naturalia sive supernaturalia, quantumvis pretiosa atque perfecta, diversa a gratia sanctificante et caritate, quia per illa dona non objicitur Deus intellectui et voluntati ut cognitus et amatus.

Coroll. II. Ex hoc etiam constare videtur absurdam esse quaestionem, quam aliqui proponunt, cum interrogant, an posset dari haec specialis praesentia Dei in anima justi per gratiam, si per impossibile non esset Deus praesens animae per essentiam. Absurda, inquam, quaestio, quia eo ipso, quo Deus produceret gratiam, esset in anima justi per essentiam. Sed de his satis.

134. Thesis **III. Deus est singularissimo modo praesens in Christo per unionem hypostaticam.**

Arg. Secunda persona SS. Trinitatis ita adsumpsit naturam humanam, ut nonnisi unica persona foret in duabus naturis. Hoc autem singulare est in Christo, in quo *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* [2].

QUAESTIO IX

DE IMMUTABILITATE DEI

S. *Th., I p., q. 9.*

ARTICULUS I

UTRUM DEUS SIT OMNINO IMMUTABILIS

135. Status quaestionis. Mutatio potest *stricte* vel *large* sumi.

1) Mutatio *stricte* sumpta est *transitus rei ab uno statu positivo in alium* [3]. Potest esse a) *substantialis,* quando subjectum, amissa prima forma, transit in aliam substantiam per generationem vel per conversionem; b) *accidentalis,* quando eadem substantia diversis successive qualitatibus vel accidentibus afficitur.

2) Mutatio *large* sumpta est *transitus de potentia ad actum* vel *de actu ad potentiam,* ut creatio, annihilatio, transitus facultatis de requie ad actum et viceversa de actu ad requiem.

Quaeritur hic, an Deus sit ita immutabilis, ut excludat a se capacitatem omnis mutationis.

1 Cfr P. Chrysogonus, *Comp. de Ascética y mistica.* p. i, c. 3, a. 3.

2 *Colos.,* 2, 9.

3 S. Thomas, *I p.,* q. 45, a. 2 ad 2 ait: «De ratione mutationis est, quod aliquid idem se habeat aliter nunc et prius».

136. Errores. 1) Deum esse mutabilem sine ambagibus docuere a) *stoici*[1], *gnostici, manichaei et ariani,* diversis ducti rationibus; b) *anthropomorphitae,* qui Deum faciebant passionibus obnoxium; c) *pantheistae,* non solum materiales et formales, sed etiam emanatistae et idealistae, qui Deum dicebant jugi evolutione se determinare. His subscribere non erubuit *Kenan*[2] dicens cum *Hegel* Deum esse *purum jieri.*

2) a) *Sociniani* ct *arminiani* docuerunt Deum esse immutabilem quoad *substantiam* sed mutabilem quoad *scientiam* et *decreta suae voluntatis,* b) *Nonnulli catholici* existimarunt posse Deum absque ulla ex parte sui mutatione novum in tempore edere decretum. Ita *Deljinus* et *Lichetus* apud *Laurentium a S. Theresia*[3].

137. Thesis. **Fides catholica docet ac ratio naturalis ostendit Deum esse omnino immutabilem.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura. Ipsi peribunt,* ait Psaltes, *tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent, et sicut opertorium mutabis eos et mutabuntur; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient*[4]. De sapientia dicitur: *Cum sit una, omnia potest; et in se permanens omnia innovat*[5]. Id ipsum per nomen *lahve* luculenter expressit S. Scriptura. *lahve* siquidem significat *ipsum esse, totum esse, plenitudinem essendi,* quod certe nihil acquirere potest vel amittere. Unde S. Jacobus ait de Patre caelesti; *Apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio*[6].

2) *Ex conciliis.* Concilium *Nicaenum I* anathematizat *eos, qui dicunt... convertibilem et demutabilem* (esse) *Deum*[7]. Pariter in Conciliis Lat. IV[8] et Vaticano[9] Deus vocatur *incommutabilis* substantia.

3) *Ex SS. Patribus.* «Aliena est, ait S. *Cyrillus alex.,* a deitate mutatio: mutationis itaque et alterationis expers est»[10]. S. *Augustinus* exponens illa verba Exodi *Ego sum qui sum,* non solum fidei doctrinam tenet, sed rationem quoque Dei immutabilitatis adducit pulcherrimam his verbis: «*Esse* nomen est incommutabilitatis. Omnia enim, quae mutantur, desinunt quod erant, et incipiunt esse, quod non erant. *Esse* verum, *esse* sincerum, *esse* germanum non habet nisi qui non mutatur... Quid est *Ego sum qui sum,* nisi mutari non possum?»[11].

4) *Ex ratione,* a) «Omne..., quod quocumque modo mutatur, est aliquo modo in potentia» passiva ad modum, quem acquirit. Deus autem est actus purus sine ulla potentia passiva. Ergo[12].

b) Omne, quod mutatur, est compositum, quia «quantum ad ali-

1 Cfr. Origenes, *Contra Celsum,* lib. 3, n. 75; MG 11, 1018.
2 *Averroès.* pr<5f., p. 8.
3 *Spicileg. theol.,* t. 1, p, 2, controv. 9, § 1. Eamdem sententiam publice defendit P. Roccius, Ord. S. Francisci, in comitiis generalibus a. 1664 in conventu aracaelitano Romae.
4 *Ps.* 101, 27-28. Hunc textum recitat Apostolus ad Hebraeos, 1, II.
5 *Sap.,* 7, 27.
6 *Jac.,* 1, 17.
7 Denz-Bannw., 54.
8 Denz-Bannw., 428.
9 Denz-Bannw., 1782.
10 *Thesaurus,* assert. 13; MG 75, 211.
11 *Serm.* 7, 7; MI. 38, 66.
12 S. Thomas, *I p.,* q 9, a. 1.

quid manet, et quantum ad aliquid transit; sicut quod movetur (vel mutatur) de albedine in nigredinem, manet quoad substantiam»[1]. In Deo autem nulla est compositio. Ergo Deus est immutabilis.

c) Omne, quod mutatur, est ens finitum, et aliquid de novo acquirit, quo prius carebat. Deus autem est ens infinitum. Ergo.

His adde celebre argumentum Sallustri, philosophi neo-platonici saec. iv, qui ad rem apposite ajebat: «Omne, quod mutatur, vel in melius vel in deterius mutatur. Si in deterius, fit pejus. Si in melius, jam autem malum erat»[2]. Utrumque Deo repugnat. Ergo.

138. Scholion. Deus in sacris litteris et SS. Patribus passim dicitur poenitentia, ira, tristitia, zelotypia, amore, odio, etc., affici. Item legitur Deum mutare consilium, id est, aliquid mox voluisse mox noluisse, nunc irasci nunc reconciliari. Haec et alia effata, quae Deum mutabilem facere videntur, vel intelligenda sunt metaphorice, vel certe innuunt hagiographos et SS. Patres nostro captui sese accommodasse. Haec siquidem omnia Deus unico et simplicissimo actu efficit, cum absque ulla ex parte sui imperfectione aut mutatione diversos effectus, etiam correspondentes ad actus amoris, odii, gaudii, tristitiae, etc., producit. Tota igitur mutatio est in effectu. Ita rem explicat S. *Augustinus* dicens: «Quando eum poenitet, non movetur et mutat; sicut, quando irascitur, non movetur et vindicat; quando miseretur, non dolet; et quando zelat, non cruciatur et cruciat»[3]

Corollarium. Deus item dicitur in sacris litteris descendere, ascendere, ambulare, accedere, recedere, etc., sed haec intelligenda sunt sensu improprio et metaphorico, quatenus varios effectus in diversis locis sine ulla sui mutatione producit

Difficultatibus satisfit.

139. Obj. 1.° *Ex Dei activitate.* Deus de non creante fit creans, et ex tempore factus est appellaturque Creator, Dominus, etc., ut ait *S. Augustinus*[6]. Ergo Deus mutatus est.

Resp. I. Hoc argumentum tangit difficultatem judicio S. *Augustini*[6] insolubilem, quomodo scilicet Deus in tempore inceperit esse et appellari realiter Dominus, Creator, etc., quin aliquid in se receperit vel realiter mutatus fuerit.

Resp. II. Dist. ant. Deus de non creante fit creans, et ex tempore factus est realiter Creator, Dominus, etc., per novum terminum extra se productum, conc.; per aliquid reale in Deo receptum, neg. Denominationes hujusmodi sunt relativae, quae nequibant sine correlativo competere Deo ab aeterno. Hinc ante creationem non erat Deus Creator et Dominus. Fundamentum tamen harum relationum, actio scilicet formaliter immanens et

1 S. Thomas, 1 *p.,* q. 9, a. I.—Hic loquitur S. Doctor de mutationibus, quae naturaliter fiunt, non de conversione totius substantiae, quae fieri potest et fit in Eucharistiae sacramento, et in quo nihil remanet de primitiva substantia.

2 Tract, zapt &3«>v κaι χοαμ,οΰ De diis et mundo.

3 *Contra advers. legis et proph.,* lib. 1, c. 20, n. 40; ML 42, 628. Cfr. Hetzenauor, *Theol. bibl.,* vol. 1, § 38, n. 2.

4 Cfr. Urraburu, *Theodicea,* vol. I, n. 165, obj. 3

5 *De Trinitate,* lib. 5, c. 16; ML 42, 922.

6 *De civ. Dei,* lib 12, c. 15; ML 41, 365 S. Augustino suffragatur Hurler, *De Deo uno,* n. 60.

virtualiter transiens, erat ab aeterno in Deo. Cum autem Deus per suam actionem res in esse producit, nihil reale in se recipit, sed ex eo quod creaturae realiter ad ipsum referantur, denominatur Creator, Dominus, etc., sicut columna dicitur dextra vel sinistra absque ulla sui mutatione.

Instabis 1.° Nequit aliquid intrinsece denominari, sicut Deus denominatur Creator, sola mutatione alterius objecti. Ergo.

Resp.—Dist. ant. Nequit aliquid intrinsece denominari denominatione absoluta, transeat; relativa, neg. Nihil fit absolute ex malo bonum, ex parvo magnum, etc., sine sui mutatione; bene tamen fit aliquid melius aut majus quam hoc vel illud ex sola hujus mutatione. Ita paries albus dicitur nunc similis nunc dissimilis alteri parieti ex sola hujus mutatione.

Instabis 2.° Si actus creandi foret in Deo aeternus, ab aeterno et necessario Deus creavisset. Ita *Giinther.*

Resp.— Dist. ant. Si actus creandi, sicut est immanenter aeternus, foret ad extra aeternus, conc.; secus, neg. Actus creandi, quatenus est immanens in Deo, est quidem aeternus, sed quatenus est virtualiter transiens, ex tempore terminatur ad creaturas.

Obj. 2.° Intellectus divinus cognoscit creaturas modo futuras, modo praesentes, modo praeteritas; Petrum videt nunc justum, nunc injustum. Ergo mutatur.

Resp, Dist. ant. Intellectus divinus cognoscit creaturas modo futuras, etc., eodem simplicissimo actu in sua essentia, conc.; diversis actibus successive repetitis et ab objecto determinatis, neg. Deus habet omnes creaturas omnesque earum vicissitudines sibi praesentes àb aeterno, et cognoscit eas in se ipso actu simplicissimo et perfecto.

Obj. 3.° *Ex mysterio incarnationis. Verbum* divinum in incarnatione *caro factum est,* humanam naturam adsumens in unam divinam personam. Ergo mutatum est. Aliter siquidem nunc se habet quam antea.

Resp.—Dist. ant. Verbum caro factum est per mutationem humanae naturae adsumptae, conc.; per mutationem sui ipsius, neg. Verbum in unione hypostatica non aliter se habuit subjective quam antea, neque adhaesit humanitati per modum formae inhaerentis, ut requiritur ad mutationem, sed per modum termini adsumentis naturam et communicantis subsistentiam, quod certe fieri potest sine mutatione Verbi, ut videbimus in tractatu de *Verbo incarnato.*

Obj. 4. *Ex libertate Dei.* Deus est omnino liber. Sed'libertas supponit indifferentiam et mutabilitatem in voluntate. Ergo Deus est mutabilis.

Resp. Gravissimam omnium haec objectio tangit difficultatem. Si Deus est liber cum facultate ponendi vel non ponendi actum, quomodo est immutabilis? Si immutabilis, quomodo indifferens et liber? *Aristoteles* haec duo componere non valens negare visus est libertatem Dei.[1]

Dist. maj. Deus est liber indifferentia activa *terminativa* ad objecta non necessaria, conc.; indifferentia activa *entitativa,* quatenus, actus ejus possit esse vel non esse, neg. Duplex est objectum voluntatis divinae, essentia scilicet divina et perfectio creaturarum. Utrumque Deus eodem simplicissimo actu diligit. Actus divinae voluntatis, quatenus essentiam Dei diligit, est omnino necessarius, sicut necessarius est ipse Deus; quatenus bonitatem creaturarum amat, est liber. Actus igitur liber Dei est ipse actus necessarius, quatenus ad objecta non necessaria terminatur. De his latius infra.

1 *Phys.,* 8, i et 6; *De caelo,* lib. 1, cc. 9-10.

ARTICULUS II

UTRUM SOLUS DEUS SIT OMNINO IMMUTABILIS

140. Thesis. **Solus Deus est omnino immutabilis: creaturae omnes mutabiles.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Sacrae litterae passim Deum immutabilem, creaturas vero mutabiles praedicant. *Ipsi peribunt,* ait regius Vates, *tu autem permanes........mutabis eos et mutabuntur*[1]. Apostolus item de Deo ait: *Qui solus habet immortalitatem*[2].

2) *Ex SS. Patribus. Boetius:* «Terrarum caelique sator, qui tempus ab aevo ire jubes; stabilisque manens das cuncta moveri»[3]. S. *Augustinus:* «Si solus ipse (Deus) incommutabilis, omnia, quae fecit, quia ex nihilo fecit, mutabilia sunt»[4].

3) *Ex ratione.* Dupliciter potest esse aliquid mutabile. *Uno modo* per potentiam, quae in alio est. *Aliero modo* per potentiam, quae in ipso est.

a) *Primo modo* omnia creata sunt mutabilia quantum ad esse substantiale et accidentale. «Sicut igitur in potentia creatoris fuit, ut res essent, antequam essent in se ipsis, ita in potentia Creatoris est, postquam sunt in se ipsis, ut non sint»[5].

b) *Alio modo* aliquae creaturae sunt mutabiles quoad esse substantiale et omnes quoad esse accidentale, *a) Omnia corporalia* sunt mutabilia quoad substantiam, quia, cum sint generationi et corruptioni obnoxia, secum compatiuntur potentiam ad aliam formam substantialem, quam revera recipiunt, cum primam amittunt. Accidentaliter toties mutantur, quoties novas formas accidentales induunt. In rebus igitur corporeis attenditur mutabilitas substantialis et accidentalis per potentiam in ipsis exsistentem, *b) Substantiae spirituales* minime subjiciuntur mutationi substantiali ab intrinseco. Multipliciter tamen mutantur quoad accidentalia: a) quantum ad electionem, quia mutare possunt consilium; β) quantum ad locum, quia virtute sua possunt attingere loca, quae prius non attingebant; γ) quantum ad actiones, quas diversimode operantur.

Solus Deus, qui est ab hujusmodi mutationibus omnino liber, dicitur omnino immutabilis.

1 *Ps.* 101, 27.
2 *I Tim.,* 6, 16.
3 *De consol, phil.,* 3, metr. 9; ML 63, 758.
4 *De natura boni,* c. 1; ML 42, 551.
5 S. Thomas, *I p.,* q. 9, a. 2.

QUAESTIO X

DE AETERNITATE DEI

S. *Th., I p., q. 10.*

ARTICULUS I

QVID SIT AETERNITAS

141. 1) Aeternitas quandoque *late* quandoque *stride* sumitur.

a) Aeternitas *late* sumpta potest significare a) diuturnam durationem, et sic montes aliquando in S. Scriptura vocantur *aeterni: Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis* [1]; β) durationem eorum, quae nunquam deficient, sicut ignis inferni et visio beatifica: *Ibunt hi in supplicium aeternum: justi autem in vitam aeternam* [2]; γ) ea, quae sunt necessario vera; quo pacto essentiae rerum dicuntur *aeternae veritatis.*

b) Aeternitas *stricte* sumpta significat plenitudinem omnis durationis in actu purissimo, quae excludit non tantum initium et finem, sed possibilitatem quoque successionis; et definitur a Boetio: *Interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio* [3]

2) Tria hic quaeruntur: 1.° Utrum aeternitas recte a Boëtio definiatur: 2° An aeternitas habeat rationem durationis: 3.° Num habeat rationem mensurae respectu Dei et creaturarum.

142. Placita theologorum. Quantum ad 1.um communiter admittunt theologi definitionem Boetii.

Quantum ad 2.um *Aureolus* [4] confundens durationem cum successione secundum prius et posterius, ct *Banez* [5] autumans aeternitatem significare solum uniformitatem mensurae, dixerunt contra communissimam sententiam aeternitatem formaliter loquendo non esse durationem sed mensuram durationis divinae.

Quoad 3.um variae circumferuntur auctorum opiniones. 1) *Vazquez* [6] negavit aeternitatem esse mensuram Dei. 2) *Ferrariensis, Zumel* et *Banez* [7], quibus subscribere visus est *Valentia* [8], existimant aeternitatem habere rationem mensurae respectu Dei, non quidem per se et formaliter sed per respectum rationis; quia, cum ratio mensurae importet relationem quamdam ad mensuratum, et nulla sit in Deo relatio realis praeter relationes personales, censent rationem mensurae convenire aeternitati solum per operationem rationis. Unde dicunt aeternitatem esse mensuram realem durationis divini esse fundamentaliter, completive vero ab opere intellectus, c) *Gonet, Blasius a Conceptione* [9] et alii putant aeternitatem habere rationem men-

1 *Ps.* 75, 5.
2 *Matth.,* 25, 46.
3 *De consol.,* lib. 5, pros. 6: ML 63, 858.
4 *In I Sent.,* dist. 19, q. 2, a. 2.
5 *In I p.,* q. 10, a. 2, *Nota ultimo.*
6 *In I p.,* disp. 31, c. 6.
7 Ferrariensis, *Contr. Gent.,* lib. I, c. 15, *Proportionaliter ergo;* Zumel, *In I p.,* q. 10, a. I, q. 2, concl. 2; Banez, *In I p.,* q. 10, a. 1, concl. 2, 3 et 4.
8 *In I p.* disp. 1, q. 10, p. 1.
9 Gonet, *De Deo uno,* disp. 4, a. 7, § 2; Blasius a Conceptione, *Metaphysica,* disp. 16, q. 2.

surae virtualis, non formalis, respectu Dei. d) *Plures thomistae* tenent aeternitatem formaliter importare rationem mensurae respectu esse divini.

143. Thesis **I. Aeternitas est «interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio».**

Arg. Ad aeternitatem requiritur et sufficit immutabilis ac firmus status entis perfectissimi cum triplici carentia principii, finis et successionis, quia ut egregie ait *Gabriel a S. Vincentio,* «aeternitas non habet initium, neque finem, non successionem; non ante, non post; non praeteritum neque futurum; sed est perpetuum nunc-stans, continens in se omnia tempora, omne principium, omnem finem, omnem successionem, omne praeteritum, omne praesens, omne futurum»[1]. Haec autem satis exprimuntur in data definitione Boëtii. Ergo. Dicitur: *Possessio,* id est, plenitudo modusque essendi stabilis ac perfectus, quin aliquid unquam exspectetur; *vitae,* entis scilicet perfectissimi, cui competat esse et vivere [2]; *interminabilis,* tum quoad futurum tum quoad praeteritum sine initio et sine fine; *tota simul et -perfecta,* qua Deus omne, quod est, scilicet omnem substantiam et omnem operationem, in actu purissimo possidet sine successione ab esse ad non esse, et sine vicissitudine operationum, quarum una excipiat alteram, ac sine fluxu secundum prius et posterius [3].

144. Thesis **II. Aeternitas secundum formalem suum conceptum est vere et proprie duratio.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Exsistentia Dei in sacris litteris passim exprimitur nominibus importantibus durationem, ut cum dicitur Deus in aeternum vivere[4][5] in aeternum permanere[8], vel laudatur ut antiquus dierum[e]. Unde S. *Thomas* haec habet: «Tria praedicta nomina—aeternitas, tempus et aevum—significant durationem quamdam»

2) *Ex ratione.* Aeternitas, utpote possessio stans tota simul, est permanentia immutabilis Dei in plenitudine vitae. Sed haec permanentia formaliter importat durationem, quia eo magis res durare dicuntur, quo magis permanent. Ergo. Duratio igitur non importat successionem secundum prius et posterius, ut Aureolus comminiscitur, quin potius opponitur variationi [8].

1 *De Deo uno,* disp. io, dub. i, n. 5.

2 «Processio autem durationis, ait Angelicus, videtur attendi secundum operationem magis quam secundum esse». *I p.,* q. 10, a. 1 ad 2.

3 «In tempore est duo considerare; scilicet ipsum tempus, quod est successivum, et nunc temporis, quod est imperfectum. Dicit ergo *tota simul* ad removendum tempus, et *perfecta* ad excludendum nunc temporis» S. Thomas, */ p.*, q 10, a. i ad 5.

4 *Eccli.,* 18, i.

5 *Dan,* 7, 14, 27; *Ps.* 101, 27.

6 *Ps.* 142, 5.

7 *In I Sent.,* dist. 19, q. 2, a. 1.

8 Hoc sensu quotidie partim morimur, ut dicit S. Augustinus, *De civ. Dei.* lib. 13. c. 10; ML 41, 383, «quoniam quidquid temporis vivitur, de spatio vivendi demitur»; et Sonoca ajebat: «Quidquid aetatis retro est, mors tenet». *I'.ρ* i, n. 2.

145. Thesis **III. Aeternitas est formaliter mensura intrinseca, adaequata et homogenea esse divini.**

Nota. Ante probationem animadvertendum est cum *Gabriele a S. Vincentio* et *Laurentio a S. Theresia* [1] mensuram posse bifariam distingui; una est intrinseca, extrinseca altera. *Intrinseca* rem ipsam intrinsece afficit atque mensurat, ut quantitas mensurat substantiam. *Extrinseca* rem per applicationem externam mensurat, ut ulna pannum. Item mensura potest esse *homogenea* seu *adaequata* et *heterogenea* seu *superexcedens,* prout adaequat vel excedit quantitatem rei mensuratae. Diximus aeternitatem esse mensuram *intrinsecam* et *adaequatam* Dei.

Arg. Mensura est ratio cognoscendi quantitatem alicujus rei. Sed per aeternitatem cognoscitur quantitas Dei in durando. Ergo aeternitas est formaliter mensura Dei. Unde Deus concipitur ut quid mensuratum et aeternitas ut mensurans, ita tamen ut virtualiter solum non realiter distinguantur.

Hanc mensuram esse intrinsecam et adaequatam inde constat, quod non distinguatur ab ipso Deo nisi virtualiter.

146. Thesis **IV. Aeternitas est vere et proprie mensura durationis creaturarum, heterogenea tamen et superexcedens.**

Arg. Ratio hujus, doctrinae est, 1) quia, ut inferius explicabitur, Deus intuitive videt omnes creaturas in sua aeternitate. Ad rem S. *Thomas:* «Quia id, quod per essentiam dicitur, semper est mensura ejus, quod dicitur per participationem, potest dici, quod prima mensura omnium aeternorum est ipsa Dei aeternitas» [2]. 2) Quia aeternitas est mensura actionis divinae, qua res in esse producuntur. Ergo est etiam mensura durationis creaturarum.

Est tamen mensura creaturarum heterogenea et superexcedens, quia omnes creaturas in infinitum excedit. Hic excessus attenditur, ut bene ait *Joannes a S. Thoma* [3], primo *quantum ad extensionem,* quia omnes creaturarum durationes complectitur sine termino, et secundo *quantum ad modum mensurandi,* quia immutabiliter omnia mensurat, dum res creatae fluxu quodam continuo agitantur.

ARTICULUS II

UTRUM DEUS SIT AETERNUS

147. Status quaestionis. Hic agimus de aeternitate stricto sensu, et quaerimus, an Deus sit ens initio, fine et successione carens.

Errores. Mon solum ethnici, qui multitudinem deorum atque dearum posuerunt,[*] verum etiam materialistae, pantheistae, et quotquot Deum mutationi obnoxium esse dixerunt, aeternitatem Dei negavere.

1 Gabriel a S. Vincentio, *In I p.,* disp. IO, dub. 3, n. 18; Laurentius a S. Theresia, *Spicii, theol.,* t. 1, p. 2, controv. 9, § 3.
2 *Quodlib.* 5, a. 7.
3 *In I p.,* q. 10, disp. 9, a. 2.
• Gentiles non semel deorum genealogiam confecere vel natalitia celebravere.

148. THESIS. Deus est proprie aeternus.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura,* a) Aeternitas Dei praedicatur in sacris litteris per nomen *Iahve,* quod «ipsum esse, totum esse, plenitudinem essendi» significat; quia ipsum esse initio, fine et successione caret. Unde dicitur in Genesi: *Abraham vero plantavit nemus in Bersabee, et invocavit ibi nomen Domini Dei aeterni*[1]. id est, *Iahve* Deum aeternum[2].

b) Regius Vates aeternitatem Dei declarat dicens: *Initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt caeli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut opertorium mutabis eos et mutabuntur: tu autem idem ipse es et anni tui non deficient*[3]. Merito docent interpretes aeternitatem Dei hic sine initio, successione et fine significari; sine initio: *ab initio tu, Domine, terram fundasti*[4]; sine successione: *tu autem idem ipse es:* sine fine: *tu autem permanes... anni tui non deficient.*

c) Id ipsum ostendunt illa verba: *Ego sum alpha et omega, primus et novissimus, principium et finis*[5]. His verbis innuitur principium et finem in Deo conjungi sine successione. Successio siquidem est motus a principio in finem[6].

2) Concilia Oecumenica Lat. IV[7] et Vaticanum[8] solemniter declaraverunt Deum esse aeternum: et in symbolo S. Athanasii Pater et Filius et Spiritus Sanctus dicuntur unus aeternus[9].

3) Aeternitas, ut modo diximus, est interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio. Sed Deus est a) *vita,* actus scilicet purissimus et ens perfectissimum; b) *interminabilis* et *totus simul:* sine initio, quia nemo poterat ipsi dare esse: *Parata sedes tua ex tunc, a saeculo tu es*[10]; sine successione, quia est immutabilis: *Ego sum alpha et omega, primus et novissimus*[11]; sine fine, quia immutabilis et necessarius: *Dominus in aeternum permanet*[12]; c) *perfecta possessio,* quia est *ipsum esse, totum esse* et infinite perfectus.

Corollarium. Ex his consequitur Deum non solum aeternum sed ipsam quoque aeternitatem esse. Nam, ut ait S. *Thomas*[13], Deus est suum esse uniforme ipsaque duratio. Unde, sicut est sua essentia, ita sua aeternitas. «Aeternitas, ait S. *Augustinus,* ipsa Dei substantia est, quae nihil habet mutabile»[14].

1 *Gen.,* 21, 33.
2 Ita hunc locum interpretantur Gesenius, *Thesaurus,* 1036; Oehler, *Théologie,* 154, et alii.
3 *Ps.* 101, 26-28.
4 Ex hoc patet Deum ab initio jam fuisse.
5 *Apoc.,* 22, 13.
6 Cfr. Knabenbauer, *Is.,* 2, 87.
7 Denz-Bannw., 428.
8 Denz-Bannw., 1782.
9 Denz-Bannw., 39. Idem definitura est in Concilio Rhemensi. Cfr. Denz-Bannw., 391.
10 *Ps.* 92, 2.
11 *Apoc.,* 22, 13.
12 *Ps.* 9, 8.
13 *I p.,* q. 10, a. 2
14 *Enarrat, in ps.* 101, 2, 10; MI, 37, 1311

ARTICULUS III

UTRUM SOLUS DEUS SIT PROPRIE AETERNUS

149. Status quaestionis. Ab antiquis jam temporibus disputatum fuit et hodie quaeri solet, an mundus actualis vel aliqua saltem materia, sive creata sive increata, exstiterit ab aeterno. At quaestio in praesenti non est de exsistentia Dei aut creaturarum ab aeterno; de hoc enim disseremus dum de Deo creatore.

Hic solum quaeritur, an aeternitas proprie dicta sine initio, successione et fine soli Deo conveniat vel etiam creaturis.

150. Errores, i) Nemo hucusque, quod sciam, aeternitatem formaliter spectatam creaturis adscribere ausus est. Ipsi antiqui philosophi et quotquot hodie temporaneam mundi creationem mordicus inficiari conantur, admittunt res mundanas continuo fluctu sibi succedere.

2) Partim tamen in hoc erraverunt a) *veteres quidam philosophi,* qui materiam caelestem dixerunt esse increatam et substantialiter incorruptibilem, quoad accidentia mutabilem; b) *palamitae* ponentes lumen quoddam adspectabile, Deo coaeternum, increatum; c) *Rosminius,* qui ponebat esse quoddam ideale, necessarium et aeternum, divinum a Deo distinctum, d) *Plures hodierni philosophi* qui docent mundum esse a se et aeternum.

151. Thesis. **Aeternitas proprie dicta soli Deo competit.**

Arg. Omnis creatura, ut ex philosophia constat et inferius probabitur, initium habuit, continuae successioni subjacet et finem accipere potest. Ergo aeternitas proprie dicta soli Deo competit.

Aeternitatem tamen aliquo modo participare possunt creaturae. Ad rem S. *Thomas:* «Secundum tamen quod aliqua ab ipso (Deo) immutabilitatem percipiunt, secundum hoc aliqua ejus aeternitatem participant. 1) Quaedam ergo quantum ad hoc immutabilitatem sortiuntur a Deo, quod nunquam esse desinunt. Et secundum hoc dicitur *(Eccl.* 1) de terra, quod *in aeternum stat;* et sic aeternitas angelis attribui potest, secundum illud ps. 75, 5: *Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis.* 2) Quaedam etiam aeterna in Scripturis dicuntur propter diuturnitatem durationis, licet corruptibilia sint; sicut in psalmis dicuntur *montes aeterni...* 3) Quaedam autem amplius participant de ratione aeternitatis, in quantum habent intransmutabilitatem, vel secundum esse, vel ulterius secundum operationem, sicut angeli et beati, qui Verbo fruuntur, quia *quantum ad illam visionem Verbi non sunt in sanctis volubiles cogitationes,* ut dicit *Augustinus (De Trinitate,* lib. 15, c. 16; ML 42, 1079). Unde et videntes Deum dicuntur habere vitam aeternam, secundum illud *(Joan.,* 17, 3): *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum* L

152. Scholion I. 1) *Aevum est duratio rerum quoad substantiam incorruptibilium et quoad operationes mutabilium tota simul exsistens* 2.

1 *I p.,* q. io, a. 3.

2 S. Bonavontura, *In II Sent.,* dist. 2, p. 1, a. i, q. 3, docet aevum importare ducationem essentialiter et formaliter successionem secundum prius et posterius sine

Dicitur a) *duratio* rerum quoad substantiam incorruptibilium, creaturarum scilicet spiritualium, sicut aeternitas est duratio divini esse, b) *Tota simul* sine successione, quia, cum aevum sit duratio entium incorruptibilium et immutabilium quoad substantiam, nullam potest successionem vel vicissitudinem pati. Unde, si Deus unum angelum de novo conderet vel jam exsistentem in nihilum redigeret, duratio eorum crastina vel respective hesterna non haberet intrinsece rationem futuri vel praeteriti, quia praesens duratio angelorum complectitur et realiter sibi identificat utriusque spiritus producendi et annihilari durationes Extrinsece tamen et per coexsistentiam ad alias durationes, angelus creandus diceretur futurus, et annihilatus vocaretur praeteritus, quia eorum exsistentia responderet diversis partibus nostri temporis.

2) *Aevum proprie dictum habet rationem mensurae respectu esse et durationis substantiarum spiritualium* [1] [2]. «Per prius, ait S. *Thomas,* invenitur ratio mensurae in aevo quam in tempore» [3]. Ratio est, quia aevum simplicius et uniformius in supremo aeviterno exsistens, ut modo explicabitur, est ratio cognoscendi quantitatem virtualem omnium substantiarum spiritualium inferioris ordinis.

3) *Aevum in primo aeviterno exsistens et mensurans duralionem inferiorum substantiarum spiritualium est unicum* [4]. Ratio est, quia unumquodque mensuratur per illud, quod est primum, uniformius et simplicius in suo genere. Hoc autem in angelis unum est, quia substantia angelica, in qua exsistit, est unica in sua specie. Ergo, sicut tempus mensurans motum apparentem spherae caelestis est unitas mensurae pro quovis alio tempore, ita aevum, quod est mensura aliorum aeviternorum, unum est.

4) *Aevum reponendum est tanquam in subjecto in supremo angelo ex beatis* [5] [6] Quamvis fortasse supremus angelus ex beatis non fuerit in

innovatione vel mutatione partium, quasi daretur duplex successio, una cum mutatione partium, ut tempus, altera uniformiter manens sine mutatione, ut lux procedit a sole. Eamdem opinionem sequuti sunt Lugo, *De Eucharistia,* disp. 5. sect. 3, n. 65; Arriaga, *Physica,* disp. 15; San, *Cosniologia,* n. 505; Casanova, *Ontologia,* n. 240, et alii. Sententia tamen S. Thomae in textu exposita est communior.

1 Nec angelus recens productus esset junior alteri. Cfr. Complutenses, *Phys.,* disp. 21, q. 2, § 4.

2 Est contra Vazquez, *tn I p.,* disp. 34, 35, et Suarez, *Metaphys.,* disp. 50, sect. 6, qui diversis ducti rationibus censuerunt aevum non esse mensuram durationis spirituum.

3 *Opusc.* 36, c. 4.

4 «De substantiis spiritualibus, ait S. Thomas, duplex fuit opinio. Quidam enim dixerunt, quod omnes processerunt a Deo in quadam aequalitate, ut Origenes dixit, lib. i.° *Periarchon,* c. 8, vel etiam multae earum, ut quidam posuerunt». Secundum hanc «opinionem neccsse est dicere, quod sunt plura aeva secundum quod sunt plura aeviterna». Hanc sententiam tenuit S. Bonaventura, *In II Sent.,* dist. 2, p. I, a. i, q. 2, cui recenter subscripsit Casanova, *Ontologia,* n. 240. «Alii vero dixerunt, quod omnes substantiae spirituales processerunt a Deo quodam gradu et ordine...» Secundum hanc opinionem «oporteret dicere, quod sit unum aevum tantum; quia, cum unumquodque mensuretur simplicissimo sui generis, ut dicitur in *I Metaphys.,* text. 4, oportet, quod esse omnium aeviternorum mensuretur per esse primi aeviterni, quod tanto est simplicius, quanto prius. Et quia secunda opinio verior est, ut infra ostendetur, q. 47, a. 2, concedimus ad praesens unum esse aevum tantum». *I p.,* q. to, a. *b*

6 Non parum disputatum est ab auctoribus de subjecto aevi. Nonnulli cen-

creatione natura primus, intuitione tamen rerum in speculo aeternitatis est reprobis simplicior et uniformior; quoad naturalia vero est superior aliis angelis beatis et anima Christi. Ergo in supremo angelo ex beatis constituitur aevum.

Tempus est nunc fluens seu duratio eorum, quae mutantur.

153. Scholion II. Praeter aeternitatem, aevum et tempus, quae hactenus recensuimus, alia duo numerantur mensurarum genera, *tempus* scilicet *discretum* et *aeternitas participata,* ut operationes indivisibiles angelorum sibi succedentes et visio beatifica mensurentur \ 1) *Temptes discretum* est successio plurium operationum angelorum, quae nec sunt connaturales et necessariae, nec transeuntes ad objecta corruptibilia, sed transeuntes ad substantias spirituales. Hae operationes angelorum, indivisibiles cum sint, ad arbitrium variantur et sine continuatione sibi succedunt, vocanturque *instantia angelica* 1. 2) *Aeternitas participata,* quantum ad praesens, non est ipsa Dei aeternitas essentialis, quatenus extrinsece mensurat beatitudinem creatam, ut *Banez, Ferrariensis, Gabriel a S. Vincentio* 3 et alii dixerunt, sed duratio quaedam peculiaris ordinis supernaturalis, nomine proprio carens, quae mensurat visionem beatificam angelorum et sanctorum 45

154. Scholion III. Ex his sponte fluit doctrina de distinctione aeternitatis, aevi, temporis continui, temporis discreti, et aeternitatis participatae.

1) *Aeternitas* est duratio et mensura Dei sine initio, successione et fine: Est propria Dei, perfectior superiorque caeteris durationibus, quas in se continet s.

2) *Aevum* est duratio et mensura eorum, quae secundum substantiam sunt incorruptibilia, et quoad operationes variabilia. Est nostro tempore excellentior, non tamen continet intra suum ambitum omnia tempora. Aevo mensurantur a) substantiae spirituales creatae, et b) operationes connaturales intellectus angelorum, quibus se necessario cognoscunt ®.

3) *Tempus continuum* est duratio et mensura eorum, quae secundum suum esse et operari mutantur. Hoc tempore mensurantur a) omnes substantiae corruptibiles, et b) operationes transeuntes angelorum, quae versantur circa corruptibilia.

suerunt aevum subjectari in ipso Deo. Nazarius, *In I p.,* q. io, a. 6, controv. un., conci, ult , reposuit aevum absolute loquendo in anima Christi. Banez, *In 1 p.,* q. IO, a. 6 ad 2, et alii, quorum doctrinam probabilem vocat Valentia, *In 1 p.,* disp. i, q. io, p. 3, *Et notandum,* defendunt Luciferum, supposito quod fuerit in creatione perfectissimus angelorum, esse subjectum aevi.

1 Cfr. S. Thomas, *I p.,* q. io, a. 5 ad 1.

2 Cfr. Salmanticenses, *De angelis,* disp. 3, n. 134.

3 Banez, *In I p.,* q. 10, a. 5, dub. 4, *Pro cujus intelligentia;* Ferrafiensis, *Contra Gentiles,* lib. 3, c. 61, *Sed attendendum est;* Gabriel a S. Vincentio, *In I. p.,* disp. 10, n. 28 sq.

1 Cfr. Cajetanus, *In I p.,* q. 10, a. 5; Valentia, *In I p.,* disp. 1, q. 10, p. 3 in fine; Joannes a S. Thoma, *In I p.,* disp. 10, a. I.

5 Cfr. Salmanticenses, *De angelis,* disp. 7, n. 48.

• Vid. S. Thomas, *Quodlib.* 5, a. 7. Contendunt Ockam, *In II Sent.,* q. 13, et Vazquez, *hi I p.,* disp. 35, c. 2, tempus nostrum esse mensuram durationis et operationis connaturalis angelorum.

4) *Templis discretum* est successio plurium operationum angelorum, constans pluribus instantibus successivis sine continuatione, quibus angeli per species divinitus infusas cognoscunt, illuminant, etc., substantias immateriales nostro tempori non subjectas[1] Diximus *per species divinitus infusas,* quia cognitio connaturalis, qua angelus se ipsum per suam substantiam cognoscit, mensuratur aevo.

5) *Aeternitas participata* est duratio quaedam specialis ordinis supernaturalis, qua mensuratur visio beatifica tum angelorum tum sanctorum in caelo.

QUAESTIO XI

DE UNITATE DEI

5. *Th., I p., q. **II.***

ARTICULUS I

UTRUM DEUS SIT UNUS

155. Status quaestionis. Unum potest esse *transcendentale* vel *numericum.* Primum definitur: *id, quod est indivisum in se et divisum ab omnibus aliis.* Alterum: *id, quod ita est in se solum, ut excludat aliud individuum ejusdem naturae.* Porro Deum esse transcendentaliter unum patet, quia omne, quod exsistit, sive simplex sive compositum, unum est[2]. Controversia est de unitate Dei numerica seu praedicamentali, et quaeritur, an Deus sit quoad essentiam unicus.

156. Errores. Tria sunt errorum genera circa unitatem Dei, *polytheismus, dualismus* et *tritheismus.*

i) *Polytheismus* est error eorum, qui admittunt plures deos[3]. Intime connectitur cum idololatria, quae stricte est cultus superstitiosus idolorum seu imaginum ac simulacrorum, et latius dicitur objecti cujuslibet creati superstitiosa adoratio[4]. Vix enumerari queunt deorum millia, quae finxe-

1 Est doctrina communis contra Scotum, *In II Seni ,* dist. 2, q. 4, et Vazquez, *In I p.,* disp. 36, c. 1.

2 Cfr. S. Thomas, *I p.,* q. ıı, a. I.

3 Monotheismum professi sunt homines ab initio, non feticismum, ut aliqui somniarunt, neque daeinonolatriam, ut malitiose defendit Stade, *Théologie,* 109 sqq. Polytheismus incepit 1) *tempore Enos,* nepotis Adae, juxta plures hebraeos apud S. Hieronymum, *In Gen.,* 4, 26; ML 23, 994. 2) *Tempore Cham,* in Aegypto juxta Lactantium, *Div. hist.,* lib. 2, c. 14; ML β, 328; cujus tamen verba non de Cham filio Noe sed de Chanaan interpretatur Roselli, *Summa phil.,* t. 5, q. 25, a. 2, n. 1233, in nota. 3) *Tempore Nini,* filii Beli seu Nemrod apud assyrios et Chaldaeos juxta S. Hieronymum, *in Oseam,* c. 2, 16-17; ML 25, 838. 4) *Tempore Saruch,* proavi Abrahae, juxta S. Epiphanium, *Adv. haer.,* hacr. 1-4, n. 6; MG 41, 187. Huic sententiae subscripsit S. Thomas dicens: Circa aetatem Abrahae «coeperunt homines a fide unius Dei deviare». *II-II,* q. 174, a. 6. Cfr. Dominicus a SS. Trinitate, *bibliotheca theol.,* lib. 4, sect. 4, c. 1.

4 Omnis cultus superstitiosus, qui rebus sensibilibus tanquam Deo tribuitur, nomine generico vocatur *idololatria;* peculiari tamen nomine proprius nuncupatur per ipsa objecta, quibus cultus tribuitur; sic vocatur *astrologia* seu *sabaeismus* 1ul tus astrorum, *daemonolatria* cultus daemonum, *animismus* cultus animarum de-

runt cQÏueruntque gentes apucl babylonios, assyrios, chananaeos, japonenses, persas, indos, aegyptios, graecos, romanos, germanos, mexicanos, peruanos, etc. '.

2) *Dualismus* seu *Diiheismus* est systema eorum, qui posuerunt duplex summum principium, unum bonum, auctorem boni, alterum malum, causam mali. Ex polytheistis plures inter innumeram deorum dearumque turbam, quam agnoverunt, duos plerumque principaliores deos, principium boni et mali, admisere. *Persae* sunt Ormudz et Ahriman; *aegyptii* Osiris et Typhon; *indi* Wischnu et Schiwa; *germani* Baldur et Hoder; *gnostici* abyssus et silentium, id est, principium lucis ac tenebrarum, e quibus triginta oeones processerunt a. Etiam *manichaei 3* et *priscillianistae* ⁑ dualismum professi sunt atque propagarunt.

3) *Tritheismus* est systema admittentium tres deos. Auctores habet *Joannem Asconaghe* et *Joannem Philopommi.* qui saeculo vi tres in divinitate substantias admiserunt. Deinde plures *nominales* auctore *Roscellino,* saeculis xi et xii eamdem doctrinam professi sunt; ac tandem *Giintheriani* in Trinitate non solum tres personas sed etiam tres naturas posuere.

157. Thesis. **Fides catholica docet non esse nisi unum Deum.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura,* a) Unitas Dei certissime praedicatur in sacris litteris per nomen *lahve,* quod significat *ipsum esse, totum esse,* quodque nonnisi unicum esse potest. Unde ait Dominus: *Dominus ipse est Deus, et non est alius* (Deus) *praeter eum* 5. Rursum: *Audi, Israel,*

functorum, *anthropolatria* cultus hominum celebriorum, *pyrolatria* cultus ignis, *toteismus* (a *iotem* voce americana) cultus animalium, *idololatria* cultus imaginum aurearum, argentearum, lapidearum, lignearum, etc., *feiicismus* (a lusit, *feitico* et lat. *tactilius)* cultus cujuslibct objecti materialis, cui divinitas adesse credebatur.

l *Babyloniorum* dii fuerunt Murnrnu, l.ahmu, Lahamu, Bel senior, Ea, Marduk seu Bel junior, filius Ea et Damkina, aliique innumeri. *Assyrii* colebant Asstir (Ansar), Dakan (Dagon), etc. *Chananaei* Bâ'a', Astôret. *Japonenses* habent in suis templis 33, 333 statuas totidem deorum (Cfr. Rev. D. Bertrand. *Dictionnaire,* t. 3, v *Polytcisme). Persae* (a Zoroastro vel Zarathustra versus saec. xni et xr a. Chr.) colunt praecipue Ormuzd seu Ahura-Mazdâ, piincipium boni et ma'i. *Indi* gloriantur de cultu praestito 300 millionibus deorum. *Aegyptiis* dii fuerunt» Ra, Osiris (filius Ra), Typhon, Isis, Horos (filius Osiridis et Isidis) et quotquot inveniri potuerunt mythologiae nomina. Meretrices (Vid. S. Ciprianus, *De idolorum vanitate,* n 4; MI. 4, 570); falco, apis vespa, milvus, accipiter, corvus, vacca, capra, ovis, vitulus (Cfr. S. Cyrillus Alex., *in Is.,* c 11, v. 15; MG 70, 335). canis, fel, rana, serpens, crocodilus, cynocephalus, scarabeus (Vid Plinius, lib 30, c. it), mustela, mus, allium, caepe, porrus, etc., in deorum dearumque dignitatem evecti sunt. *Graecorum* dii numerantur: Zeus cum uxore Gaia-Hera, fratres Poseidon, Ares, Apollo, Artemis, Serapis, etc. *Romanorum* celebriores dii fuere: Jupiter, Janus, Saturnus, Mars, Juno, Vesta, Ceres, Minerva, aliique mille. *Germani* coluerunt Baldur. Hoder, Tiusko, Tin, Wodan. I.oki, Her, Thor, etc. *Mexican!* (Aztckae, Toltekae, Haikotlakae) habuerunt tredecim deitates superiores Huitzilopotchli, Tetzkatlipoka, Quetzalcoatl, etc., aliasque innumeras subordinatas.

2 Cfr. Hergenrother, *Hist, de la Ig!.,* t. r, epoca 1A c. 2, nn. 114 et 130.

3 Cfr. S. August., *Contra Faustum;* Ml. 42, 207 sqq.

' Cfr. Menéndez, y Pelayo, *Hist, de los heterodoxos espa ilotes* (ed. 1"), t. 1, lib. r, c. 2, § 6. Dualismus dicitur fuisse inventus a Zoroastro (saec. xii a. C.); post Christum innovatus est a gnosticis et manichaeis, ac saec. xn ab albigensibus et waldensibus. Sub initium saeculi xviti Bayle (t 1706), *Diet. hist, crit.,* v. Manichéens, defendit nullam in hoc systemate inveniri repugnantiam. Non abhinc multo tempore Schopenhauer et Hartmann finxerunt *pessimismum,* juxta quem datur voluntas quaedam primigenia essentialiter malevola, ex qua cuncta mala oriuntur. Stuart Mill putat originem mali explicari non posse nisi admisso juxta theoriam Platonis quodam substructo improducto et aeterno, quod sit irreducibile ad bonum, vel retento dualismo manichaeorum.

3 *Dent,,* 4. 35.

Dominus (lahve) *Deus noster, Dominus* (lahve) *unus estl;* quasi diceret: lahve, Deus Israel, est lahve unus, quin unquam alius hoc nomen meruerit 2.

b) Unitatem Dei recte colligunt theologi ex primo mandato, quod Dominus dedit homini his verbis: *Diliges Dominum Deum tuum- ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua* 3. «Ex toto corde, ait ad rem *Hummelauer,* diligendus lahve tum solum, si sit *Deus unicus,* quod si enim adstruantur dii duo, suadet ratio et aequitas, ut cor inter illos dividatur» 4.

c) Clarius hoc tradit Dominus dicens: *Ego Dominus et non est amplius: extra me non est Deus: accinxi te* (loquitur de Cyro), *et non cognovisti me; ut sciant hi, qui ab ortu solis et qui ab occidente, quoniam absque me non est. Ego Dominus et non est alter, formans lucem et creans tenebras, jaciens pacem et creans malum. Ego Dominus faciens omnia haec* 5. His verbis non solum docet Dominus se esse solum et unicum Deum, sed reprobat etiam polytheismum eorum, qui bonum et malum, lucem ac tenebras, gemino principio tribuebant 6.

d) In Novo Testamento repetit Christus verba Deuteronomii: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est*78 Et Apostolus ait: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma* ®.

2) *Ex doctrina Ecclesiae.* Concilium Vaticanum declaravit *unum esse Deum verum et vivum* 9. In symbolo nicaeno-cpolitano dicimus: *Credo in unum Deum*10;1 Et in symbolo athanasiano attestamur fidem catholicam hanc esse, *ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur u.*

3) a) *Ex ratione simplicitatis.* Illud, quo essentia individuatur et fit singularis, non potest pluribus convenire, quia, licet essentia, qua Socrates est homo, aliis communicetur, id tamen, quo Socrates est hic Jiomo, non potest esse nisi unicum. Unde essentia, quae per

1 *Deut.,* 6, 4. Cfr. Hummelauer, *in Deui.,* 243.

2 Stade, *Théologie,* 2, 41-42, aliique rationalistae hoc verbum lahve a vera et genuina significatione violenter avertunt dicentes lahve saepe ut deum tonitruorum et fulgurum, aliquando ut deum localem montis Sinai, interdum ut deum cinaeorum-madianitarum, nunquam ut deum unicum nobis exhibitum fuisse. Cfr. Hetzenauer, *Theol. bibi.,* § 38, n. 3. Textum autem Deuteronomii vertunt: lahve est unus, i. e. indivisus in se et divisus ab aliis (DHlmann, *Deui.,* 269 sqq.): vel: lahve solus est Deus Israelis (Berthelet, *Deut.,* 24). Haec tamen interpretatio opponitur tum ipsi nomini lahve, quod singularitatem innuit, tum contextui S. Scripturae. Cfr. *Revue biblique,* 1893, pp. 329-350.

3 *Deui.,* 6, 5.

l *Deui.,* 244.

s *ts.,* 45, 5, 7.

8 Cfr. Knabenbauer, *Isaias,* 2, 176. In confirmationem hujus doctrinae conferri possunt apud Hetzenauer, *Theol. bibi.,* § 38, 3, loca S. Scripturae, in quibus omnes dii gentium vocantur daemonia, vanitates (ps. 95, 5), imo et mendacia, abominationes, faeditates, etc., spiritu et vita destitutae.

7 *Mare.,* 12, 29.

8 *Ephes.,* 4, 5.

9 Sess. 3, c. 1; Denz-Bannw., 1782.

10 Denz-Bannw., 86.

11 Denz-Bannw., 39. Sanctorum Patrum effata circa unicitatem Dei vide apud Dominicum α SS. Trinitate, *Uibliotheea theol.,* t 5, p. 1, lib 4. sect. 4, c 2.

se ipsam individuatur, est unica. Sed essentia divina per se ipsam individuatur adeo ut idem sit Deus'et hic Deus. Ergo impossibile est esse plures deos[1].

b) *Ex infinitate -perfectionis Dei,* ut exponetur articulo sequenti.

158. Scholion I. *De polythéisme.* Quatuor sunt juxta Angelicum Doctorem [2] causae polytheismi. 1) *Inordinatus affectus,* quo homo alios homines ultra modum amavit et veneratus est; 2) *pulchritudo imaginum,* qua homines nimis attracti sunt; 3) *ignorantia veri Dei,* qua homines feruntur ad honorem creaturis deferendum; 4) *interventus daemonum,* quo homines saepe falluntur. His addi possunt cum hagiographis injustitia hominum [3], et perversitas voluntatis hjimànae [4]. Non est verum ethnicos universim veneratos esse cultu relativo idola ac creaturas ut symbola unius Dei, ut Lamennais et plures protestantes docent, quia ex historia et monumentis antiquis constat gentiles non solum vulgares sed etiam doctiores admisisse deorum multitudinem.

Polytheismi aberratio facile excluditur non solum a catholicis, qui doctrinam de unitate Dei a revelatione mutuantur, verum etiam a philosophis, qui naturam ac proprietates entis supremi attente considerant, uti videbimus articulo sequenti.

159. Scholion II. *De dualisme.* Zoroaster aliique philosophi, non valentes explicare originem mali in mundo, dixerunt duo esse principia increata Terum, auctorem boni et causam mali, in suo genere suprema. Sed turpiter in hoc erraverunt. 1) Malum siquidem, cum sit privatio boni debiti, non potest exsistere nisi in bono, cui nititur; et 2) sûminum malum, si daretur, esset ens a se. Ens autem a se oportet esse ipsum esse subsistens infinite perfectum. Repugnat autem ens infinite perfectum esse summum malum.

Corollarium. Ex dictis infertur Deum esse maxime unum, quia est ipsum esse subsistens, et, utpote carens qualibet compositione substantiali, physica, metaphysica et logica, est omnino indivisus. Unde S. *Bernardus* ait: «Inter omnia, quae recte unum dicuntur, arcem tenet unitas divinae Trinitatis» [6].

ARTICULUS II

UTRUM UNITAS DEI DEMONSTRARI POSSIT RATIONE NATURALI EX REBUS CREATIS

160. Status quaestionis. Huic quaestioni occasionem dedere dualismus et polytheismus. Si unitas Dei ex rebus creatis demonstrari potest, quomodo philosophi pagani, qui certe ingenio non caruerunt et

[1] Cfr. S. Thomas, *I p.,* q. ii, a. 3; et *Conip. theol.,* c. 14.
[2] *II-II,* q. 94, a. 4; et *III p.,* q. 70, a. 2 ad 1.
[3] *Hom.,* i, 18.
[4] *Deut..* 32, 17; *Ps.* 105, 37.
[6] *De consid ,* lib. 5, c. 8, n. 19; MI. 182, 799.

mundum visibilem alta consideratione scrutati sunt, polytheismuin admiserunt? Sicut non dantur athei theoretic! per multum temporis, quia ex rebus creatis facile exsistentiam Dei colligunt, ita, si unitas Dei ex rebus creatis demonstretur, videri posset polytheismum esse impossibilem saltem in hominibus doctis, ad longum tempus.

161. Placita theologorum, i) *Traditionalistae, materialistae* et alii, qui negant exsistentiam Dei ex rebus creatis demonstrari posse, inficiantur a fortiori unitatem Dei ratione naturali demonstrari.

2) Demonstrabilitatem unitatis Dei per rationem naturalem negant pariter *Ockamus, Biel, Alliacensis, Bassolus* [1] et alii, quamvis boc naturaliter suadere posse non detrectent.

3) *Joannes Bachonus* [2] docet rationes, quas adducunt *Philosophus, Avicenna, Proculus, Scotus et Aureolus* [3] ad probandam unitatem Dei non esse demonstrativas; et defendit unicam rationem demonstrativam in hac materia esse infinitatem Dei simpliciter in perfectione et universaliter in tota latitudine entis, quae multiplicari nequit.

162. Thesis. **Unitas Dei ratione naturali demonstrari potest ex rebus creatis.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura, Vani autem sunt,* ait Sapiens, *omnes homines, in quibus non subesi scientia Dei, et de his, quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum. qui est, neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex* [4] Maxatot, vani, id est. stulti vocantur, qui ex creatis non potuerunt intelligere *eum qui est—tn* ovxte—lahve, ipsum esse subsistens, unus Deus. In hoc loco sermonem esse de cognitione unius Dei patet ex expressione *eum qui est,* et ex his, quae illico sequuntur; *infelices* enim appellantur, qui operum specie delectati putaverunt res creatas esse deos, et aestimantes saeculum, id est. investigantes universum mundum, *hujus Dominum non facilius invenerunt.*

2) *Ex ratione.* Huc veniunt argumenta, quibus exsistentia Dei a philosophis et theologis demonstrari solet. «Etsi enim, ait *Dominicus a SS. Trinitate,* ejus (Dei) unitas nonnihil abstrusior videatur (quam exsistentia), indeque forsan multo plures fuere, qui in illa quam qui in exsistentia Dei erravere, nihilominus, absolute loquendo, eadem videtur esse ratio de exsistentia ac de unitate Dei. Unde sicut illa demonstrari potest, ita et haec» [6].

Unum tantummodo repetamus argumentum. Naturaliter intelligitur Deum esse id. quo majus et perfectius cogitari non potest. Atqui hoc oportet esse unicum. Ergo naturaliter intelligitur Deum esse unum. Si duo darentur dii, vel unus eorum haberet omnes omnino et easdem perfectiones quas alter, vel non. Si primum, jam non essent duo. ,sed unus. Si secundum, uterque non esset id. quo majus et perfectius cogitari non potest, quia unus eorum esset revera major ac perfectior. Ergo.

1 Ockamus, *Centilog. theol.,* conci, z; *Quodlib.* i, q. i, et *Quodlib.* 2, q. 1 ad i; Biel, *In 1 Sent.,* dist. 2, q. io, a. 2, concl. 3; Alliaconsis, *In 1 Sent* . dist. 2, q. 3, a. 3, concl. 1; Bassolus, *In I Sent.,* dist. 2, q. 3, a. 3

2 *In I Seni.,* dist. 21, q. 1. a. r.

3 Philosophus, 8 *Phys.,* text, com, 33; 12 *.Metaphys* , ı *Ethic.,* · . 7; Avicenna, Γ *Metaphys.,* c. 8; Proculus, prop 5; Scotus. *In 1 Sent.,* dist q 3 Aureolus, *In 1 Sent.,* dist. 3. <|. 1

4 *Sap,,* 13, t sqq, 6 *Bibliotheca theol,,* lib, ,|, sia t q. <. 3.

QUAESTIO XII

DE VISIONE DEI

S. *Th., I p., q. 12.*

Haec quaestio complectitur quinque articulos. In 1.° agetur de potentia ad visionem Dei elevabili; in 2.° de medio visionis beatificae; in 3.° de lumine gloriae; in 4.° de actu visionis beatificae, et in 5.° de objecto visionis. Singuli articuli dividentur in varios paragraphes.

ARTICULUS I

DE POTENTIA AD VISIONEM DEI ELEVABILI

§ 1

Utrum oculo corporeo saltem glorificato possit Deus videri, ut est in se.

163. Status quaestionis. Loquimur dc oculo corporeo sive naturaliter considerato, sive supematuraliter potentia Dei ordinaria vel extraordinaria adjuto.

164. Errores. 1) *Ethnici, materialistae* et *panlheistae,* qui dicebant Deum esse corporeum, docuerunt oculum corporeum posse Deum videre, ut est in se. Huc revocari possunt anthropomorphitae, qui dicebant Deum habere figuram humanam oculisque corporeis esse adspectabilem.

2) *Messaliani* seu *euchitae,* monachi saeculi IV in oriente, dixerunt se oculis corporeis SS. Trinitatem conspicere, sibique Spiritum Sanctum forma visibili communicari [1]. Hos sequuti sunt palamitae saeculo xni.

3) *Vorslius,* calvinianus, adseruit Deum reapse oculis corporeis a beatis in caelo videri.

4) *.hiavi* et *novationi* docuerunt Deum esse quidem invisibilem, sed Verbum divinum esse creaturam oculis corporeis visibilem.

165. Placita theologorum, i) *Leo .Illutius* docuit «oculis corporeis increatum conspici non posse... dum oculi in statu et conditione naturae manent, sed... nihil impedire corporeis hisce oculis in eminentiorem statum sublevatis deitatem ipsam et gloriam deitatis, quae una cum Deo est, videri» [2]. Hoc pacto Deum oculo corporeo visum iri a beatis in patria defenderunt *Francisais Bonae Spei* [3] et aliqui scriptores ex Carmelitarum Calceatorum familia.

2) *Mons. Bougaud* [4] existimat animam sine cerebri consortio nihil posse cognoscere, ac idcirco animas beatas ante resurrectionem fortasse elevari ad visionem Dei adminiculo cujnsdam organi corporalis, supematuraliter ipsis concessi, quod vices gerat cerebri.

3) *Gregorius de Valentia* arbitratus est «non satis constare contradictionem implicare, ut potentia aliqua sensitiva sic a Deo condatur, ut vel

1 Cfr Woutors, *Hist, eccl.,* epoeha 3, n. 55.
2 *De Eccl Orient, atque Occid. perpetua consensione,* lib. 1, c. 17.
3 *Dc visione Dei,* disp. 4.
4 *Le. christianisme it les temps présents,* vol. 5, c. 3, § 3.

natura sua vel saltem dono aliquo gratuito superaddito valeat non solum objecta sensibilia corporalia, sed etiam aliquod objectum spirituale, adeoque Deum ipsum percipere» 1.

166. Thesis. **Impossibile est essentiam Dei, prout est in se, oculo corporeo, quantumvis glorificato vel dono quolibet corroborato, videri.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Gloria et honor debentur, Apostolo teste, *Regi saeculorum immortali, invisibili* et Deus *lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest* 2. Haec autem de visione oculi corporei exponunt commentatores. Ergo.

2) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus:* «Hoc (Deum) oculus videre corporis nec nunc in via, neque tunc (in patria) poterit» 4. S. *Cyrillus hierosolymitanus:* «Carnis quidem oculis Deum cernere impossibile est» 5.

3) *Ex ratione,* a) Nulla potentia, quantumvis supernaturaliter corroborata, potest ferri extra suum objectum extensivum, sicut oculus non potest audire nec auditus gustare, quin essentialiter mutentur. Sed Deus est extra objectum extensivum oculi corporei. Ergo. **Prob. min.** Objectum extensivum cujuslibet potentiae debet semper sub eodem saltem genere cum objecto ejus proportionate contineri, ut potentia, etiamsi feratur supernaturaliter ad objectum extensivum, retineat suam naturam. Sed Deus, omnino spiritualis, non continetur sub genere objecti proportionati visus, quod est corpus. Ergo Deus est extra objectum extensivum visus.

b) Essentia Dei, utpote spiritualis, non potest conspici nisi visione spirituali. Sed impossibile est visionem spiritualem ab oculo corporeo elici. Ergo essentia Dei non potest oculo corporeo videri. **Prob. min.** Cum actus sequantur naturam potentiae, talis est actus, qualis est potentia. Oculus autem corporeus nequit esse potentia spiritualis, ut notum est. Ergo nequit elicere visionem spiritualem.

Ex hoc consequitur nullam posse creari potentiam sensitivam elevabilem ad visionem claram Dei, quia, ut advertit S. *Thomas* °, potentia sensitiva, quantumvis perfecta, est organum materiale, quod non valet nisi objecta materialia attingere.

Diluuntur objectiones.

167. Obj. 1.° Dicitur in Scriptura: 1) *In carne mea videbo Deum meum* '. 2) *Quem* (Deum) *visurus sum ego ipse ei oculi mei conspecturi sunt* 8. 3) Juxta Apostolum *surgcl corpus spirituale* '. Ergo.

1 *In I p.,* disp. 1, q. 12, p. 8.
2 *I Tim.,* r, 17.
3 *I Tim.,* 6, 16.
* *Ep. ad Italicam viil.,* n. 3; MI. 33, 319.
5 *Catechesi* 9, n. 1; MG 33, 637. Id ipsum docent Origenes, *Contra Celsum,* lib. 6, 69; MG 11, 1403: et lib. 7, 37: MG 11, 1467; S. Ambrosius, *In Lucam,* lib. 1, c. 1; ML 15, 1535: S. Gregorius nas., *Orat.* 28, n. 12; MG 36, 41: S. Epiphanius, *Haer.* 70, n. 7; MG 42, 350.
6 *I p..* q. 12, a. 3.
7 *Job,* 19, 26.
8 *Job,* 19, 27.
° *I Cor.,* 15, 44

Resp. 1) Sensus Scripturae in primo textu juxta S. *Thomarn*[1] et S. *Augustinum*[2] est: *In carne mea,* id est, quando post resurrectionem ero in carne mea, videbo Deum non per carnem sed oculo mentis. Vel, si mavis, dic cum S. *Augustino*[3] in carne mea et per oculum corporeum videbo Deum Christum, Salvatorem ineum.

2) Secundus textus intelligitur pariter de visione mentis in patria, vel de visione organica Christi Domini.

3) Corpus post resurrectionem vocatur *spirituale* ab Apostolo, in quantum contraponitur animali, rebellis concupiscentiae motibus agitato, quia in corpore beatorum post resurrectionem nulla erit lex repugnans adversus spiritum.

Obj. 2.° S. *Augustinus, De civitate Dei,* lib. 22, c. 29 (ML 41, 796 sqq.), expresse docet oculos glorificatorum incorporalia esse visuros, et nos post resurrectionem per corpora, quae gestabimus, clarissima perspicuitate Deum conspecturos. Ergo.

Resp. I. Aliqui theologi, ut *Vazquez, Petavius*[4], etc., putaverunt S. *Augustinum* fluctuasse in decidenda quaestione, an oculus glorificatus visurus esset Deum in caelo, imo et propendisse ad partem affirmativam tum in opere *De civ. Dei,* lib. 22, tum in epistolis 111 et 112.

Resp. II. S. *Augustinum* in bono sensu explicat *Angelicus Doctor,* cujus interpretationem putamus esse omnino fundatam.

1) S. *Augustinus* certissime docuit oculum corporeum sine intrinseca mutatione aut superna corroboratione non posse Deum videre, ut est in se. Cfr. ep. ad Italicam viduam; MI. 33, 319 sqq. et alibi.

2) Cum scripsit epistolas ad Paulinam (MI. 33, 596), et ad Fortunatianum (MI. 33, 622), vel inquirendo locutus est, vel mitius aliquantulum rem exposuit, in quantum fassus est hanc materiam nondum esse omnino eliquatam; suam tamen sententiam non aperuit, ut constat ex eo quod promisit se copiosius de hoc disputaturum (ep. ad Paulin.; ML 33, 596).

3) In opere *De civitate Dei,* lib. 22 (ML 41, 796 sqq.), non dicit S. *Augustinus* oculos glorificatos visuros esse Deuin immediate ut objectum proprium, sed tanquam sensibile *per accidens,* sicut nunc videmus vitam hominis. Sub duplici adspectu quaestionem proponit. «Aut a) per illos oculos (gloriosos) sic videbitur Deus, ut aliquid habeant in tanta excellentia menti simile, quo et incorporea natura cernatur». Hoc adserit esse difficile. «Aut b) (quod est intelligendum facilius) ita Deus erit notus atque conspicuus, ut videatur spiritu a singulis in singulis nobis ab altero in altero, videatur in se ipso, videatur in caelô novo». Et hoc putat esse valde credibile. «Fieri potest, inquit, *valdeque credibile* est sic nos esse visuros mundana tunc corpora caeli novi et terrae novae, ut Deum ubique praesentem et universa etiam corporalia gubernantem, per corpora, quae gestabimus et quae conspiciemus, quaquaversus oculos duxerimus, clarissima perspicuitate videamus... sicut homines inter quos viventes motusque vitales exercentes vivimus, mox ut aspicimus, non credimus vivere, sed scimus». Eo ergo modo, quo vitam hominis cernimus oculo corporeo tanquam sensibile per accidens, oculus corporeus juxta S. *Augustinum* visurus est Deum in caelo.

1 *I p.,* q. 12, a. 3 ad 1.
2 *De civ. Dei,* lib. 22, c. 29, n. 4; ML 41, 799.
3 *De civ. Dei,* lib. 22, c. 29, n. 4; MI. 41, 799.
4 Vazquez, *In 1 p.,* disp. 40, c. 1; Petavius, *De Deo,* lib. 7, c. 2.

§ 2

Utrum aliquis intellectus creatus possit viribus naturae videre Deum per essentiam.

168. Status quaestionis. 1) Agimus hic de quolibet intellectu creato, humano vel angelico, imo et in posterum a Deo creando vel creabili, non adjuto lumine superiori.

2) *Visio,* ordinarie loquendo, est actus potentiae sensitivae, quae dicitur visus. Attamen cognitio clara et immediate evidens alicujus veritatis, quae notitia *intuitiva* nuncupatur, secundum usum communem appellari solet *visio* juxta illud: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*L

3) Loquimur de visione Dei, *prout est in se,* id est, de cognitione Dei perfecta et adaequata, intuitiva ac quidditativa -, adeo ut conceptu claro, proprio et positivo Deus immediate et intuitive cognoscatur quoad omnia praedicata essentialia ùsque ad ultimam differentiam vel quasi-differentiam.

169. Errores, i) *Actius* et *Eunomius,* quos deinde sequuti sunt anomaei, dixerunt intellectum humanum solis naturae viribus Deum, ut est in se, non solum in patria sed etiam in hac vita intueri 3.*

2) Errorem Aëtii jam olim sopitum, ineunte saeculo xiv instauraverunt *beguardi* et *beguini,* qui eo dementiae venerunt, ut somniarent se, capite in umbilicum demisso, intuitive Deum videre, animasque in caelo sine lumine gloriae Deum immediate intueri *Quietistae* non videntur ab hoc errore alieni s.

3) *Bajus* propugnavit vitam aeternam, quae consistit in visione Dei, esse debitam operibus bonis ex lege naturae, ac idcirco angelis et hominibus, si in statu integro persévérassent, datum iri gloriam ut mercedem non ut gratiam °.

4) *Ontologistae* defenderunt immediatam Dei cognitionem saltem habitualem esse intellectui humano essentialem 78

.Novam speciem ontologismi excogitavit *Jiosminiits* dicens ens seu esse indeterminatum, quod est aliquid entis necessarii ac idcirco ipse Deus, esse objectum intuitui intellectui nostro naturale “.

1 *Malth.,* 5. 8.—Cfr. S. Thomas, *I p.,* q. 67, a. 1. Cognitio intellectualis abstractiva et discursiva, quantumvis certa et evidens, non solet appellari *visio.*

2 Generatim loquendo, cognitio quidditativa et intuitiva distinguuntur, sed idem sunt circa Deum in patria; quia cum Deussit *immensus,* impossibile est quidquam in eo quidditative apprehendi, quin videatur ipse praesens (intuitive); et cum sit *simplicissimus,* impossibile est aliquid de eo intueri, quin cognoscatur tota essentia (quidditative). Cfr. Urraburu, *Theodicea,* vol. I, n. 195; et Kieffer, *De Deo uno,* disp. 3, sect. 1, aa. 1, 6.

3 «Tam perspicue Deum novi, ajeba,t Aëtius, ac tantam illius notitiam sum consecutus, ut ne me ipsum quidem melius quam Deum noverim». S. Epiphanius, *Adv. haer., 76,* 4; MG 42, 522'. Et Eunomius adserebat se tantum de Deo cognoscere, quantum ipse Deus. Cfr. Socrates, *H. E.,* lib. 4, c. 7; MG 67, 474.

1 Denz-Bannw., 475.

s Cfr. S. Alphonsus Maria de Ligorio, *Haer. hist.,* c. 10, a 4. n 31.

° Prop. 2-14 a s. m. Pio V damnatae; Denz-Bannw., 1002 sqq.

7 Cfr. Deer. S. Off., 18 Sept. 1861; Denz-Bannw., 1659.

8 Cfr. prop. 1-5 a S. R. U. I. sub die 14 Dec. 1887 damnatae; Denz-Bannw., 1891.

5) *Modcrnistae* nostris diebus contendunt se in sensu religioso experiri ac intueri Deum, dum in terris vitam agunt [1].

170. Thesis. **Nullus intellectus creatus potest naturaliter Deum, ut est in se, videre.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura,* a) Apostolus ait: *Gratia autem Dei vita aeterna* [2], seu vita aeterna donum gratuitum, «quia, ut inquit *S. Augustinus,* his meritis redditur, quae gratia contulit homini» [3]. Sed «vita aeterna consistit in visione divinae essentiae secundum illud *Joannis* 17, 3: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum,* etc. Ergo videre Dei essentiam convenit intellectui creato per gratiam et non per naturam» [4].

b) Praemium caritatis obtineri non potest viribus naturae. Sed visio Dei per essentiam est praemium caritatis, ut patet ex *Joanne* 14, 21: *Si quis diligit me, diligetur a Patre meo; et ego... manifestabo ei meipsum.*

c) Dominus ait in Evangelio: *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* [5].

2) *Ex auctoritate Ecclesiae.* Concilium Viennense sub Clemente V damnavit beguinorum et beguardorum propositionem quintam his terminis expressam: «Quod quaelibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata, quodque anima non indiget lumine gloriae ipsam elevante ad Deum videndum et eo beate fruendum» [6]. Pius V 1 Oct. 1567 damnavit pariter Baji propositiones [7]; et S. R. U. Inq. proscripsit ontologorum [8] et rosminianorum [9] theorias circa visionem Dei.

3) *Ex ratione.* «Cognitio contingit secundum quod cognitum est in cognoscente. Cognitum autem est in cognoscente secundum modum cognoscentis. Unde cujuslibet cognoscentis cognitio est secundum modum suae naturae. Si igitur modus essendi alicujus rei cognitae excedat modum naturae cognoscentis, oportet, quod cognitio illius rei sit supra naturam illius cognoscentis.

Est autem multiplex modus essendi rerum. *Quaedam* enim sunt, quorum natura non habet esse nisi in hac materia individuali; et hujusmodi sunt omnia corporalia. *Quaedam* vero sunt, quorum naturae sunt per se subsistentes, non in materia aliqua, quae tamen non sunt suum esse, sed sunt esse habentes. Et hujusmodi sunt substantiae incorporeae, quas angelos dicimus. *Solius* autem Dei proprius modus essendi est, ut sit suum esse subsistens.

Ea igitur, quae non habent esse nisi in materia individuali, cognoscere est nobis connaturale, eo quod anima nostra per quam cognoscimus, est forma alicujus materiae. Quae tamen habet duas virtutes co-

1 Encycl. *Pascendi,* Pii PP. X. Denz-Bannw., 2074-2081.
2 *Rom.,* 6, 23.
3 *De correptione et grat.,* 13, 41; ML 44, 942.
4 S. Thomas, *I p.,* q. 12, a. 4. «Sed contra».
5 *Matth.,* 11, 27.
6 Denz-Bannw., 475.
7 Denz-Bannw., 1001 sqq.
8 Denz-Bannw., 1659 sqq.
9 Vid. *Acta S. Sedis,* vol. 20, p. 397 sqq ; Denz-Bannw., 1891 sqq.

gnoscitivas, unam, quae est actus alicujus corporei organi, et huic connaturale est cognoscere res secundum quod sunt in materia individual!; unde sensus non cognoscit nisi singularia. Alia vero virtus cognoscitiva ejus est intellectus, qui non est actus alicujus organi corporalis. Unde per intellectum connaturale est nobis cognoscere naturas, quae quidem non habent esse nisi in materia individual!, non tamen secundum quod sunt in materia individual!, sed secundum quod abstrahuntur ab ea per considerationem intellectus; unde secundum intellectum possumus cognoscere hujusmodi res in universali, quod est supra facultatem sensus. Intellectui autem angelico connaturale est cognoscere naturas non in materia exsistentes, quod est supra naturalem facultatem intellectus animae humanae secundum statum praesentis vitae, quo corpori unitur. Relinquitur ergo, quod cognoscere ipsum esse subsistens sit connaturale soli intellectui divino, et quod sit supra facultatem naturalem cujuslibet intellectus creati, quia nulla creatura est suum esse, sed habet esse participatum. Non igitur potest intellectus creatus Deum per essentiam videre, nisi in quantum Deus per suam gratiam se intellectui creato conjungit ut intelligibilem ab ipso»r. Haec paucis attingit S. *Joannes Chrysosiomus* dicens: «Substantia inferior superiorem non probe nosse potest» 23

171. Scholion. Duo hic disputare solent theologi:

1.° An de potentia Dei absoluta dari possit intellectus creatus, cui per vires *ordinis naturalis* a Deo auctas absque ulla elevatione ad ordinem supematuralem conveniat Deum immediate videre. Affirmat *Molina* s. Communiter tamen negant theologi, quia vires ordinis naturalis, quibus roborari supponitur intellectus creatus, nunquam valent transcendere ordinem naturalem, nec pertingere ad actualitatem Dei, ut intellectus creatus visionem Dei eliciat.

2.° An de potentia Dei absoluta dari possit substantia et intellectus creatus *ordinis supernaturalis,* cui connaturale sit lumen gloriae et visio divinae essentiae. Affirmant *Major, Molind* et *Ripalda* 4, quorum opinionem non audet *Valentia* 56 dicere omnino improbabilem e.— Negandum tamen videtur, quia supernaturalitas nihil aliud est quam ordo transcendentalis entis ad Deum, ut auctorem gratiae, adeo ut ens supernaturale constituatur essentialiter per ordinem ad Deum superexcedentem totam naturam creatam. Impossibile autem est substantiam creatam essentialiter constitui per ordinem ad aliquid extrinsecum, quia ex suo conceptu essentiali et intrinseco est ens in se et ad se. Unde ratio supernaturalis, ut optime ait *Vazquez"l,* solum potest convenire

1 *I p.,* q. 12, a. 4. Cfr. *Contra Gentiles,* lib. 3, c. 52.

2 *De incomp.,* hom. 5, n. 3; MG 48, 740.

3 *In I p.,* q. 12, a. 5, disp. 2.

1 Major, *In II' Sent.,* dist. 49, q. 4: Molina, *tn I p.,* q. 12, a. 5, disp. 2; Ripalda, *De ente supernat.,* lib. 1, disp. 23, sect. 6; et lib. 6, disp. ult , sect. 40.

5 *In I p.,* disp. 1, q. 12, p. 3.

6 Becanus, *Summa theol.,* p. 1, tr. i, c. 9, q, 5, adserit tutius esse adhaerere parti negativae, sed fatetur se non habere argumenta, quae ostendant ullam contradictionem.

7 *In l p.,* disp. 44. c. 1. Non parum interest hae in re cognoscere discrimen inter accidens et substantiam Accidens, cum sit ens entis, essentialiter inhaeret

formae accidentariae non substantiae creatae; et «lumen gloriae non potest esse naturale creaturae, nisi creatura sit naturae divinae, quod •est impossibile»

§ 3

Utrum in creatura intellectuali secundum se sumpta detur appetitus naturalis, innatus vel. elicitus, ad videndum Deum per essentiam.

172, Status quaestionis. 1) Haec circa rem habet S. *Thomas:* «Inest enim homini naturalç desiderium cognoscendi causam, cum intuetur effectum... Si igitur intellectus rationalis creaturae pertingere non possit ad primam causam rerum, remanebit inane desiderium naturae» 2. Quomodo potest homini inesse naturale desiderium cognoscendi id, quod est supra vires naturae? En paucis exposita difficultas, pro cujus solutione quaedam praenotari oportet.

2) Appetitus naturalis potest esse *innatus* vel *elicitus. Innatus* non significat actum potentiae, sed est inclinatio quaedam seu pondus, quo res in bonum sibi conveniens naturaliter propendet, ut inclinatio gravis ad centrum. *Elicitus* est actus appetitus sensitivi vel rationalis tendentis in bonum cognitum sub ratione boni; sic animalia appetunt cibum et homines virtutem.

3) Appetitus elicitus est iterum duplex, alius *eljicax* seu absolutus et alius *inefficax* seu conditionatus. Appetitu efficaci tendimus in bonum, quod adsequi possumus mediis in nostra potestate exsistentibus, et significamus per verbum *volo.* Appetitu inefficaci tendimus ad ea, quae excedunt vires hominis, quaeque desideramus sub conditione, si essent possibilia, et explicamus per verbum *vellem.*

4) Appetitus potest dici naturalis a) prout opponitur supernatural!, et b) prout distinguitur contra liberum. Utroque modo sumitur in praesenti.

Unde quaeritur, an detur in creatura intellectuali appetitus naturalis, innatus vel elicitus, efficax vel inefficax, necessarius vel liber, videndi Deum per essentiam.

173. Placita theologorum, r) *Aliqui* dixerunt naturae intellectuali inesse appetitum innatum id est, ontologicum et transcendentale, ad videndum Deum, ut est in se, sicut est appetitus in subjecto ad suum finem. Ita *Scotus, Durandus, Soto, Frassen* 3 et alii.

2) *Alii* docent in natura intellectuali non dari appetitum naturalem

alteri ut subjecto, et potest per ordinem ad aliquid extrinsecum constitui, et, si referatur ad Deum ut auctorem gratiae, induere supcrnaturalitatem, ut omnes concedunt. At substantia constituitur in ordine ad se, et non potest esse supernaturalis, quin totam naturam creatam transcendat, et rationem induat *entis divini,* quod est impossibile. Cfr. Laurentius a S. Theresia, *Spicilegium theol.,* t. i, p. 3, controv. 5, § 5-6.

1 S. Thomas, *I p.,* q. 12, a. 5 ad 3. 2 *I p.,* q. 12, a. I.

3 Scotus, *In IV Sent.,* dist. 49, q. 10; Durandus, *In IV Seni.,* dist. 49, q. 8; Soto, *In 1I' Seni.,* dist 49, q. 2, a. 1; et *Natura et gratia,* lib. 1, c. 4; Frassen, *Scotus acadr.ni.,* tr. 1, disp. 3, sect. 1, q. 3, quaer. 1.

innatum vel elicitum efficacem videndi Deum, ut est in se, bene tamen appetitum elicitum inefficacem, qui sit necessarius quoad specificationem respectu omnium, quae beati lumine supernatural! perfusi in Deo sunt visuri. Sic *Vazquez, Valentia, Suarez* [1] et alii non pauci [2]

3) *Alii* adserunt illesse homini appetitum elicitum efficacem videndi Deum intuitive. Ita nonnulli, qui visionem divinae essentiae viribus naturae possibilem esse dixerunt.

4) *Alii* denique negant in creatura intellectuali dari appetitum naturalem innatum, vel elicitum efficacem, aut inefficacem necessarium, sed solummodo concedunt dari appetitum elicitum inefficacem liberum. Ita fere communiter thomistae [3] cum pluribus extraneis.

174. THESIS I. In creatura intellectuali secundum se sumpta non datur nec dari potest appetitus naturalis innatus ad claram Dei visionem.

Arg. *Ex ratione.* 1) Appetitus naturalis innatus, si extrinsece non impediatur, semper consequitur suum finem per media naturalia. Unde si in creatura intellectuali daretur appetitus innatus videndi Deum, ut est in se, homo vel spiritus, nullo impedimento extrinseco detentus, posset ipso naturae impetu ad Dei visionem pervenire. Sed homo nequit suis viribus ad Dei visionem pervenire, ut probatum est. Ergo.

2) In creatura intellectuali non potest esse appetitus naturalis innatus ad objectum sibi improportionatum. Sed Deus, ut est in se, clare visus, est objectum improportionatum creaturae intellectuali. Ergo. Ad rem S. *Thomas:* «Quamvis ex naturali inclinatione voluntas habeat, ut in beatitudinem feratur secundum communem rationem, tamen, quod feratur in beatitudinem talem vel talem, hoc non est ex inclinatione naturae, sed per discretionem rationis, quae adinvenit in hoc vel in illo summum bonum hominis constare» [4]

175. THESIS II. In creatura intellectuali secundum se sumpta non datur appetitus naturalis elicitus efficax ad videndum Deum, ut est in se.

Arg. Appetitu elicito efficaci tendimus in aliquem finem mediis naturalibus nobis adsequibilem. Sed intuitio clara Dei non est nobis inediis naturalibus adsequibilis. Ergo.

176. Thesis III. Datur revera in creatura intellectuali secundum se sumpta appetitus naturalis elicitus inefficax seu conditionatus videndi Deum, non quidem necessarius sed omnino liber.

Pars 1.a Datur appetitus naturalis elicitus inefficax videndi Deum.

Creatura rationalis, habita semel aliqua notitia de bonitate Dei, elicit naturaliter hunc actum: *Vellem illum videre, si possibile mihi esset.* Ergo.

1 Vazquez *In I-II,* (lisp. *22,* c. 5; Valentia, *In I-II,* disp. 2, q. 5, p 1; Suarez, *De attributis Dei,* lib. 2, c. 7, nn. 10-11.

2 Ferrariensis, *Contr. Gent.,* lib. 3, cc. 50 et 51, huic opinioni subscripsit quoad appetitum elicitum inefficacem necessarium videndi Deum ut unum non ut trinum.

3 Cajetanus, *In I p.,* q. 82, a. 1; Banez, *In I p.,* q. 12, a. 1, dub. 2; Medina, *In I-II,* q. 3, a 8; Joannes a S. Th., *De Deo uno,* disp. 12, a. 3; Gonot, tr. 2, disp. I, a. 5, § 3; Salmanticenses, *De visione Dei,* disp. 1, n. 59 sqq.; Andreas a Cruce, *I p.,* q. 12, disp. 55, dub. 3; Gabriel a S. Vincentio, */ p.,* (lisp. 12, dub 3-4; Laurentius a S. Th., *Spicii. theol.,* t t, p 3, controv 1, § 5.

1 *In IV Sent.,* dist. 49, q. 1, a. 3, quaestiuncula 3, sol. 3.

Pars 2.a Hic appetitus non est necessarius quoad specificationem sed omnino liber.

Appetitus in suis actibus elicitis non cogitur quoad specificationem nisi ab objecto adaequato, quo omnino satietur et quiescat. Sed Deus, in se clare visus non est objectum adaequatum appetitus creaturae rationalis, saltem in hac vita. Ergo.

177. Scholion. Angelicus Doctor, *I p.,* q. 12, a. 1. probare contendit intellectum creatum posse elevari ad videndum Deum, quia, si non posset elevari ad talem visionem, naturale desiderium videndi Deum exsistens in homine remaneret inane, quod est inconveniens. Dubitatur hic de valore hujus argumenti. Si solummodo inest homini desiderium naturale inefficax videndi Deum, nihil probare videtur Angelicus, quia non est inconveniens desiderium inefficax frustrari.

Aliqui thomistae, ut *Cajetanus, Joannes a S. Thoma* 1. etc., dixerunt S. Doctorem tribuisse homini desiderium videndi Deum in ordine supernatural!, ortum ex notitia effectuum supernaturalium gratiae, quod frustrari revera foret inconveniens.

Haec tamen explicatio non videtur attingere genuinum sensum verborum Aquinatis, qui alibi 2 idem desiderium tribuit ethnicis ignorantibus effectus supernaturales gratiae.

Mens S. *Thomae* explicanda est insistendo desiderio seu appetitui inefficaci. Quod ut intelligatur, notandum est cum *Laurentio a S. Theresia* 34appetitum inefficacem aliquando esse *arbitrarium* et irrationalem, ut cum avarus appetit montem aureum, aliquando *rationalem* et in aliqua congruentia fundatum, utpote qui ex quadam congruentia (non ex necessitate) consequitur suum objectum. Appetitus arbitrarius sine inconvenienti saepe frustratur, non ita appetitus rationalis.

Angelicus Doctor loquitur de desiderio naturali elicito, inefficaci quidem sed rationali et omnino libero, quod inest homini, videndi Deum, cum intuetur effectus, quodque frustrari videtur inconveniens

§ 4

Utrum intellectus creatus supernaturaliter adjutus possit videre Deum, ut est. in se.

178. Status quaestionis. 1) Loquimur de intellectu creato in genere, sive angelico sive humano, supernaturaliter adjuto. In intellectu creato sicut et in qualibet creatura datur, ut docent theologi 5, potentia obedientialis, aptitudo scilicet quaedam, ut actione Dei elevet tu- et roboretur, possitque elicere actus supernaturales; quia ex potentia

1 Cajetanus,/k 7/>., q. 12, a. i; et 7-77. q 3, a. S; Joannes a S. Th., disp. 12, a. 3.
2 *Contra Gentiles,* lib. 3, c. 51.
8 *Spicileg. theol.,* t. 1, p 3, controv 1, §6, ll 72.
4 Cfr. Salmani., 7>r *heatitudmr,* disp. 6, dub 1, §3
Paulue n Conceptione, tr 2, disp. 1, dub 2, § 3

et dono elevante completur principium adaequatum operationum supernaturalium. Haec potentia obedientialis, quae probabilius est «ipsamet natura subdita Deo, ut in ea et de ea faciat quod voluerit» [1] passive quidem se habet respectu auxilii Dei elevantis, sed quando constituitur in statu elevationis, producit active actus supernaturales, et potest ad ipsum Deum pertingere ut ad objectum specificativum.

2) Visio Dei, ut est in se, est intuitio immediata essentiae divinae, qua immediate cognoscitur et videtur *quid sit Dçus.*

179. Errores, i) *Plures philosophi ethnici et hodierni increduli,* utpote lumine fidei destituti, putaverunt intellectum creatum nullatenus posse Deum intuitive videre.

2) S. *Gregorius M.* refert nonnullos «qui Deum dicerent etiam in regione beatitudinis in claritate quidem sua conspici, sed in natura minime videri» [2]. Eumdem errorem docuisse videtur *TheodoretUs,* episcopus cyrensis, dicens: «Non enim vident (angeli) divinam substantiam, quae nec circumscribi, nec comprehendi, nec mente percipi potest..., sed splendorem quemdam ipsorum naturae accommodatum» [3]. *Arment* dixerunt, quod «animae puerorum baptizatorum et animae multum perfectorum hominum... non videbunt Dei essentiam, quia nulla creatura eam videre potest; sed videbunt claritatem Dei, quae ab ejus essentia manat, sicut lux solis emanat a sole et tamen non est sol» [4].

3) In academia parisiensi a. 1240 nonnulli hanc propositionem defenderunt: «Divina essentia in se nec ab homine nec ab angelo videtur nec videbitur» [5].

4) *Vazquez,* in *I p.,* disp. 37, cc. 2-4, diserte adserit Chrysostomum, Euthimiuin, Theophylactum, Hieronymum, Primasium, Isidorum, Ambrosium, Basilium, Epiphanium, Cyrillum alex., Cyrilluin hieros., etc., adeo indiscrete in hac parte sententiae erroneae favisse, ut vix possint in bonum sensum interpretari. Vazquesium tamen communiter theologi de indiscretione contra praedictos Patres merito arguunt.

180. Thesis. **Intellectus creatus supernaturaliter adjutus potest Deum, ut est in se, videre.** *De fide.*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura,* a) In sacris litteris promittitur nobis, ut finis ultimus, vita aeterna. *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam... Gratia autem Dei vita aeterna* [6]. Sed vita aeterna consistit in clara Dei visione juxta illud Joannis: *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te, solum Deum verum* [7]. Ergo.

b) *Apostolus* ait: *Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est... Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum* [8]. Tria in his verbis Apostoli sunt clarissima testimonia: a) *Ex parte cognoscimus et ex parte prophetamus,* id est, nostra de Deo in terris cognitio,

1 Medina, *In I-II,* q. 3, a. 8, concl. 4.
2 *Moralium,* lib. 18, c. 54 (rec. 28), n. 90; ML 76, 93.
3 *Eranistes,* dial. 1; MG 83, 52.
4 Prop. 8 damnata a Bened. XII. Cfr. Mansi 25, 1196.
5 Wiroeburgenses, *De Deo uno,* n. 95.
6 *Rom.,* 6, 22-23.
7 *Joan.,* 17, 3.
8 *1 Cor.,* 13, 9-12.

sive sit per fidem sive per donum scientiae et prophetiae, utpotc mediata et obscura, imperfecta est; *cum autem venerit, quod perfectum est,* scilicet status gloriae, nostra cognitio erit immediata atque perfecta, β) *Videmus nunc per speculum in aenigmate;* antiquorum specula, utpote metallica, rem obscure exhibebant ad modum nostrae fidei, quae obscura est, sed *tunc* in patria videbimus Deum *facie ad faciem,* id est, intuitive, quia facie ad faciem videre est, ut bene ait *Kleutgen* [*] *coram aspicere,* γ) *Nunc cognosco ex parte,* imperfecte per fidem et prophetiam, *tunc autem* in patria *cognoscam, sicut et cogmtus sum,* immediate sine ullo medio offuscante [2].

c) S. Joannes: *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* [3]. Et Salvator noster: *Angeli eorum in caelis semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est* [4].

d) Apostolus: *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino... Audemus autem... peregrinari a corpore et praesentes esse ad Dominum* [5].

2) *Ex documentis Ecclesiae,* a) Benedictus XII Constitutione *Benedictus Deus* ait: «Definimus... quod (beati) post Domini nostri Jesu Christi passionem et mortem viderunt et vident divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali, nulla mediante creatura in ratione objecti visi se habente, sed divina essentia immediate se nude, clare et aperte eis ostendente»[6].

b) Cum idem Pontifex proscriberet 116 errores armenorum, episcopi Armeniae in Concilio coadunati hanc professionem emiserunt: «Videbimus essentiam, magnitudinem, claritatem, sapientiam et bonitatem ejus, quae omnia in Deo Deus sunt; tamen non tantum quantum ipse se videt»[7].

c) Concilium Florentinum ait: «Definimus... illorum (innocentium et a peccatis purgatorum) animas... in caelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius» [8].

3) *Ex SS. Patribus.* «Si quaeris, ait S. *Augustinus,* utrum etiam, sicuti est, possit aliquando videri (Deus), respondeo filiis hoc esse promissum, de quibus dictum est: scimus, quia, cum apparuerit, similes ei erimus, et videbimus eum, sicuti est» [9].

Solvuntur difficultates.

181. Obj. 1.° Dominus noster ait in Evangelic: *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius reve-*

1 *De ipso Deo,* n. 410.
2 Cfr. Comely, *ad Rom.,* 13, 12.
3 *I Joan.,* 3, 2.
* *Maith.,* 18, 10.
5 *II Cor.,* 5, 6-8. Vide Franzelin, *De Deo uno,* th. 15.
6 Denz-Bannw., 530.
7 Cfr. Labbeus, 25, 1196.
8 Denz-Bannw., 693.
° *Ep* 147, 15; MI. 33, 613. Idem affirmant S. Ignatius M., *Rom.,* 4, 1-2; MG 5. 803; S. Irenaeus, *Adv. haer.,* 4, 28; MG 7, 1035; S. Cyprianus, *De zelo et livore,* ‹ 18; MI. 4, 676; S. Basilius, *ep.* 8, n. 7; MG 32, 258; S. Gregorius naz., *or.* 28, n. 17; MG 36, 48.

larel. Item angeli, S. Petro teste, exoptant Denin videre: *1» quem* (Spiritum S.) *desiderant angeli prospicere 2.*

Resp. i) Christus apud Matthaeum loquitur de cognitione seu visione Dei ex viribus naturae. Diximus autem intellectum creatum non posse Deum naturaliter videre.

2) Desiderium videndi Spiritum Sanctum, quod S. Petrus tribuit angelis, non est rei absentis sed Dei praesentis sine fastidio satiantis. Vocatur improprie desiderium, quatenus ex visione Dei summe, boni satietas magis accenditur 3.

Adde lectionem hujus Joci in codicibus graecis et pluribus latinis, necnon apud *Irenacum,* esse *in quae* si; *a,* id est, in mysteria Christi.

Obj. 2. S. *Joannes Chrysostomus, Theodoretus, Basilius, Cyrillus hieros., Gregorius nyss.* ‡ et alii negaverunt intellectum creatum elevari posse ad claram Dei visionem. Ergo.

Resp. I. Ex his Patribus unus fortasse *Theodoretus* negavit veram doctrinam, sed alii proculdubio traditionem catholicam tenuere.

11. SS. *Patres* data opera saepe egerunt contra Eunomium, anomaeos, aliosque haereticos tunc temporis pullulantes, quorum nonnulli Deum oculis corporeis posse videri adserebant, alii de visione Dei in hoc mundo habita gloriabantur, alii intellectum creatum naturaliter ad visionem Dei pervenire autumabant, et alii Deum intellectu creato comprehendi posse defendebant. Hinc textus difficiles, qui apud aliquos Patres ante saeculum iv nonnunquam leguntur, intelligendi sunt de visione Dei sensibili, vel intellectuali quidditativa in hac vita, vel de intuitiva viribus naturae, vel etiam de comprehensiva.

182. Obj. 3.' Nulla potentia, eadem manens, ferri potest etiam supernaturaliter ultra latitudinem sui objecti specificativi, sicut visus elevari nequit ad percipiendum sonum vel auditus ad sentiendum saporem, quia potentiae sumunt suam essentiam ab objecto specificativo. Sed Deus clare visus est extra latitudinem objecti specificativi intellectus creati. Ergo. Prob. min. Deus clare visus est i) objectum supernaturale, 2) objectum infinitum, et 3) objectum connaturale intellectus divini. Sed intellectus creatus specificari nequit ab objecto supernatural!, infinito et specificante intellectum divinum. Ergo Deus clare visus est extra latitudinem objecti specificativi intellectus creati.

Resp. Huic objectioni, quae gravissimam tangit difficultatem, dupliciter respondent theologi.

Prima solutio. Nonnulli, putantes objectum specificativum non excedere vires naturales potentiae, dicunt Deum clare visum non contineri sub objecto specificativo intellectus creati, bene tamen sub objecto extensivo. Unde negant *majorem* argumenti quoad potentiam spiritualem. Ut autem explicent, quomodo potentia spiritualis possit elevari ultra latitudinem sui objecti specificativi, distinguunt in qualibet potentia rationem specificam a ratione gi nerica. Penes rationem specificam attenditur virtus activa facultatis, penes rationem gencricam capacitas passiva seu potentia obedientialis. Potentia spccificatur ab objecto, quod correspondet virtuti activae provenienti ex ratione specifica; et, attenta hac virtute activa, potentia non potest elevari ultra suum objectum specificativum. At capacitas passiva in potentiis spiritualibus latius patet, quam virtus activa; facultates enim intellectuales, cum sint omnino spirituales, ratione potentiae passivae seu obedientialis roborari possunt supernaturaliter et adaequari cuilibet intelligibili; quod ubi fit, virtus ipsa activa redditur apta ad eliciendum actum

1 *Mattii,* 11, 27.

2 *I Petr.,* 1, 12.

3 Cfr. S. Gregorius M., *Moral..* 18, c)i; MI. 76, 94

1 S. Joannes Chrys., *De incomprehensibili,* hom. 3, 3; MG 48. 722; Theodorolus, *Pianistes,* dial. 1; MG 83, 49: S. Basilius, *Contra l-iunom.,* lib. t, n 14; MG 29. 544: S. Cyrillus hioros., *Catccll* (>, c. (>. MG 33. 545; S. Gregorius nyss., Dr *beatilud ,* or. 7; MG 44, 1280.

cognitionis in ordine superiori. Unde intellectus creatus elevari potest ad cognoscendum Deum intuitive.

At in potentiis sensitivis, quia non attenditur immaterialitas penes rationem genericam potentiae, sed, si qua sit, tota provenit ex ratione specifica, in quantum virtus activa naturalis transcendit conditiones materiae, capacitas passiva petita ex ratione generica non latius patet, quam virtus activa. Unde facultates sensitivae ratione potentiae obedientialis, quae etiam in eis invenitur, possunt quidem intra objectum specificativum corroborari, sed nullatenus ultra elevari. Ita *Joannes a S. Thoma, Andreas a Cruce, Billuart, Urraburu* [1] et alii.

Altera solutio. Secunda solutio probabilior mihi videtur et menti S. *Thomae.* conformior; quae ut proponatur, quaedam praelibanda sunt.

Objectum cujuslibet potentiae dividitur in *materiale* et *formale.* Objectum formale est duplex, *formale quod et formale quo* seu ratio *sub qua.* Exemplum: Objectum *materiale* visus est corpus, *formale quod* color et *formale quo* lux.

Objectum formale *quod,* illud nimirum quod praecipue et ratione sui attingitur a potentia, potest esse *adaequatum* vel *inadaequatum* seu partiale. Objectum adaequatum, quatenus substat actuation! et modificationi rationis *sub qua,* vocatur objectum *attributionis,* et est specificativum potentiae, quia ab objecto undique facultati adaequato, quod mediante ratione *sub qua* attingi solet, naturam suam specificam sumit potentia.

Objectum adaequatum potest esse *intensivum* seu *proportionatum* et *extensivum* seu *improportionatum. Proportionatum* est, quod potentia propriis viribus attingere valet. *Extensivum,* quod a potentia, virtute superiori roborata, attingi potest. Ratio hujus divisionis est, quia adaequatio objecti cum potentia non solum attenditur penes activitatem naturalem potentiae, sed etiam penes latitudinem potentiae obedientialis, cui aliquando respondet major vel minor extensio objecti. Objectum, quod adaequat latitudinem potentiae naturalis, appellatur *proportionatum,* quod vero adaequat potentiam obedientialem, vocatur *extensivum.*

Objectum igitur specificativum potentiae nihil aliud est quam ipsum objectum adaequatum, intensivum vel extensivum, quatenus attingitur mediante ratione *sub qua.*

Ilis praenotatis dicendum est Deum vere contineri sub objecto specificativo intellectus creati, ut innuere videtur S. *Thomas* his verbis: «Divina enim substantia non sic est extra facultatem intellectus creati quasi aliquid omnino extraneum ab ipso, sicut est sonus a visu vel substantia immaterialis a sensu; nam ipsa divina substantia est primum intelligibile et totius intellectualis cognitionis principium; sed est extra facultatem intellectus creati sicut excedens virtutem ejus, sicut excellentia sensibilium sunt extra facultatem sensuum» [2]. Excedit igitur Deus facultatem intellectus creati, non ut objectum extraneum, sicut sonus est objectum extraneum a visu, sed quatenus, sub objecto specificativo exsistens, superat virtutem ejus activam.

Ex hoc tamen non licet inferre intellectum creatum, auctis solummodo naturae viribus, posse Deum ut est in se videre, sicut potest sensus, si viribus in eodem ordine confortetur, excedens sensibile attingere, quia intellectus creatus est elevabilis ad visionem Dei, non ratione virtutis activae, sed ratione potentiae obedientialis. Unde virtus activa intellectus, quantumvis augeatur in eodem ordine, non potest pervenire ad intuitionem Dei, bene tamen, si ejus potentia obedientialis supernaturaliter roboretur.

Juxta hanc doctrinam conc. maj.; et neg. min.

Ad 1.am probationem neg. min. Intellectus enim creatus, licet entitative sit naturalis, tamen quatenus ratione potentiae obedientialis elevatur per donum superadditum ultra vires naturales, fit principium proximum et

1 Joannes a S. Thoma, *De Deo uno,* disp. 12, a. 2; Andreas a Cruce, *De Deo uno,* disp. 55, dub. i; Billuart, *De Deo uno,* diss. 4, a. 3; Urraburu, *Psychol.,* lib. 1, disp. 1, c. 3, a. 3, § 2.

a *Conlr. Gent.,* lib. 3, c. 54 ad 1.

adaequatum actionum supernaturalium; et hoc sensu denominatur potentia formaliter supernaturalis, et specificatur ab objecto supernatural!, etsi per modum *virtutis proximae* ex natura propria sit naturalis [1].

Ad 2.u,n respondetur nullum dari inconveniens, ut intellectus creatus habeat objectum extensivum infinitum, quia inter potentiam et objectum non est necessaria proportio mathematica sed sufficit proportio habitudinis [2]. Intellectus creatus ratione suae immaterialitatis est capax ad percipiendum ens in communi, abstrahendo a creato vel increato, et, cum supernaturaliter roboratur, percipit objectum infinitum. In hac tamen cognitione potentia et actus- non com mensurantur ab objecto infinito, sicut voluntas et amor, quando Deum diligimus, non fiunt infiniti, licet Deus in se sit infinitus.

Ad 3.l,m dicendum est nihil obstare, quominus essentia divina, quatenus subjicitur diversae rationi *sub qua,* specificet diversos intellectus. Ita intellectus humanus et angelicus habent idem objectum *quod,* scilicet ens in tota sua latitudine, et essentialiter inter se distinguuntur ob rationem *sub qua* distinctam in objecto saltem adaequato [3].

183. Scholion. Disputatur hic a theologis, an hominum quispiam in hac vita essentiam Dei intuitive viderit. Quaestio agitatur potissimum de Moyse *(Ex.,* 38, 1; et *Num.* 12, 8), et de S. Paulo *(II Cor.,* 12, 1-4).

Pattes graeci vix tangunt quaestionem ex professo, indirecte tamen S. *Irenaeus, S. Gregorius naz., S. Joannes Chrys.* [4] et alii ad partem negativam inclinari videntur. Hanc opinionem S. Evaristus Papa, ut Doctor particularis, confirmavit [5]* et sequuntur plures moderni, inter quos novissime *Janssens*[6]. *Patres latini* communius, S. Augustinum sequuti, partem affirmativam tenuere. S. *Thomas,* omnes mediae aetatis interpretes, S. *Joannes a Cruce* [7], plures scholastici, et ex junioribus non pauci, Patribus latinis subscripserunt. Rationes ex utraque parte probabilitate non carent.

1) Per potentiam Dei extraordinariam id fieri potuisse certo tenendum puto.

2) Dominus noster Jesus Christus, dum in terris ageret, proculdubio Dei essentiam intuebatur scientia beata, ut videbimus in tractatu de Verbo incarnato.

1 Cfr. Salmanticenses, *De visione Dei,* disp. I, n. 13 sqq.; et Paulus a Conceptione, tr. 2, disp. i, dub. 2, § 3.

2 S. Thomas, *I p.,* q. 12, a. I ad 4.

3 Possunt aliquando intellectus humanus et angelicus respicere idem objectum inadaequatum sub eadem ratione *sub qua,* dummodo objectum adaequatum respiciant semper sub.diversa ratione, quia non est necessarium, ut ratio *sub qua* distinctiva potentiarum explicetur in omnibus objectis et actibus particularibus, sed sufficit, ut in subjecto attributionis manifestetur. Cfr. Salmanticenses, *De visione Dei,* disp. I, dub. 1; Laurentius a S. Theresia, *Spicii, theol.,* t. i, p. 3, controv. 1, § 1-2; Paulus a Conceptione, *De Dèo uno,* tr. 2, disp. I, dub. 2, § 1.

Quidam magni ponderis philosophi adseruerunt intellectum humanum et angelicum in ratione potentiae esse ejusdem speciei, licet in ratione proprietatis valde inter se differant. Ita Cajetanus, */ p.,* q. 77, a. 3; Ferrariensis, *Contr. Gent.,* lib. 2, c. 94; Complutenses, *De anima,* disp. 17, n. 11; Complutenses abbr., *De anima,* disp. 16, n. 6; et alii apud Salmanticenses, *De visione Dei,* disp. I, n. 19; et apud Urraburu, *Psychol.,* lib. 1, disp. I, n. 49.

4 S. Irenaeus, *Adv. haer.,* lib. 4, ç. 37; MG 7, 1103; S. Gregorius naz., *Oral.* 34; MG 36, 254: S. Joannes Chrys., *In Joan.,* hom. 14, η. I; MG 59, 97.

5 *Ep. i ad episcopos A/ricae;* ML 130, 83. Si tamen genuina fuerit haec epistola.

6 *De Deo uno,* q. 12, a. 11.

7 *Cantico espiritual,* can. 14.

3) Aliis quoque sanctis visionem Dei immediatam aliquando in hac vita concessam fuisse sentire videntur nonnulli, a) *De Adamo* innuunt S. *Augustinus* et S. *Bernardus*[1] b) *De SS. Virgine* probabiliter tenet *Banez*[2]. c) *De S. Joseph* conjicit *Buonpensière*[3]. d) *De S. Benedicto* colligunt aliqui ex miraculo, quod refert S. *Gregorius M.* in libro 2 *Dialogorum,* c. 35; ML 66, 1200. Sed de his nihil certo affirmari potest.

§ 5

Utrum intellectus creatus lumine naturali possit evidenter cognoscere ac demonstrare possibilitatem visionis beatificae.

184. Status quaestionis. Titulus intelligi potest 1) de intellectu creato secundum se praecise sumpto sine adjutorio supernatural!, et 2) de eodem intellectu per lumen fidei vel revelationis illustrato. De utroque breviter.

185. Placita theologorum, i) *Nonnulli* absolute docuerunt posse intellectum creatum praecise sumptum solo lumine rationis cognoscere et probare possibilitatem visionis beatificae. Ita aliqui apud *Gonzalez*[4].

2) *Gabriel Vazquez*[3] requirit quidem adjutorium supernaturale ad cognoscendam possibilitatem visionis Dei, sed addit, semel habitis per fidem vel revelationem argumentis ostendentibus possibilitatem visionis beatae, posse intellectum creatum solo lumine naturali demonstrare eorum efficacitatem.

186. I. *intellectus creatus praecise sumptus cum solo lumine naturali, id est, absque subsidio luminis supernaturalis, nequit cognoscere ac demonstrare possibilitatem visionis beatificae.*

Ratio est, quia visio Dei intuitiva est actio quaedam supernaturalis. Supernaturalium autem possibilitas nonnisi ex principiis supernaturalibus cognosci et demonstrari potest. Ergo. Hinc antiqui philosophi lumine supernaturalis fidei destituti, licet acutissimi fuerint et sagaces, visionem divinae essentiae penitus ignorarunt.

II. *Intellectus creatus lumine supernaturalis fidei illustratu? potest ex principiis naturalibus probabiliter, non demonstrative, ostendere possibilitatem visionis divinae essentiae.*

Intellectus siquidem creatus, lumine supernaturalis fidei semel instructus ac veluti excitatus, potest rationibus naturalibus id, quod aliunde noverat, aliis suadere. Unde solent theologi possibilitatem et conditiones visionis beatificae fundamentis naturalibus explicare, sicut explicant mysteria et dogmata revelata religionis Christianae.

1 S. Augustinus, *De Gen. ad lilt.,* lib. 9, c. 19; ML 34, 408; S. Bernardus, *Semi. 2 de Septuag.,* n. 1; ML 183, 166.
2 *In l p.,* q. 12, a. 11, concl. 2.
3 *In 1 p.,* q. 12, a. ir, n. 700.
1 *De visione Dei,* disp. 24, sect. 2.
6 *In l-II,* disp. 20, c. 2.

III. *Intellectus creatus lumine'fidei adjutus et principiis utens revelatis potest probare possibilitatem et jactum visionis beatificae demonstratione theologica, adeo ut conclusionem theologicam deducat.*

Plura constant ex revelatione, ex quibus legitima argumentatione licet deducere possibilitatem et factum visionis beatificae. Ergo.

ARTICULUS II

UTRUM BEATI IN CAELO VIDEANT DEUM PER ALIQUAM SIMILITUDINEM

§ 1

Notiones praeviae.

187. 1) Duplex similitudo concurrit ad cognitionem objecti. *Una* ex parte potentiae, virtus scilicet seu capacitas ad cognoscendum objectum, quia inter potentiam et objectum debet dari similitudo, quae in casu non est nisi lumen intellectus creati elevatum et confortatum supernaturaliter lumine gloriae, de quo infra a. 3. *Altera* ex parte objecti cogniti.

2) Similitudo ex parte objecti potest esse triplex; *objectiva, impressa* et *expressa,* a) *Objectiva* est imago rei cognoscendae manuducens intellectum ad ipsam rem cognoscendam, ut creatura rationalis est quaedam similitudo Creatoris, b) *Impressa* est objecti nondum cogniti species vicaria, per intellectum agentem a phantasmatibus abstracta et in esse intentionali unita potentiae, concurrens active ad intellectionem. Appellatur *species impressa* seu *intelligibilis,* id est, proxime intelligibilis, quia respectu intellectus possibilis, a quo fit intellectio, remanet in actu primo intelligibilis [1]. c) *Expressa,* quae etiam *species expressa* et *verbum mentis* nuncupatur, est terminus operationis intellectus, seu ipsamet rès actu cognita et ab intellectu expressa, quatenus intellectus specie impressa fecundatus exprimit et dicit terminum, in quo tanquam in formali et actualissima similitudine contemplatur objectum. Realiter differt a) *a specie impressa,* quia species impressa est *principium* cognitionis, species expressa terminus; prima est quasi *semen* fecundans intellectum, secunda *fructus;* una repraesentat objectum ut *intelligibile,* altera ut *cogni-*

1 *Species impressa* est ipsummet objectum in esse repraesentativo et intentional!, adeo ut nulla sit distinctio inter objectum et speciem nisi quoad modum essendi. Cfr. Complutenses, *De anima,* disp. 18, q. 3; Paulus a Conceptione, tr. 2, disp. 2, dub. 2; et Kieffer, *De Deo uno,* disp. 3, sect. 1, a. 2. Haec species et potentia intellectiva ita uniuntur in intellectione, ut intentionaliter, non entitatiVe, dicantur identificati, juxta illud Averroès: «Ex intellectu et re intellecta fit magis unum, quam ex materia et forma». *De anima,* lib. 3, comment 5, § «Dicamus igitur». Cfr. S. Thomas, *I p.,* q. 14, a. 1.

tum [1]; β) ab *intellectione,* quia terminus actionis realiter distinguitur ab ipsa actione [2].

3) *Necessitas specierum intelligibilium ad cognitionem.* Cognitio nostra perficitur juxta S. Thomam et omnes scholasticos, in quantum cognitum est in cognoscente [3]. Cognitum autem est in cognoscente non entitative quoad esse physicum, quia res materiales propter suam matcrialitatem et substantiae spirituales propter defectum similitudinis perfectae cum intelligente, ut dicetur in tractatu de angelis, nequeunt in suo statu naturali uniri intellectui creato, sed intcntionaliter, quatenus per apprehensionem intellectus producitur in mente similitudo seu species objecti. Unde prima mentis operatio in ordine ad cognitionem est simplex apprehensio.

4) Suppono ut certum beatos in caelo non videre Deum quidditative, mediante aliqua similitudine objectiva seu imagine alicujus rei creatae repraesentantis essentiam divinam; quia visio Dei in caelo est immediata et intuitiva non mediata ac reflexiva ad modum cognitionis Dei, quam philosophus ethnicus colligit ex rebus creatis [4]. Restat difficultas de similitudine impressa et expressa.

§ 2

Utrum beati in caelo videant vel videre possint Deum, ut est in se, per aliquam speciem impressam creatam.

188. Status quaestionis. Duplex, ut vides, movetur hic quaestio: 1) An de facto beati videant Deum per speciem impressam. 2) An id possibile sit.

189. Placita theologorum, i) *Quoad factum.* Satis communiter docent auctores contra *Aureolum* [5] et *Aegidium a Praesentatione* [6] beatos in caelo non videre Deum per speciem impressam.

2) *Quoad possibilitatem.* Id possibile esse a) affirmant *Vazquez, Molina, Γalentia, Suarez* [7], et plures scotistae; b) negat *Angelicus Doctor* et cum eo *Capreolus, Solo, Ferrariensis, Cajetanus, Banez, Salmanticenses, Philippus a SS. Trinitate* [8], et plures alii tum thomistae tum extranei.

1 Cfr. Zigliara, *Psychologia,* lib. 4, c. 3, a. 1.

2 Ita Capreolus, *In I Sent.,* dist. 27, q. 2, conci. 1; Ferrariensis, *Contr. Gent.,* lib. i, c. 53; Salmant., *De visione Dei,* disp. 2, n. 208 sqq.

3 Cfr. Complutenses, *De anima,* disp. 18, q. 1 et 4.

4 Cfr. Banez, *In 1 p.,* q. 12, a. 2, dub. r, conci, r.

5 Apud Capreolum, *In IV Sent.,* dist. 49, q. 5, a. 2.

6 *De beatitudine,* lib. 4, q. 1, a. 2, § 6; et lib. 8, p. 2, q. 3, a. 2.

7 Vazquez, *In I p.,* disp. 38, c. 2; Molina, *In I p.,* q. 12, a. 2; Valentia, *In I p.,* disp. 1, q 12, p. 2: Suarez, *Metaphys.,* disp. 30, sect. 11, n. 27.

8 S. Thomas, *I p.,* q. 12, a. 2; Capreolus, *In IV Sent.,* dist. 49, q. 5, a. 1; Soto, *In IV Seni.,* dist. 49, q. 2, a. 3; Ferrariensis, *Contr. Gent.,* lib. I, c. 53; Cajetanus, */ p.,* q. 12, a. 2: Banez, */ p.,* q. 12, a. 2; Salmant., *De visione Dei,* disp. 2, n. 118; Philippus a SS. Trinit., *De visione Dei,* disp. 2, dub. 2.

190. THESIS I. Beati in caelo vident Deum sine ulla specie impressa creata.

Arg. Species impressa creata, cum sit imago quaedam objecti seu potius ipsum objectum in esse intentionali, non efformatur, quando objectum est omnino spirituale et per se ipsum entit?.tive unitur intellectui. Scopus enim speciei impressae est objectum reddere spirituale et unire potentiae. Sed Deus est spiritus purus et per se ipsum unitur intellectui beatorum. Ergo.

191. Thesis II. De potentia Dei absoluta non potest dari species impressa creata, quae repraesentet essentiam divinam, prout est in se.

Arg. 1) Species impressa inferioris ordinis non potest res superioris ordinis repraesentare[1], quia est ipsum quidditative objectum in esse intentionali et repraesentativo. Sed nulla species creata, quantumvis perfecta, potest esse ordinis divini etiam in esse repraesentativo. Ergo.

Dices, i) Species, quamvis sit accidens, repraesentat substantiam, objectum superioris ordinis; 2) adjutorio luminis gloriae, quod est ens creatum, conspicitur Deus increatus, quidni etiam mediante specie creata?; 3) angelus inferior specie sibi connatural! videt angelos superioris ordinis; 4) anima in statu separationis videt angelos.

Resp. Ad l.xm Species, quae repraesentat substantiam, utpote qualitas inhaerens intellectui, est quidem accidens in esse entitativo, sed est formaliter ipsa substantia repraesentata in esse intentionali.

Ad 2.um Lumen gloriae se habet ex parte potentiae, quam confortat, species vero est ipsum objectum. Magnum autem interest discrimen inter utrumque. Non est necessarium ad visionem Dei, ut potentia sit ejusdem naturae cum Deo, sed sufficit, ut per auxilium divinum elevetur ad ordinem supernaturalem; at species, cum sit formalis objecti similitudo, debet ipsum, ut est in se, repraesentare. Species autem creata nequit repraesentare Deum, ut est in se.

Ad 3.um Angelus inferior cognoscit superiorem non eo gradu, quo superior est cognoscibilis, neque sicut ipse angelus superior se cognoscit, sed modo quodam inferiori et sibi proportionate. Ad rem S. *Thomas:* «Quod superiora cognoscat per modum suae substantiae inferiori modo, quam res superior sit in se ipsa»

Ad 4.um Idem est dicendum.

2) Species impressa creata repraesentans Deum, ut est in se, esset suum esse saltem in ordine intelligibili, quia esset ipsummet objectum repraesentatum, nempe Deus, suum esse etiam in ordine intelligibili. Sed nulla species creata potest esse suum esse in ordine intelligibili, quia est ab intellectu producta. Ergo.

3) «Divina essentia est aliquod incircumscriptum, continens in se supereminenter quidquid potest significari vel. intelligi ab intellectu[2]

1 Cfr. Pseucio-Dionysius, *De div. nom.,* c. 1; MG 3, 593·

2 *De causis,* lect. 8. Cfr. Joannes a S. Thoma, disp. 13, a. 3; Laurentius a S. Th., *Spicii, theol.,* t. 1, p. 3, controv. 2, § 3; Gonet, tr. 2, disp. 2, a. 1. Aliqui thomistae dicunt species impressas, quibus angeli se ipsos et angelos superiores cognoscunt, convenire, quia omnes angeli conveniunt in limmaterialitate per se et formaliter requisita ad rationem speciei in esse speciei formalissime consideratae», licet differant in immaterialitatc importata ab eadem speci·· in i sse rei Ita Salmantioonsos. *De visione Dei,* disp. 2, n 105; et, Bllhiurt, /›·· *Deo uno,* di .s 4, .l (»

creato»[1]. Sed species creata, utpote limitata et ad unam speciem determinata, nequit repraesentare id, quod est incircumscriptum. Ergo.

192. Corollarium. Tota haec argumentatio innititur fundamento philosophico satis firmo et in doctrina S. Thomae communiter admisso, scilicet speciem impressam esse in ordine intentionali ipsum objectum repraesentatum. Hoc si admittatur, rationes expositae probant, ut ipse *Valentia* fatetur, «implicare contradictionem, ut sit aliqua species creata isto modo similis essentiae divinae» [2]. Vide argumenta in contrarium profundissime soluta apud *Salmanticehses* et *Laurentium a S. Theresia* [3].

§ 3

Utrum in visione beatifica producatur-vel produci queat verbum mentis seu species expressa repraesentans Deum, ut est in se.

193. Status quaestionis. Intellectus specie intelligibili fecundatus exprimit, generatim loquendo, et spiritualité!· parit objectum, quod, utpote terminus operationis intellectivae, habet suum esse spirituale intra potentiam intellectivam [4]. Vocatur *species expressa* seu *verbum mentis.* Declarandum est hic, an etiam beati, cum intuentur Deum, producant vel producere possint verbum, vel, quod idem est, an exprimant et dicant essentiam divinam.

194. Placita theologorum. 1) *Nonnulli* dicunt speciem expressam seu verbum mentis necessario produci a beatis in Dei visione, adeo ut impossibile sit essentiam divinam aliter ab intellectu creato videri. Ita *Suarez* [5] cum aliis.

2) *Alii* docent beatos in visione Dei producere quidem verbum mentis, sed non ita necessario, ut repugnet visio Dei sine verbo mentis. Ita *Molina* et *Arrubal* [6].

3) *Alii* censent utramque opinionem esse probabilem. Ita *Capreolus, Ferrarjensis* et alii [7].

4) *Alii* denique contendunt non dari nec produci posse in visione beatifica verbum repraesentans Deum, ut est in se. Ita *Hewicus Gandavensis, Bavez, Coniplutenses, Salmanticensès, Joannes a S. Thoma, Sylvius, Satolli, Billot,* etc. [8]

1 S. Thomas, *! p.,* q. 12, a. 2.
2 *hi I p.,* disp. i, q. 12, p. 2, *Secundo modo.*
3 Salmant., *De visione Dei,* disp. 2, n. 118 sqq.: Laurentius a S. Th., *Spicil. theol.,* t. I, p. 3, controv. 2, § 3.
4 Cfr. S. Thomas, *I p.,* q. 27, a. 1; Complutonses, *De anima,* disp. 21, q. 5, concl. 2.
5 *De Deo,* lib. 2, c. 11.
6 Molina, *In I p.,* q. 12, a. 2, disp. I, concl. 1: Arrubal, *I p.,* q. 12, disp. 17, c. 2.
7 Capreolus, *In IV Sent.,* dist. 49, q. 5, a. 3 ad 1; Ferrariensis, *Contra Gentiles,* lib. I, c. 53.
8 Honricus Gand., *Quodlib.* 3, q. r; et *Quodlib.* 4, q. 8; Banez, *In Tp.,* q. 12, a. 2, s .S', 7 *tumen opinio prior;* Complutenses, *De anima,* disp. 21, q. 5: Salmantioenses, *Di visione Dei,* disp. 2, n. 206 sqq.; Joannes a S. Th., *De Deo uno,* disp. 13, a. 5; Sylvius. *In I p* , q 12, a. 2, Dicendum 2; Satolli, */ p.,* q. 12, a. 2, concl. 1; Billot, *De Deo uno,* q. 12, th. 13, Coroll.

195. Thesis. **In visione Dei intuitiva beati non producunt nec producere possunt verbum mentis.**

Arg. 1) Species expressa seu verbum mentis est ejusdem naturae et immaterialitatis ac objectum cognitum in ordine repraesentativo. Sed impossibile est verbum ab intellectu creato productum esse ejusdem naturae et immaterialitatis ac objectum visionis beatificae in ordine repraesentativo, quia objectum visionis est ipsum esse actualissimum, et verbum creatum maxime potentiale. Ergo \
2) Essentia divina unitur intellectui beatorum in caelo ut intellectum in actu, et per seipsam faciens intellectum in actu. Sed implicat contradictionem id, quod est essentialiter et per se ipsum intellectum, ab alio constitui intellectum, quia id, quod est per se tale, non redditur ab alio tale. Ergo in visione Dei intuitiva beati non producunt verbum 2.

IVec *valet dicere* Deum esse quidem actu a se ipso cognitum non tamen ab intellectu creato expressum, et opus esse, ut in visione beatifica producatur ab intellectu creato qua verbum.

Hoc inquam non refert, quia eo ipso, quod sit Deus in linea intelligibili actus purissimus a se ipso cognitus, valet etiam intellectui creato per se ipsum immediate uniri et intellectionem creatam in ratione objecti cogniti terminare, statim ac intellectus creatus dispositus fuerit. Optime hoc declarant *Complutenses abbreviati* 3 exemplo personalitatis divinae. Sicut subsistentia divina, actus purissimus, habet ex parte sua quidquid requiritur ad terminandam naturam creatam, eamque actu terminat in incarnatione Christi, ita essentia divina ex se apta est ad terminandam intellectionem creatam, quam revera, cum intellectus beatorum confortatus fuerit, immediate terminat.

Objectiones, quas ab auctoritate et ratione congerunt adversarii, referuntur vel ad cognitionem rerum creatarum, vel ad cognitionem, quam de Deo habemus in terris.

§ 4

Utrum in visione beatifica essentia divina gerat vices speciei impressae et expressae.

196. Status quaestionis. Cognitio fit in quantum cognitum est in cognoscente, vel, ut S. *Augustinus* ait: *Ex objecto et potentia paritur notitia.* Unde ad cognitionem requiritur, ut objectum in statu naturali vel ejus species vicaria uniatur potentiae; et in intellectione pariatur spiritualiter objectum. Cum autem species creata non possit Deum repraesentare, ut est in se, occurrit dubium, an ipsa essentia divina uniatur intellectui beatorum in ratione speciei impressae et expressae.

1 Vid. apud Salmanticenses, *Dc visione Dei,* disp. 2, n. 207 instantias solutas, quae contra hoc argumentum fiunt

2 *I p.,* q. 12, a. 2 ad 3.

2 *Dc anima.* disp 20, q. 4, § 1, n 23. '

197. Placita theologorum, 1) *Quoad speciem impressam:* a) Plures negaverunt Deum uniri intellectui beatorum in ratione speciei impressae, variis ducti rationibus; α) *nonnulli,* ut *Aureolus* et *Aegidius a Praesentatione*[1], quia crediderunt in visione beatifica dari speciem impressam creatam; β) *alii,* ut *Vazquez*[2], quia putarunt essentiam divinam «generali quadam ratione, sicut primum movens, ad visionem cum intellectu concurrere, atque solum esse objectum illius, ipsum vero intellectum habitu luminis instructum esse sufficiens et integrum ejus principium»[3], imo non dubitant «appellare ipsum lumen gloriae speciem impressam essentiae divinae»[4]. γ) *Suarez*[5] negavit essentiam divinam uniri intellectui beatorum per modum speciei intelligibilis quoad omnia munia, quia de ratione speciei impressae est inhaerere intellectui et unire ipsi objectum per modum formae actuantis: quod Deo convenire nequit; unde putavit Deum, actum purissimum, uniri intellectui beatorum ut objectum intelligibile, et immediate «influere in actum videndi per modum principii proximi connaturalis illi actui ex parte objecti»[6].

b) *Longe communior sententia* defendit essentiam divinam per se ipsam immediate uniri intellectui beatorum per modum speciei intelligibilis. Ita S. *Thomas*[7], quem sequuntur omnes fere thomistae et plures extranei.

2) *Quoad speciem expressam,* a) Omnes, qui defendunt in visione beatifica produci verbum creatum, negant Deum per se ipsum in ratione verbi uniri intellectui beatorum.

b) *Communior sententia* docet essentiam divinam gerere vices speciei expressae in visione beatifica.

198. THESIS. Deus per se ipsum immediate unitur intellectui beatorum, vices gerens speciei tam impressae quam expressae, hujus tamen incomplete et quoad aliqua tantum munia.

Pars 1.a Deus immediate unitur intellectui beatorum, vices gerens speciei impressae.

Arg. 1) «Oportet, inquit *Angelicus,* si Dei essentia videatur, quod per ipsammet essentiam divinam intellectus ipsam videat, ut sic in tali visione divina essentia sit, et quod videtur et quo videtur»[8]. Rursum; «Manifestum est igitur, quod essentia divina potest comparari ad intellectum creatum ut species intelligibilis, qua intelligit»[9]. Tandem: «Cum autem aliquis intellectus creatus videt Deum per essentiam, ipsa essentia Dei fit forma intelligibilis intellectus»[10].

2) Essentia divina est a) actu intelligibilis, quia actus purissimus et spiritualis; b) intellectui beatorum proportionata, quia intellectus lumine gloriae instructus elevatur ad ordinem divinum; et c) intellectui creato intime praesens ac unita, quia immensa. Ergo essentia divina in visione beatifica gerit vices speciei impressae.

1 Aureolus, apud Capreolum, *In IV Sent.,* dist. 49, q. 5, a. 2; Aegidius a Presentalione, *De beatitudine,* lib. 8, p. 2, q. 3, a. 2.
2 *In I p.,* disp. 43, cc. 6-7.
3 *In I p.,* disp. 43, c. 6, n. 26.
4 *In I p.,* disp. 43, c. 7, n. 32.
5 *De Deo,* lib. 2, c. 12, nn. 6-7.
6 *De Deo,* lib. 2, c. 12, n. 20.
7 *Contra Gentiles,* lib. 3, c. 51.
8 *Contra Gentiles,* lib. 3, c. 51, «Cum autem».
9 *Contra Gentiles,* lib. 3, c. 51, «Ad hujusmodi».
10 *I p.,* q. 12, n. 5.

Pars 2.a Deus in visione beatorum gerit vices speciei expressae, incomplete tamen et quoad aliqua tantum munia.

Arg. Species expressa seu verbum mentis est ipsum objectum actu intellectum et repraesentans rem in actu secundo. Sed Deus unitur intellectui beatorum ut cognitus et repraesentat se ipsum in actu secundo. Ergo.

Diximus *incomplete et quoad aliqua tantum munia,* quia de ratione speciei expressae est non solum rem ut actu secundo intellectam repraesentare, sed etiam ab intellectu procedere. Cum autem essentia divina nullatenus sit ab intellectu creato expressa vel producta, sequitur Deum in visione beatorum gerere vices speciei expressae quoad aliqua tantum munia.

Diluitur difficultas.

199. Obj. Unio speciei impressae cum intellectu nequit fieri nisi per modum inhaerentiae et informationis. Sed inhaerentia et informatio, quae important limitationem, Deo absolute repugnant, ut S. *Thomas, I. p.,* q. 5, a. 8, explicite docet. Ergo Deus non unitur intellectui creato per modum speciei impressae. Ita *Suarez* [1].

Resp. 1) Quoad inhaerentiam. Non recte adseritur de ratione omnis speciei intelligibilis esse inhaerere potentiae. Potest aliquando dari species sine inhaesione. Nam species intelligibilis non se habet ex parte potentiae tribuens virtutem ad intelligendum, sed ex parte objecti influens active ad cognitionem. Cum autem essentia divina sit actus purus et suum esse, tum in genere entis tum in genere intelligibili, sine inhaesione per modum formae intelligibilis constituit intellectum creatum in actu primo proximo ad intelligendum, sicut subsistentia divina sine inhaesione complet per modum termini naturam humanam in Christo.

2) Quoad informationem.—Dist. min. Repugnat Deum informare intellectum creatum in esse entitativo et naturali, conc.; in esse repraesentativo, neg. Ita S. *Thomas* [2]. Ratio discriminis est, quia forma naturalis, sive substantialis sit sive accidentalis, constituit cum subjecto tertiam naturam, et denotat limitationem ac imperfectionem; at forma intelligibilis, unita potentiae in esse repraesentativo, non constituit tertiam naturam cum potentia, sed potius adtrahit intellectum ad sur esse. Unde ex intellectu beati et essentia divina non fit aliquid tertium, sed intellectus fertur ad esse Dei, cum quo identificatur in ordine intelligibili. quia *intellectus in intelligendo fit omnia.* Quare in illa mirabili visione intellectus creatus, instructus lumine gloriae, fit ipse Deus, non quidem entitative et in esse naturali, sed in esse intelligibili. manente distinctione virtuali vel etiam reali potentiae [3].

§ 5

Utrum essentia, divina in beatiludine concurrat active ad claram Dei visionem ab intellectu creato eliciendam.

200. Status quaestionis. 1) Minime dubitandum est, quin Deus ut causa prima concurrat active ad omnes creaturarum actiones, tum naturales tum supernaturales, etiam ad visionem beatificam.

1 *De Deo uno,* lib. 2, c. 12, n. 6.

2 *Contra Gentiles,* lib. 3, c. 51.

3 Ita rem explicant Cajetanus, *I p.*, q. 12, a. 2; Salmantioenses, *De visione Dei,* disp. 2, n. 61 sq.; Gabriel a S. Vincendo, *De Deo uno,* disp 12, dub 5; Laurentius a S. Th., *Spicii, theol.,* t. 5. p. 3, controv 3, § 3; Philippus a SS. Trinitate, *De visione Dei,* disp. 2, dub. 5; Gonet, tr. 2, disp. 2, a. 3, § 2; Billuurt, *De Deo uno,* diss. 4, a. 7.

2) At hic movetur quaestio de alio modo agendi. Docent plures scholastici speciem impressam influere active in cognitionem 1. Cum autem essentia divina uniatur potentiae intellectivae in ratione speciei, occurrit dubium, an Deus, quatenus gerit munus speciei intelligibilis, concurrat active ad actionem intellectivam, qua ipse cognoscitur ab intellectu creato.

201. Placita theologorum. 1) *Nonnulli* universim negaverunt speciem impressam influere active in cognitionem intellectivam. Ita *Gandavensis, Tolidus,* et alii pauci

2) *Alii* dixerunt speciem intelligibilem, quando inhaeret intellectui, influere active in cognitionem, non vero, quando unitur potentiae sine inhaesione per modum formae intelligibilis. ut essentia divina. Ita *Banez 34*

3) Communissime affirmant theologi.

202. Thesis. **Essentia divina unita intellectui beatorum in ratione speciei impressae influit active in visionem Dei.**

Arg. 1) S. *Augustinus* ait: «Omnis res, quamcumque cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui. Ab utroque enim notitia paritur a cognoscente et cognito» Et S. *Thomas:* «In tantum enim ipsum intelligere spccificatur per objectum suum, in quantum forma intelligibilis est principium intellectualis operationis. Nam omnis operatio specificatur per formam, quae est principium operationis sicut calefactio per calorem» 5. Sed forma concurrit active ad operationem sicut calor ad calefactionem. Ergo.

2) *Ex ratione,* a) Intellectus beatorum quodammodo informatur ab essentia divina et ita quasi deificatus elicit actum visionis Dei. Ergo essentia divina quasi informans intellectum concurrit active ad visionem Dei.

b) Intellectus beatus, etiam lumine gloriae perfusus, indifferens est ad cognoscendum hoc vel illud objectum, et ab essentia divina determinatur ad videndum Deum. Sed haec determinatio est influxus activus. Ergo.

ARTICULUS III

DE LUMINE GLORIAE

§ 1

Quid sit lumen gloriae.

203. Status quaestionis. Sicut ad naturalem Dei cognitionem requiritur *lumen rationis naturale,* ita a fortiori ad cognitionem super naturalem essentiae divinae necessarium est *lumen jidei* in via, dum

1 Cfr. Complutenses, *De anima,* lib. 3, disp. 18, q. 5.

- Gantlavonsis, *Quodlib.* 4, q. 7; Toletus, *De anima,* lilt 2, C.5, q. 12, conci. 2.

3 /» / *p.,* q. 12, a. 2, dub. 2, conci. 3.

4 *De Trinitate,* lib 9, c. 12; MI. 42. 970.

» *I p.,* q. 14, a. 5 ad 3.

ambulamus per fidem, et *lumen gloriae* in patria, cum Deum intuitive in se et alia in ipso sumus in caelo visuri. Hinc juxta triplicem de Deo cognitionem, triplex creaturae rationali inest lumen, *rationis* scilicet. *fidei* et *gloriae,* a Deo creatore, sanctificatore et glorificatore infusum 1. De lumine *rationis* agunt philosophi, de lumine *fidei* redibit sermo alibi, hic de lumine *gloriae,* et imprimis de ejus natura.

204. Placita theologorum, i) *Thomassinus* docuit lumen gloriae esse ipsum Spiritum Sanctum 2.

2) *Alii* docuerunt lumen gloriae, si quid est, esse ipsam essentian divinam per modum speciei intellectui creato unitam. Ita *Durandus* 3.

3) *Vazquez* 4 putavit lumen gloriae appellari et esse speciem impressam essentiae divinae, quae ut primum movens concurrit cum intellectu ad visionem.

4) *Alii* voluerunt lumen gloriae esse concursum praevium vel simultaneuni, quo intellectus movetur ad visionem divinae essentiae. Ita quidam antiqui apud *Soto* 5.*

5) *Communissima sententia* tenet lumen gloriae esse virtutem quamdam per modum habitus menti creatae superadditam, qua intellectus confortatur ad vadendum Deum, ut est in se.

205. Thesis. **Lumen gloriae est qualitas seu habitus supernaturalis intellectui beatorum permanenter inhaerens, ipsumque elevans ad visionem Dei eliciendam.**

Arg. 1) S. *Thomas* ait: «Lumen creatum est necessarium ad videndum Dei essentiam... ad hoc, quod intellectus fiat potens ad intelligendum per modum, quo potentia fit potentior ad operandum per habitum» e.

2) Cum visio divinae essentiae excedat vires intellectus creati et sit in aeternum duratura, oportet ad hoc intellectui creato superaddi virtutem quamdam modo permanenti. Sed majorem ex natura sua habet permanentiam habitus seu qualitas quam auxilium transiens. Ergo lumen gloriae, quo intellectus creatus proportionatur ad visionem beatificam, est habitus seu qualitas permanens.

Dicitur 1.° *Qualitas* seu *habitus,* tum quia permanenter datur, tum quia intellectus connaturalius divinam essentiam cernit virtute permanente instructus quam auxilio transeunte corroboratus.

2.° *Supernaturalis,* quia intellectus creatus, viribus tantum naturalibus ex se instructus, lumine gloriae elevatur, perficitur et Deo conspiciendo proportionatur.

3.° *Intellectui beatorum permanenter inhaerens,* quia se habet ex parte potentiae eo ferme modo, quo gratia inhaeret animae et caritas voluntati ad actus supematurales producendos.

4.° *Ipsumque elevans ac perficiens ad visionem Dei eliciendam,* ut innuatur mentem creatam in visione beatifica non mere passive se habere, sed vitaliter yisionem Dei elicere 7.

1 Cfr. Franzelin, *De Deo uno,* th. 16.
2 *De Deo,* lib. 6, c. 16, nn. 8 et 10.
3 *In IV Sent.,* dist. 49, q. 2, n. 24.
4 *In I p.,* disp. 43; c. 7, n. 32.
5 *In IV Sent.,* dist. 49, q. 2, a. 4, § *Sentencia haec.*
“ */ p.,* q. 12, a. 5 ad 1.
7 Cfr. Franzelin, *De Deo tino,* th. 16, II, 4

206. Corollarium. Ex his colliges quid sentiendum sit de placitis theologorum supra relatis.

1) *Primum* stare nequit, quia visio beatifica, ut communiter docent theologi, est *actus vitalis* intellectus Deum videntis.

2) *Secundum* est rejiciendum, quia essentia divina gerens vices speciei intelligibilis se habet ex parte objecti, lumen vero gloriae ex parte potentiae.

3) *Tertium* quoque placitum pari ratione ac praecedens respuendum est.

4) *Quartum·* denique non est admittendum. Concursus siquidem, sive praevius sit sive simultaneus, supponit in subjecto potentiam aptam ad operandum, et movet dumtaxat facultates ad agendum, quin augeat earum vires. At lumen gloriae corroborat intellectum per vires superadditas.

Nemo negaverit posse intellectum creatum *per auxilium Dei transiens* adeo elevari, ut divinae naturae conspiciendae capax efficiatur. Quare non repugnat lumen gloriae esse adjutorium actuale continuatum, quo vires intellectus confortentur; de facto tamen multo probabilius videtur illud esse habitum seu qualitatem.

§ 2

Utrum necessario requiratur lumen gloriae ex parte intellectus ad videndum Deum, ut est in se.

207. Placita theologorum, i) *Scotiis* 1 disjunctive exponit suam opinionem dicens lumen gloriae esse neccessarium, si supponatur visionem beatificam produci active ab intellectu creato, secus vero, si visio infundatur a Deo in intellectum passive se habentem.

2) Juxta beguardos et beguinos «anima non indiget lumine gloriae ipsam elevante ad Deum videndum et eo beate fruendum» 2.

3) *Durandus* scribit: «Ad videndum Deum clare et manifeste non requiritur... aliquid lumen creatum elevans intellectum... sed sufficit, quod divina essentia immediate repraesentetur intellectui creato, quod utique non potest fieri secundum ordinem naturae, quam experimur... sed potest hoc fieri secundum ordinem divinae gratiae»3.*

4) *Biel* ! et alii dixerunt valde probabile esse, «quod actus beatificus tam visio quam fruitio totaliter causantur a Deo in beatis, ita quod respectu eorum intellectus et voluntas beati habent se pure passive, cos scilicet recipiendo non eliciendo» 5, juxta illud: *Gratiam et gloriam dabit Dominus* .*

208. Fr esis. **Beati in caelo indigent lumine gloriae ad videndum Deum.**

Si himen gloriae large accipiatur pro auxilio supernaturali, conclusio est de fide; si stricte pro habitu seu qualitate, certe communior est, non de fide.

l *In IV Sent ,* dist. 49, q. 11, nn. 9-10.
2 Donz-Bannw., 475.
3 *In IV Sent.,* dist. 49, q. 2, n. 24.
l *In III Seni.,* dist. 14, q. un., a. 1, opin. 5.
6 Biol, *In III Seni.,* dist. 14, q. un., a. 1, opin. 5.
" *Ps.* 83, 12.

Arg. 1) S. Joannes ait in Apocalypsi: *Videbunt faciem ejus et nomen ejus in frontibus eorum. Et nox ultra non erit, et non egebunt lumine lucernae neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos* [1].

2) *Clemens V* damnavit in Concilio Viennensi propositionem beguardorum his verbis expressam: «Quod quaelibet intellectualis natura naturaliter in se ipsa est beata, quodque anima non indiget lumine gloriae ipsam elevante ad Deum videndum et eo beate fruendum» [2].

3) Hujus doctrinae rationem fundamentalem exponit *Valentia* his verbis: «Ex fide certum est beatos Deum videre. At non vere viderent, nisi eorum intellectus in actu primo confortaretur per habitum luminis gloriae, ut Cajetanus hic a. 5 et Ferrar., lib. 1 *Contr. Gent.,* c. 54, recte intellexerunt. Ergo negari sine errore ac temeritate non potest beatos habitu luminis gloriae ad eam visionem opus habere. Prob. min. Nam, ut intelligi potest ex optima quadam doctrina D. Thomae, *II-II,* q. 23, a. 2, Deus secundum legem quidem ordinariam non solet concurrere cum potentiis ad actus excedentes earum facultatem naturalem, qualis est visio beatifica, nisi eas perficiendo et roborando per aliquas formas habituales, quibus reddantur proportionatae et idoneae ad prompte et facile eliciendos ejusmodi actus, cum disponat Deus omnia suaviter, *Sap.* 8, 1» [3].

209. Corollaria. 1) Munus principale luminis gloriae est intellectum creatum confortare ac elevare ad visionem Dei eliciendam, ut constat ex natura ipsius [4].

2) Lumen gloriae requiritur in intellectu beati ad recipiendam essentiam divinam in ratione speciei, quia, cum ultima dispositio potentiae ad formam et ipsa forma debeant esse ejusdem ordinis [5], intellectus creatus naturaliter impar ad essentiam divinam recipiendam in ratione formae intelligibilis, eget lumine gloriae, ut ad hoc disponatur [6].

3) Intellectus creatus indiget pariter lumine gloriae, ut visionem Dei in se recipiat. In actionibus immanentibus duplex munus obit potentia; actionem vitalem elicit et in se recipit, quia actio immanens recipitur et manet in potentia, a qua elicitur. Unde intellectus creatus sicut eget lumine gloriae ad visionem Dei eliciendam, ita pariter ad eam in se recipiendam [7].

1 *Apoc.,* 22, 4-5.
2 Denz-Bannw., 475.
3 *In 1 p.,* disp. i, q. 12, p. 3.
4 Cfr. Valentia, *In I p.,* disp. I, q. 12, p. 3, *Quoad tertium.*
5 Salmant., *De visione Dei,* disp. 4, n. 25.
6 Cfr. S. Thomas, *I p.,* q. 12, a. 5.
7 Cfr. Salmanticenses, *De visione Dei,* disp. 4, n. 36 sqq.; Scotus huic doctrinae contradicit dicens: «Natura humana ex puris naturalibus est susceptivum beatitudinis... Ex hoc sequitur corollarium quod in beato nihil erit supernaturale prius operationibus, si tamen aliquid supernaturale ponitur in beato prius operationibus. Hoc non erit propter receptionem sed propter actionem». *In IV Sent.,* dist. 49, q. 11, § *Respondeo ergo.*

§ 3

Utrum de potentia Dei absoluta possit intellectus creatus videre Deum intuitive absque lumine gloriae.

210. Status quaestionis. 1) Titulus hujus paragraph! potest intelligi dupliciter: a) An Deus possit sine lumine gloriae intellectum creatum elevare et confortare auxilio quodam supernatural!, quod una cum intellectu beati concurrat ad visionem beatificam, b) Utrum Deus possit facere, ut intellectus creatus sine lumine gloriae et sine auxilio supernatural! vices ejus gerente videat intuitive essentiam divinam.

2) Potest Deus in primo sensu, id est, sine lumine gloriae proprie dicto per auxilium supernaturale, quod vices gerat luminis gloriae, elevare intellectum creatum ad visionem beatificam quia auxilio supernatural! transeunte potest intellectus creatus adeo mutari ac perfici, ut in eodem ordine, quo sunt beati, constituatur. Hoc sensu intelligendus est Angelicus, cum ait: «Sicut Petrum fecit super aquas ambulare sine hoc, quod ei dotem agilitatis tribueret, ita potest mentem ad hoc perducere, ut divinae essentiae uniatur in statu viae modo illo, quo unitur sibi in patria, sine hoc quod a lumine gloriae perfundatur» [2].

3) Quaestio procedit de secundo modo.

211. Placita theologorum, r) *Aliqui* docent intellectum beatum sine lumine gloriae et sine auxilio vices ejus gerente posse influxu quodam Dei extrinsece coopérante vel concomitante elevari ad eliciendum actum beatificum, ita ut «nulla fiat intestina mutatio in ipsa mentis facultate, sed Deus, intellectu creato manente in suis viribus naturalibus, utatur velut instrumento ad eliciendum supernaturalem actum visionis beatificae. In intellectu enim praeter naturales vires positivas intelligendi ajunt esse *potentiam obedientialem,* secundum quam intellectus sub immediata operatione Dei elicere potest quemvis actum intellectualem, qui in se creaturae non repugnet» [3] [4] Ita *Molina, Vazquez, Suarez, Sylvius* [4] et alii.

2) *Alii,* dicunt posse Deum uniri intellectui creato in ratione *luminis,* eumqüe ad visionem beatificam aptum reddere. Sic *Vincentius, Curiel* et alii [5].

3) *Omnes fere thomistae et plures extranei* negant posse id fieri sine lumine gloriae et sine auxilio supernatural! recepto in intellectu [6].

1 Cfr. Valentia. *In I p.,* disp. I, q. 12, p. 3.

2 *De veritate,* q. 10, a. 11. Cfr. *IV Sent.,* dist. 49, q. 2, a. 7.

3 Franzelin, *De Deo uno,* th. 16, 2, 2.°. Hanc opinionem refutat gravissimus theologus, quia nunquam potuit intelligcre actum vitalem supernaturalem hoc pacto elicitum a mente creata.

4 Molina, *In I p.,* q. 12, a. 5, disp. 1, *Contraria tamen sententia:* Vazquez, *In I p.,* disp. 46, c. 2; Suarez, *De attributis,* lib. 2, c. 16: Sylvius, *In I p.,* q. 12, a. 5.

8 Vincentius, *Relectio de gratia Christi,* q. r, disp. 3: Curiel. *In I p.,* q. 12, dub. 2.

° Cfr. S. Thomas, *II-II,* q. 175, a. 3 ad 2; Capreolus, *IV Sent.,* dist. 49, q. 4, a 1, conci. 2; Cajetanus, *I* />.. q. 12, a. 5: Banez, *I p.,* q. 12, a. 5: Soto, *IV Sent.,* dist 49, q 2, a 4; Alvarez, *De auxiliis,* disp. 67: Salmanticenses, *De visione Dei,* disp. 4, n. 69; Joannes a S. Th., *De Deo,* disp. 14, a. 5, et alii.

212. Thesis. **Intellectus creatus sine lumine gloriae et sine auxilio supernatural! vices ejus gerente non potest essentiam divinam videre.**

Arg. 1) Intellectus creatus, quantumvis perficiatur in ordine naturali, nisi intrinsece mutetur vel elevetur per vires supernaturales, non potest etiam de potentia Dei absoluta videre objectum superexcedens. Sed essentia divina superexcedit in infinitum quemlibet intellectum creatum. Ergo.

Potentia obedientialis activa, quam nonnulli ad hoc excogitarunt, est chimerica et contradictoria. Foret quippe naturalis et supernaturalis; naturalis, quia naturae congenita; et supernaturalis, quia ad actus supernaturales proxime ordinata. Hinc profundissimus *Joannes a S. Thoma* ait ad rem: «Aliud est posse Deum facere effectum causae secundae se solo, aliud quod possit facere, quod illa causa secunda sit vere et proprie causa sine virtute causandi proportionata ad effectum, loquendo de causa principali et vitali. Visio autem non dicit solum effectum quomodocumque factum, sed ut a causa vidente» [1].

2) Objectum unitur potentiae per modum formae. Forma autem non potest recipi nisi in potentia proportionata. Sed intellectus creatus, nisi intrinsece mutetur et Deo adsimiletur, non est proportionatus essentiae divinae. Ergo.

213. Corollaria. 1) Tam intellectus quam lumen gloriae concurrunt active ad videndum Deum. Lumen gloriae disponens, roborans ac elevans intellectum, manifeste exerit suam activitatem, et intellectus lumine gloriae perfusus claram Dei visionem vitaliter elicit.

2) Intellectus creatus est causa principalis, non instrumentalis, visionis beatificae, ut thomistae contra *Vazquez, Suarez* [2] et alios docent. Ratio est, quia intellectus lumine gloriae instructus vitaliter non ministerialiter actum visionis supernaturalis producit.

3) Tam intellectus quam lumen gloriae sunt causae in suo genere totales visionis Dei. «Intellectus, ait *Paulus a Conceptione,* per modum *virtutis proximae* concurrit in totam visionem sub ratione *vitalis;* et lumen gloriae in totam visionem sub ratione *supernaturalis»* [3].

1 *De Deo uno,* disp. 14, a. 5, n. 7.

2 Vazquez, *In I p.,* disp. 46, c. 2; ct disp. 47, c. 6, *Hujus igitur;* Suarez, *De attributis,* lib. 2, c. 16, n. 2.

3 *De Deo uno,* tr. 2, disp 3, n. 61.-Cfr. Sylvius, *I p.,* q. 12, a. 5.

ARTICULUS IV

DE ACTU VISIONIS BEATIFICAE

§ 1

Utrum beati aequaliter videant Deum in patria.

214. Status quaestionis. 1) Omnes visiones beatificae hominum et angelorum sunt proculdubio ejusdem speciei. Omnibus siquidem est idem objectum formale, Deus clare visus, idem principium proximum, lumen gloriae, et idem modus attingendi objectum, scilicet intuitive.

2) At restat difficultas discutienda, an sub praedicta specie visionis beatificae unus alio perfectius videat essentiam divinam.

215. Errores, r) *Jovinianus,* haereticus saeculi iv, existimavit, teste S. *Hieronymo* [1] omnium beatitudinem in patria futuram esse aequalem, quia putavit Dominum nostrum eaindem mercedem omnibus beatis esse redditurum, sicut paterfamilias idem denarium tribuit apud Matthaeum [2] operariis diverso tempore conductis.

2) *Lutherus,* existimans animas rationales justificari per imputationem extrinsecam justitiae, dixit omnes homines esse sanctitate ita pares, ut ne Beata quidem Virgo Maria alios fideles sanctitate superarit [3].

3) *Nonnulli* e contra docuerunt omnes beatorum visiones adeo esse inter se inaequales, ut non sint duo sancti in patria, qui Deum aequaliter videant.

216. Thesis I. **Dogma catholicum est plures beatos inaequaliter videre Deum in patria.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura,* a) Ait Dominus: *In domo Patris mei mansiones multae sunt* [4]. Item Apostolus: *Stella enim a stella differt in claritate, sic el resurrectio mortuorum* [5]: hoc est: «In resurrectione mortuorum distabit gloria meritorum», ut inquit S. *Augustinus* [6].—*Qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet* [7].

b) Beatitudo aeterna promittitur et confertur sanctis in patria ut praemium et corona laborum. Praemium autem confertur unicuique secundum diversitatem meritorum, juxta illud Apostoli: *Reddet unicuique secundum opera ejus* [8]. Ergo.

1 *Adv. Jovinianum,* lib. 2, 19: ML 23, 328. Cfr. Castro, *Adv. haer.,* v. Beatitudo, haer. 7.

2 *Matth.,* 20, 9-10.

3 Serin, de Nativ. B. M. V. Vide Soto, *De natura et gratia,* lib. 2, c. 20.

4 *Joan.,* 14, 2.

5 *1 Cor.,* 15, 41-42.

6 *Ad Consent.,* ep. 205 (al. 146), n. 6; MI. 33, 944.

7 *// Cor.,* 9. *b.*

8 *Rom.,* 2, 6.

2) *Ex conciliis.* Concilium Florentinum expresse docet beatorum animas «intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius» \ Et Concilium Tridentinum adserit hominem justum bonis operibus per Dei gratiam factis mereri virtutis et justitiae atque etiam gloriae augmentum -.

3) *Ex ratione.* Cum gloria caelestis debeatur dono caritatis, eo majorem recipiet quisque in caelo gloriam, quo majorem habeat in terra caritatem. Sed diversi sunt in terra gradus caritatis. Ergo.

Parabola de patrefamilias, conducente operarios in vineam suam, diversis diei horis et singulis unum denarium tribuente, intelligenda est de beatitudine objectiva, quae erit omnibus sanctis aequalis, non de beatitudine subjectiva seu formali.

217. Thesis **II. Visiones beatificae quorumdam sanctorum possunt esse et de facto sunt aliquando aequales.**

Arg. Lumen gloriae et visio beatifica dantur in caelo juxta ménsuram caritatis, quam quis habuit in via. Sed plures, ut pueri baptizati ante usum rationis decedentes et adulti aequalia merita apud Deum adipiscentes, exeunt de hoc mundo cum eodem gradu caritatis. Ergo.

§ 2

Unde -proveniat inaequalitas visionum in caelo-.

218. Placita theologorum, i) Contendunt aliqui inaequalitatem visionis beatificae provenire partim ex diversa perfectione naturali potentiae, adeo ut intellectus naturaliter magis perspicax possit essentiam divinam perfectius in caelo videre, quam alter intellectus, qni non est ita perfectus, licet in utroque sint aequalia merita et aequale lumen gloriae. Ita *Scotus, Cajetanus, Henno 3* et alii.

2) *Durandus* hanc inaequalitatem tribuit influxui divino dicens: «Deus potest perfectiorem actum intelligendi influere uni quam alteri, et homini quam angelo; et sic poterit unus homo esse beatior altero, et aeque beatus cum angelo, vel beatior ipso, secundum diversitatem perfectionis actus intelligendi impressi huic vel ilii» 4.

3) *Verior et multo communior sententia* docet totam inaequalitatem visionis beatificae sanctorum ultimo refundi in diversam participationem luminis gloriae, adeo ut unus intellectus perspicax et alius minus perspicax, aequali lumine gloriae instructi, aequaliter Deum videant. Ita omnes thomistae, excepto uno *Cajetano,* et ex extraneis *Vasques, Valentia, Suarez 3,* et alii bene multi.

1 *Decr. pro graeeis;* Denz-Bannw., 693.

2 Sess. 6, c. 10; Denz-Bannw., 803; et *ibid.,* can. 24; Denz-Bannw., 834: *ibid.,* can. 32; Denz-Bannw., 442.

3 Scotus, *IV Sent.,* dist. 50, q. 6; Cajetanus, *III p.,* q. 10, a. 4 ad 2; Henno, *De Deo uno,* disp. 4, q. 9, conci. 2.

1 *IV Sent.,* dist. 49, q. 2, n. 28.

5 Vazquez, *In I p.,* disp. 47, c. 6; Valentia, *In I p.,* disp. I, q. 12, p. 4; Suarez, *De attributis,* lib. 2, c. 21, n. 4 sqq.

219. Thesis. **Inaequalitas visionis beatificae physice dimanat a diversa participatione luminis gloriae non a gradibus perfectionis naturalis potentiae.**

Arg. 1) *Ex auctoritate S. Thomae.* «Facultas videndi Deum non competit intellectui creato secundum suam naturam sed per lumen gloriae, quod intellectum in quadam deiformitate constituit... Unde intellectus pliis participans de lumine gloriae perfectius Deum videbit» [1]. Rursum: «In tantum enim intellectus creatus divinam essentiam perfectius vel minus perfecte cognoscit; in quantum majori vel minori lumine gloriae perfunditur» [2].[3]

2) «Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis». Sed visio divinae essentiae oritur a lumine gloriae, quod est tota ratio videndi Deum. Ergo etiam gradus visionis oriuntur a lumine gloriae.

Dices. Intellectus perfectior ac perspicacior cum eodem lumine fidei est aptior ad eliciendos actus fidei perfectiores, sicut etiam voluntas perfectior cum eodem gradu caritatis est aptior ad producendum actum amoris intensiorem. Ergo a pari perfectio ac perspicuitas intellectus conducit ad clariorem Dei visionem.

Resp.—Neg. ant. In actu fidei duo possunt distingui, ut optime ajunt *Sabnanticenses* s, apprehensio scilicet mysteriorum et assensus fidei. Apprehensio «poterit perfectius haberi ex majori perfectione intellectus, quoniam est quid proportionatuin facultati nativae illius». Assensus vero «non crescit juxta quantitatem perfectionis naturalis intellectus, quia est quid supernaturale et divini ordinis; sed solum juxta quantitatem virtutis supematuralis elevantis, per quam intellectus redditur efficax et proportionatus in ordine ad talem assensum eliciendum».

Nec major vel minor activitas et conatus ad Deum videndum procedit a perfectione et viribus naturalibus intellectus sed a diversa participatione luminis gloriae et a diverso gradu elevationis ad ordinem supernaturalem.

Negavi *antecedens,* quia objectio loquitur de aptitudine ad eliciendos actus fidei perfectiores. Si ageretur de perfectione actuum fidei, negari posset consequentia, quia viatores non semper exequuntur actus fidei juxta omnem aptitudinem habitus, et habens minorem habitum elicit aliquando actum intensiorem.

§ 3

Utrum beati in caelo comprehendant vel comprehendere possint Deum.

220. Status quaestionis. 1) Vocabulum comprehensio a rebus corporalibus ad spiritualia translatum est. Porro theologi omnes, vestigiis S. *Thomae* inhaerentes 4. docent comprehensionem in spiritualibus sumi dupliciter, a) *Large* seu *improprie,* prout adeptionem significat et insecutioni opponitur; quod enim possidetur, comprehendi dicitur. Hoc sensu comprehenditur Deus a beatis juxta S. Scripturam: *Tenui eum,*

1 / />., 12, a. 6.
2 */ p* , q. 12, a. 7.
3 *De visione Dei,* disp. 5, n. 45.
4 *J p.,* q. 12, a. 7 ad 1.

nec dimittam x.—Sequor autem, si quo modo comprehendam 2.—Sic currite, ut comprehendatis 3. Comprehensio hoc latiori sensu est una ex tribus dotibus animae, quae respondet spei, sicut visio fidei et fruitio caritati. Quare beati nuncupantur *comprehensores.* b) *Stricte* pro cognitione adaequata objecti, adeo «ut nihil ejus lateat videntem aut cujus fines circumspici possint» 4, vel, ut colligitur ex Angelico, pro actu intellectus quo cognoscitur totum et totaliter objectum, quantum cognoscibile est 56

2) Definitio. Hoc sensu comprehensio definiri potest cum Billuart: *Cognitio objecti adaequans, non in ordine naturae seu entis, sed in ratione cognitionis objecti cognoscibilitatem intrinsecam; ita ut per eam objectum cognoscatur quantum est cognoscibile naturaliter et ex propriis meritis non solum extensive sed etiam intensive.*

3) Ad comprehensionem non requiritur cognitio omnium maxima ac perfectissima seu in ordine cognitionum suprema, ut *nominales* innuerunt, sed sufficit, ut cognoscibilitati objecti adaequetur. Intellectus enim angelicus, licet non possit elicere cognitionem omnium perfectissimam ac supremam, quia est Deo inferior, se ipsum tamen et multa creata comprehendit ®.

4) Ad comprehensionem non requiritur, ut cognitio adaequetur objecto in ordine ontologico seu in genere entis, ut apud *Petavium* aliqui voluerunt, sed sufficit, ut adaequetur objecto in ordine intentional!. Comprehensio tamen Dei adaequari debet Deo in ordine ontologico, non quia comprehensio est, sed quia est comprehensio *Dei,* entis simpliciter infiniti 7.

5) Non est necessaria ad comprehensionem objecti cognitio eorum, quae per potentiam ejus obedientialem fieri possunt; alioquin nullus intellectus vel angelicus valeret res quantumvis minimas comprehendere, cum nemo possit cognoscere ea, quae Deus per potentiam obedientialem creaturae facere quit.

6) Requiritur tamen ad comprehensionem, ut objectum cognoscatur omni modo, quo est cognoscibile, id est, tam clare et perfecte, quantum ex natura sua petit cognosci8; ac consequenter necesse est, ut cognoscantur ea, quae in ipso continentur non solum */ormaliter sed etiam virtualiter* et *eminenter,* ut communius docent theologi contra scotistas 9. Hinc necesse est, ut innotescant a) omnia praedicata intrinseca objecti, ut sunt essentia, virtutes, proprietates et accidentia; b) praedicata extrinseca, id est, causa ex qua provenit varietas specifica (non individualis) effectuum, quos potest virtute propria producere, perfectio-

1 *Cant.,* 3, 4.
2 *Phil.,* 3, 12.
3 *1 Cor.,* 9, 24.
* S. Augustinus, *ep.* 147, n. 21; ML 33, 605.
5 *7 p.,* q. 12, a. 7.
6 Attamen Deus, quia est infinite perfectus, comprehendi non potest, nisi cognitione infinita et omnium perfectissima ac suprema.
7 Cfr. Franzelin, *De Deo uno,* th. 18.
8 Vid. S. Thomas, *In IV Sent.,* dist. 49, q. 2, a. 3.
0 Mastrius, *De anima,* disp. 6, q. 12, n. 338.

nes, quas ex sé petit habere, etc.; c) habitudines seu relationes, quas habet, omnesque conclusiones, quae ex ea inferri possunt.

Dubium occurrit, an beati in caelo hoc pacto cognoscant vel cognoscere possint Deum.

221. Errores et theologorum placita. 1) *Eunomiam* saeculo iv, Aëtii doctrinam sequuti, adsercbant sese Deum comprehendere [1].

2) *Augustinus de Poma,* quondam archiepiscopus nazarenus, docuit saeculo xv animam Christi videre Deum tam clare et intense, quantum clare et intense Deus videt se ipsum. Ejus propositio damnata est in Concilio Basileensi, sess. 22.

3) Doctissimus *Valentia,* postquam adseruit, ut par est, non posse secundum legem ordinariam ab intellectu creato Deum comprehendi, adjunxit: «Si sermo sit de potentia Dei absoluta, non est facile ostendere, quod sit impossibile, ut aliquis intellectus creatus videat omnia omnino, quae sunt eminenter in Deo» [2]. His verbis docere videtur egregius theologus intellectum creatum posse de potentia Dei absoluta elevari ad comprehensionem Dei, quia visio omnium, quae sunt eminenter in Deo, arguit comprehensionem Dei [3].

4) *Aliqui theologi* non videntur conceptum proprium seu rationem intrinsecam incomprehensibilitatis Dei attingere, cum dicunt beatos in caelo Deum omni modo, quo est cognoscibilis, et secundum totam intensionem cognoscere, non tamen eum comprehendere, quia non vident «omnia, quae ipsum consequi et ab eo pendere possunt», ut possibilia et futura. Ita *Vazquez, Petavius* [4] et alii.

5) *Alii* denique volunt ex eo esse Deum incomprehensibilem, quia non possunt directe cognosci a beatis omnes perfectiones, quae in Deo sunt, sed «multa ipsos praetereunt et plura, quam vulgo solent suspicari». Ita *Toletus, Victoria* et *Thomassinus* [5].

222. Thesis. **Nullus intellectus creatus potest Deum comprehendere.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Job: *Forsitan vestigia Dei comprehendes et usque ad perfectum omnipotentem reperies? Excelsior caelo est, et quid facies? Profundior inferno et unde cognosces?* [6]. Jeremias: Deus est *magnus consilio et incomprehensibilis cogitatu* [7]. Apostolus: *Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viae ejus* [8].—Item passim dicitur Deus infinitus in essendo ipsumque esse. Ergo est incomprehensibilis.

2) *Ex conciliis.* Concilia Lateranense IV [9] et Vaticanum [10] profitentur «quod unus est verus Deus... incomprehensibilis... et ineffabilis».

1 Cfr. S. Basilius, *ep. 16 adv. Eunomiunt;* MG 32, 279; S. Gregorius nyss., *Contra Eunomium;* MG 45, 243 sqq.

2 *in I p.,* disp. 1, q. 12, p. 6, *Quoad secundani quaestionem.*

3 Cfr. Salmanticenses, *De visione Dei,* disp. 6, n. 25; et Franzelin, *De Deo uno,* th. 18, 2.

4 Vazquez, *In I p.,* disp. 53. c. 4; Petavius, *De Deo,* lib. 7, cc. 3-4.

5 Toletus, *In Sumin, theol. enarrat.,* qi 12, a. 7; Victoria, apud Vazquez, *In 1 p.,* disp. 53, c. 1; Thomassinus, *De Deo Deique proprietatibus,* lib. 6, c. 19.

6 *Job,* it, 7-9.

7 *Jerem.,* 32, 19.

8 *Pom.,* it, 33

9 Cap *lirmilcr,* et *Damnamus;* Denz-Bannw., 428 et 432.

10 Sr.vs 3. t 1; Denz-Bannw., 1782.

Concilium Basileense a. 1435, antequam dissolveretur a Summo Pontifice, damnavit propositionem Augustini de Roma supra relatam, qua animae Christi concedebatur comprehensio Dei.

3) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus:* «Attingere aliquantulum mente Deum magna beatitudo est, comprehendere autem omnino impossibile» 1.—S. *Cyrillus alex.:* «Intellectus creaturarum divinam essentiam comprehendere (circumplecti) nequit; omnem enim mentem atque intellectum immensa illa pulchritudo superat»2.

4) *Ex ratione.* Comprehendere nihil aliud est quam cognoscere aliquid quantum cognoscibile est, ita ut objectum «scientis comprehensione finiatur» 3. Deus autem, cum sit ens infinite in actu, est infinite cognoscibilis, et comprehendi non potest nisi infinita cognitione. Sed nullus intellectus creatus potest producere cognitionem infinitam. Ergo 4.

Corollarium. «Visio, ait auctor operis *Rosminianarum propositionum trutina theologica,* n. 296, in duobus deficit, quominus possit vocari et esse *comprehensio:* alterum est *in intensione,* et proprie respicit objectum primarium, ea videlicet quae sunt formaliter in Deo; alterum est *in extensione,* et respicit objectum secundarium, ea nempe, quae sunt in Deo virtualiter, non quia aliquid Dei seu aliqua Dei perfectio beatos lateat, cum omnes videant totum Deum... sed quatenus non vident Deum ea claritate et profunditate, quae adaequet cognoscibilitatem Dei, et qua solus potest se ipsum cognoscere... Deficit autem visio *in extensione,* quatenus non omnia, quae virtualiter sunt in Deo, videntur a beatis».

Difficultatibus satisfit.

Obj. 1.° Beati in patria vident totum Deum, juxta illud Apostoli: *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum* 5. Ergo beati in caelo *comprehendunt Dium.*

Resp.—Dist. ant. Beati in patria vident totum Deum non totaliter, conc.: vident totum Deum totaliter, neg. «Non propter hoc Deus incomprehensibilis dicitur, quasi aliquid ejus sit, quod non videatur, sed quia non ita perfecte videtur, sicut visibilis est... Unde *Augustinus* ° definiendo comprehensionem dicit, quod totum comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem, aut cujus fines circumspici vel circumscribi possunt; tunc enim fines alicujus circumspiciuntur, quando ad finem in modo cognoscendi illam rem pervenitur» '.

Obj. 2. Anima saltem Christi comprehendit Deum. Ergo. Prob. ant. i) Apostolus docet in Christo *esse omnes thesauros sapientiae et scientiae*

1 *Serui, ιιγ, De verbis Domini,* c. 3; ML 38, 663.

2 Thesaurus, assert. 32; MG 75, 521. Cfr. ex SS. Patribus: Dionysius, *De divinis nom.,* 13, i;MG3, 977; *De cael, hierar.,* 2, 3: MG 3, 140; Clemens alex., *Strom.,* lib. 5, c. 12; MG 9, 116; S. Chrysostomus, *De incomprehen. hom.;* MG 48, 701 sqq.: S. Joannes Dam., *De fide Orth.,* lib. I, cc. I et 4; MG 94, 789 ct 797, et alii. Ex theologis: Banez, */ p.,* q 12, a. 7; Suarez, *De attributis neg. Dei,* lib. 2, c. 5; Salman licenses. *De visione Dei,* disp. 6; Franzelin, *De Deo uno,* th. 18.

3 S. Augustinus, *De civ. Dei,* lib. 12, 18; ML 41, 3^3-

1 Cfr. S. Thomas, *I p.,* q 12, a. 7.

5 */ Cor.,* 13, 12.

0 *Ad Paulinam,* ep. 147, c. 9 in princ.; MT. 33, 605.

7 *I p.,* q. 12, a. 7 ad 2.

absconditos 2) S.' Isidores ait de Christo: «Sola sibi integre nota est Trinitas et humanitati susceptae» 2. 3) Anima Christi comprehendit scientiam visionis Dei, quia, ut ait Aquinas 3. videt omnia, quae Deus scit scientia visionis. Ergo anima Christi comprehendit Deum, sicut, qui videret omnia, quae Deus videt scientia simplicis intelligentiae, comprehenderet Deum.

Resp.—Neg. ant. Ad 1.um Apostolus docet in Christo esse omnes thesauros sapientiae et scientiae absconditos ratione divinitatis, conc.; ratione humanitatis et intellectus creati, neg.

Ad 2."(" S. Isidores nomine abstracto pro concreto usus est loco citato, adeo ut hunc exprimat sensum: SS. Trinitas nota fuit *humanitati Christi,* id est, Christo homini ratione divinitatis plenissime in eo exsistentis. Doctor hispalensis specialem mentionem fecit de secunda persona Trinitatis, scilicet de Christo, et non de Patre et Spiritu Sancto, quia Filius novum modum essendi acquisierat per adsumptionem humanitatis, et novam offerre poterat difficultatem.

Ad 3.um Neg. ant. Ad probationem neg. conseq. Cognitio omnium, quae Deus scit scientia visionis, non sufficit ad comprehensionem scientiae visionis neque ad comprehensionem Dei; sed ulterius requiritur cognitio eorum, ad quae scientia Dei se extendere potest. Xec comparatio facta in conclusione cum objecto simplicis intelligentiae aliquid valet. Objectum siquidem necessarium et adaequatum scientiae simplicis intelligentiae sunt omnia possibilia, quorum cognitio arguit comprehensionem potentiae divinae. At objectum scientiae visionis constituunt ea, quae sunt, fuerunt, vel erunt, quorum cognitio non est comprehensio Dei, quia plura adhuc restant objecta, ad quae posset scientia Dei se extendere.

ARTICULUS V

DE OBJECTO VISIONIS BEATIFICAE

S. *Th.. I p., q. 12. a. 8.*

§ 1

Quid de Deo videant in caelo beati.

223. Status quaestionis. 1) Duplex est objectum visionis beatificae, unum *primarium* Deus, alterum *secundarium* creaturae. De primario agemus in duobus paragraphis, de secundario in aliis per ordinem acturi.

2) In objecto primario *alia* sunt, quae Deo conveniunt necessario, ut essentia, attributa et relationes; *alia* quae libere, ut actus liberi suae voluntatis. Dubitatur hic, an beati eo ipso, quo Deum videant, intueantur a) quae ipsi conveniunt necessario, essentiam nempe, attributa et relationes; et b) quae ei libere competunt, decreta scilicet libera.

224. Placita theologorum. 1) *Rosminius* erravit dicens Deum esse objectum visionis beatificae, in quantum est auctor operum ad extra 4, beatisque se manifestare, quatenus cum ipsis habet relationem, ut eorum creator, provisor, redemptor, sanctificator s.

1 *Colos.,* 2, 3.
2 *In Ex.,* c. 42, n. 3; ML 83, 308.
3 */// p,,* q. 10, a. 2.
4 Prop. 38; Denz-Bannw., 14)28.
|| Prop 40: Denz-Bannw., 1930.

2) *Nominales,* quibus adhaerere videntur *Victoria, Ferrariensis* [1] et alii, existimant non omnia Dei attributa a beatis in caelo conspici, quia putant omnipotentiam a nemine posse videri, quin omnes creaturae possibiles cognoscantur, nec ideas Dei, quae sunt infinitae, posse intueri sine cognitione Dei comprehensiva.

3) *Nonnulli* scholastici defenderunt nullum Dei decretum liberum ex vi visionis a beatis in patria videri. Ita *Durandus, Vazquez* [2] et alii.

4) *Theologi* communissime tenent beatos in patria videre omnia, quae sunt necessario in Deo et aliqua ex decretis liberis.

225. Thesis **I. Omnes omnino perfectiones necessario et formaliter in Deo exsistentes, sive absolutae sint sive relativae, essentia nempe, attributa et relationes, a beatis cunctis in caelo videntur.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* S. Joannes ait: *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* [3]. Deus autem est vere et realiter essentia, attributa et relationes. Ergo.

2) Visio beatifica promittitur nobis in sacris litteris ut merces et corona fidei nostrae; atque ideo pandentur nobis in patria, quae revelatione accepimus et fide credidimus in via, juxta illud Psalmistae: *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri* [4]. Sed revelatione accepimus et fide credidimus ea, quae referuntur ad essentiam, attributa et personas Dei. Ergo. Hinc S. *Augustinus* docet nos in patria visuros totum id, quod nunc credimus in via [5].

3) Essentia, attributa et relationes sunt unum et idem ac simplex objectum in Deo. Ergo videntes Deum, ut est in se, vident omnes perfectiones necessario in ipso exsistentes.

Dices 1.° Attributa, quae respiciunt creaturas possibiles, videri nequeunt, nisi simul ipsae creaturae cognoscantur. Sed beati non possunt omnes creaturas possibiles cognoscere. Ergo.

Resp.— Dist. ant. Attributa, quae respiciunt creaturas possibiles, videri nequeunt, nisi simul ipsae creaturae cognoscantur quoad rationem generalem entis creati vel creabilis, conc.; nisi cognoscantur quoad rationem individuam, neg. Ad cognitionem attributorum Dei, quae relationem rationis dicunt ad creaturas, non est necessc, ut creaturae in particulari videantur, sed sufficit, ut ratio entis creabilis in communi, quae in conceptu aliquorum attributorum Dei necessario imbibitur, cognoscatur. Unde possunt beati omnipotentiam Dei videre, quin creaturas possibiles in particulari conspiciant.

Dices 2. Ideae divinae, quae sunt infinitae, nequeunt intueri nisi per comprehensionem Dei. Sed beati non possunt Deum comprehendere. Ergo,

Resp.— Neg. maj. [deae omnium possibilium, quae sunt in Deo, videntur a beatis in essentia divina, ut in archetypo et exemplari omnium creaturarum, quin necesse sit Deum comprehendere vel omnes creaturas possibiles in particulari conspicere.

1 Victoria, apud Vazquez, *In I p.,* disp. 53, c. 1; Ferrariensis, *Contra Gentiles,* lib. 3, c. 56.

2 Durandus, *In III Sent.,* dist. 14, q. 2, nn. 4-5; Vazquez, *Γη I p.,* disp. 50, n. 23.

3 *I Ioan.,* 3, 2.

4 *Ps.* 47, 9.

5 *De civ. Dei,* lib. 20, c. 1, n. 1; ML 41, 691.

226. Thesis **II. Actus liberi divinae voluntatis possunt immediate et in se ipsis videri in caelo a beatis ex vi visionis divinae essentiae.**

Arg. Actus liberi divinae voluntatis sunt ipse Deus. Ergo videntes Deum, ut est in se, possunt videre actus liberos divinae voluntatis.

Diximus *immediate et in se ipsis,* ut innueremus hujusmodi actus liberos non videri in Deo ut in causa prius cognita, sed in se ipsis, quatenus sunt aliquid Dei et ipse Deus [1].

Adjunximus *ex vi visionis divinae essentiae,* quia beati non per scientiam infusam, sed eademmet visione beatifica, qua vident essentiam divinam, conspiciunt actus Dei liberos in ipsis, essentia divina ad hoc vices speciei intelligibilis gerente.

227. Thesis **III. Nullus beatorum de facto cognoscit vel cognoscere potest ex vi visionis beatificae omnia Dei decreta libera quantum ad terminationem ad creaturas.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Servator noster ait: *De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli caelorum* [2]. Ad rem Angelicus: In visione beata angeli «cognoscunt mysteria gratiae, non quidem omnia neque aequaliter omnes, sed secundum quod Deus voluerit eis revelare»[3].

2) *Ex ratione.* Decreta Dei libera se extendunt ad omnes creaturas possibiles, cum earum futuritionem vel non futuritionem decernunt. Omnium siquidem fore vel non fore decernitur a Deo. Sed beati in caelo non possunt cognoscere omnia possibilia. Ergo beati non possunt cognoscere omnia Dei decreta libera quantum ad terminationem ad creaturas.

228. Thesis **IV. Quilibet beatus cognoscit ex vi visionis beatificae ea Dei decreta libera, quae ad se ipsum spectant.**

Arg. Beati vident in Deo, ut inferius probabitur, omnes effectus, qui ad ipsos spectant. Ergo vident etiam ea Dei decreta, quae futuritionem talium effectuum decernunt.

Corollarium. Consulto hic actum est de actibus et decretis Dei liberis, antequam quaestio de creaturarum cognitione in Deo dilucidetur, quia illa decreta sunt aliquid Dei, et in se ipsis immediate videntur a beatis, eo proportionali modo, quo inspiciuntur attributa Dei. hac tamen differentia, quod attributa videntur tum in essentia divina, ut in causa et radice eorum necessaria, tum in se ipsis, quatenus sunt aliquid Dei; actus vero seu decreta libera, cum non procedant necessario ab essentia, non videntur in essentia prius visa sicut in radice seu causa, sed solum in se ipsis, quatenus essentia divina concurrit per modum speciei intelligibilis et lumen gloriae per modum habitus confortantis intellectum ad visionem eorum, quae sunt in voluntate Dei [4].

1 Cfr. Salmant., *De visione Dei,* d'sp. 7, n. 36.
2 *Malth.,* 24, 36.
3 [illegible] 57. :l 5.
4 Cfr Salmant., *De visione Dei.* disp. 7, n. 3b: Gonot, tr. 2, disp. 5, a. 3.

§ 2

Utrum divina essentia videri possit sine attributis et personis, vel viceversa attributa aut personae sine essentia.

229. Status quaestionis. Dubitatur hic, an distinctio virtualis exsistens inter essentiam, attributa et personas Dei vel alia ratio sufficiat, ut beati videant essentiam divinam sine attributis et personis, aut viceversa.

230. Placita theologorum, i) Card. *Toletus* et *Thomassinus* docueruut beatos «non omnem perfectionem Dei» percipere, seu «beatos Dei perfectionum gradus in infinitum plures pluresque non videre», et «non videri ab eis tanto acumine, ut totum videant vel ex toto» [1].

2) *Scotistae,* celebri suae distinctioni formali ex natura rei insistentes, dixerunt posse beatos videre essentiam divinam sine attributis ac personis et viceversa [2].

3) *Aegidius a Praesentatione, Francisetts I.ugo* [3] et alii pauci putaverunt posse beatos videre essentiam divinam et attributa sine personis et viceversa, quamvis haec non distinguantur inter se nisi virtualiter.

4) *Communissima theologorum sententia* dabitur in sequentibus.

231. Thesis. Impossibile est essentiam divinam sine attributis et personis, aut attributa et personas sine essentia, vel unam personam sine alia a beatis in caelo videri.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Ait Dominus in Evangelio: *Philippe, qui videt me, videt et Patrem* [4]. Haec verba non de cognitione per fidem, ut scotistae volunt, sed de visione beatifica sunt intclligenda, ut S. *Joannes Chrysostomus*[5] et alii explicite docent. Unde S. *Augustinus* ait: «Sive ergo audiamus *ostende nobis Filium,* sive audiamus *ostende nobis Patrem,* tantumdem valet, quia neuter sine altero potest ostendi» [6].

2) *Ex auctoritate. S. Thomae.* «Summa bonitas Dei, ait S. Doctor, secundum modum, quo nunc intelligitur per effectus, potest intelligi absque trinitate personarum. Sed secundum quod intelligitur in se ipsa, prout videtur a beatis, non potest intelligi sine trinitate personarum» [7].

3) *Ex ratione,* a) Beati in caelo vident Deum intuitive, quidditative et beatifice. Sed visio intuitiva, quidditativa et beatifica Dei repugnat, quin videantur simul essentia, attributa et personae. Ergo. Prob. min. De ratione visionis intuitivae, quidditativae et beatificae Dei est a) conspicere objectum ut est in se, β) intueri omnia, quae pertinent ad essentiam objecti, et γ) satiare appetitum beati. Sed Deus

1 Toletus, *In I />.,* q. 12, a. 7; Thomassinus, *De Deo,* lib. 6, cc. 19-20.
2 Cfr. Scotus, *I Sent.,* dist. 1, q. 2. n. 5.
3 Aegidius a Praes., *De beatitud.,* lib. 5, q. 14, a. 3. § 3< Franciscus de Lugo, *De Deo uno,* disp. 23, c. 4.
4 *Joan ,* 14, 9.
* *In Joan.,* hom. 74, n. 1: MG 59, 400.
6 *De Trinitate,* lib. 1. c. 8, n. 17; MI. 42, 832.
7 *II-II,* q. 2, a. 8 ad 3.

est in se essentia, attributa et personae, et quidem essentialiter, et haec omnia concurrunt ad satiandum appetitum beati. Ergo.

b) Essentia, attributa et personae sunt in Deo unum et idem, actus purissimi sine ulla potentialitate. Ergo repugnat unum eorum videri sine altero.

c) *Ratio specialis de personis.* Personae constituuntur relationibus. Relativa autem sunt simul natura et cognitione, ut philosophi docent. Ergo una persona videri non potest sine alia.

Dices. In generatione aeterna Pater communicat Filio suam naturam sine paternitate, et in incarnatione Filii unio hypostatica terminatur ad personam Verbi, non ad essentiam divinam, neque ad personam Patris aut Spiritus Sancti. Ergo in beatitudine potest essentia divina sine attributis et personis videri. Consequentia clara est, quia major praecisio fieri potest per intellectum quam per realem separationem.

Resp.—Neg. conseq. Disparitas in eo est, quod visio beatifica, cum sit intuitiva et quidditativa, attingit objectum secundum omnia, quae formaliter ei conveniunt. At communicatio Patris ad Filium et unio hypostatica in Christo non fuerunt secundum omnia, quae formaliter eis conveniebant, et poterant fieri, exsistente sola virtuali distinctione inter personas et naturam.

§ 3

Utrum beati ex vi visionis videant creaturas in aliqua differentia temporis exsistentes.

232. Status quaestionis. 1) Omnes creaturae, quae exsistentiam aliquando habuerunt vel in posterum sunt habiturae, sunt quodammodo in Deo, quia Deus eas decrevit et cognoscit. Sed quia decreta Dei libera secundum terminationem, quam habent ad creaturas, non semper cognoscuntur a beatis, hic dubium occurrit, an praesentia rerum futurarum in Deo sufficiat, ut beati, qui vident Deum, eas intueantur.

2) Diximus in titulo *ex vi visionis,* an scilicet visio divinae essentiae sit intuitio rerum, quae in ea exsistunt.

233. Placita theologorum, i) *Aliqui,* considerantes divinam essentiam nullatenus referri ad creaturas, et putantes decretum liberum de futuritione creaturarum non videri a beatis in essentia divina, dixerunt nihil creatum conspici a beatis in Deo ex vi visionis. Ita *Vazquez*[1].

2) *Communiorem sententiam* declarabunt sequentes conclusiones.

234. Thesis 1. Plures creaturae in aliqua differentia temporis exsistentes possunt a beatis ex vi visionis in Deo conspici.

Arg. 1) *Ex auctoritate S. Thomae.* «Horum, quae Deus facit vel facere potest, tanto aliquis intellectus plura cognoscit, quanto perfectius Deum videt»[2]. Juxta haec verba ex eo quis plura de creaturis cognoscit, quod perfectius Deum videt. Ergo beati vident creaturas in Deo ex vi visionis.

1 */»› / p* , disp. 50, cc. 4-5.
2 *1 p.,* q. 12, a. 8.

2) *Ex ratione.* Qui clare et intuitive videt causam ut est in se, potest eadem visione intueri plures effectus in ea. Ergo[1].

Scholion. Quamvis de facto omnes beati videant hoc modo aliquas creaturas in Deo, non tamen repugnaret visio divinae essentiae, non visis in ea creaturis, si ita Deo placuisset, quia, ut diximus superius, non repugnat visio essentiae divinae, non visis decretis Dei liberis; quo in casu creaturae non viderentur in Deo.

235. Thesis **II. Omnes beati vident in Deo quidquid specialiter ad eos pertinet.**

Arg. 1) SS. Patres uno ore confitentur sanctos, qui scientem omnia sciunt, nihil nescire dc his, quae scienda sunt[2], ac beatos videre Verbum et «in Verbo facta per Verbum»[3]. Hinc Concilium Provinciale Senonense ait: «Beatis pervium est... uniforme illud divinitatis speculum, in quo, quidquid eorum intersit, elucescit».

2) *Ex ratione.* Beatitudo aeterna, ut sit perfecta, explere debet omne rationale desiderium et satiare totum beatorum appetitum, juxta illud Psalmistae: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*[4]. Sed non satiarentur in caelo beati, nisi viderent ea omnia, quae specialiter ad ipsos spectant. Ergo.

236. **Scholion.** Tripliciter potest, ut scite animadvertit *Henno*[5], beatus in caelo considerari: 1.° ut est ad ordinem gratiae elevatus; 2. ut est pars universi; 3.° ut est specialis status persona.

1°. *Ad beatum, quatenus est ad ordinem supernaturalem elevatus,* specialiter spectant omnia mysteria et dogmata caelestia, omnes veritates revelatae, singula elementa, quae ordinem supernaturalem et objectum fidei constituunt. Unde cuilibet beato patefiunt in caelo omnia, quae de Deo ejusque attributis nobis revelata sunt, mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis Christi, redemptio generis humani, natura et constitutio Ecclesiae Christi cum adsistentia Patris et Filii et Spiritus Sancti, gratia ejusque effectus, charismata et dona, sacramenta Ecclesiae a Christo Domino instituta, praesertim eucharistia et mirabilis conversio panis et vini in corpus et sanguinem D. N. Jesu Christi, omnia denique, quae nos credimus in via et speramus possidere in patria[6].

Dices. S. *Thomas*[7] docet angelos in caelo non Cognoscere omnia mysteria gratiae. Ergo nec beati vident mysteria gratiae.

1 S. Theresia, loquendo de visione intellectuali, ait: «se le descubre (al alma), cômo en Dios se ven todas las cosas y las tiene todas en si mismo». *Moradas* 6, c. 10, n. 2.

2 S. Gregorius M., *Moral.,* lib. 2, c. 3: ML 75, 556.

3 S. Bernardus, *De considerat.,* lib. 5, c. I, n. i; ML 182, 788.

4 *Ps.* 16, 15.

5 *De Deo uno,* disp. 4, q. 12.

6 Cfr. S. Augustinus, *De civ. Dei,* lib. 20, c. 21, n. 1: ML 41, 691; Lessius, *De summo bono,* lib. 2, c. 9, n. 60: Suarez, *De attributis neg.,* lib. 2, c 28; Franzelin, *De Deo uno,* th. 17.

7 *I P.,* q. 57, a. 5.

Resp.—Dist. ant. S. *Thomas* docet angelos in caelo non cognoscere omnia mysteria gratiae in Verbo *formaliter,* conc.; in Verbo *formaliter* vel *causaliter,* neg. Confer, quae dicentur paragraphe sequenti.

2.° *Beati, quatenus sunt pars universi,* relationes habent cum universitate creaturarum, praesertim cum sanctis, qui ad Ecclesiam militantem, purgantem et triumphantem pertinent, imo cum spiritibus angelicis, qui in conspectu Dei laetantur. Quare a) *ex rebus materialibus* conspiciunt omnia genera et species rerum, caelum, elementa, stellas, et praecipuas universi partes, innumerasque rerum compositiones. Singularium tamen et individuorum cognitionem hoc titulo non habent, quamvis alia ratione plura eorum cognoscant.[1] b) *De hominibus viatoribus* et *animabus in purgatorio exsistentibus* tantum ex hoc capite vident, quantum exigit communio sanctorum. Unde exaudiunt orationes viatorum et gemitus animarum purgatorii, c) *De caelesti Jerusalem* «vident, ait *Lessius,* omnes beatorum angelorum et hominum ordines, numerum, merita, dignitatem, gloriam» [2].

3.° *Beatus, quatenus habuit specialem statum in hac vita* «videt, ait *Henno* [3], omnia quae ad suum statum pertinent, sive sint actus liberi sive necessarii, sive naturales sive supernaturales, sive contingant in hac vita sive in altera, ut Papa, quae ad totam Ecclesiam, episcopus, quae ad suam dioecesim, fundator, quae ad suam religionem, rex, quae ad suum regnum, paterfamilias, quae ad suam familiam» spectant. Idque intelligi valet tum de gestis generalibus tum de factis singularibus.

§ 4

Quomodo creaturae videantur a beatis in Deo.

237. Status quaestionis. 1) Dicimus communiter res creatas, quae constituunt *objectum secundarium* visionis beatificae, videri in Verbo potius, quam in aliis personis non quod in aliis personis non cognoscantur, sed quia cognitio et sapientia, ut dicit S. *Thomas,* appropriantur Verbo, «quod nihil aliud est quam conceptus sapientiae» [4].

2) At dupliciter dicuntur res in Verbo videri, *formaliter* et *causaliter. Formaliter* videntur, quae conspiciuntur eadem visione et eodem lumine, quo ipsum Verbum, ita ut Verbum et creaturae non duobus actibus sed unico intuitu Verbi videantur, adeo ut visio Verbi sit visio rerum. *Causaliter* videntur res in Verbo, quando non eadem intellectione qua Verbum, sed per species extra Verbum revelatione acceptas cognoscuntur. Dicitur haec visio fieri in Verbo, non quod revera fiat

1 Cfr. S. Thomas, *1 p.,* q. 12, a. 8 ad 4.
8 *summo bono,* lib. 2, c. 9, n. 61.
’ *Di- Deo uno,* disp. 4, q. 12
4 */ p .* <|. 39. ▮' 8.

in Verbo, sed quia conceditur ratione status beatitudinis, quem habent beati.[2]

3) Ut particula *in Verbo* melius intelligas, animadverte medium cognitionis esse duplex: a) *medium in quo,* quod prius cognitum manuducit in cognitionem alterius, sicut continens est medium cognitionis contenti et causa medium cognitionis effectus; b) *medium quo,* quod in se non videtur sed ducit in cognitionem alterius, ut species impressa ducit in cognitionem objecti, quin ipsa prius cognoscatur ut *quod*.[1]

4) Quaeritur hic, num et a quo instanti et an simul vel successive beati conspiciant creaturas in Verbo.

238, Placita theologorum. 1) Dixerunt nonnulli beatos non intueri creaturas in Verbo formaliter seu ut in causa prius visa, sed tantum per revelationes particulares, quae adnexae sunt statui beatitudinis. Ita *Ockam, Major,* etc. 3.

2) Alii docuerunt beatos in Verbo videre res creatas, non simul omnes sed successive. Ita *Scotus, Biel* et alii 4.

Sit vera doctrina.

239. Thesis. **Beati vident 1) quasdam creaturas in Verbo formaliter et 2) quasdam causaliter; 3) quas autem formaliter, vident in eo ut in medio in quo prius cognito; 4) et quidem omnes simul sine ulla successione a principio suae beatitudinis.**

Pars 1.a Beati vident quasdam creaturas in Verbo formaliter.

Arg. S. *Augustinus* 5 distinguit cognitionem rerum in Deo in *matutinam* et *vespertinam,* prout in Verbo vel extra Verbum cognoscuntur.

Ratio est, quia, qui videt causam, ut est in se, conspicit in ea aliquos effectus. Beati autem vident Verbum, ut est in se. Ergo.

Pars 2.a Beati vident quasdam creaturas in Verbo causaliter.

Arg. 1) S. *Augustinus* admittit in beatis cognitionem vespertinam, quae perficitur extra Verbum.

2) Beati cognoscunt aliqua objecta successu temporis, quae prius non cognoscebant; sic angelus persarum et angelus judaeorum cogno-

1 Prima appellatur a S. Augustino, *De civ. Dei,* lib. n, c. 7; ML 41, 322, et post ipsum ab Angelico. *I p.,* q. 58, a. 6, *cognitio matutina,* altera *vespertina,* quia sicut mane praecedit vesperum, ita cognitio rerum in Verbo praecedit cognitionem earumdem per species proprias.

2 Modum videndi res in Verbo non bene explicat Biel, cum ait: «Ideo talia dicuntur videri in Verbo, sive in divina essentia, quia intellectus beatus recipit... visionem a Verbo et divina essentia sicut a causa efficiente; non autem videtur res sicut in libro vel sicut in speculo secundum falsam quorumdam imaginationem». *III Sent.,* dist. 14, q. un., notabili 2.

3 Ockam, *IV Sent.,* q. 13; Major, *IV Sent.,* dist. 49, q. 16.

4 Scotus, *III Sent.,* dist. 14, q. 2; Biel, *III Sent.,* dist. 14. q. un., a. 1. Coroll. I, *Nec primo.*

5 *De civ. Dei,* lib. n, c. 7; MI. 41, 322.

verunt voluntatem Dei circa liberationem Israel; et angeli ac beati ignorant diem judicii, quem postea conspicient. Sed has notitias acquirent beati extra Verbum, quia cognitio rerum in Verbo formaliter completa est a principio beatitudinis et manet invariabilis. Ergo.

Pars 3.a Ea, quae beati conspiciunt in Verbo formaliter, vident in eo ut in medio prius cognito.

Arg. 1) Deus cognoscit creaturas in se ipso prius cognito ut *quod.* Ergo et beati vident res in Verbo ut in medio prius cognito. 2) Eo modo cognoscunt beati res in Verbo, quo modo in eo repraesentantur. Sed in essentia divina primo et immediate repraesentatur Verbum et in eo creaturae ut in causa efficiente et exemplari. Ergo.

Deus in ratione causae, clare visus ducit beatos ad cognitionem effectuum in ipso contentorum, adeo ut visio intuitiva Dei sit cognitio creaturarum L Essentia tamen divina non est exemplar necessarium creaturarum sed exemplar liberum, et ex rebus creatis tot repraesentat intellectui beati, quot vult Deus manifestare; sicut unus angelus eodem actu cognoscit substantiam et conceptus liberos alterius angeli, non quidem omnes, sed quos vult manifestare angelus cognitus 2. Ea autem, quae ab initio beatitudinis non videntur in Verbo, possunt successive videri extra Verbum per revelationes Dei.

Pars 4.a Ea, quae beati conspiciunt formaliter in Verbo, vident simul a principio.

Arg. 1) S. *Augustinus* ait: «Fortassis etiam volubiles non erunt nostrae cogitationes ab abis in alia euntes atque redeuntes, sed omnem scientiam nostram uno simul conspectu videbimus» 3.

2) a) Quae per unam speciem videntur, simul et non successive conspiciuntur. Sed beati vident res in Verbo sub unica quasi specie, essentia nempe divina vices speciei gerente. Ergo 4.

b) Quae mensurantur aeternitate, sive essentiali sive participata, carent successione. Sed visio rerum in Verbo mensuratur aeternitate participata, ut communius docent theologi. Ergo5.

240. Corollarium. 1) Nihil impedit, quominus beatus aliquis plures orationes in Verbo videat, quam alter ipso beatior, quia plures orationes possunt dirigi uni sancto minus beato, quam alteri beatiori. Absolute tamen plures creaturas videt in Verbo, qui majori fruitur gloria ®.

2) Licet omnes beati videant in Verbo futura contingentia, quae ad ipsos spectant, plura tamen adhuc remanent revelanda extra Verbum. «Usque ad diem judicii, ait S. *Thomas,* semper nova aliqua supremis angelis revelantur divinitus de his, quae pertinent ad dispositionem

1 Cfr. Valentia, *In 1 p.,* disp. I, q. 12, p. 6.

2 Cfr. Billuart, *De T>co uno,* diss. 4, a. 10, § 3; Coghlan, *De Dea uno,* q. 7, a. i. § 6, i.

3 *De Trinitate,* lib. 15, c. 16, n. 2'6; ML 42, 1079.

* Cfr S. Thomas, *I p.,* q. 12, a. 10.

6 Vid. Gonot, tr. 2, disp. 6, n. 14.

° Vid. Valentia, *In I p.,* disp. 6, n. 14.

mundi et praecipue ad salutem electorum. Unde semper remanet, unde superiores angeli inferiores illuminent»h

3) Speciali Dei dispositione factum est, ut dies judicii, licet quodammodo ad omnes gentes spectet, beatos prorsus lateat, quin unquam in Verbo vel extra Verbum manifestetur.

4) Omnes beati videbunt post diem judicii, quae Deus novit scientia visionis aliter tamen et aliter; quaedam siquidem videbunt in Verbo et eo plura, quo fuerint beatiores, alia extra Verbum 2.

§ 5

Utrum et quomodo beati in caelo videant possibilia.

241. Status quaestionis. *Possibile* dicitur in philosophia, quod exsistentiam habere potest in tempore sequenti, nunquam tamen est habiturum. Distinguitur 1) *ab ente reali actuali,* quia non exsistit; 2) *a futuro,* quia nunquam exsistet3; 3) *a nihilo,* quia potest exsistere. Possibilia itaque sunt entia quaedam idealia ad exsistendum ita apta, ut decreto Dei possint inter futura vel etiam inter exsistentia connumerari.

Quaeritur hic, an horum possibilium aliqua videant beati in caelo, et in quo medio ea videant.

242. Placita theologorum, i) *Plures antiqui* docuerunt omnia possibilia a beatis in caelo posse videri, et de facto ab anima Christi conspici. Ita *A tensis, Scotus, Durandus, Hennp,* etc. 4.

2) *Alii* docent omnia possibilia non posse quidem a beatis videri in Verbo, bene tamen, extra Verbum per scientiam infusam. Ita *Gonet* 5*cui videtur subscribere *Lugo* “.

3) *Alii* denique censent nullatenus posse omnia possibilia a beatis videri in Verbo vel extra Verbum. Sic *Cajetanus, Banez, Ferrariensis, Joannes a S. Thoma, Paulus a Conceptione* 7 et alii plures.

243. Thesis **I. Beati vident formaliter in Verbo aliquas creaturas possibiles.**

Arg. Intellectus videns omnipotentiam Dei, necessario videt possibilia saltem in confuso. Nondum tamen quiescit confusa rerum cognitione, sed naturaliter desiderat aliqua earum clare videre. Sed oportet impleri in caelo omne rationale desiderium beatorum. Ergo beati vident aliquas creaturas possibiles formaliter in Verbo. Unde S. *Thomas:* «Horum, quae Deus facit vel *facere potest,* tanto aliquis intellectus plura cognoscit, quanto perfectius Deum videt».

1 *I p.,* q. io6,'a. 4 ad 3.

2 Cfr. S. Thomas, *In IV Sent.,* dist. 49, q. 2, a. 5.

3 Cfr. Zigliara, *Ont.,* 9.

4 Alensis, *III p.,* q. 13, memb. 7; Scotus, *III Seni.,* dist. 14, q. 2; Durandus, *III Sent.,* dist. 14, q. 2, n. 4; Henno, *De Deo uno,* disp. 4, q. 13, pet. 3.

5 *De visione Dei,* disp. 5, a. 5. § 3.

“ *De mysterio Incarnationis,* disp. 20, n. 34.

7 Cajetanus, *I p.,* q. 12. a. 8; Banez. *I p.,* q. 12, a. 8: Ferrariensis, *Contra Gentiles,* lib. 3, c. 56; Joannes a S. Th., *De Deo,* disp. 15. a. 4; Paulus a Concepi., tr 2, disp. 4, dub. 5-6.

244. Thesis **II.** **Omnia possibilia nequeunt a beatis videri in Verbo.**

Arg. 1) Visio omnium possibilium in Verbo arguit comprehensionem Dei, quia cognoscere omnes effectus in causa est penetrare ac cognoscere ipsam causam, quantum cognoscibilis est. Sed beati non possunt Deum comprehendere. Ergo [1].

2) Anima Christi non videt omnia possibilia in Verbo, ut communius theologi defendunt. Sed si visio omnium possibilium in Verbo possibilis esset beatis, animae Christi non denegaretur. Ergo.

245. Tesis **III.** **Probabilius est visionem omnium possibilium extra Verbum repugnare.**

Arg. Cognitio omnium possibilium extra Verbum, si daretur, fieret pluribus speciebus infusis vel unica. Sed neutro modo fieri potest. Ergo. **Prob. min.** 1) Non potest fieri *pluribus speciebus,* quia pluribus speciebus respondent plures cognitiones successivae [2]. Successive autem non possunt omnia possibilia videri, quia possibilia sunt infinita, et infinitum est successive impertransibile, ut docemur in philosophia. 2) Neque potest fieri *unica specie,* quia species repraesentans infinita possibilia esset in ordine repraesentativo infinita, quae, ut patet, in rebus creatis repugnat. Unde S. *Thomas*[3] negat animae Christi visionem omnium possibilium extra Verbum.

QUAESTIO XIII

DE NOMINIBUS DEI

S. Th., I p., q. 13.

ARTICULUS I

UTRUM ET QUOMODO SIT DEUS INEFFABILIS

246. Status quaestionis. 1) S. Scriptura, traditio universalis et documenta ecclesiastica jugiter nobis praedicant Deum esse ineffabilem, et nihilominus gentes ubique terrarum de Deo loquuntur. Haec verborum pugna, licet silentio potius cavenda quam voce pacanda sit juxta S. *Augustinum*[4], conciliari tamen potest, si recte explicetur, an, a quo et quomodo nomina Deo imponi possint.

2) Nomina sunt signa quaedam conventionalia, quibus aliquid designamus, ut expresse docet *Aristoteles*[5]. Cum enim fieri non possit, ut inter disserendum res ipsas in medium afferamus, nominibus vice rerum

1 Laurentius a S. Th., *Spicii, theol.,* p. 3, controv. 6, §§ 6-7; Suarez, *De attrib, neg.,* lib. 2, c. 26; Franzelin, *De Deo uno,* th. 17 ad 2.

2 Cfr. S. Thomas, *I p.,* q. 12, a. 10.

3 *De veritate,* q. 20, a. 5 ad 4.

4 *De doclr chr.,* lib. I. c. 6; MT, 34, 21.

5 *Peri llermen.,* lib. 1, c. 1, lect. 2; et c. 2, lect. 4.

utimur tanquam signis. Haec nomina non sunt verbum internum mentis, sed ejus signa externa ope vocabulorum formata, quibus si quid exprimi non possit, dicitur *ineffabile* vel *inenarrabile.*

3) Unumquodque nominamus, secundum quod cognoscimus Unde, qui melius Deum cognoscit perfectius eum nominat, ut beati et angeli in patria melius quam homines viatores, et Deus ipse melius quam omnes creaturae de divina essentia loquuntur. Quaestio ergo potest esse de ineffabilitate Dei respectu viatorum, beatorum, et ipsius Dei.

4) Ex nominibus, quae rebus imponimus, alia exprimunt objecti naturam seu essentiam, prout est in se, alia describunt diversas objecti proprietates et perfectiones. Ex hoc saepe oritur diversitas in modo loquendi sine ulla veritatis discrepantia.

247. Placita theologorum. I. De viatoribus. 1) *Nonnulli* dicunt posse viatores nomina Deo imponere, cpiae ipsum significent, prout est in se, et repraesentent quidditative angelis et beatis, non nobis viatoribus: quia existimant facultatem loquendi de rebus latius in nobis patere quam facultatem cognoscendi, et putant quod «vox aliqua potest aliquid distincte significare, quod nunquam fuit distincte intellectum» *(Ockam).* Ita *Scolus, Biel, Ockam, Vazquez, Molina, Arriaga* et alii

2) *Alii* multo communius docuerunt viatores non posse Deo imponere nomina, quae ipsum significent, sicuti est, bene tamen quae ejus proprietates et perfectiones describant. Sic S. *Thomas, Gandawnsis, Capreolus, Cajetanus, FerrariensiS, Banez;* et ex recentioribus *Satolli, Paquet, Vrraburu,* etc. s.

II. De beatis. 1) *Aliqui* contendunt angelos et beatos posse Deo nomina imponere, quae et ipsum, ut est in se, significent et aliis non solum beatis sed etiam viatoribus quidditative declarent. Ita *Scolus, Biel* et *Ockam* locis supra citatis.

2) *Alii* defendunt angelos et homines beatos non posse imponere Deo nomina quidditativa. Sic *Banez, Suarez, Contenson* et alii 4.

3) *Communissime defendunt theologi* angelos et beatos posse imponere Deo nomina, quae ipsum significent, ut est in se, et declarent eum quidditative beatis, non viatoribus. Ita thoinistae fere communiter et ex extraneis *Vazquez, Arriaga,* aliique plurimi5.

III. De Deo. Nemo, ut puto, dubitat, quin Deus possit sibi nomina quidditativa imponere, quae suam naturam, ut est in se, manifestent sibi et beatis, non viatoribus.

248. Thesis **I. Dogma catholicum docet Deum esse vere et proprie ineffabilem.**

Arg. 1) Concilium Lat. IV vocat Deum *ineffabilem*6, et Concilium Vat. adserit Deum esse *ineffabiliter excelsum* 7. Unde *pseudo-Dionysius*

1 S. Thomas, *I p.,* q 13, introd.

3 Scotus, *I Sent.,* dist. 22, q. 1; Biol, *I Sent.,* dist. 22, q. un.: Ockam, *I Seni.,* dist. 22, q. un., a. 2; Vazquez, *In I p.,* disp. 57, c. 2; Molina, *In I p.,* q. 13, a. I, disp. 2; Arriaga, *In I p.,* t. 1, disp. 14, n. 3.

3 S. Thomas, *Contr. Gent.,* lib. 1, c. 31, et */ p.,* q. 13, a. 1; Gandav., *Summa,* a. /3, q. 9,' Capreolus, */ Sent.,* dist. 22, q. 1, a. I. conci. 3-4: Cajotanus, *In I p.,* q. 13, a. 1; Ferrariensis, *Contr. Geni.,* lib. 1. c. 30; Banez, *In I p.,* q. 13, a. 1: Satolli, *In I p.,* q. 13, a. 1; Paquet, *De Deo uno,* disp. 3, q. 3, a. 1; Urraburu, *Theod.,* disp. 3, n. 208.

4 Banez, *In I p.,* q. 13, a. 1; Suarez, *De attrib, neg.,* lib. 2, c. 31, n. 18; Contenson, *De Deo uno,* lib. 1, diss. 4, c. 2, spec. 2.

5 Vazquez, *In I p.,* disp. 57, cc. 2-3; Arriaga, *In I p.,* t. 1, disp. 14. n. 2.

6 Cap. *Firmiter;* Denz-Bannw., 428. 7 Sess. 3, c. 1: Denz-Bannw., 1782.

docet Dei neque nomen esse neque sermonem [1] et S. *Gregorius naz.* affirmat «Deum intellectu percipere difficile, eloqui autem impossibile» esse [2].

2) Illud proprie dicitur nobis ineffabile, quod naturaliter nos latet, quia de ignotis loqui non possumus. Sed essentia seu esse Dei naturaliter nos latet. Ergo Deus est nobis ineffabilis [3].

249. Thesis II. Viatores possunt Deum ex creaturis nominare, non tamen secundum quod est in se.

Arg. *Ex SS. Patribus. S. Augustinus:* «Omnia possunt dici de Deo; et nihil digne dicitur de Deo. Nihil latius hac inopia. Quaeris congruum nomen, non invenis; quaeris quoquo modo dicere, omnia invenis» [4]. *Pseudo-Dionysius:* «Theologi Deum laudant tanquam nomine carentem, et ab omni nomine»[5]. *Joannes cyparissiota:* «Manifestum fit esse ipsum unum Deum tum nullius nominis, tum multorum; nullius quidem quoad quid est, multorum, quatenus ex iis, quae fecit, probatur esse» [6].

Pars 1.a

Arg. Cum nomina sint signa intellectionum, eatenus nos aliquid nominamus, quatenus cognoscimus. Sed Deum quodammodo ex creaturis cognoscimus per viam affirmationis, negationis et eminentiae, ut supra dictum est. Ergo possumus viatores Deum ex creaturis nominare. Ad rem S. *Cyrillus hieros.:* «Qui (Deus) multis nominibus insignitur» [7].

Pars 2.a

Arg. Viatores non possunt Deum cognoscere ut est in se. Ergo non possunt eum nominare, secundum quod est in se. Unde S. *Augustinus:* «Quid quaeris, ut ascendat in linguam, quod in cor non ascendit?» [8].

250. Corollarium. Habita ex creaturis notitia exsistentiae Dei, ejus naturam ac perfectiones quodammodo cognoscimus. Hanc cognitionem manifestamus quotidie, nomina Deo tribuendo, abstracta quidem ad significandam ejus simplicitatem, concreta vero ad designandam subsistentiam et perfectionem ipsius [9]. Quae tamen nomina non possunt Deum, ut est in se, significare, nec aliis, sive viatoribus, sive beatis, sive angelis repraesentare, quia, quidquid in contrarium dicat *Scotus* [10], nemo potest aliquid distinctius verbis manifestare quam mente concipere. Vocabula siquidem, ut bene ait *Valentia* [11], ex conceptu habent, quod rem

1 *De div. nom., c.* 1, § 5; MG 3, 593.
2 *Orat* 28. n. 4; MG 36, 29. Cfr. S. Justinus, *Apol.,* 2, 6; MG 6, 453.
3 Cfr. S. Thomas. *1 p.,* q. 13, a. 1.
4 *In Joan.,* tr. 13, 5; ML 35, 1495.
5 *De div. nom., c. 1.* §6; MG 3, 596.
6 *Decade* 4, c. 10; MG 152, 803.
7 *Catech.* 6, n. 7; MG 33. 549.
8 *In ps.* 85, n. 12; ML 37, 1090.
9 S. Thomas, *1 p.,* q. 13, a. 1 ad 2.
10 *In I Sent.,* dist. 22, q. 1.
11 *In I p.,* q. 13, p. 1, *Nihilominus.*

significent. Hinc merito ait S. *Augustinus:* «Verius cogitatur Deus quam dicitur, et verius est quam cogitatur» [1].

251. Thesis **III. Possunt beati et angeli in caelo imponere Deo nomina, quae 1) essentiam divinam, ut est in se, significent, 2) et aliis beatis angelisque sanctis manifestent, 3) non tamen, quae Deum, ut est in se, viatoribus repraesentent vel beatis faciant comprehendere.**

Pars 1.a

Arg. Unumquodque nominatur, secundum quod cognoscitur. Sed beati et angeli in caelo cognoscunt Deum, ut est in se. Ergo possunt eum nominare, ut est in se. Quare *Zacharias* ait: *In die illa erit Dominus unus, et erit nomen ejus unum* [2]. Quod exponens Lyranus expresse docet Deum a nobis in praesenti vita pluribus nominibus appellari, in patria vero uno simplici nomine vocatum iri.

Dices. Nomina sunt expressiones verbi mentis. Sed beati in visione Dei non producunt verbum mentis. Ergo beati non possunt nominare Deum, ut est in se. Ita *Contenson* [3].

Resp. Dist. min. Nomina sunt expressiones verbi mentis proprie dicti vel ejus vices gerentis, cone.; semper proprie dicti, neg. Conceptus interior, quomodocumque formetur, potest exterius manifestari, et haec manifestatio est vera locutio, excitans in audiente cognitionem objecti.

Pars 2.a

Arg. Omnes beati et angeli in caelo cognoscunt Deum, ut est in se. Sed id, quod cognoscunt, possunt nominare et manifestare sibi invicem eo modo, quo cognoscunt. Ergo.

Dices. Nullum nomen potest excogitari a beatis et angelis in caelo, quod in aliis generet visionem; tum quia nomina nequeunt generare speciem, quae repraesentet Deum, tum quia beati perenniter vident Deum et non possunt novam visionem habere. Ergo. Ita *Banez, Suarez* et alii.

Resp.—Neg. conseq. Non est de essentia loquelae, ut bene respondet cl. *Mendive,* generare visionem, sed excitare audientem, ut active visionem eliciat; id est. excitare audientem ad novam cognitionem, si de ea re non cogitabat, vel ad reflexam cognitionem, si de ea cogitabat.

Pars 3.a

Arg. Nominum significatio mensuranda est ex cognitione, quam excitant in mente audientium. Sed nomina a beatis prolata nequeunt excitare in viatoribus visionem Dei quidditativam nec in beatis comprehensionem Dei. Ergo.

Scholion. Deus potest sibi imponere nomina, quibus se ipsum comprehendat, et beatis se manifestet, ut est in se; nequit tamen excogitare vocabula, quibus beati ipsum comprehendant.

1 *De Trinitate,* lib. 7, c. 4, n. 7; ML 42. 959.
2 *Zach..* 14, 9.
3 *De Deo uno,* lib. 1, diss. 4. c. 2, spec. 2.

ARTICULUS II

UTRUM ET QUOMODO NOMINA PRAEDICENTUR DE DEO

252. Quae de divinis nominibus copiose tractant S. *Thomas* 1 et ejus commentatores, sub uno titulo hic breviter explicanda suscipimus.

1) *Quaedam nomina dicuntur de Deo substantialiter,* id est, Dei substantiam imperfecte significant. Ex nominibus, quae Deo tribuuntur, alia sunt *negativa,* ut incorporeus, immutabilis, etc., alia *relativa,* ut Dominus, creator, sanctificator, etc., alia *absoluta affirmativa,* ut sapiens, vivens, bonus, etc. Porro a) nomina *negativa,* licet in sensu materiali significent Deum carentem imperfectione, in sensu tamen formali significant remotionem cujusdam imperfectionis, et non dicunt quid Deus sit, sed quid Deus non sit; b) nomina *relativa* innuunt relationem rationis Dei ad creaturas, carumque realem habitudinem ad Deum; c) nomina *absoluta affirmativa* significant directe perfectionem, et proculdubio praedicantur de Deo substantialiter, licet imperfecte, quidquid dixerint in contrarium *Plotinus, Maimonides* et alii antiqui.

2) a) Nomina, quae in suo conceptu formali denotant imperfectionem, solum metaphorice dicuntur de Deo, ut leo, lapis, etc. b) Quae non denotant imperfectionem, ut sapiens, bonus, etc., *quantum ad hoc, quod significant,* proprie, imo magis proprie et per prius dicuntur de Deo quam de creaturis, quia Deus per se, creaturae per participationem continent perfectiones significatas per haec nomina; sed *quantum ad modum significandi,* improprie Deo competunt, quia habent modum significandi restrictum ac limitatum, c) Quaedam nomina ita Deo conveniunt ut nulli alteri; id est, competunt ei proprie, quatenus opponitur communi, ut Deus dicitur suum esse, actus purus, omnipotens, etc;

3) Nomina, quae Deo tribuuntur, non sunt omnia syhonima, quia, licet eamdem rem, scilicet essentiam divinam, significent, sub diversis tamen rationibus eam manifestant.

4) Nomina, quae sunt Deo et creaturis communia, a) non praedicantur de ipsis *univoce,* quia non conveniunt Deo et creaturis secundum eamdem rationem; nec b) dicuntur de ipsis pure *aequivoce,* quia non sunt inter se ita diversa, ut cognoscendo unum, nihil possit cognosci de altero; sed c) praedicantur de ipsis *analogice,* tum analogia attributionis, quatenus omnia referuntur ad Deum ut ad principium et causam rerum, tum analogia proportionalitatis, quatenus perfectiones Dei et creaturarum habent aliquam similitudinem proportionis.

5) a) Quae metaphorice conveniunt Deo, prius dicuntur de creaturis quam de Deo, quia Deo tribuuntur secundum quamdam similitudinem ad creaturas, b) Quae proprie Deo tribuuntur, prius de eo praedicantur quam de creaturis quantum ad rem significatam, et posterius quoad nominis impositionem; quia Deo conveniunt essentialiter, crea turis autem per participationem.

I p., ‹| IJ, .1 2 M|<|.

ARTICULUS III

UTRUM NOMINA RELATIVA DEO CONVENIANT AB AETERNO VEL EX TEMPORE

253. Status quaestionis. 1) Nomina absoluta, sive affirmativa sint sive negativa, quae perfectionem significant vel imperfectionem removent, ab aeterno conveniunt Deo. Sic ab aeterno potuit Deus nominari bonus, sapiens, infinitus, perfectus, intelligens, etc., quia revera Deus ab aeterno fuit bonus, sapiens, etc.

2) Nomina item relativa, quae relationes reales divinarum personarum significant, ab aeterno Deo competunt; Deus enim semper fuit Pater, Filius et Spiritus Sanctus.

3) Cardo difficultatis in hoc vertitur, an nomina, quae relationem Dei ad creaturas denotant, ut Creator, Dominus, etc., ab aeterno Deo conveniant.

254. THESIS. **Ex nominibus, quae significant relationem ad creaturas, quaedam conveniunt Deo ab aeterno, quaedam ex tempore.**

1) Nomina, quae significant relationes consequentes actionem intellectus vel voluntatis, ut scientia, amor, electio, praedestinatio, dicuntur de Deo ab aeterno, quia ab aeterno cognovit et vidit Deus creaturas, et aliquas praedestinavit, juxta illud *Jeremiae: In caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te, miserans* [1]. Haec nomina non supponunt creaturarum exsistentiam in rerum natura sed in mente divina.

2) Quaedam nomina directe significant essentiam divinam et ex consequenti important habitudinem ad creaturas, ut *Creator, Salvator;* quaedam e contra significant directe habitudinem et indirecte substantiam divinam, ut *Dominus.* Utraque dicuntur de Deo ex tempore quantum ad habitudinem principaliter vel consequenter denotatam, non autem quantum ad essentiam directe vel indirecte significatam [2].

3) Nomina, quae important relationes consequentes actionem Dei ad extra, ut creare, conservare, gubernare, sanctificare, etc., dicuntur de Deo ex tempore, quia effectus actionis Dei ad extra incepit tempore.

255. Scholion. Movetur hic difficultas, cujus solutionem nescire fassus est S. *Augustinus* [3]. Relatio Dei ad creaturas ponit in Deo aliquid reale vel non. Si ponit, quomodo Deus immutabilis? Si non ponit, quomodo Deus nominatur realiter Dominus?

En paucis difficultatem, quam solvere aggredimur.

1) *Ockam, Biel, Ariminensis* [4] et alii antiqui dixerunt per creationem advenisse Deo relationes reales ad extra, quin tamen Deus mutaretur in se.

1 *Jerem.,* 31, 3.
2 S. Thomas, *I p.,* q. 13, a. 7 ad 1
3 *De civ. Dei,* lib. 12, c. 15; ML 41, 363.
4 Ockam, *I Sent.,* dist 30, q. 5; Biel, *I Sent.,* dist. 30. q. 5. Ariminensis. *I Sent.,* dist. 28, q. 3.

Hoc tamen admitti nequit, quia, ut expresse docet S. *Augustinus* 1, nihil reale, absolutum aut relativum, advenit Deo ex tempore.

2) *Alii* dixerunt omne relativum, in quantum hujusmodi, semper terminari ad aliquid absolutum non relativum: et ex consequenti, facta ex parte rerum reali mutatione, qua creaturae in Deum Creatorem et Dominum referantur, posse Deum sine ulla relatione ad creaturas appellari *Creatorem. Dominum,* etc. Ita *Scotiis, Toletus* et alii 2.

Principium, quod hic statuitur, licet in relativis *secundum dici* verum sit3, in relativis *secundum esse,* praesertim primi et secundi generis, fundamento caret, quia relativa praecipue primi et secundi generis mutuo semper sub eadem ratione se respiciunt 4.

3) *Alii* dixerunt relativa tertii generis non respicere reipsa terminum ut correlativum, sed quia non possumus cognoscere et appellare terminum nisi in ordine ad relativum, ideo correlativum esse in intellectu. Ita *Fcrrariensis* 5.

4) · *Ad hanc dijjicultatem respondendum censeo* omne relativum respicere suum terminum in ratione correlativi; inter relativa primi et secundi generis adest relatio realis mutua, in relativis vero tertii generis, (piae non sunt ejusdem ordinis, ex una parte adest relatio realis et ex altera relatio rationis, sicut scientia ordinatur rcaliter ad scibile, dum scibile refertur ad scientiam solum secundum rationem. Ita fit inter Deum et creaturas. Creaturae realitcr ordinantur ad Deum, et Deus refertur ad creaturas solum secundum rationem. Deus igitur, quatenus est terminus relationis realis creaturarum, a) praebet fundamentum pro ximum relationi rationis sui ipsius ad creaturas, ac denominatur ex tempore realiter *Dominus, Creator, Sanctificator,* etc.; et b) nullam patitur in se mutationem, quia nihil reale accipit in tempore, sed, facta externa rerum mutatione, ipsi tribuuntur nomina realia, «sicut columna iit dextera animali, nulla mutatione circa ipsam exsistente, sed animali translato»6.* Ita *Cajetanus, Banez, Satolli,* etc.".

256. *Quaeres, quomodo relatio rationis Dei ad creaturas* possit esse fundamentum denominationis realis dominii, et quomodo denominatio realis dependeat ab operatione intellectus.

Resp. Dupliciter potest Deus considerari in hac materia: 1) quatenus est terminus relationis creaturarum ad ipsum et praebet fundamentum proximum ad relationem rationis: et hoc sensu denominatur realiter *Dominus* ct *Creator,* quia reducitur ad praedicamentum reale. Nam «terminus cujuscumque rei, ut bene ait *Banez,* reductive ponitur in illo praedicamento, ad quod pertinet res terminata, v. gr., punctus lineae reductive ponitur in praedicamento quantitatis» 8; *2)* quatenus ope ra-

1 *De Trinitate,* lib. 5, cc. 4-5; ML 42, 913.

- Scotus, *I Sent.,* dist. 30, q. 12, nn. 9-11; Toletus, *I p.,* q. 13, a. 7.

3 Vid. Banez. *I p.,* q 13, a. 7, *In hac re.*

4 Cfr. Complutensos, *Log*, disp. 14, q. 6, nn. 66, 68 sqq.

» *Contr Gent.,* lib. 2, c. ti.

° S. Thomas, */ p.,* q. 13, a. 7.

ı Cajetanus, *In I p.,* q. 13, a 7; Banez. *In I p.,* q 13, a. 7; Satolli, *De Deo uno,* q. 13, a. 7.

8 *In I p.,* q. 13, n. 7, *Tertia conci.*

tionis refertur ad creaturas, et hoc sensu non appellatur realiter Dominus, quia relatio rationis consequitur operationem intellectus humani, quae certissime est posterior creatione [1].

ARTICULUS IV

DE SINGULIS DEI NOMINIBUS

257. Plura sunt nomina, quae in sacris litteris Deo tribuuntur. Praecipua sunt *Jahve, El* (ejusque derivationes *Eloah* et *Elohim), Adonai, Elion, Ab, Kadosch,* et *Deus.* De singulis pauca.

1) *Jahve* t î.-d derivatum ab *Havah* (fuit, vixit) significat eum *qui est,* seu *qui est suum esse* et *totum esse,* exprimiturque illis Domini verbis: *Ego sum qui sum* [2]. Hebraei falso interpretantes loca S. Scripturae, non audebant hoc nomen pronuntiare extra templum; et a morte Simonis justi (c. 20(1 a. ante Ch.) in ipso templo renuebant illud exprimere[3]; quoties occurrebat in S. Scriptura, legebant *Adonai*[4]. Inde venit, ut hebraei veram pronuntiationem hujus nominis ignorarent. Multo tempore pronuntiatum est *Jehova,* sed hodie viri docti fere communiter contra *Urguhart*[5] et alios paucos docent pronuntiandum esse *Jahve.*

Est praecipuum ac magis proprium Dei nomen, et correspondet essentiae ejus metaphysicae, quae, ut diximus, consistit *in esse a se* seu *in ipso esse*[6].

2) *El* Sn, cui aramaice respondet *el,* et assyr.—*babyl. ilu*—, juxta plures *potentiam,* juxta alios *dominium* significat. Plerumque applicatur Deo vero *(Gen.,* 14, 17; 17, 1, etc.), sed non semel significat falsos deos, ut videre est *Is.,* 44, 10-15. Huic affine est nomen arabicum *Ilah* vel cum articulo *al-Ilah—Allah.*

Eloah mSx et *Elohim* avrix videntur esse evolutiones nominis *El,* ut plures hodie defendunt contra alios, qui volunt haec verba ex arabico *aliha* (stupuit) vel *alaha* (coluit) derivata esse.

Eloah est forma singularis et significat potentiam. Tribuitur aliquando Deo vero, interdum falso. *Elohim* (potentiae) est forma pluralis; et saepe significat Deum verum ut plurale majestaticum, interdum angelos, non semel deos falsos, et aliquando deam.

3) *Adonai* v-χ vertitur *Dominus meus.* Est nomen plurale excellentiae significans Deum in ratione dominii, quatenus est *rector* et *gubernator.*

1 Cfr. Banez, *In I p.,* q. 13, a. 7.

2 *Ex.,* 3. 14. Hodierni aliqui scriptores defendunt nomen *Jahve* esse formam *hiphilicam* seu causativam et significare *illum, qui causât seu creat.*

3 Maimonides, *Jad chasaha,* c. 14, § 10; et *Moreh Nevuchim,* lib. 1, c. 61.

4 Nomen Septuaginta interpretes verterunt κύριο et Vulgata *(Ex.,* 5, 3) *Adonai.* Cfr. Raymundus Martin, *Pugio fidei,* p. 3, dist. 3, c. 2. n. 9; Josephus, *Antiq. jud.,* lib. 2, c. 12; Philo, *De vita Moysis,* lib. 3: Alapide, in *Ex.,* c. 6, 3-4.

5 *Die Bûcher der Bibel,* 1, 24.

6 Cfr. quae diximus supra, n. 55. Zollorus, in comm *De Vacca Rufa Maimonidis,* c. 2, dicit hoc esse «nomen essentiae».

4) *Elion* derivatum ab *ascendit·* idem est ac *supremus.* Graece dicitur ὕφιστο , et significat plerumque verum Deum ,et aliquando supremum inter plures deos. Saepe applicatur Deo in S. Scriptura.

5) *Ab* Z.N est *paler.* Saepe tribuitur Deo in sacris litteris, cum Dominus exprimitur conferens beneficia creationis, conservationis et providentiae.

6) *Kadosch* ump idem est ac *Sanctus.* Hoc nomine exprimitur Deus, quoties praedicatur purus, sanctus et perfectus 1.

7) *Deus.* Vulgatissimum nomen, quo ens supremum et primum significatur, est *Deus,* quod derivatum volunt plures eruditi a radice sanscritica *div.* rfyw-lucere 2. Unde Deus sanscritice dicitur *Dyaus,* persice Daeva, graece θεό 3, aegyptie *Theu,* latino *Jupiter Diupater,* gothice *Tins,* lituanice *Diewas,* scandinavice *Tyr,* anglo-saxonicc *Tiw,* hibernice *Dia.* Hinc omnes gentes ariae videntur Deum significasse ut *fontem lucis, dominatorem caeli lucidi,* et *patrem caelestem.* Cfr. *Schanz,* Apolog., p. 2, 4.

Ipsi quoque hodierni pagani plerumque tribuunt Deo nomina significantia supremum quoddam ens. Aegyptiis est .Vw/rtr-judex inexorabilis; sinensibus Sc/inwg/i-suprcmus dominus, vel etiam 77e«-caelum; indis *Brahma-ions.* vitae, vel Visc/ww-salvator, ac etiam Sc/hwi-judex justus 45

Nomen *Deus* impositum est enti supremo ab ejus operationibus, providentia, etc., sed quantum ad significationem est nomen naturae, significans substantiam Dei. Unde S. *Athanasius* ait: «Vocabulum *Deus* naturam significat omnia contemplantem et providentem» s.

Deus in singulari significat naturam divinam, in plurali potest significare cumulum potentiarum ac perfectionum, ut volunt aliqui, vel potius falsos deos, ut aliis placet 6.

Revera est nomen incommunicabile, quia significat naturam divinam, quae multiplicari non potest 1. Communicatur tamen a) *secundum opinionem quorumdam* turbis falsorum numinum imo et lapidibus ac lignis 8; b) *secundum quamdam similitudinem et participationem* sanctis, quia, ut

1 Vid. de his et aliis Dei nominibus Hetzenauer, *Theol. bibl.,* vol. I, § 35.

2 Sunt qui contendunt nomen *Deus,* derivatum esse a radice—θε -Orare (Curtius, *Grundtzüge der griech Etymol.)* vel a rf/tiwis-spirare. Patres graeci, quos sequuti sunt S. 7bornas et veteres, derivarunt a Hs-zooct'. providere. S. Joannes Dam., *De fide orth.,* lib. 1, c. 9; MG 94, 837, putat posse derivari ab tziHiu urere.

3 Omnes nationes latinae a voce *Deus* derivant nomen Dei; et sic galli vocant *Dieu,* hispani *Dios,* itali *Dio* vel *Iddio,* etc.

4 Vide Willems, *Thcol. nat.,* lib. 1, c. I, § 1. Addit cl. auctor in nota: «Teste R. P. Froberger, Provinciali missionariorum Africae (Patres albi) gentes paganae in Africa centrali haec nomina Deo tribuunt: In Uganda *Katonda* -Creator; in Unyoro *Kazova*= Creator; in Ushirombo A'/wt=essc; porro *Likuvi*— magnum esse; A7je=Ego; *Linze*---- magnum Ego; in Ufipa Lcza *Kabezia*= Omnipotens; in Bukumbi *Liova*— Sol (symbolice)».

5 *Contr. Maced.,* dial. 1, n. 1; MG 28, 1292. Vid. S. Ambrosius, *De fide,* c. 1, n. 7 sqq.; MI. 16, 530.

• Immerito dixerunt aliqui pluralem numerum hujus vocis continere reliquias polytheismi. Cfr Hetzenauer, *Comm, in Gen.,* c. 1, v. I.

7 Cfr S. Thomas, */ p.,* q. 13, a. 9.

8 *Sap.,* I.|, 21.

ait S. Petrtts, *maxima cl pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae* [1]. Quare ait Psalmista: *Ego dixi: dii estis* [2].

QUAESTIO XIV

DE SCIENTIA DEI

S. *Th., I p., q. iq.*

258. Hactenus consideravimus ea, quae ad substantiam et attributa quiescentia Dei pertinent; nunc progredimur ad contemplanda attributa actuosa seu operationes ejusdem. Operatio porro alia est *immanens,* cujus terminus est in ipso operante, ut intelligere et velle, alia *transiens,* quae producit effectum extra operantem, ut creare, conservare et regere. Utraque Deo tribuitur, et de utraque per varias quaestiones disserendum est, primo quidem de operationibus immanentibus, deinde transeuntibus in res externas.

ARTICULUS I

DÉ SCIENTIA DEI SECUNDUM SE

§ 1

Sitne Deus intelligens.

259. Gentiles aliquando posuerunt innumerabiles deos mente carentes, vel saltem rerum quamplurimarum inscios. Sed omnes monotheistae intellectum perfectissimum Deo tribuerunt. Quare sit breviter.

260. Thesis. Dogma catholicum est et validis argumentis probatur Deum intelligentem esse.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Job, loquendo de Deo, ait: *Apud ipsum est sapientia et fortitudo; ipse habet consilium et intelligentiam* [3]. Idem testatur ac probat Psalmista dicens: *Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat? Qui corripit gentes, non arguet, qui docet hominem scientiam?* [4]. Audire, considerare, et scire sunt actus intellectus in Deo.

2) Concilium Vaticanum ait: *Ecclesia credit et confitetur unum Deum... intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum* [5]. Unde *Ari-*

1 *II Petri,* i, 4.
2 *Ps.* 81, 6.
3 *Job,* 12, 13.
4 *Ps.* 93, 9-10.
5 Sws. 3, c. i; Denz-Bannw.. 1782.

sloteles, gentilis, docet «mentem supremam nunquam ab intelligendi actione cessare».

3) *Ex ratione.* Ratio intelligentis est immaterialitas, adeo ut, si qua res in summo immaterialitatis gradu consistat, sit etiam summe intelligens. quia «secundum modum immaterialitatis est modus cognitionis». Sed Deus, utpote infinite perfectus, est omnino immaterialis. Ergo Deus est summe intelligens. Prob. maj. Cognitio fit, in quantum cognitum est in cognoscente. Unde cognoscentia in hoc differunt a non cognoscentibus, quod non cognoscentia non habent nisi formam suam tantum, et cognoscentia nata sunt habere formas aliarum rerum, non per identitatem realem et entitativam. neque per informationem, sed, ut ajunt, intentionaliter x. Quo fit, ut cognoscentia in cognoscendo seu in esse intentional! induant naturam omnium rerum, quia, ut docet *Philosophus,* «anima (in intelligendo) quodammodo fit omnia entia» a. Quare nota specialis cognoscentium est quaedam amplitudo seu illimitatio, qua possunt quamlibet formam habere. Haec autem amplitudo et capacitas ad quamlibet formam provenit ab immaterialitate, sicut coarctatio et limitatio ad unam formam entitativam provenit a materia vel ab eo, quod habet rationem causae materialis. Unde, quo magis aliquid destituatur a conditionibus materiae, eo magis recipit aliorum formas et accedit ad summum cognitionis, et quo magis immergatur in materia eo minus admittit aliorum forma? et minus cognoscit. Hinc «plantae non cognoscunt propter suam materiaiitatem. Sensus autem cognoscitivus est, quia receptivus est specierum sine materia; et intellectus adhuc magis cognoscitivus, quia magis separatus est a materia» 3. Cum autem Deus sit in summo immaterialitatis gradu, est etiam summe intelligens h

§ 2

Utrum in Deo sit scientia -proprie dicta et respectu quorum.

261. Status quaestionis. 1) Scientia proprie dicta definitur: *Cognitio certa et evidens rei per demonstrationem acquisita.* Dicitur a) *Cognitio certa,* ut distinguatur ab errore, opinione, suspicione et fide humana, b) *Evidens,* ut distinguatur a fide divina, quae evidentiam subjectivam non parit. c) *Per demonstrationem acquisita,* ut innuatur scientiam comparari ex principiis seu causis mediante discursu 5. Unde scientia dici etiam solet cognitio certa et evidens ex causis.

' Vid. Cajetanus, *t p.,* q. 14, a. 1; Herrera, *De scientia Dei,* q. i, sect. 2; et Joannes a S. Miohaele, *De scientia Dei,* disp. 1, n. 37 sqq.

2 *De anima,* lib 3, cap. 9.

3 S. Thomas, *t p.,* q. 14, a. 1. Cfr. Complutenses, *De anima,* lib. 1, disp. 18, q. 4

4 Hoc argumentum S. Th. profundissimum esse et attingere rationem, qua cognoscentia a non cognoscentibus distinguantur, defendunt communiter theologi contra Gabrielom. *I Sent.,* dist. 35, q. 2; Aureolum, */ Seni.* dist. 35, q. un.: et Godoy. *In I p..* t 1, tr. 3, disp. 22, § 3. Cfr. Salmanticenses, *De scientia Dei,* disp. 2, dub. 2.

" Defectu hujus conditionis cognitio primorum principiorum, quae *synderesim* audit, et cognitio experimentalis, quae *empirica* nominatur, non habent rationem scientiae.

2) Compertum est certam et evidentem rerum cognitionem Dea necessario competere. Sed, an haec certa rerum cognitio habeat rationem demonstrationis, non facile resolvitur. Demonstratio enim importat discursum. Discursus autem, qui est actus intellectus ex una veritate aliam deducentis, involvit imperfectionem cum actu Dei purissimo incompatibilem.

3) Quare investigandum est, a) an scientia proprie dicta, quae est cognitio alicujus rei ex causis per discursum, Deo competat; b) et quatenus affirmative, an Deus habeat scientiam proprie dictam de se ipso, de suis attributis ac de rebus creatis.

262. Placita theologorum. I. Quoad 1.“"' Aliqui, putantes ad scientiam proprie dictam omnino requiri discursum formalem, dixerunt in Deo non esse scientiam proprie dictam, sed perfectiorem cognitionem, quae in scholis audit intclligentiam. Ita *Vazquez* 1 *et aliqui veteres scholastici.* Alii communiter docuerunt Deo competere scientiam proprie dictam. Vereor, ne quaestio fuerit de nomine.

II. Quoad 2.,lm 1) *Scientia de se ipso.* Certo constat Deum non habere scientiam de se ipso per demonstrationem *a priori,* quia Deo nulla est causa, per quam cognoscatur. Nonnulli defendunt, aliis reclamantibus, Deum posse se *a posteriori* seu ab effectibus creatis scientifice cognoscere.

2) *Scientia Dei de suis attributis. Aliqui* dixerunt Deum non posse cognoscere sua attributa *a priori* seu cognitione *propter quid,* quia attributa divina, cum sint ipse Deus, non habent causam. Ita *Durandus, Ferrariensis, Nazarius* et alii 2. *Alii* communius docent in Deo dari veram scientiam suorum attributorum. Sic *Salmanticenses, Joannes a S. Thoma, Gonet, Paulus a Conceptione, Laurentius a S. Theresia,* etc. 3.

3) *Scientia Dei de creaturis. Durandus* et *Ferrariensis* locis modo citatis docuerunt Deum habere quidem scientiam proprie dictam de conclusionibus, quae ex principiis deducuntur, non vero de primis principiis et veritatibus omnino necessariis. *Alii* dicunt Deum habere scientiam proprie dictam de omnibus veritatibus creatis, quantumvis necessariis et per se notis.

263. THESIS I. **In Deo datur scientia proprie dicta.**

Nota. Scientia potest esse cognitio rei per causas dupliciter, ut bene notat *Banez* 1: 1.° per causam *ex parte rei cognitae simul et ex parte cognoscentis,* quando scilicet non solum scitur unum esse causam alterius, sed praeterea cognoscens movetur et quasi manuducitur ex cognitione causae ad cognitionem effectuum, adeo ut cognitio causae sit causa cognitionis effectuum; 2.° per causam *ex parte rei cognitae* dumtaxat, «piando nimirum scitur unum esse •causam alterius, quin cognitio causae nihil influat in cognitionem effectus, ut cum causa et effectus simul conspiciuntur. In utraque acceptione salvatur ratio scientiae.

Arg. 1) Innumera S. Scripturae loca nequeunt explicari, nisi admittatur in Deo scientia formaliter et proprie dicta. Unde SS. Patres et theologi deduxere Deum esse sapientia et scientia praeditum.

1 *In I p.,* disp. 4, n. 9.

2 Durandus, / *Sent.,* dist. 35, q. 4. n. 6; Ferrariensis, *Contr. Gent.,* lib. I, c. 25; Nazarius, *In I p.,* q. 14, a. 1, controv. 2.

3 Salmanticenses, *De scientia Dei,* disp. I, n. 47 sqq.; Joannes a S. Thoma, disp. 16, a. 3. n. 7; Gonet, tr. 3, disp. I, n. 9: Paulus a Conceptione, tr. 3, disp. I» dub. 2, § 2; Laurentius a S. Theresia, *Spicii theol.,* p. 4, controv. 2, § 1. n. 4

4 *In I p.,* q. 14, a. 1.

2) Ad rationem scientiae proprie dictae non requiritur cognitio rei per causas ex parte cognoscentis, sed sufficit cognitio rei per causas ex parte rei cognitae, seu cognitio, qua videtur effectum a causa procedere. Sed Deus omnes effectus creatos eorumque causas perfectissime intuetur, imo et eorum inter se mutuam relationem per simplicem intuitum conspicit. Ergo Deus habet scientiam vere et proprie dictam. **Major** patet ex cognitione angelorum, quae est vera scientia, quamvis non procedat per causam ex parte cognoscentis. Minor est dogma catholicum.

Objicies. De ratione scientiae est discursus, adeo ut intellectus a notioribus ad minus nota procedat. Atqui intellectus divinus, utpote infinite perfectus, non valet discurrere nec a notioribus ad minus nota transire. Ergo.

Resp. Dist. maj. De ratione scientiae est discursus formalis vel objectivus, conc.; semper formalis, neg. Ad scientiam proprie dictam sufficit, ut bene docet S. *Thomas* [1], discursus objectivus, quatenus intellectus in objecti cognitione videt conclusionem sequi ex principiis, non tamen requiritur discursus formalis, qui pluralitatem cognitionum ita importat, ut una alteram sequatur. Ex hoc manifestum fit scientiam necessario procedere ex notioribus ex parte rei cognitae, non semper ex notioribus ex parte cognoscentis. Sic, ut rem propius attingamus, principia sunt notiora quam conclusiones, tum ex parte rei cognitae, quia firmiorem habent veritatem quam conclusiones, tum ex parte cognoscentis viatoris, qui non potest omnia simul conspicere, sed non ex parte Dei cognoscentis, quia Deus omnia simul perfectissime contemplatur.

264. Thesis **II. Probabilius datur in Deo scientia sui «a posteriori» per effectus creatos, non «a priori» [2].**

Pars 1.a

Arg. 1) S. *Thomas* loquens de cognitione Dei haec habet: «Ex parte cognoscibilium potest quidam circuitus in ejus cognitione inveniri, dum scilicet cognoscens essentiam suam alias res intuetur, in quibus suae essentiae similitudinem videt, et sic quodammodo ad suam essentiam reddit»[3].

2) *Ex ratione.* Deus videt se ipsum in creaturis suasque in illis proprietates contemplatur, quia comprehendit omnino creaturas, et in hac comprehensione videt habitudinem earum ad causam primam. Ergo datur in Deo scientia sui a posteriori seu per effectus.

Advertas tamen velim Deum per effectus se cognoscere, non quatenus cognitio ejus per se primo terminatur ad effectus, qui a parte rei exsistunt, et ab eis specificata quasi ducitur ad Dei cognitionem; hoc enim perabsurdum est: sed, quatenus primo et per se terminatur ad essentiam divinam, in qua comprehendit Deus omnes effectus creatos et inspicit eorum habitudinem ad primam causam, atque ita contemplatur se ipsum ut causam et terminum omnium rerum.

Huic doctrinae refragatur *Suarez* dicens: «Ipse autem (Deus) non se cognoscit per effectus, quia illa cognitio imperfecta est»[4]. At probabi-

1 *De veritate,* q 2, a. 1 ad 4.
2 Cognitio rei *a posteriori* potest latiori quodam sensu appellari scientia.
3 *De veritate,* q. 2, a. 2 ad 2.
4 *De attrib, div.,* lib. 3, c. 1, n. 5.

litis puto posse salvari praefatam cognitionem sine imperfectione, prout modo explicui.

Pars 2.a

Secunda pars, quae adscrit hanc scientiam Dei de se ipso non esse *a priori,* vix indiget explicatione. Scientia enim *a priori* est cognitio rei per causas saltem ex parte rei. Deus autem nullam habet causam.

265. Thesis III. Deus habet scientiam proprie dictam de suis attributis.

Arg. 1) S. *Thomas* [1] diserte docet Deum habere de se scientiam speculativam. Sed haec scientia in Deo salvari nequit nisi in cognitione suorum attributorum. Ergo.

2) *Ex ratione.* Ad rationem verae scientiae non est necessarium, ut res cognoscatur per ejus causam proprie dictam, sed sufficit, ut in-, telligatur per aliquam ejus rationem *a priori,* quae gerat vices causae. Sed Deus cognoscit attributa in sua essentia, quae est ratio eorum *a priori* gerens vices causae. Ergo. Major patet ex metaphysica, quae demonstrat res esse bonas, quia sunt entia, et nihilominus ratio entis non est proprie causa sed ratio quaedam formalis *a priori* bonitatis. Min. prob. Essentia in Deo concipitur cum fundamento in re, ut radix et ratio virtualiter prior attributorum, ita ut, si adesset inter ea distinctio realis, intercederet vera causalitas. Ergo.

266. Thesis IV. Omnes omnino veritates creatas, sive sint prima principia sive conclusiones, ipsas quoque veritates necessarias, scientifice Deus cognoscit.

Arg. Omnes veritates creatae, sive sint prima principia sive conclusiones, ipsae quoque veritates necessariae, habent causam suae exsistentiae et necessitatis; quia Deus ab aeterno decrevit et constituit eas sic esse futuras, ut, si per impossibile decretum Dei falleretur, omnes veritates, etiam prima principia, corruerent. Hinc *Philosophus* [2] entibus necessariis causam suae necessitatis adsignavit, et S. *Thomas* [3] docet omne ens per participationem esse causatum ab alio. Sed Deus omnes veritates creatas ita cognoscit, ut earum dependentiam a suis respectivis causis optime conspiciat. Ergo.

Obj. 1. Scientia specificatur a conclusionibus. Sed scientia divina nequit specificari a conclusionibus rerum creatarum. Ergo non datur in Deo scientia de rebus creatis.

Resp. Scientia, quae simul est sapientia et lumen principiorum, per se primo respicit principia non conclusiones. Cognitio autem divina est formaliter eminenter scientia, sapientia et lumen principiorum, et non respicit per se primo creaturas, nec versatur immediate circa illas, nec proinde ab eis specificatur, sed omnia attingit in sua essentia, a qua specificatur. Non tamen omnia attingit in sua essentia sub eodem respectu, sed primario re-

1 *I p.,* q. 14, a. 16.
2 *Metaph.,* lib. 5, c. 2, text. 6 et 8.
3 *I p.,* q. 44, a. i ad 1.

spicit principia in se et ut illativa conclusionum, et secundario, saltem ex parte objecti, videt conclusiones

Obj. 2.° Prima principia nullam habent causam, quia sunt per se necessario determinata ad unum. Ergo Deus non cognoscit prima principia per eorum causas.

Resp.—Neg. ant. Ad probationem dist. ant. Prima principia sunt necessario determinata ad unum per decretum Dei et dependentor a causa prima, conc.; ante decretum Dei et independenter a prima causa, neg. Si per impossibile non exsisteret Deus, prima principia non essent necessaria nec haberent praedicata essentialia.

267. Scholion. Non solum *intelligentia* et *sapientia,* quae ex sua ratione nullam denotant imperfectionem, verum etiam *scientia, prudentia* et *ars,* seclusis omnino, ut par est, imperfectionibus, competunt Deo. Hae tamen non sunt in Deo qualitates, sed ipsa substantia divina et actus purissimus, quatenus sunt *cognitio conclusion imi* absque discursu, et *recta ratio agibilium* atque *jactibilium* in ordinatissima rerum dispositione 1.

§ 3

Utrum scientia in Deo sit attributum ab essentia virtualiter distinctum.

268. Status quaestionis. Scientiam esse perfectionem simpliciter simplicem satis patet, et formaliter ac necessario Deo competere luculenter probavimus; sed quomodo essentiam Dei jam constitutam consequatur. non facile concipitur a quibusdam. Quare investigandum est hic breviter, an scientia,sit attributum Dèi, ab essentia virtualiter distinctum.

269. Thesis. Scientia in Deo est attributum proprie dictum ab essentia virtualiter distinctum.

Arg. Scientia in Deo habet omnes conditiones requisitas ad attributum proprie dictum. Ergo. 1) Est perfectio simpliciter simplex, quia nullam in suo conceptu importat imperfectionem. 2) Formaliter et necessario invenitur in Deo, ut modo jam probavimus. 3) Essentiam Dei constitutam nostro modo concipiendi consequitur, quia essentia constituitur, ut diximus3, per ipsum esse subsistens, et scientia, utpote habitus, consequitur nostro modo concipiendi esse subsistens 4.

.§ 4

Quotuplex sil scientia Dei.

270. Scientia Dei in se una et simplex exsistens5, varie distinguitur et diversimode vocatur secundum diversa objecta, quae attingit.

1 Cfr. Paulus a Conceptione, tr. 3, disp. I, nn. 17-18.
- Cfr. San, *De Deo uno,* n. 138.
3 Cfr. supra, n. 55.
1 Theologi, qui defendunt constitutivum metaphysicum essentiae divinae esse intclligere actuale, distinguunt duplex intelligere virtualiter distinctum, unum repraesentans ens divinum ut absolute intelligibile, et vocant *constitutivum essentiae:* alterum respiciens naturam divinam, quatenus est ratio *a priori* proprietatum caus.ique creaturarum, et appellant *scientific#»!.* Cfr. Salmanticenses, *De scientia Dei,* disp I, n. 70 sqq.
1 Sap., 7, 27.

Hinc ratio divisionis hujus scientiae non ex parte Dei sed ex parte rerum cognitarum accipitur. Unde inquirendum est, quotuplex sit in objectis ratio, quae nostro modo concipiendi fundet diversam denominationem scientiae Dei.

Sub hoc. respectu scientia Dei potest esse:

Primaria et *secundaria,* cujus distinctionis ratio patet ex objecto primario et secundario infra exponendo.

2° *Speculativa* et *practica. Speculativa* in sola rei contemplatione sistit, ut illa, quae circa Deum et res possibiles versatur. *Practica* ad operationem refertur, et versatur circa agenda vel vitanda[1].

3.° *Necessaria* et *libera. Prima* est, quae decretum Dei liberum praecedit, et respicit objecta, quae aliter se habere nequeunt, ut Deus et essentiae rerum. *Altera* subsequitur liberum Dei decretum, et respicit objecta quaecumque creata, praeterita, praesentia vel futura.

4.° *Scientia simplicis intelligentiae* et *visionis. Scientia simplicis intelligentiae* est cognitio eorum, quae nec fuerunt, nec sunt, nec erunt in rerum natura. Considerat quidditates rerum in statu merae possibilitatis, et est semper speculativa ac necessaria. *Scientia visionis* est cognitio eorum, quae vel fuerunt, vel sunt, vel erunt in aliqua temporis differentia.

His addunt plures *scientiam mediam,* cujus objectum dicunt esse futura conditionata libera, quae revera nunquam evenient, sed evenirent, si apponeretur conditio, a qua pendent. Sed de hac inferius.

5.° *Scientia approbationis* et *reprobationis.* Cognitio eorum, quae Deo placent, *scientia approbationis;* eorum, quae Deo displicent, *scientia reprobationis* nuncupatur. Hac scientiae distinctione intelligenda sunt ea loca S. Scripturae, in quibus Deus dicitur aliquid nescire. Plurima enim Deus nescit scientia approbationis, ut constat ex *Matlh.,* 7, 23.

§ 5

Proprietates scientiae Dei.

271. Ut scientiae divinae plenior habeatur notitia, proprietates ejus breviter hic explicandae sunt per remotionem imperfectionum, quas secum fert scientia nostra.

1) *Intellectio et intellectus in Deo non distinguuntur.* Intellectus distinctus a suo actu habet rationem potentiae et est rcducibilis ad actum. Sed intellectus divinus, cum sit actus purissimus et omnimode perfectus, non habet rationem potentiae nec est reducibilis ad actum. Ergo intellectio et intellectus in Deo sunt idem. Unde actus, quo Deus se ipsum et alia cognoscit, est aeque perfectus et infinitus ac ipsa ejus substantia.

2) *Intellectus Dei non est discursivus, sed unico et simplicissimo*

1 S. Thomas, *I p.,* <]. 14, a. 16, docet Deum habere de se ipso et de possibilibus scientiam speculativam tantum, de aliis rebus creatis scientiam speculativam et practicam.

actu omnia simul cognoscit. Ratio est, quia intellectus divinus est sine ulla potentialitate infinite perfectus, et simplicissimo intuitu omnia scrutatur, quin egeat ex uno conceptu alium deducere. Unde simplex Dei cognitio potest, juxta S. *Thomam* [1], nominari *intelligentia, scientia, sapientia, consilium* et *prudentia,* seclusis imperfectionibus, quas haec in homine important.

3) *Scientia Dei est omnino immutabilis.* Nulla siquidem potentialitate afficitur, sed est actus purissimus ipsaque divina substantia. Quod autem non est in potentia ad aliquid, mutari non potest.

4) *Scientia Dei est infallibilis.* Ratio est, quia, cum in Deo inveniatur tota intelligibilitas objectiva rerum, nihil, quantumvis minimum, latet divinum intellectum, sed omnia sunt nuda et aperta oculis Dei. Non solum substantias, sed etiam omnes earum circumstantias usque ad ultimas singularum differentias intuetur Deus, adeo ut nihil possit contingere in rerum natura, quod ipse non praeviderit. Ergo scientia Dei est infallibilis.

§ 6

An et quae scientia Dei sit causa rerum.

272. Status quaestionis. 1) Quoad praesens attinet, duplex est causarum species, *exemplaris* seu directiva et *efficiens.* Causa *exemplaris* praebet modum faciendi rem, et instar regulae dirigit operis exeeutionem secundum exemplar et formam, quam quis habet in mente, ut imago est causa exemplaris picturae. Causa *efficiens* producit aliquid in esse mediante actione seu influxu physico, ut homo est causa efficiens domus. Scientia Dei est proculdubio causa exemplaris rerum, sed dubitatur, an etiam sit causa earum efficiens [2].

2) Efficientia rerum potest considerari dupliciter: a) *in actu primo,* quatenus agens virtute continet effectum; b) *in actu secundo,* quatenus agens res in esse producit.

3) In memoriam revocanda est distinctio scientiae simplicis intelligentiae et visionis, quam dedimus superius. Facile deducitur ex S. *Thoma* scientiam simplicis intelligentiae esse causam productivam rerum in actu primo, quia expresse docet, *I p.,* q. 14, a. 16 ad 1, et q. 15, a. 3 ad 2, scientiam Dei esse causam quorumdam quidem *actu,* eorum scilicet, quae secundum aliquod tempus fiunt; quorumdam vero *virtute,* eorum nempe, quae potest facere et tamen nunquam facit.

His breviter praenotatis, quaeritur 1.° an scientia Dei, quatenus

1 *I p.,* q. 14, a. i ad 2.

2 Alonsis, */ p.,* q. 23, memb. 4. a. 1; S. Bonaveniura, *III Sent.,* dist. II, a. 1, q. 3; et Sootus, *I Sent.,* dist. 2, q. 2, *Quantum ad quartum,* dixerunt causam exemplarem reducendam esse ad efficientem, quia putarunt exemplar influere efficienter in effectum. In hac. sententia absolute dicendum foret scientiam Dei esse cau-un rorum, quia est exemplar earum Alii tamen cum Complutensibus, *Physic.,* disp. 0, q. 5. verius putant causam exemplarem esse formalem, et exinde manet difficultas, num scientia Dei sit causa efficiens rerum creatarum.

virtualiter distinguitur ab essentia, sit causa efficiens rerum in actu secundo; 2.° cuinam scientiae Dei competat haec causalitas rerum.

273. Placita theologorum. I Quoad 1.«m i) *Aliqui* dixerunt scientiam Dei esse solum causam directivam et efficientem in actu primo, non effectricem in actu secundo, vel etiam effectricem in actu secundo per modum *artis,* ostendendo modum, «pio res faciendae sunt. Ita *Suarez* 1 cum aliis.

2) *Alii* communius et verius docent scientiam Dei, quatenus habet adjunctam voluntatem, esse causam non solum directivam sed etiam effectricem omnium creaturarum in actu secundo. Ita omnes thomistae et plures extranei.

II. Quoad 2."" i) *Plures* docuerunt et docent scientiam simplicis intelligentiae, prout habet adjunctum decretum liberum divinae voluntatis, esse causam effectricem omnium rerum. Rem ita componunt. Scientia simplicis intelligentiae res primo intuetur ut habiles ad exsistendum, et est causa earum in actu primo. Deinde, cum accesserit voluntas rerum futuritionem et effectionem libere determinans, applicatur omnipotentia ad operandum, atque scientia simplicis intelligentiae dirigit opus, et est causa rerum in actu secundo. Scientia visionis subsequitur vel ad summum concomitatur (posterioritate tamen signi) determinationem voluntatis et consequentem rerum futuritionem seu effectionem, ac idcirco non est earum causa a.

2) *Thomistae* communiter volunt scientiam visionis, non qua visionis sed ut approbationis, esse in Deo causam efficientem rerum in actu secundo. Processum actuum intellectus et voluntatis hoc modo efformant. Scientia simplicis intelligentiae intuetur res ut pure possibiles, idoneas tamen ad exsistentiam recipiendam; accedit actus voluntatis, quae, intelligentia praelucente, libere decernit *secundum affectum* et in ordine intentionis, seu inchoative et in actu primo, rerum futuritionem (adhuc remanet scientia simplicis intelligentiae et rerum effectio in actu primo). Scientia, sequens hanc voluntatis selectionem, imperat creaturarum effectionem seu futuritionem absque subsidio aliarum potentiarum executricum (scientia'approbationis). Deinde res imperatas seu futuras contemplatur (scientia visionis). Scientia, quae sequitur actum voluntatis, habet duo munia: imperat rerum effectionem et vocatur scientia *approbationis:* res futuras contemplatur et dicitur *scientia visionis.*

274. Thesis **I. Scientia Dei, prout habet adjunctam voluntatem, est causa rerum non tantum directiva sed etiam efficiens.**

Arg. 1) *Pseudo-Dionysius* ait: «Divina sapientia ipsiusmet sapientiae atque omnis etiam mentis, rationis ac sensus principium et causa et procreatrix... est»2 Rursum: «Ipsa (divina notitia) secundum Scripturam est omnium effectrix» 4. S. *Augustinus:* «Nos itaque ista, quae fecisti, videmus, quia sunt; tu autem quia vides ea, sunt» 5. Ite-

1 «Ut scientia sit practica, ait Suarez, ... nccesse non est, ut a sciente applicetur ad opus, sed satis est, quod de se directiva et regulativa sit operis, quatenus est de re operabili, ut talis est, id est, modo operabili, seu ostendendo modum, quo res facienda est, si artifex voluerit... Ex dictis constat scientiam Dei... concurrere ad rerum effectionem duobus modis praedictis; *primo* per modum prudentiae, nam scientia illa non operatur nisi per voluntatem... *deinde* post voluntatis determinationem dirigit actionem per modum artis, ostendens modum, quo res faciendae sunt». *De attrib. Dei pos.,* lib. 3, c. 4, nn. 12 et 14.

2 Cfr. Tanner, *Theol. schol:.* t. I, disp. 2, q. 8, dub. io; Franzelin, *De Deo uno* th. 40; San, *De Deo uno,* n. 229; Urraburu, *Theod.,* disp. 4, c. 1, a. 4.

3 *De div. nom.,* c. 7, § 2; MG 3, 868.

1 *De div. noni.,* c. 7, § 3: MG 3, 872.

6 *Confess.,* lib. 13, c. 38; ML 32, 868.

rum: «Universas autem creaturas suas, et spirituales et corporales, non quia sunt, ideo novit Deus, sed ideo sunt, quia novit»[1].

2) S. *Thomas* ait: «Sicut est causalitas artificis per artem suam, ita consideranda est causalitas divinae scientiae. Est ergo iste processus in productione artificiati. *Primo,* scientia artificis ostendit finem. *Secundo,* voluntas ejus intendit finem illum. *Tertio,* voluntas imperat (radicaliter)[2] actum; per quem educatur opus; circa quod opus scientia artificis ponit formam conceptam»[3].

3) Deus producit res efficienter per imperium. Imperium autem, cum sit ordinatio quaedam seu dictio, intimatio atque praeceptum, est actus intellectus, ut probat S. *Thomas*[4]. Ergo.

Diximus *prout habet adjunctam voluntatem,* quia scientia Dei per se est indifferens ad operandum vel non operandum, et indiget decreto liberae voluntatis, ut determinetur.

Dices. Ex hoc sequitur res creatas necessario exsistere ab aeterno, quia scientia Dei, decreto voluntatis firmata, est ab aeterno in actu secundo, et posita causa in actu secundo, necessario producitur effectus.

Resp.—Neg. conseq. Ad probationem dicendum est scientiam Dei et decretum divinae voluntatis esse quidem ab aeterno, sed per ipsum decretum, quo decernitur rerum futuritio, determinantur circumstantiae temporis, loci, etc., quibus producuntur.

275. Thesis II. 1) Scientia simplicis intelligentiae est causa rerum in ordine intentionis et in actu primo; 2) scientia visionis, non quatenus «visionis», quae res futuras contemplatur, sed quatenus «approbationis», quae imperat rerum productionem, est causa efficiens rerum in actu secundo.

Pars 1.a

Arg. Scientia simplicis intelligentiae intuetur res possibiles et aptas ad exsistendum, et cognoscit proponitque voluntati media ad rerum productionem idonea, movendo sic voluntatem quoad specificationem ad ea seligenda. Ergo scientia simplicis intelligentiae est causa rerum in ordine intentionis et in actu primo.

Pars 2.a

Arg. 1) S. *Thomas* ait: «Scientia Dei est tantum exsistentium in praesenti, praeterito vel futuro; scilicet secundum quod scientia ordinatur ad opus, quod facit voluntas»[5]. Sed scientia Dei, quae versatur circa exsistentes in praesenti, praeterito vel futuro, est scientia *visionis.* Ergo.

2) Scientia Dei est causa rerum, quatenus supponit liberam determinationem divinae voluntatis. Sed scientia Dei supponens liberam determinationem divinae voluntatis est scientia visionis. Ergo.

1 *De Trinit.,* lib. 15, c. 13; ML 42, 1076.

2 Voluntas dicitur imperare praesuppositive et radicaliter tantum, quatenus movet intellectum.

3 *I Sent.,* dist. 38, q. 1, a. 1, «Sciendum».

4 *I-II,* q. 17, a. 1.

5 *De veritate,* q. 2, a. 13.

Diximus *non quatenus visionis sed quatenus approbationis,* quia scientia visionis habet duo munia: a) post determinationem voluntatis imperat executive effectionem rerum decretarum affective a voluntate, et vocatur scientia *approbationis;* b) imperata ac efficienda contemplatur, et dicitur scientia *visionis.*

Omnia paucis dicamus. 1) Scientia simplicis intelligentiae contemplatur res in statu possibilitatis ut aptas ad exsistendum, et cognoscit media, quibus creaturae produci queunt. 2) Repraesentat voluntati idoneitatem rerum eafnque movet quoad specificationem, ut se determinet. Hoc sensu dicitur et est causa rerum in actu primo; adhuc tamen est indifferens et versatur circa possibilia, quia nondum est determinata rerum futuritio nisi radicaliter et inchoative. 3) Accedit decretum liberum divinae voluntatis se determinantis in ordine intentionis et secundum affectum. Hoc decretum est per se efficax in ordine intentionis, non in ordine exsecutionis, quia non sufficit, ut voluntas velit, sed requiritur operis exsecutio. 4) Cognitio, sequens hanc voluntatis determinationem, imperat rei effectionem et dirigit exsecutionem (vocatur scientia approbationis). 5) Actus intellectus contemplantis objectum futurum est scientia visionis\

«Sequitur, quod hoc ipsum, ait *Angelicus,* quod ratio movet imperando, sit ei ex virtute voluntatis. Unde relinquitur, quod imperare sit actus rationis, praesupposito actu voluntatis, in cujus virtute ratio movet per imperium ad exercitium actus» 23 Rursum: «Scientia Dei, / *p.,* q. 14, a. 8, secundum quod est causa rerum, consuevit nominari *scientia approbationis·/).*

276. Corollaria. 1) Scientia Dei, quatenus imperat rerum effectionem et vocatur *scientia approbationis,* praecedit prioritate naturae et causalitatis rerum futuritionem; quatenus contemplatur objecta futura et est *scientia visionis,* succedit rerum futuritionem.

2) Vere dicimus res ideo esse, quia a Deo cognoscuntur; minus proprie et ratione consequentiae adseritur res a Deo sciri, quia sunt.

SS. Patres utrumque saepe adserunt, et molinistae nobis adversantur in hac materia. Magis tamen fundata videtur sententia, quae dicit SS. Patres exprimentes nostram formulam litteraliter et in sensu causali esse intelligendos, alios vero benigne interpretandos.

S. *Augustinus* diserte ait: «Non enim haec, quae creata sunt, ideo sciuntur a Deo, quia facta sunt; ac non potius ideo facta sunt vel mutabilia, quia immutabiliter ab eo sciuntur»®.—«Universas creaturas suas, et spirituales et corporales, non quia sunt, ideo novit, sed ideo sunt, quia novit... Quia ergo scivit, creavit; non quia creavit, scivit»4.

S. *Thomas,* fatentibus *Vazquez* et *Kleutgen5,* expressius hanc in-

1 Cfr. Salmantioenses, *De scientia Dei,* disp. 5, dub. 2; Joannes a S. Thoma, disp. 18, a. 3: Gonet, tr. 3, disp. 3, a. *2;* Joannes a S. Mioh., *Curs. theol.,* t. 2, tr. I, disp. 2, q. 2.

2 *I-II,* q. 17, a. I.

3 *De Trinitate,* lib. 6, c. 10; ML 42, 931.

4 *De Trinitate,* lib. 15, c. 13; ML 42, 1076. Cfr. S. Gregorius M., *Morat.,* lib. 20, c. 32, n. 63; ML 76, 175; Boetius. *De Consol .* lib. 5, prosa 3; ML 63. 839.

5 Vazquez, *In I p.,* disp. 68, c. 6; Kleutgon, *De ipso Deo,* n. 511.

terpretationem sequutus est, cum exponens verba *Origenis* ait: «Origenes locutus est attendens rationem scientiae, cui non competit ratio causalitatis nisi adjuncta voluntate..., sed quod dicit ideo praescire Deum aliqua, quia sunt futura, intelligendum est secundum causam consequentiae, non secundum causam essendi. Sequitur enim, si aliqua sunt futura, quod Deus ea praescierit, non tamen res futurae sunt causa, quod Deus sciat» [1].

His addi potest SS. Patres, quando dicunt Deum scire res, quia futura sunt, saepe loqui de peccatis, ut *Paulus a Conceptione*[2] recte animadvertit de SS. *Damasceno, Beda* et aliis.

ARTICULUS II

DE OBJECTO SCIENTIAE DIVINAE

§ 1

Utrum Deus se et alia a se cuncta cognoscat.

277. Status quaestionis. Quaerimus, an Deus se et alia a se cognoscat cognitione perfecta, distincta et quae attingat omnes rerum rationes usque ad ultimas differentias.

278. Errores, i) *Pantheistae* docuerunt Deum, producendo ex se mundum, adeptum esse sui cognitionem, ac proinde dependenter a mundo, et imperfecte se cognoscere.

2) *Avicenna* (f 1037) et *Averroès* (f 1198) [3]dixerunt res creatas indistincte tantum et confuse contineri in prima causa, Deumque alia a se in genere tantum non singillatim et distincte cognoscere.

3) *Maimonides,* philosophus judaeus in Hispania (t 1204), defendit Deum non cognoscere nisi se ipsum et actiones humanas.

Opinio. *Ockam* et *Biti* [4] contenderunt ratione naturali non posse evidenter probari Deum alia a se distincte et singillatim cognoscere.

279. Thesis **I. Deus non solum cognoscit sed etiam comprehendit se ipsum.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura,* a) Deus cognoscit se. Nam *quae Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei* [5].—*Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius et cui voluerit Filius revelare*[6].

1 */ p.,* q. 14, a. 8 ad 1. Cfr. *De veritate.,* q. 2, a. 14; et *in* Boët., *De Cotisai.,* prosa 4.

2 Tract. 3, disp. 2, n. 54.

3 *In nictaphys.,* lib. 12, comm. 51; et *Destructio destruet.,* disp. 13, dub. 2. Eumdeni errorem Vazquez, *lu I p.,* disp. 87, c. 1; Petavius, *De Deo,* lib. 4, c. 3; Horice, tr. 1, disp. 6, n. 99, et aliqui SS. PP. Aristoteli tribuerunt ex eo quod lib. 11 *Melaphys..* dixerit Deuin non intelligere alia a se sed semetipsum. Attamen S. Thomas, *I Sent.,* dist. 35, q. 1, a. 2; Suarez, *Metaphys.,* disp. 30, sect. 15, n. 41 sqq., et alii Philosophum ab errore vindicant dicentes eum in praefato loco agere de objecto principali intellectus divini.

4 Ockam, */ Sent ,* dist. 35, q 2, a 1; Biol, */ Sent.,* dist. 35, q. 2, a 2, conci. 2.

6 *l Cor.,* 2, 11.

9 *Matlh.,* 11, 27.

b) Deus comprehendit se: *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei* [1].

2) Filius Dei est Verbum productum a Patre per cognitionem sui ipsius, quia, ut ait S. *Augustinus,* «tanquam se ipsum dicens Pater genuit Verbum sibi aequide per omnia» [2]. Ergo Pater se ipsum cognoscit.

3) *Ex ratione.* Intellectus Dei est infinite cognoscitivus et essentia divina perfectissime cognoscibilis, cognoscens nimirum et cognoscibile sunt actus ex utraque parte purissimi et adaequate sibi conjuncti. Sed intellectus hujusmodi, cum fecundatur objecto purissimo et adaequato, illico profert intellectionem objectumque conceptum parit. Ergo intellectus divinus Deum semper sibi praesentem necessario intelligit ac comprehendit.

Dices. Juxta S. *Augustinum* «quod se comprehendit, finitum est sibi» [3]. Sed Deus non est finitus sibi. Ergo Deus non se comprehendit.

Resp. Cum *S. Thoma:* «Cum dicitur *Deus finitus est sibi,* intelligèndum est secundum quamdam similitudinem proportionis; quia sic se habet in non excedendo intellectum suum, sicut se habet aliquid finitum in non excedendo intellectum finitum. Non autem sic dicitur Deus sibi finitus, quod ipse intelligat se esse aliquid finitum» [4].

280. Thesis **II. Deus alia a se cuncta, sive praeterita, sive praesentia, sive futura, et etiam possibilia, quantumvis vilia et occulta, non tantum in communi, sed distincte, singillatim et usque ad ultimas differentias perfecte intelligit ac comprehendit.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura,* a) In Veteri Testamento Esther invocat Deum, qui habet *omnium scientiam* [5]; Psalmista laudat Dominum, quia cognovit *omnia novissima et antiqua* [6]; et Job affirmat nihil Deum celari posse [7]. b) In Novo Testamento: *Vivus est enim sermo Dei... et discretor cogitationum et intentionum cordis.—Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus* [8].

2) *Ex ratione,* a) Qui se ipsum plene intelligit ac comprehendit, virtutem propriam optime cernit atque comprehendit; et qui virtutem propriam comprehendit, perfecte noscit ea, ad quae talis virtus extenditur. Sed Deus perfecte se intelligit ac comprehendit, et virtus ejus extenditur distincte et singillatim ad omnia, praeterita, praesentia et futura, imo et ad possibilia. Ergo Deus alia a se distincte, singillatim et usque ad ultimas differentias cuncta cognoscit atque comprehendit.

b) Scientia Dei tam late patet quam ejus causalitas exemplaris vel efficiens. Sed causalitas Dei, tam exemplaris quam efficiens, ad omnia, etiam ad rationes particulares substantiales et accidentales

1 *I Cor.,* 2, 10.
2 De *Trinitate,* lib. 15, c. 14, n. 23; ML 42, 1076.
3 De *diversis quaest.,* 83, q. 15; ML 40. 14.
4 *I P.,* q. 14, a. 3 ad 2.
5 *Esth.,* 14, 14.
6 *Ps.* 138, 5.
7 *Job,* 13. 9.
8 *Hebr.,* 4, 12 et 13.

rerum, imo et ad ipsa possibilia se extendit; cuncta quippe exsistunt vel sunt possibilia ob virtutem creatricem omnipotentis. Ergo [1].

Objicies. S. *Hieronymus* ait: «Absurdum est ad hoc Dei ducere majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotve moriantur» [2]. Ergo.

Resp. S. Doctor loco citato agit, ut communiter docent theologi contra *Vazquez* [3], non de cognitione intellectuali, sed de providentia, quae, etsi ad omnia pertingat, de minutissimis animalibus non est tam specialis ac sollicita quam de hominibus. Hunc esse verborum sensum luculentius explicat ipse *Hieronymus* dicens: «Non simus fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ejus etiam ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus, eamdem rationabilium quam irrationabilium providentiam esse dicentes» [4].*

381. Corollaria. 1) *Deus cognoscit mala, etiam moralia, cognoscendo bona.* Ad rem Psalmista: *Deus, tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita* [5]. Rationem adsignat Angelicus his verbis: «Quicumque perfecte cognoscit aliquid, oportet, quod cognoscat omnia, quae possunt illi accidere. Sunt autem quaedam bona, quibus accidere potest, ut per mala corrumpantur. Unde Deus non perfecte cognosceret bona, nisi etiam cognosceret mala. Sic autem est cognoscibile unumquodque, secundum quod est; unde, cum hoc sit esse mali, quod est privatio boni, per hoc ipsum, quod Deus cognoscit bona, cognoscit etiam mala, sicut per lucem cognoscuntur tenebrae» [6].

2) *Deus cognoscit cogitationes et allectus hominum, seu secreta cordium.* Ait Dominus: *Scio enim cogitationes ejus, quae facturus est hodie* [7]. Psalmista: *Scrutans corda et renes, Deus* [8]. Cor et renes sunt sedes cogitationum et servant secreta hominum, ut saepe nos docent commentatores. Ergo. Ratio est, quia Deus penetrat intellectum et voluntatem hominum, quae sunt organa cogitationum et affectuum.

3) *Deus habet scientiam non entium.* Ad rem Apostolus: *Qui* (Deus)... *vocat ea, quae non sunt, tanquam ea, quae sunt* [9]. Et *Angelicus:* «Ea vero, quae non sunt actu, sunt in potentia vel ipsius Dei vel creaturae; sive in potentia activa sive in passiva; sive in potentia opinandi, vel imaginandi, vel quocumque modo significandi. Quaecumque igitur possunt per creaturam fieri, vel cogitari, vel dici, et etiam quaecumque ipse facere potest, omnia cognoscit Deus, etiamsi actu non sint» [10].

4) *Deus cognoscit universalia et singularia,* quia, cum scientia Dei sit causa rerum quantum ad formam, a qua provenit ratio universalis, et quantum ad materiam, a qua res individuantur, necesse est, ut cuncta universalia et singularia a Deo cognoscantur.

1 Cfr. Bachonus, *In I Sent.,* q. I, a. 2.
2 *In Habacuc,* I, 14; ML 25, 1286.
3 *In I p.,* q. 14, a. 6, notationes.
4 *In Habacuc,* i, 14; ML 25, 1286.
5 *Ps.* 68. 6.
6 *I p.,* q. 14, a. 10.
7 *Deut.,* 31, 21.
8 *Ps.* 7, 10.
9 *Rom.,* 4, 17.
10 *I P.,* q. 14, a. 9.

§ 2

Quodnam' sit objectum primarium scientiae Dei.

282. Status quaestionis. 1) Objectum scientiae potest esse *primarium* vel *secundarium.* Objectum *primarium,* quod et *formale* satis bene nuncupatur, est illud, quod per se primo attingitur a scientia 1; sic objectum primarium theologiae est ipse Deus sub ratione deitatis, quia sub hoc respectu theologia attingit Deum. Objectum *secundarium,* quod etiam *materiale* dici potest, est illud, quod sub ratione et respectu primarii attingitur; quare res omnes creatae, quatenus ordinem dicunt ad Deum, sunt objectum secundarium theologiae.

2) Certum est intellectionem divinam habere suum objectum primarium, sed, quale illud sit, nunc breviter explicare fert animus.

283. Placita theologorum, i) *Quidam antiqui* censuerunt ens ut sic, quatenus analogice commune est Deo et creaturis, esse objectum primarium divinae intellectionis. Ita *Durandus* .*

2) *Alii* dicunt essentiam divinam cognosci quidem ab intellectu Dei, sed non esse objectum intellectionis, quia intellectio Dei non distinguitur virtualiter ab essentia et caret ordine transcendental! ad eamdem. Sic *Herice* 3.

3) *A Hi* communiter docent cum S. *Thoma*45 ens increatum, nempe Deum, esse objectum primarium divinae cognitionis.' Sed patroni hujus sententiae iterum dividuntur in adsignanda ratione propria objecti primarii intra ipsum Deum: a) *Nonnulli* tenent ens increatum, prout ambit essentiam, attributa et relationes esse objectum primarium scientiae divinae. Sic *Ockam* 67cum aliis, b) *AHi* volunt solam essentiam esse objectum motivum, ens vero divinum complectens essentiam, attributa et relationes esse objectum terminativum intellectionis. Ita *Serra, Ferre* 6 et alii, c) *Plures* contendunt solam essentiam divinam, ab attributis et relationibus virtualiter distinctam, esse,,objectum primarium tam motivum quam terminativum scientiae Dei. Ita plerumque thomistae et extranei non pauci ’.

284. Thesis. **Solus Deus et in eo essentia dumtaxat, ut virtualiter distincta ab attributis et relationibus, est objectum primarium divinae scientiae. Omnia cognoscibilia extra Deum sunt objectum secundarium divinae cognitionis.**

Pars 1.a Objectum primarium est solus Deus.

Arg. 1) S. *Thomas* ait: «Ex praemissis autem apparet, quod Deus primo et per se solum se ipsum cognoscit» 8.

2) *Ex ratione.* Quaelibet cognitio, etiam divina, sicut et facultas

1 Cfr. Laurentius a S. Theresia, *Spicii, theol.,* t. 2, p, 4, controv. 3, n. 37.
2 *J Sent.,* dist. 35, q. 1, n. 9.
3 *In I p.,* tr. i, disp. 4. c. 1; et disp. 5, c. 4.
4 *Contr. Gent.,* lib. 1, c. 48.
5 *In I Sent.,* dist. 35, q. 3, «Et si quaeratur».
° Serra, *In I p.,* q. 14, a. 2; Ferre, q. 2, § 2.
7 Cfr. Salmanticonscs, *De scientia Dei,* disp. 3, dub. *2;* Laurentius a S. Th., *Spicii, theol.,* t. 2, controv. 3, § 4: Billuart, *De Deo,* diss 5, a. *2,* § 2.
8 *Contra Gentiles,* lib. 1, c. 48, in principio.

illam eliciens, specificatur àb objecto primario h Sed intellectio divina, utpote infinita, non a creaturis, sed a solo Deo specificari potest. Ergo 2.

Dices. Objectum non specificat intrinsece sed extrinsece tantum intellectionem. Sed nihil obstat, quominus res creatae specificent extrinsece intellectionem divinam. Ergo.

Resp. I.—Neg. maj. Objectum, quatenus continetur in specie impressa et expressa, operatur intrinsece in specificationem cognitionis. Species quippe, quae est intentionaliter ipsum objectum, intrinsece agit in cognitionem, specificando eam per modum mensurae nobilitantis.

II. Licet objectum extrinsece. tantum ageret in cognitionem, non sequeretur consequentia; quia cognitio semper dicit relationem realem transcendentalem ad suum objectum primarium. Repugnat autem cognitionem divinam transcendentaliter referri ad creaturas.

Pars 2.a Sola essentia divina, virtualiter distincta ab attributis et relationibus, est in Deo objectum primarium scientiae.

Arg. 1) «Ipsum intelligere, ait S. *Thomas,* non specificatur per id, quod in alio intelligitur, sed per principale intellectum, in quo alia intelliguntur. In tantum enim ipsum intelligere specificatur per objectum suum, in quantum forma intelligibilis est principium intellectionis. Nam omnis operatio specificatur per formam, quae est principium operationis, sicut calefactio per calorem. Unde per illam formam intelligibilem specificatur intellectualis operatio, quae facit intellectiim in actu. Et haec est species principalis intellectui, quae in Deo nihil est aliud quam essentia sua» 3.

2) *Ex ratione.* Essentia divina, sicut se habet in rerum natura, ita se exhibet intellectui in intellectione. Sed essentia Dei est in re primum ens et prima radix omnium attributorum et relationum. Ergo essentia Dei est objectum, quod primo et per se attingitur in intellectione.

Objicies. Objectum primarium divinae voluntatis est ens divinum, prout ambit essentiam, attributa et relationes. Ergo a pari objectum primarium intellectionis divinae est ens divinum complectens essentiam, attributa et relationes.

Resp. Cone. ant. et neg. conseq. Disparitas est, quia voluntas tendit in objectum, prout est in esse rei, et amat totam ejus bonitatem, praescindendo, num unum sit ratio alterius. Consequenter objectum primarium divinae voluntatis est totum ens increatum, complectens essentiam, attributa et relationes. Sed intellectus respicit suum objectum intentionaliter apprehensum, et attendit formalitatem objecti primarii penes prioritatem rationum, quas considerat per ordinem in re. Unde, licet essentia divina, attributa et relationes sint idem realiter, essentia tamen est radix et ratio primaria attributorum et relationum ac terminat actionem intellectus.

Scholion. Quaeres, an attributa et relationes Dei pertineant ad objectum secundarium scientiae divinae.

Resp. Non defuerunt, qui haec relegarent ad objectum secundarium intellectionis divinae; sed huic opinioni adsentire non possum,

Cfr. Posoh, *De Deo uno,* n. 217.

S. Thom#· egregie exponit hunc rationem. *Gonii Geni.,* lib i, c. 48.

/ f> ı 'I 'b ll 5 f<l l

quia attributa et relationes in Deo identificantur cum objecto primario et eadem habent simplicem veritatem cum essentia. Crediderim potius attributa et relationes Dei esse affectiones et modos quosdam intrinsecos objecti primarii scientiae divinae [1].

Pars 3.a Omnia cognoscibilia extra Deum sunt objectum secundarium divinae cognitionis.

Arg. Intellectus Dei conspicit omnes creaturas, quatenus important habitudinem ad objectum primarium intellectionis divinae et dependent ab omnipotentia ut a causa prima. Ergo creaturae omnes sunt objectum secundarium divinae cognitionis.

§ 3

Utrum Deus certo cognoscat omnia futura absoluta, tum necessaria tum contingentia, etiam libera.

285. Status quaestionis. Innuimus superius n. 280 Deum cognoscere alia a se, praeterita, praesentia et futura, sed quia futura offerunt specialem difficultatem, opus est iterum de ipsis sermonem instituere.

I. Quid sit futurum. Futurum recte definitur: *Id quod est determinatum in suis causis ad habendam exsistentiam in tempore sequenti.* Futurum non est, ut minus accurate dixit *Suarez*[2], id, quod erit in tempore sequenti, sed id, quod determinatum est in suis causis ad exsistendum.

Deum futura facere, nihil aliud est, juxta S. *Augustinum,* quam eorum causas praeparare[3,4] Unde ad rationem futuri non pertinet, quod res de facto sit exstitura. Res de facto eveniunt, non ex eo quod sint futura, sed quia Deus, qui est earum futuritionis causa, infallibiliter producit, quae semel determinavit. Hoc adeo verum est, ut si per impossibile frustraretur decretum Dei determinantis, nihilominus id, quod determinatum fuit, vere futurum fuisset, dum se subjacebat decreto Dei et e contra, si per impossibile inciperet nunc aliquid esse quasi casu et nullo praecedenti Dei decreto, illud nunquam fuisset futurum. Ad rem apposite S. *Thomas:* «Illud, quod nunc est, ex eo futurum fuit, antequam esset, quia in causa sua erat, ut fieret. Unde sublata causa non esset futurum illud fieri. Sola autem causa prima est aeterna. Unde ex hoc non sequitur, quod ea, quae sunt, semper fuerit verum ea esse futura, nisi quatenus in causa sempiterna fuit» [5].

1 Cfr. Salmanticenses, *De scientia Dei,* disp. 3, nn. 15, 34, 35.
2 *De scientia Dei fut. canting.,* lib. 1, c. 8, n. 8.
3 *De Genesi ad litteram,* lib. 6, c. 17; ML 34, 350.
4 Cfr. S. Thomas, ***I** p.,* q. 19, a. 7 ad 2.
5 *I p.,* q. 16, a: 7 ad 3. idem dicit */ p.,* q. 19, a. 7 ad 2; et *De veritate,* q. 12, a. 10 ad 7. Duplex futurum ac proinde duplicem futuritionem admittunt fere communiter molinistae, unam *causalem,* alteram *formalem.* Futuritio *causalis* est dispositio ac praeparatio causarum ad effectum futurum; *formalis* est ipsa rerum exsistentia in se considerata pro tempore venturo Unde futura spectari possunt vel.

286. II. Divisio. 1) Futurum est duplex, aliud *necessarium,* aliud *contingens.* Futurum *necessarium* dicitur, quod in suis causis necessariis determinatum est ad exsistendum, ut crastinus ortus solis. *Contingens* est, quod dependet a causis non necessariis. Quod si dependet a causa libera, ut id, quod facturus est Petrus die crastina, dicitur proprie contingens; si a causa intrinsece necessaria et ab extrinseco impedibili, ut longaevitas in temperamento robusto, est contingens minus proprie 1.

2) Futurum *contingens* dividitur in *absolutum* et *condilionatum. Absolutum* est, quod a nulla pendet conditione, ut *Petrus negabit Christum,* vel pendet a conditione revera ponenda, ut *si Petrus respiciat Christum, poenitentiam aget* -. *Condilionatum* est, quod pendet a conditione nunquam ponenda, ut *Tyrii et Sidonii, si audierint Evangelium, convertentur ad fidem.*

3) Futurum *condilionatum* subdividitur in *connexum* (quod etiam *pertinens* vocatur) et *disparatum* (quod et *impertinens* in scholis audit). *Connexum* est, quod pendet a conditione, cum qua habet aliquam connexionem, sive physicam, sive moralem, sive conjecturalem; ut, *si ignis applicetur stupae, comburet* (connexio physica); *si Tyrii Evangelium audierint, convertentur* (connexio moralis); *si Petrus mendicus invitatus fuerit ad prandium, accedet* (connexio conjecturalis). *Disparatum* est, quod nullam habet connexionem cum conditione, a qua pendet, ut, *si Petrus dormiat, turea convertetur.*

287. III. Quaestio dilucidanda. 1.) Facile conceditur futura necessaria esse Deo certissime nota. His enim aptavit Deus causas necessarias, quae a creaturis impediri non valent. Aptando autem causas necessarias, certo cognoscit in eis effectus.

2) De cognitione Dei circa futura contingentia absoluta disserendum est in praesenti. Porro futura contingentia absoluta possunt esse, ut modo innuimus, in duplici differentia, a) *Quaedam* sunt ab intrinseco determinata ad unum, sed possunt ab alia causa secunda impediri, ut 2

ut contenta in suis causis praeparatis ad operationem, vel ut exstitura in se ipsis tempore sequenti: i) Futura *causalia,* seu ut contenta in suis causis praeparatis ad operationem, constituuntur decreto Dei, efficaci quidem, si continentur in causis necessariis vel contingentibus non liberis, indifferenti vero concurrendi cum causis secundis ad eventus futuros, si continentur in causis creatis liberis. Cfr. Herice, *tn l p.,* tr i, disp. 7, nn. 1-2. 2) Futura *formalia,* seu considerata in se ipsis ut exstitura in tempore sequenti, non constituuntur decreto Dei, sed ex se ipsis per conformitatem rcalitati objectivae aliquando futurae, et duo important: non esse nunc et esse postea; nunc nihil sunt, sed erunt. Cfr. Urraburu, *Theodicea,* disp. 4, nn. 69-74.

Thomistae nolunt admittere hanc duplicem rerum futuritionem, sed solummodo causalem. Et revera, difficulter concipitur futuritio formalis eorum, quae non sunt; formalitas enim accipitur a forma reali et consequitur exsistentiam.

1 Cfr. Suarez, De *scientia Dei fut. canting.,* lib. 1, c. 1. n. 1. Futura dicuntur necessaria vel libera respectu causarum secundarum. Omne quidem futurum est determinatum a Deo, a quo oritur rerum futuritio, sed quibusdam aptavit Deus causas necessarias et aliis contingentes, a quibus res producentur necessario vel contingenter.

2 Futurum, quod dependet a conditione ponenda, apparenter solum et verbotenus est condilionatum, in se revera absolutum.

fructus arboris, licet sit a sua causa determinatus, non semel impeditur a gelu vel grandine [1]. b) *Alia* dependent a causis liberis, ut crastina deambulatio Petri.

De futuris contingentibus liberis occurrit dubium: si Deus ea certo cognoscit, corruit libertas hominis; si homo libere ea exsequitur, corruit infallibilitas scientiae Dei. En difficultas, pro cujus solutione quaerimus, utrum Deus certo cognoscat futura contingentia libera.

288. Errores, 1) S. *Bonaventura, Vazquez, Suarez* [2] et alii dicunt *Aristotelem* [3] docuisse Deum non cognoscere futura contingentia, sed alii merito excusant ab errore Philosophum, qui solum dixit propositiones singulares de futuris contingentibus non habere determinatam veritatem vel falsitatem.

2) *Tullius* [4] putabat unum esse eligendum e duobus: aut esse aliquid in nostra voluntate, aut esse in Deo praescientiam futurorum; et volens homini tribuere libertatem, negavit Deo cognitionem futurorum [5]. *Ciceronem* partim sequuti sunt *marcionitae,* qui dixerunt Deum non praevidisse peccatum Adae [6].

3) *Sociniani* dixerunt futura contingentia non habere esse determinatum nec veritatem objectivam, atque ideo ea non esse Deo nota nisi conjecturaliter [7].

4) *Sixtus IV* jussit *Petro de Rivo* ejurare hanc propositionem: «Deus non habet notitiam certam seu judicativam de significato, quod importat propositio fidei de futuro ex sua natura et modo enuntiandi».

289. Thesis. **Dogma catholicum est Deum certo cognoscere omnia futura absoluta contingentia, etiam libera.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura,* a) *Futura in genere.* Dominus ait per Isaiam: *Ego sum Deus... annuntians ab exordio novissimum, et ab initio, quae necdum facta sunt* [8]. Daniel orat Deum dicens: *Deus aeterne... qui nosti omnia, antequam fiant* [9].

b) *Futura libera.* Dominus dixit Moysi: *Ego scio, quod non dimittet vos rex Aegypti, ut eatis, nisi per manum validam* [10]. S. Joannes: *Sciebat enim ab initio Jesus, qui essent non credentes, et quis traditurus esset eum* [11].

2) *Ex SS. Patribus.* *Tertullianus:* «Idoneum opinor testimonium divinitatis veritas divinationis» [12]. Rursus: «De praescientia vero quid dicam, quae tantos habet testes, quantos fecit prophetas?» [13]. S. *Hieronymus:* «Cui praescientiam tollis, aufers et divinitatem» [14]. S. *Augu-*

1 Loquendo de his futuris dicit Angelicus, *De veritate,* q. 2, a. 12 ad 9, Deum scire aliquid esse futurum, quod nunquam erit.

2 S. Bonaventura, *I Sent.,* dist. 38, a. 2, q. 1; Vazquez, *In 1 p.,* disp. 64, c. 1, n. 3; Suarez, *De scientia Dei fut. conting.,* lib. I, c. 2, nn. 10-12.

3 *De interpretatione,* lib. 1, c. 8.

4 *De divinatione,* lib. 2, n. 7 sqq.

5 Cfr. S. Augustinus, *De civ. Dei,* lib 5, c. 9, n. 2; ML 41, 150.

6 Cfr. Tertullianus, *Adv. Marcion.,* lib. 2, n. 5; ML 2, 316.

7 Apud Janssens, *De Deo uno,* q. 14, a. 13 (pag. 87).

8 *Is.,* 46, 9-10.

9 *Dan.,* 13, 42.

10 *Ex.,* 3, 19.

11 *Joan.,* 6, 65.

12 *Apol.,* c. 20; ML 1, 449.

13 *Adv. Marcion.,* 2, 5; ML 2, 316.

14 *Dial. adv. Pelag.,* lib. 3, n. 6; ML 23, 60.

stinus: «Confiteri esse Deum et negare praescium futurorum apertissima insania est» λ

3) *Ex Concilio Vaticano,* quod ait: «Omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus (Dei); ea etiam, quae libera creaturarum actione futura sunt» 2.

4) *Ex ratione,* a) Dominus, cum sit judex hominum, cognoscere debet actiones eorum liberas. Sed Deus non potest actiones hominum liberas cognoscere in tempore, quia novam perfectionem acquirere non valet. Ergo cognoscit ab aeterno futura libera.

b) Omnia futura contingentia etiam libera sunt praesentia Deo in aeternitate. Sed Deus cognoscit omnia, quae sunt sibi praesentia. Ergo.

c) Scientia Dei, quatenus connotât voluntatem, est causa futuritionis omnium rerum etiam contingentium liberorum. Ergo Deus cognoscit omnia futura contingentia libera.

Solvuntur difficultates.

290. Obj. 1.° Deus loquitur interdum de futuris contingentibus sub particulis *forte, tortasse, Iere, circiter,* etc., ut constat ex *Jerem.,* 26, 3; *Ezech.,* 2, 7, etc. Ergo Deus non habet scientiam certam de futuris contingentibus.

Resp. Hoc modo loquendi usus est aliquando hagiographus, non ut negaret Deo certam scientiam de futuris, sed ut se accommodaret ingenio humano, quaerendo semper, etiam in modo loquendi,hominum instructionem et salutem, ut notant S. *Hieronymus* et S. *Gregorius* in loca citata.

Obj. 2.° Referuntur in libris sacris vaticinia a Deo facta, quae penitus effectu caruerunt, ut illa de morte Ezechiae *(Is.,* 38) et de subversione Ninive *(Jon.,* 3). Ergo.

Resp. Vaticinia a Deo facta, quae effectu caruerunt. fuerunt explicite vel implicite conditionata. Haec autem, quamvis vera sint, si conditio non impleatur, effectu carent, ut optime explicat S. *Joannes a Cruce* 3.

Obj. 3. Cognitio futurorum contingentium est fallibilis, quia versatur circa objectum fallibile. Sed cognitio fallibilis non est Deo tribuenda. Ergo.

Resp.—Dist. maj. Cognitio conjecturalis, quam nos habemus de futuris contingentibus, est fallibilis, conc.; cognitio, quam Deus habet de futuris etiam liberis sibi praesentibus, neg. Deus ita infallibiliter penetrat futura contingentia, ut sciat non modo eorum essentiam sed etiam modum, quo futura sunt; scrutatur quoque humanam voluntatem et scit quid sit infallibiliter eventurum 4.

Obj. 4. Scientia semper est de necessariis, ut philosophi docent. Sed futura contingentia non sunt necessaria. Ergo.

Resp. Dist. maj. Scientia est de necessariis absolute vel hypothetice, cone.; semper de necessariis absolute, neg. Futura autem contingentia, non secus ac exsistentia, habent suam necessitatem. Sicut enim exsistentia, quamvis non sint absolute necessaria, supposito tamen quod exsistant, quandiu sunt, necesse est esse, ita a pari futura contingentia, dum Sunt praesentia in aeternitate, necesse est illi subesse.

Obj. 5.° Si Deus futura contingentia libera certo cognoscit, et omnia fient, prout ipse novit, inutilis prorsus est hominum cura et sollicitudo in procuranda salute aeterna, quia id tandem fiet, quod a Deo praevisum est. Hoc autem impium est et erroneum. Ergo.

1 *De civit. Dei,* lib. 5, c. 9. n. 1; MI. 41, 149. De Cicerone addit: «Dum vult facere (homines) liberos, fecit sacrilegos». *Ibid.,* n. 2; MI. 41, 150.

2 Soss. 3, c. 1; Denz-Bannw., 1784.

3 *Subida dei Monte Carmelo,* lib. 2, c. 20 (ed. Burgos, 1929).

4 Cfr. Salinniitioonae·, *De scientia Dei,* disp. 7, dub. 2, qui hanc objectionem magis urgent et diluunt.

Resp.—Neg. conseq. Esto Deus omnia, quae tu facturus es, imo et tuum finem in altera vita certissime cognoscat, hoc tamen non fit exclusa tua diligentia et cura, sed mediante tua sollicitudine, sine qua impossibile tibi est vitam aeternam adsequi. Cognitio Dei non tantum versatur circa finem absolute consideratum, sed se extendit etiam ad media, quibus itur ad finem. Idcirco necessario adhibenda est diligentia humana in exsequendis mediis, quae ducunt ad salutem. Stultus sane foret, qui praetextu infallibilitatis scientiae divinae otiosus se abstineret a cibo sumendo vel a tritico serendo sperans fore, ut, si Deus ita praeviderit, cibo reficiatur vel fructum colligat. Ita in negotio salutis aeternae.

291. Scholion. *An praescientia Dei de futuris contingentibus liberis et libertas humana conciliari possint.*

Cicero et alii, ut jam diximus, ideo negaverunt Deo praescientiam futurorum, quia putaverunt eam conciliari non posse cum libertate humana, quam videbant certo admittendam.

Attamen «religiosus... animus, ait S. *Augustinus,* utramque eligit, utrumque confitetur»[1], praescientiam Dei et liberum hominis arbitrium; fides catholica utrumque confitetur et ratio naturalis utrumque suadet.

1) *Fides catholica* proposita est in Conciliis Tridentino [2] et Vaticano [3], in quibus expresse definitum est liberum arbitrium inesse homini et Deum habere praescientiam futurorum contingentium.

2) *Ratio suadet,* quia cognitio Dei de futuris contingentibus liberis non tollit hominis libertatem ex eo, quod sit certa et infallibilis neque ex eo, quod sit causa effectuum futurorum.

a) *Scientia Dei non tollit hominis libertatem ex eo, quod sit certa et infallibilis;* nam cognitio, quantumvis certa, cum sit operatio immanens, non immutat naturam et conditionem objecti. «Sicut tu, inquit S. *Augustinus,* memoria tua non cogis facta esse, quae praeterierunt, sic Deus praescientia sua non cogit facienda, quae futura sunt» [4]. Quis profecto sanae mentis dixerit Petrum ambulantem libertate privari ex eo, quod ab aliquo praevideatur praecipitem abire? «Relinquitur, ait *Angelicus,* quod Deus certissime et infallibiliter cognoscat omnia, quae fiunt in tempore, et tamen ea, quae in tempore eveniunt, non sunt vel fiunt ex necessitate sed contingenter» [5].

b) *Scientia Dei non tollit libertatem hominis ex eo, quod sit causa contingentium.* Scientia siquidem Dei producit res secundum indolem et rationem uniuscujusque, praeparando rebus necessariis causas necessarias et aptando rebus contingentibus causas contingentes.

1 *De civ. Dei,* lib. 5, c. 9, n. 2; ML 41, 150.
2 Sess. 6, *De justif.,* can. 5; Denz-Bannw., 815.
3 *Sess. 3, C.* 1; Denz-Bannw., 1784.
4 *De lib. arb.,* lib. 3, c. 4, n. 1; ML 32, 1276.
5 *Perihermen.,* lib. 1, lect. 14.

§ 4

Utrum jutura contingentia habeant veritatem vel jalsitatem determinatam, seu utrum propositiones contradictoriae singulares de futuro contingenti sint determinate verae vel falsae, abstrahendo a decreto Dei.

292. Status quaestionis. 1) Certum est propositiones contradictorias de futuro in materia necessaria esse determinate veras vel falsas a tota aeternitate, ut *bis tria erunt sex, bis tria non erunt sex.* Hujusmodi propositiones dicuntur aeternae veritatis. Item propositiones contradictoriae de contingenti praesenti aut praeterito sunt proculdubio determinate verae vel falsae, quia jam supponunt decretum Dei efficax et eventum correspondentem enuntiationi. Sic propositiones *Petrus negavit Christum, Petrus non negavit Christum,* sunt una vera et altera falsa.

2) Quaestio est valde controversa, an propositiones contradictoriae singulares (non agitur de universalibus) de futuro contingenti, praesertim libero, v. gr., *Petrus cras peccabit, Petrus cras non peccabit,* sint ex se determinate verae vel falsae, seu habeant veritatem objectivam.

3) Propositiones hujusmodi spectari possunt a) in signo priori ad decretum Dei, non quidem in ordine durationis sed intentionis, quatenus concipimus propositiones contradictorias de futuro contingenti quasi praecedentes decretum Dei; hoc pacto sunt in statu seu signo merae possibilitatis et non habent veritatem vel falsitatem objectivam, ut omnes scholarum patroni concedere videntur [1]; b) in signo posteriori ad decretum Dei, quando jam supponimus Deum decrevisse quodammodo futuritionem actuum liberorum, qui per propositiones contradictorias de futuro enuntiantur.

4) Propositiones contradictoriae de futuro contingenti in signo posteriori ad decretum Dei dupliciter considerari possunt: a) quatenus complectuntur decretum Dei, a quo, velut a causa, efficiuntur futura, et b) quatenus exprimunt objectum affirmatum vel negatum, abstrahendo a decreto Dei.

5) Decretum Dei, quo constituitur futuritio rerum contingentium, praesertim actuum liberorum, juxta thomistas est ex se efficax et firmat seu determinat, suaviter quidem sed potenter, omnes eventus futuros, juxta molinistas vero est indifferens, quo Deus statuit concurrere cum causis secundis liberis ad eventus futuros.

293. His ita praelibatis quaeritur: a) *An propositiones contradictoriae singulares de juturo contingenti sint determinate verae vel falsae ante decretum Dei.*

Omnes theologi tum thomistae tum molinistae, quos ego videre potui, quamvis dissentiant circa naturam decreti Dei, defendunt pro-

1 Cfr Herrora, *De scientia Dei.* q. 10, n. 182; Urraburu. *Theodicea,* disp. 4, ll 73. Attamen Wiraoburgonsos, *De Deo uno,* n. 119, concedunt possibilia habere immediato in seip.sis veritatem objectivam.

positiones hujusmodi *aille decretum Dei* non habere veritatem aut falsitatem objectivam, quia revera non sunt de futuro sed de possibili '.

b) *An eaedem propositiones· sint verae vel jalsae post decretum Dei.*

Respondent omnes affirmative, licet diversimode rem explicent.

c) *Quodnam sit decretum Dei requisitum, ut propositiones, de quibus agimus, sint determinate verae vel falsae.*

Respondent *môlinistae* decretum hujusmodi esse indifferens concurrendi cum causis Secundis ad eventus futuros. Ita *Vazquez, Wirceburgenses, Urraburu* 2 3et alii. *Themistae* defendunt decretum Dei in hoc casu esse efficax praedefiniens eventum futurum. Conferantur *Salmanticenses, Philippus a SS. Trinitate, Goudin* etc.

d) *An propositiones memoratae post decretum Dei sint determinate verae vel falsae praecisive a decreto Dei ex objecto affirmato vel negato; id est, unde repetant veritatem vel falsitatem, an ex se ipsis, an vero ex decreto Dei.*

Plures Patres Societatis Jesu defendunt propositiones, de quibus agimus, esse ab aeterno formaliter veras vel falsas praecisive a decreto Dei ex objecto affirmato vel negato, atque ideo repetere suam veritatem objectivam a se ipsis. Consulendi sunt *Vazquez, Suarez, Ruiz de Montoya, Herice, Herrera, Urraburu* 4* et alii. *Themistae* communiter negant hujusmodi propositiones esse determinate veras vel falsas abstrahendo a decreto Dei, et consequenter docent earum veritatem repetendam esse a solo decreto Dei efficaci, quo determinantur futura etiam libera. Hanc doctrinam tenuere *Aristoteles* et S. *Thomas,* quos sequuti sunt *Complutenses, Salmanticenses, Nazarius, Joannes a S. Thoma, Gonet* & et alii. His consentiunt ex *Societate, Fonseca, Toledo, Molina* et S. *Bellarminus* 6.

1 Cfr. Vazquez, *In l p.,* disp. 65, n. 23. An consequenter id affirment molinistae, videbimus infra.

2 Vazquez, *In I p.,* disp. 65, c. 4; Wirceburgenses, *De Deo uno,* disp. 3, a. 4, nn. 125 et 129; Urraburu, *Theodicca,* disp. 4, n. 70 sqq.

3 Salmanticenses, *De scientia Dei,* disp. 7, n. 31 sqq.; Philippus a SS. Trinit., *De Deo uno,* disp. 8, dub 4; Goudin, *Log. maj.,* 2.» part., q. un., a. 3.

4 Vazquez, *In I p.,* disp. 65, c. 4; et disp. 66; Suarez, *De scientia Dei fut. conting.,* lib. i, c. 2; Ruiz de Montoya, *De scientia Dei,* disp. 23; Herice, *In I p.,* tr. 1, disp. 6, c. 7; Herrera, *De scientia Dei,* q. 10, sect. 7; Urraburu, *Theodicea,* disp. 4, n. 67 sqq. Huic sententiae favere dicuntur Capreolus, *I Sent.,* dist. 38, q. 1, a. 2, resp. ad arg. Aureoli contra 7.ain concl.; Cajetanus, *In I p.,* q. 14, a. 13; et *in I-II,* q. 40, a. 3 post medium; Ferrariensis, *Contr. Gent.,* lib. 1, c. 67; et Sylvius, *In I p.,* q. 14, a. 13 ad 1; sed hi thomistaeloquuti sunt de propositionibus contradictoriis de futuro contingenti, quatenus simul complectuntur decretum Dei efficax.

6 Aristoteles, *De interpretatione,* lib. 1, c. 8; S. Thomas, *in Periherm.,* lib. 1, lect. 14; Complutenses, *Logica,* 2 " p., lib. 2, *Periherm.;* Salmanticenses, *De scientia Dei,* disp. 7, n. 31 sqq.; Nazarius, *In I p.,* q. 14. a. 13, 2.a controv.; Joannes a S. Th., *In I p.,* disp. 19, a. 4, n. 10; Gonet, *Manuale thom.,* t. 1, tr. 3, c..4, dico 3.°.

" Fonseca, *Metaph.,* lib. 5. c. 7 in text. Arist.; et *Inst. dial.,* lib. 3, c. 6; Toledo, *De interpret.,* lib. 1, c. 8; Molina, *In I p.,* q. 14, a. 3, disp. 17, § *Verumtamen contingentia,* et disp. 18, membr. 1, § *In primis,* et *Concordia,* q. 14, a. 13, disp. 52-53; S. Bellarminus, *De gracia et lib. arb.,* lib. 4, c. 15 in fine.

294. Thesis **I. Futura contingentia ante decretum Dei non habent veritatem objectivam, et propositiones contradictoriae singulares, quae de ipsis formantur, non sunt determinate verae vel falsae.**

Arg. *Ex multiplici ratione.* 1) Veritas objectiva conveniens rebus ante decretum Dei non potest conciliari cum earum contingentia. Nam, si futura ante decretum Dei haberent determinatam veritatem, forent futura ex natura sua et ab intrinseco vera, ac idcirco necessario futura ac vera. Ergo actum esset de rerum contingentia. Ad rem apposite S. *Thomas:* «Illud, quod nunc est, ex eo futurum fuit, antequam esset, quia in causa sua erat, ut fieret. Unde, sublata causa, non esset futurum illud fieri; sola autem causa prima est aeterna. Unde ex hoc non sequitur, quod ea, quae sunt, semper fuerit verum ea esse futura, nisi quatenus in causa sempiterna fuit, ut essent futura, quae quidem causa solus Deus est»[*]

2) Veritas objectiva conveniens futuris contingentibus ante decretum Dei, penitus tollit libertatem Dei circa horum futuritionem. Nam, si futura contingentia antecedenter ad decretum liberum divinae voluntatis habent determinatam veritatem, cogitur Deus eorum futuritionem decernere conformiter ad veritatem eorum objectivam, nisi velit praefatam veritatem frustrare.

3) Propositio dicitur vera vel falsa, quae respondet vel contradicit objecto vero, quando de eo aliquid affirmat vel negat. Sed memoratae propositiones non respondent neque contradicunt objecto vero, quia versantur circa futura contingentia, quae non habent veritatem vel falsitatem ante decretum Dei. Ergo.

295. Thesis **II. Futura contingentia post decretum Dei habent veritatem objectivam, et propositiones contradictoriae singulares de iisdem sunt verae vel falsae ab aeterno in signo posteriori ad decretum Dei.**

Arg. Sapienter Deus definivit ab aeterno, quid fieri debeat in tempore, adeo ut per suum decretum ex possibilibus constituat futura contingentia, quae respectu Dei non sunt jam futura sed praesentia, eo modo verificanda, quo sunt ab aeterno definita. Unde futura contingentia post decretum Dei determinata sunt ad unum, et propositiones contradictoriae singulares de iisdem formatae, una respondet realitati futurae, altera contradicit. Sed futura a Deo determinata habent veritatem objectivam, et propositiones contradictoriae singulares, quae respondent vel contradicunt realitati futurae, sunt verae vel falsae. Ergo [2].

296. Thesis **III. Futuritio rerum contingentium non constituitur et veritas propositionum de futuro contingenti non firmatur decreto Dei indifferenti, sed solo decreto Dei efficaci, quo determinantur futura contingentia, certissime quidem sed suaviter, juxta naturam eorumdem.**

Arg. Futurum dicitur, quod est determinatum in suis causis ad habendam exsistentiam in tempore sequenti, et veritas propositionum

* *I p*, q. 16, a. 7 ad 3.

2 Cfr. Alvuroz, *De auxiliis,* lib 2, disp. 13, conci. 1."

de futuro contingenti fundatur in hac determinatione facta a causa sempiterna. Sed nihil determinatur a Deo per decretum indifferens concurrendi cum causis secundis ad eventus futuros, quia hujusmodi decretum anceps est et ambiguum, indifferenter se habens ad utramque contradictionis partem. Ergo futuritio rerum contingentium non constituitur, nec veritas propositionum de futuro contingenti firmatur decreto Dei indifferenti.

Dices futuritionem rerum contingentium constitui veritatemque propositionum de futuro contingenti firmari decreto Dei indifferenti et consensu causae secundae sub concursu indifferenti Dei.

Sed contra est. Hoc in casu futuritio et veritas rerum contingentium determinarentur a causa secunda, et consequenter tolleretur libertas Dei in exsecutione rerum contingentium, quia Deus teneretur determinationem causae secundae confirmare et futura contingentia producere juxta veritatem, quam habent mutuatam a causa secunda. Hoc autem admitti nequit.

Corollarium I. Per decretum Dei efficax, quo futura contingentia determinantur, non tollitur libertas humana, quia Deus, licet efficaciter actus humanos futuros ab aeterno definiat, suaviter tamen et juxta naturam uniuscujusque omnia decernit, effectibus necessariis causas necessarias et effectibus liberis causas liberas aptando.

II. Futura hominum peccata decernuntur a Deo, decreto quidem approbationis quoad entitatem, quam continent, decreto vero permissionis quoad malitiam, quam important.

III. Logicae lex, qua propositionum contradictoriarum una dicitur determinate vera et altera falsa, locum habet dumtaxat in propositionibus de praeterito, praesenti et futuro post decretum Dei, nori in propositionibus de futuro contingenti ante decretum Dei efficax.

297. Thesis **IV. Propositiones contradictoriae singulares de futuro contingenti non sunt verae vel falsae praecisive a decreto Dei; idcirco suam veritatem vel falsitatem petunt non ex se ipsis seu ex objecto affirmato vel negato, sed ex decreto Dei efficaci.**

Arg. 1) *Aristoteles* docet propositiones de futuris contingentibus neque habere determinatam veritatem neque determinatam falsitatem [1] Hunc locum explicat *Angelicus* his verbis: «His igitur enuntiationum differentiis consideratis, non similiter se habet judicium de veritate et falsitate in omnibus. Unde Philosophus dicit ex praemissis concludens, quod in his, quae sunt, id est, in enuntiationibus de praeterito, necesse est, quod affirmatio vel negatio determinate sit vera vel falsa... Sed in singularibus et futuris est quaedam dissimilitudo. Nam in praeteritis et praesentibus necesse est, quod altera oppositorum determi-

1 *Perihermen.,* lib. i, c. 9. Mentem Stagiritae adeo claram esse censuerunt Vazquez, *hl I p.,* disp. 66, cc. I et 2; Suarez, *De scientia Dei /ut. canting.,* lib. 1, c. 2, n 10; Conimbricenses, *Logica,* in lib. 1 de interpret., c. 8, q. un., et alii, ut ipsum suae sententiae accommodare non valentes deserendum esse dixerint. Alii dixerunt Aristotelem negasse propositionibus contradictoriis de futuro contingenti veritatem necessariam; alii voluerunt ipsum locutum fuisse de veritate prae intellectu humano (Pesch, 276). Sed S. Thomas interpretatur Philosophum in sensu thomistarum.

nate sit vera et altera falsa in quacumque materia. Sed in singularibus, quae sunt de futuro, hoc non est necesse, quod una sit determinate vera et altera falsa. Et hoc quidem dicitur quantum ad materiam contingentem»[1]

2) *Ex ratione,* a) Juxta S. *Thomam,* hoc modo est aliquid verum, quo habet esse[2]. Sed futura contingentia, abstrahendo a decreto Dei, non habent esse determinatum. Ergo futura contingentia praecisive a decreto Dei non habent veritatem determinatam, nec propositiones contradictoriae de ipsis sunt determinate verae vel falsae.

b) Propositio est vera, quando enuntiat rem, prout est in se, et falsa, quando enuntiat rem, prout non est in se. Sed futura contingentia non sunt in se praecisive a decreto Dei, alioquin omnia possibilia essent futura et actum esset de rerum contingentia. Ergo.

c) Si propositiones contradictoriae singulares de futuro contingenti essent in se ipsis, abstrahendo a decreto Dei, determinate verae vel falsae, necessario verificaretur una, et impossibile esset non *fore* illius, quod dicitur futurum, quia quod ex se, praecisive a decreto Dei, est tale, necessario est tale. Hoc autem posito, omnia ex necessitate evenirent et nihil curandum esset de negotiis vitae.

d) Theologi opinionis contrariae non videntur consequenter loqui, dum ex una parte dicunt propositiones contradictorias singulares de futuro contingenti non esse determinate veras vel falsas ante decretum Dei[3], et ex altera parte docent eas post decretum Dei esse veras vel falsas ex se ipsis seu ex objecto affirmato vel negato, praecisive a decreto Dei, ex eo quod una ex contradictoriis respondet realitati objectivae et aliquando verificabitur sicut enuntiatur. Si haec ratio valet, quare non sunt verae vel falsae propositiones contradictoriae de futuro contingenti ante decretum Dei seu in signo possibilitatis? Altera siquidem ex ipsis etiam ante decretum Dei respondet realitati objectivae aliquando futurae et verificabitur ut enuntiatur. Si ego imaginatione feror ad instans praecedens decretum Dei, et dico *Antichristus erit,* enuntio propositionem, quae respondet realitati a Deo determinandae, et verificabitur aliquo tempore; cur haec non fuerit vera, si eadem postea, abstrahendo a decreto Dei, erit ex suo objecto vera?

Obj. 1." S. *Thomas* docet futurum contingens dupliciter considerari posse. *Uno modo,* secundum quod est futurum, et sic immutabiliter sciri non potest, quia causae contingentium non habent immutabilem ordinem ad effectum. *Alio modo,* «ratione illius temporis, in quo futurum esse praedicitur, in quo quidem tempore futurum jam praesentialitcr est, et per consequens determinatum ad unum, et sic certitudinaliter potest contingens cognosci, utpote *per se ipsum jam visum*»[4]. Ergo futura contingentia hoc secundo modo habent veritatem.

Resp. S. *Thomas* loquitur de modo essendi et de cognoscibilitate futurorum contingentium post decretum Dei in causis secundis et in aeter-

1 *In lib. 1 Perihernien.,* lect. 13, nn. 4 et 6.

2 S. Thomas, *in lib. 1 Perihernien.,* lect. 13, n. IX.

3 Cfr Vazquez. *In I p.,* disp. 65, c. 4, n. 23; Herrera, *De scientia Dei,* q. 10, n. 182.

4 *Ad Annibalduni,* lib. 1, dist. 38, q. 2, a. 1. Haec commentaria non videntur esso opus S. Thomae.

nitate. i) Futura contingentia primo modo seu in causis secundis non sunt determinata ad unum nec habent veritatem objectivam, quia causae secundae sunt contingentes. 2) Alio modo sunt praesentia in aeternitate et determinata ad unum, continentque veritatem per decretum Dei, atque cognoscuntur a Deo eo modo, quo futura sunt in tempore.

Obj. 2.° Propositio est determinate vera vel falsa, si in tempore importato per copulam res est vel non est in se, prout enuntiatur. Sed in quovis tempore determinato res aut est aut non est in se, v. gr., aut erit peccatum Petri, aut non erit, quia *quodlibet aut est aut non est.* Ergo. Ita *Urraburu* 1.

Resp. I. Haec argumentatio idem valet de propositionibus contradictoriis circa futura contingentia ante decretum Dei. Si principium *quodlibet aut est aut non est* non est verum in signo anteriori ad decretum Dei, cur fuerit verum post decretum Dei sed abstrahendo ab eo?

Resp. II.—Dist. maj. Propositio est determinate vera vel falsa, si in tempore importato per copulam res est in se, prout enuntiatur, et est determinata in causa, conc.; si res est in se, prout enuntiatur, et non est determinata in causa, sed casu contingit, neg. Si quid ego annuntio praeter dispositiones divinas, v. gr., *cras pluet,* et die crastina sine decreto Dei casualiter pluat, propositio non est vera, quia non fuit determinatum in causis, ut plueret. Videmur aliquando quasdam propositiones de futuro contingenti, praeciso Dei decreto, enuntiare rem sicuti erit, et idcirco esse veras, sed in hoc corrigenda est imaginatio, quia ad veritatem vel falsitatem propositionis de futuro necesse est, ut propositio correspondent statui rei, de qua enuntiatur, et res, abstrahendo a decreto Dei, non est futura 2.

§ 5

An et quomodo sint jutura Deo praesentia in aeternitate.

298. Status quaestionis. Possumus concipere futura esse praesentia Deo in aeternitate tripliciter: 1) *Extrinsece,* ratione veritatis aeternae, quam, praeciso Dei decreto, futuris contingentibus competere dicunt nonnulli. 2) *Objective* seu *intentionaliter,* sicut cognitum est in cognoscente, seu, ut ait S. *Thomas,* «ea ratione, qua (cognoscens) habet rationes rerum apud se praesentes» 3. 3) *Physice,* quatenus post decretum Dei futura secundum suum esse coexsistunt aeternitati, ita ut, si per impossibile Deus oblivisceretur futurorum, ea essent praesentia in aeternitate.

299. Placita theologorum. 1) *Aliqui* defendunt futura contingentia esse praesentia Deo in aeternitate *extrinsece* (aliud nomen aptius non invenio), quatenus habent ex se aeternam veritatem, ratione cujus aeternitati veluti exhibentur, et apta sunt, ut a Deo conspiciantur. Ita *Ruiz, Vazquez, Suarez, Urraburu, San* 4 et alii plures.

2) *Alii* dicunt futura nonnisi *objective* et secundum idéales rationes esse

1 *Theodicea,* disp. 4, n. 72.

2 Fallitur Vazquez, quando dicit: «Certe, si res non essent a Deo futurae, sed a casu vel aliunde, possent in essentia Dei ante decretum illius repraesentari et infinita sua sapientia a Deo certo cognosci». *In I p.,* disp. 65, n. 24.

3 *I p.,* q. 14, 13.

4 Ruiz, *De scientia Dei,* disp. 28, sect. 7 et 8; Vazquez, *In l p.,* disp. 64, c. 3; Suarez, *De scientia Dei pit. canting.,* lib I, c. 8; Urraburu, *Theodicea,* disp. 4, n. <j.p San, *De Deo uno,* η. 199 in nota.

praesentia Deo in aeternitate. Sic *Scotus, Durandus, Aegidius, Silvester, Valentia, Franzelin* et alii multi [1].

3) *Alii* docent omnia futura secundum suum esse reale, quod sunt habitura in tempore, esse praesentia Deo in aeternitate, non quidem in mensura propria, quae competet illis in tempore futuro, sed in mensura aeternitatis, quae est tota simul absque ulla successione. Tn hac sententia illud instans temporis, in quo res exsistent in propria duratione, non retrotrahitur ad durationem aeternitatis, sed ipsa aeternitas (nunc aeternitatis), quae virtualiter continet omnia tempora, se extendit ad futura, quatenus *nunc aeternitatis* correspondet omnibus partibus temporis, in quibus res sunt futurae. Futurum igitur non correspondet adaequate et totaliter aeternitati, sed inadaequate, in quantum coexsistit aeternitati indivisibili, quae omnibus durationibus perfecte correspondet. Ita S. *Thomas,* quem sequuntur omnes thomistae et plures extranei [2].

300. Thesis **I. Omnia futura sunt Deo praesentia in aeternitate.**

Arg. Omnia inunda et aperta sunt oculis ejus, etiam quae libera creaturarum actione futura sunt. Deus autem omnia videt ut sibi praesentia, quia visio ejus aeternitate, quae ambit omne tempus, mensuratur. Ergo omnia futura sunt Deo praesentia in aeternitate.

301. Thesis **II. Futura contingentia absoluta non sunt praesentia Deo in aeternitate extrinsece per veritatem eorum objectivam.**

Arg. 1) Deus videt futura secundum eam rationem, qua sunt praesentia ipsi in aeternitate. Sed Deus non videt futura in veritate eorum objectiva. Ergo futura non sunt praesentia Deo in aeternitate per veritatem eorum objectivam. *Major* est S. *Thomae, 1 p.,* q. 14, a. 3. *Minor* probabitur articulo sequenti.

2) Veritas objectiva futurorum contingentium, si daretur, praecisive a decreto Dei, non sufficeret, ut futura dicerentur praesentia Deo in aeternitate, quia praefata veritas esset tantummodo aptitudo ad terminandam cognitionem Dei, et, ut talis, extrinseca aeternitati.

3) Futura per exsistentiam in aeternitate debent esse praesentia Deo et futura causis secundis. Sed futura per veritatem objectivam, quae non esset nisi aptitudo ad terminandam cognitionem Dei, essent futura etiam respectu ipsius Dei, ut ipsum vocabulum *aptitudo* satis innuit. Ergo.

302. Thesis **III. Praeter praesentiam objectivam seu intentionalem, qua futura sunt in Deo sicut cognitum est in cognoscente, admittenda est alia praesentia futurorum in aeternitate.**

Arg. 1) Ratio, propter quam Deus cognoscit futura, est praesentia eorum in aeternitate. Sed praesentia objectiva seu intentionalis, qua futura sunt in Deo sicut cognitum in cognoscente, non est ratio

1 Scolus, *I Sent.,* dist. 39, q. un.. *Aliter ponitur* sqq.; Durandus, *l Sent.,* dist. 38, q. 3, nn. 12-18; Aogidius (vel Riohardus Clapwel), *Opusc. contra corrupt. S. Thomae;* Silvosior, */ p.,* q. 14, a. 6; Valentia, *In I p.,* q. 14, p. 5, § 1; Franzelin, *De Deo uno,* th. 43.

2 Cfr Capreolus, */ Sent.,* disp. 36, q. un., a. 2; et dist. 38, q. un., a. 2; Ferrariensis, *Conlr. (lent* , lib. 1, c. 66; Cajotanus, */ p.,* q. 14, a. 13; Banez, *I p.,* q. 14, ii. 13; Alvaroz, *De auxiliis,* lib. 2. disp. 8; Salmanticensos, *De scientia Dei,* disp. 8, dub. 2; Joannes a S. Thoma, disp ◊, a. 3, et alii. Ex *Societate* idem tenuere Fonseca, *Mrtaph* , lib. 6, c. 2, q 4, sect 2; et Molina, *Concordia,* q. 14, disp. 48.

cognoscendi ea, alioquin Deus cognosceret futura, quia cognoscit ea, quod est petitio principii. Ergo.

2) Praesentia rerum in aeternitate tollit eorum futuritionem respectu Dei. Sed praesentia intentionalis objecti in intellectu non tollit ejus futuritionem respectu intelligentis, sicut ortus crastinus solis, quamvis cognitus, est tamen mihi futurus. Ergo.

303. Thesis **IV. Futura contingentia absoluta sunt praesentia Deo in aeternitate secundum suum esse reale et physicum.**

Arg. 1) «Deus autem, inquit S. *Thomas,* cognoscit omnia contingentia, non solum prout sunt in suis causis (secundis), sed etiam prout unumquodque eorum est actu in se ipso (Deo). Et licet contingentia fiant in actu successive, non tamen Deus successive cognoscit contingentia, prout sunt in suo esse, sicut nos, sed simul; quia ejus cognitio mensuratur aeternitate sicut etiam suum esse. Aeternitas autem tota simul exsistens ambit totum tempus, ut supra dictum est... Unde omnia, quae sunt in tempore, sunt Deo ab aeterno praesentia, non solum ea ratione, qua habet rationes rerum apud se praesentes, ut quidam dicunt, sed quia ejus intuitus fertur ab aeterno supra omnia, prout sunt in sua praesentialitate. Unde manifestum est, quod contingentia infallibiliter a Deo cognoscuntur, in quantum subduntur divino conspectui secundum suam praesentialitatem, et tamen sunt futura contingentia suis causis proximis comparata» [1].

His verbis exigit S. *Thomas* non solum praesentiam intentionalem sed etiam praesentiam realem futurorum contingentium in aeternitate, quia docet omnia, quae sunt in tempore, esse «Deo ab aeterno praesentia, non solum ea ratione *qua habet rationes rerum apud se praesentes,* ut quidam dicunt (praesentia intentionalis), sed quia ejus intuitus fertur ab aeterno supra omnia, prout sunt in sua praesentialitate» (praesentia realis) [2].

2) Aeternitas est duratio infinita et indivisibilis, tota simul exsistens. Quatenus infinita, complectitur et ambit omne tempus, praeteritum, praesens et futurum; quatenus indivisibilis et tota simul, continet in eodem nunc indivisibili omnia, quae in tempore fiunt; id est, nunc aeternitatis correspondens praesenti momento, non distinguitur a nunc aeternitatis, quod correspondebit temporibus futuris. Quare idem nunc indivisibile aeternitatis mensurat omnia futura per modum continentis, et futura sunt realiter praesentia aeternitati, quia aeternitas continet actu omnes durationes et omnia, quae evenient in successivis temporibus.

1 *r p.,* q. 14, a. 13.

2 Ipse Molina, adversarius plerumque theoriis thomistarum, ait: «Rejiciendi sunt Silvester, in *Conflato;* Herveus, /n /, dist. 38, atque Hispalensis, eadem dist., q. i, qui contendunt D. Thomam non esse intelligendum de esse exsistentiae, quod res, quae fiunt successive, ex aeternitate habeant in aeternitate, sed de esse objective et cognito, quo cognoscantur quod illud idem esse exsistentiae, quod decursu temporis habebunt». *Concordia,* q. 14. disp. 48.

Difficultatibus satisfit.

Obj. 1.° Nihil potest alteri coexsistere secundum suum esse reale, nisi prius exsistat in se. Sed futura non exsistunt in se ab aeterno. Ergo futura non coexsistunt aeternitati secundum suum esse reale. Ita *Urraburu* [*] cum aliis.

Resp. Dist. min. Futura non exsistunt in se ab aeterno in propria mensura, conc.; in aliena mensura, seu in nunc aeternitatis, neg. Profundissime hoc explicat *Joannes a S. Thoma* [2], cujus doctrinam placet hic in compendium redigere.

Aeternitas non mensurat res immediate in se ipsis productas et passive immutatas, sed prout continentur in actione divina, cujus sunt terminus. Hinc futurum non debet considerari, quatenus est virtualiter in Deo, cum quo identificatur, neque prout est in omnipotentia, sed quatenus attingitur per actionem Dei. Actio autem Dei hoc habet speciale, ut dicit S. *Thomas* [3], quod, cum sit aeterna et mensuretur aeternitate, non producit effectus nisi in tempore. Unde effectus potest considerari dupliciter: uno modo, ut est terminus connotatus et respectus ab actione aeterna, et sub hac consideratione mensuratur eadem mensura ac actio Dei, cujus est terminus: alio modo, ut est immutatus passive in se, et sic productus est extra causas et fundat propriam mensuram. «Idcirco, quandiu res in se immutata non est et passive producta extra causas, nondum est in se ipsa secundum propriam mensuram et durationem sibi adaequatam, sic enim adhuc intra causas est... Intelligitur tamen habere esse extra causas, ita quod non sit in actu primo, sed in actu secundo, hoc ipso quod intelligitur ut terminus actionis jam exsistentis in rerum natura, eo quod actio non est actus primus sed actus secundus, et sic in actu secundo, id est, in se ipsis, ut terminus actu exsistentis, dicitur esse. Sed quia actio divina non est semper conjuncta immutationi passivae effectus sicut actio creata, sed in se immutabilis et aeterna exsistens, immutat in tempore creaturas juxta liberum decretum voluntatis, ideo locum dat duplici mensurae rei, quae est terminus hujus actionis, scilicet, mensurae aeternae et immutabili, quatenus mensurat actionem aeternam in actu exsistentem, et consequenter terminum ejus, ut praecise respicitur ab actione... et mensurae temporali, quatenus suo tempore immutatur actione et in sua mensura propria ponitur».

Obj. 2. Ex hoc sequitur Deum in rerum creatione iterum producere ea, quae jam produxerat. Ita *Scotus.*

Resp.—Neg. conseq. Res non dicuntur produci, quousque passive immutentur. Futura sunt quidem ab aeterno terminus connotatus actionis divinae et mensurantur aeternitate, sed non sunt producta, quia nondum passive immutata.

§ 6

Utrum Deus certo cognoscat futura conditionata.

304. Status quaestionis. 1) Recole, quae diximus nn. 285 et 286 de definitione futuri conditionati ac de ejus divisione, a) prout dependet a conditione ponenda vel non ponenda, et b) quatenus dependet a conditione connexa cum eventu physice, moraliter vel conjecturaliter, aut dependet a conditione non connexa seu disparata.

2) Non est dubium, quin Deus certissime cognoscat ea futura,

[*] *Theodicea,* disp. 4, n. 93.
[2] *Disp.* 9. a. 3.
[3] *De potentia,* q. t, a. 1 ad 8; et *I p.*, q. 46. a. 1 ad 10.

quae dependent a conditione ponenda seu, ut ajunt, purificanda, quia haec futura, licet apparenter conditionata, revera sunt absoluta et a Deo determinata.

Item certum est Deum cognoscere futura, quae dependent a conditione physice vel moraliter connexa cum eventu, ut *si ignis applicatus puéril stupae, comburet,* vel *si Petrus efficaciter vocatus fuerit a Christo, convertetur;* haec enim Deo nota sunt, tum in cognitione causae secundae et impedimentorum, quae accidere possunt, tum in decreto Dei positivo.

3) «Disputatio tantum versabitur in explicando... an Deus certo et infallibiliter tam ex parte subjecti quam ex parte objecti cognoscat futura contingentia conditionata», sive dependeant a conditione connexa conjecturaliter cum eventu, «sive sint disparata, ita tamen ut tam conditio quam futurus eventus pendeat a causa libera»[1].

305. Thesis. **Deus certissime cognoscit futura contingentia libera, quae dependent a qualibet conditione implenda vel non implenda [2].**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* In Sacra Scriptura saepe praedixit Deus futura, quae dependebant a conditione disparata vel conjecturaliter connexa cum eventu. Notissimi sunt hi loci: *Si descendet Saul, sicut audivit servus tuus?... Et ait Dominus: Descendet. Dixitque David: Si tradent me viri Ceilae, et viros, qui sunt mecum, in manus Saul? Et dixit Dominus: Tradent*[3].—*Non ingrediemini ad eas* (ad filias gentium)... *certissime enim avertent corda vestra, ut sequamini deos earum* [4].—Eliseus spiritu Dei motus ait ad regem Israel: *Si percussisses quinquies aut sexies sive septies* (terram), *percussisses Syriam usque ad consumptionem*[6]. Et Dominus in Evangelio: *Vae tibi, Corozain, vae tibi, Bethsaida; quia, si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent»* ®.

2) *Ex SS. Patribus. S. Gregorius nyss., S. Joannes Chrys.* et alii expresse docent Deum piissima sua misericordia quosdam adhuc juvenes e vita praeripuisse, quia sciebat eos fuisse in peccata lapsuros et gratiam, ac vitam amissuros, si diutius essent victuri. Unde, sicut S. *Augustinus* docet, poterat illos Deus, *praescius esse lapsuros,* antequam id fieret, auferre de hac vita [7].

1 Salmanticenses, *De scientia Dei,* disp. 9, n. 8.

2 Sententia contraria tribui solet theologis antiquis: Curiel, *Controv. in div. loca S. Script.,* lib. 1, controv. 7, a. 1; Cornejo, *In I p.,* q. 14, a. 13. disp. 3, dub. 2; Ledesmae, *De div. grat. auxiliis,* a. 18, difficult, ult. (ed. Salm., 1611); Tiphano, *De ordine deque priori,* etc., c. 25; et novissime Janssens, *De Deo uno,* 2, 51 sq., sed, ut reor, omnino perperam. Hi auctores, cognitionem certam et infallibilem futurorum etiam conditionatorum disertis verbis Deo adseripserunt, et solummodo dubitarunt, an haec certa Dei cognitio ex S. Scriptura, ex SS. Patribus aut sufficienti ratione probari posset, vel etiam dubitarunt, an Deus habeat certam cognitionem omnium combinationum, quae de futuris conditionatis fieri possent. Cfr. Joannes a S. Thoma, disp. 20, a. i, n. 6 sqq.

3 *I Reg.,* 23, 11 sq.

4 *III Reg.,* ii, 2.

6 *IV Reg.,* 13, 19.

° *Matth.,* n, 21.

7 *De correptione et gratia,* c. 8; MI. 44, 927

3) Sublata a Deo certa cognitione futurorum conditionatorum, prorsus inutiles forent plures orationes ac preces, quas Ecclesia fundit in Deum.

Difficultatibus satisfit.

306. Obj. 1.° Cognitionem certam et infallibilem futurorum conditionatorum Deo negaverunt 5. *Augustinus, S. Prosper* [1] et alii, ut commentum seinipelagianorum. Ergo.

Resp. Verba SS. Augustini et Prosperi non sunt accipienda separatim et quasi interpolata, sed explicanda juxta sensum, quem habent ex contextu et fine scribentium. Semipelagiani docebant initium fidei et boni operis esse ex viribus naturae, et per initium boni operis mereri gratiam. Discrimen autem inter parvulos, qui nondum suscepto baptismo et sine bono opere ex hac vita migrarunt, et eos, qui post susceptum baptismum in caelum evolarunt, explicare contendebant dicentes Deum certo cognoscere quid illi parvuli facturi essent, si diutius vixissent, et hoc ipsis meritum vel demeritum computare. S. *Augustinus* et S. *Prosper* negarunt Deo non cognitionem certam operum, quae parvuli facturi essent, sed cognitionem operum, quae computarentur parvulis in meritum vel demeritum.

Obj. 2.° Futura conditionata non implenda nullibi sunt, nec habent veritatem aliquam vel falsitatem determinatam. Quod autem non est, nec veritatem aut falsitatem habet, cognosci nequit. Ergo.—Prob. maj. Esse et veritas futuri conditionati consistunt in illatione conditionis cum eventu, ut docet S. *Thomas.* Sed illatio conditionis cum eventu non exsistit in futuris conditionatis non adimplendis. Ergo futura conditionata non implenda nullibi sunt, nec habent veritatem aut falsitatem determinatam.

Resp.—Neg. maj. Ad probationem, dist. maj. Esse et veritas futuri conditionati consistunt in illatione conditionis cum eventu enascente a connexione essentiali vel a decreto Dei, conc.; enascente semper a connexione, neg. Illatio conditionis cum eventu enascitur aliquando ex vi praedicatorum essentialium, non semel ex vi decreti divini, cujus virtute conditio habet connexionem infallibilem cum eventu futuro. Ad veritatem futurorum conditionatorum non requiritur decretum expressum vel subintellectum ex parte conditionis, sed sufficit decretum subintellectum ex parte effectus, faciens hunc sensum: *Si Tyrii,* v. gr., *vidissent opera Christi, poenitentiam egissent, Deo decernente ipsam poenitentiam* [2].

ARTICULUS III

DE MEDIO COGNITIONIS DIVINAE

§ 1

In quo medio cognoscat Deus creaturas possibiles et exsistentes.

307. Status quaestionis. 1) «Dupliciter, inquit *Angelicus,* aliquid cognoscitur. Uno modo in se ipso, alio modo in altero. *In se ipso* quidem cognoscitur aliquid, quando cognoscitur per speciem propriam adaequatam ipsi cognoscibili, sicut cum oculus videt hominem per speciem

1 S. Augustinus, *De praed. sanet., c.* J.|, n. 26: ML 44,979: S. Prosper, *ep. ad S. Augustinum,* n. 5; ML 51, 71.

1 Cfr. Paulus a Conception», tr. 3, disp 4, n. 17.

hominis [1]. *In alio* autem videtur id, quod videtur per speciem continentis, sicut cum pars videtur in toto per speciem totius, vel cum homo videtur in speculo per speciem speculi, vel quocumque alio modo contingat aliquid in alio videri» [2] [3]

Nonnulli excogitarunt alium modum cognoscendi aliquid *in se ipso,* nempe per veritatem intrinsecam objecti absque ullo medio creato vel increato, quatenus ab infinito lumine divini intellectus penetratur veritas rei objectiva. Ita aliqui molinistae.

2) Cum objectum quodammodo intellectui uniri debeat in cognitione, quaestio hic agitatur non facile solvenda, quomodo res creatae intellectui divino uniantur; an scilicet a) per veritatem objectivam sine ulla specie propria, vel b) per species proprias creatas a, vel c) in essentia divina tanquam in objecto primario prius viso.

3) Agimus de visione creaturarum possibilium et exsistentium. De visione futurorum, quae graviores offert difficultates, uberius infra loquemur.

4) Facile conceditur ab omnibus Deum non cognoscere creaturas per earum species creatas tanquam per medium *quo,* quia intellectus divinus, ut optime probat *Angelicus* [4] [5] si species hauriret a rebus creatis, actuaretur et perficeretur ab eis tanquam a forma creata, quod est impossibile.

5) Restat ergo inquirendum, an Deus creaturas videat in veritate earum objectiva (in se ipsis), vel an in essentia divina tanquam in medio *quod* seu *in quo* prius cognito.

308. Placita theologorum, i) *Nonnulli* dixerunt Deum cognoscere creaturas in essentia divina, non quidem tanquam in objecto prius cognito, sed intuendo ipsas immediate, adeo ut intellectus divinus aeque immediate feratur ad creaturas atque ad essentiam divinam. Ita *Aureolus, Ockam* et *Biel* G. Haec cognitio vocatur a quibusdam visio rerum in seipsis, quia directe fertur ad eas.

Ab hac sententia parum differt opinio *Vazquez,* qui contendit Deum cognoscere creaturas in se ipso, «non quidem prius cognito solum tanquam objecto primario et causa, sed tanquam verbo, quod est etiam creaturarum verbum eas repraesentans» °. Vazquezium sequuti sunt *Becanus* [7] et alii.

2) *Alii* tenent Deum videre creaturas possibiles et exsistentes tam in se ipso prius viso, quam immediate in se ipsis. Sic plures molinistae ac nominatin'! *Arriaga, Herice, Wirceburgenses, Mendive, Urraburu* et alii [8].

1 Haec cognitio dicitur haberi per medium *quo,* quatenus species in se non cognita est ratio cognoscendi aliud.

2 *I p.,* q. 14, a. 5. Id, in quo videtur objectum, vocatur medium *quod* seu *in quo,* quatenus ipsum prius cognitum ducit in cognitionem objecti.

3 In utroque casu dicerentur res a Deo videri *in se ipsis.*

4 *Contra Gentiles,* lib. 1, c. 46.

5 Aureolus apud Capreolum, *I Sent.,* dist. 35, q. 2, a. 1 contra 1 concl.; Ockam, *I Sent.,* dist. 35, q. 3; Biel, *I Sent.,* dist. 35, q. 3, a. 2, concl. 2, ubi ait: «Non prius intelligitur essentia divina quam creatura... quia, quando una et eadem intellectione omnino indistincta intelliguntur plura, non prius intelligitur unum quam reliquum».

° *In I p.,* disp. 60, c. 3.

7 *Summa theol. schol.,* p. 1, tr. 1, c. 10, q. 4, concl. 3.

8 Arriaga, *De Deo uno.* disp. 19, sect. 4; Herice, tr. 1, disp. 5, cc. 3-4; Wirceburgenses, *De Deo uno,* n. 118 sqq.; Mendive, *De Deo uno,* nn. 150, 160 sqq ; Urraburu, *Theodicea,* disp. 4, 52, 55, 86 et 88.

3) *Alii* docent omnes creaturas possibiles et exsistentes non in semetipsis sed in essentia, divina tanquam in causa prius cognita a Deo intueri ac comprehendi. Ita S. *Thomas* [1] quem, ut par est, sequuntur omnes thomistae [2]. Hanc sententiam tenuere ex antiquis scholasticis *Alensis, Gandavensis, Durandus,* etc. [3] et ex Societate *Molina, Suarez, Petavius, Tanner, Kleutgen, San, Billot* et alii [4].

309. Thesis. **Deus cognoscit creaturas possibiles et exsistentes non in semetipsis, sed solum in sua essentia tanquam in causa prius visa, cognitione propria et omnium singulari.**

Arg. 1) *Ex SS. Patribus. S. Ambrosius* vel alius ejus nomine: «Licet omnia caelestia et terrestria ac minima quaeque perspiciat (Deus), nihil tamen extra se intelligere sed singula in se intueri dicitur» [5].

Pseudo-Dionysius: «Mens divina comprehendit omnia cognitione quadam eminenti, qua secundum ipsammet omnium causam in se omnium cognitionem anticipat... Non enim ex rebus ipsis res discens novit eas divina mens, sed ex se ipsa et in se ipsa, secundum causam omnium scientiam et notionem et essentiam omnibus esse impertit, secundum eamdem unicam causam sciet speciem intendens, sed secundum unicam causae complexionem cuncta sciens et continens... Nam, si secundum unam causam Deus omnibus esse impertit, secundum eamdem unicam causam sciet omnia tanquam ex se exsistentia, et in se ipso ante praeexsistentia, et non ex rebus rerum accipiet notionem, sed et ipsis singulis ipsarum aliisque aliarum notitiam largietur. *Non habet itaque Deus peculiarem aliquam scientiam sui, aliam vero communem res omnes complectentem;* ipsa enim omnium causa se ipsam cognoscens, nullo modo ea, quae ab ipsa et quorum causa est, ignorabit. Hac igitur Deus res cognoscens, non scientia rerum sed scientia sui ipsius ipsas novit» [6].

S. *Augustinus:* «Non enim extra se (Deus) quidquam positum intuebatur... nam hoc opinari sacrilegum est» [7].

S. *Thomas:* «Deus se ipsum videt in se ipso, quia se ipsum videt per essentiam suam. Alia autem a se videt non in ipsis, sed in se ipso, in quantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso» [8].

2) *Ex ratione.* Cognitio fit in quantum cognitum est in cognoscente, quia *ex objecto et potentia paritur notitia.* Porro creaturae considerari possunt esse in Deo a) *formalité?* per veritatem earum objectivam, et

1 *I p.,* q. 14, aa. 5-6.

2 Cfr. Capreolus, *I Sent.,* dist. 35, q. 2, a. 1; Ferrariensis, *Contr Gent.,* lib. t, c. 49 sqq.: Joannes a S. Michaele. *Cursus theol.,* t. 2, tr. I, disp. 4, n. 46 sqq ; Laurentius a S. Theresia, *Spicii, theol.,* t. 2, p. 4, controv. 4, n. 50; Joannes a S. Thonia. *De Deo uno,* disp. 17. a. 2.

3 Alensis, *Summa,* p. I, q. 23, membr. 2 et 3; Gandavensis, *Quodlib.* 9, q. 2; Durandus, *I Sent.,* dist. 35, q. 3, n. 14.

4 Molina, *I p.,* q. 14, aa. 5 et 6, concl. 2; Suarez, *De attrib. Dei posit.,* lib. 3, c. 2, n. 3; Petavius, *De* Deo,-lib. 4, c. 2, n. 4; Tanner, *Theol. schol.,* t. 1, disp. 2, q. 8, dub. 3, assert. 5; Kleutgen, *De ipso Deo,* n. 523 sqq ; San, *De Deo uno,* 159; Billot, *De Deo uno,* th. 21.

5 *De Trinitate* (alias in sytnb, ap), c. 1; ML 17. 537 in nota.

6 *De div. nom ,* c. 7, n. 2; MG 3. 870.

7 *De div. quaesi.* 83, q 46, n 2; MI. 40. 30

8 *I p ,* q. 14, a 5.

hoc sapit pantheismum, quia ea, quae sunt in Deo formaliter, sunt ipse Deus; b) *per species earum proprias,* et hoc arguit imperfectionem, quia supponit Deum haurire species a rebus creatis; c) *eminenter* ut in causa, et haec est nostra sententia.

Corollarium. Qui quotidie dictitant Deum cognoscere res omni modo, quo cognosci possunt, non parum deprimunt mentem divinam. Cum enim objectum et intellectus debeant esse ejusdem immaterialitatis ac perfectionis, ut communiter docent philosophi, vilis profecto conditionis esset intellectus divinus, si creaturas in se ipsis absque ulla a propriis conditionibus elevatione cognosceret,—Praeterea per immediatam rerum cognitionem in veritate objectiva non posset Deus comprehendere creaturas, quia, ut solide argumentatur *San* J, lateret divinum intellectum ratio productionis objectorum ab altissima causa.

310. Scholion. *Cognitio, quam Deus habet de rebus creatis in se ipso, est propria et singularis omnium secundum esse, quod habent in propria natura.* Praeclare hoc illustrat *Angelicus* dicens: «Si aliquis cognoscens cognoscat cognitum secundum esse, quod habet in cognoscente, nihilominus cognoscit ipsum secundum esse, quod habet extra cognoscentem, sicut intellectus cognoscit lapidem secundum esse intelligibile, quod habet in intellectu, in quantum cognoscit se intelligere, sed nihilominus cognoscit esse lapidis in propria natura... Sic igitur dicendum est, quod Deus non solum cognoscit res esse in se ipso, sed per id, quod in se ipso continet res, cognoscit eas *in propria natura,* et tanto perfectius, quanto perfectius est unumquodque in ipso» 2. Unde quoties S. *Thomas* docet Deum cognoscere creaturas «prout sunt in sua praesentialitate» 3, vel «secundum quod sunt in se ipsis»4, non significat Deum accipere cognitionem immediate a veritate objectiva rerum, sed cognitionem, quam habet de creaturis in se ipso tanquam in causa, terminari non solum ad esse eminentiale rerum in essentia divina, sed etiam ad esse proprium et singulare, quo res creatae potiuntur in propria natura.

§ 2

In quo medio cognoscat Deus lutura contingentia conditionata et absoluta.

311. Status quaestionis. 1) Futura contingentia possunt esse, ut diximus superius, *absoluta* vel *conditionata.* Futura contingentia *absoluta* dicuntur, quae, licet dependeant a causis secundis contingentibus seu liberis, sunt tamen determinata a causa prima ad habendam exsistentiam in tempore sequenti et infallibiliter erunt; v. gr., *Petrus peccabit.* Futura *conditionata,* quae etiam *futuribilia* vocantur, dicuntur ea, quae

1 *De Deo uno,* n. 159.
2 *I p.,* q. 14, a. 6 ad I.
3 *I p.,* q. 14, a. 13; *I Sent.,* dist. 38, q. 1, a. 5 ad 3; et in ep. ad Bernarduni. Montiscasini abbatem, apud *Ciencia cristiana,* t. 9, pp 177-178
4 *II-H,* q. 171, a. 6 ad 2; et *I p.,* q. 14, a. 13.

nunquam erunt, sed essent, si apponeretur conditio, a qua dependent; v. gr., *Petrus converteretur, si Evangelium audiret.*

Quod ut melius intelligatur, animadvertendum est tria posse esse genera decretorum circa futura contingentia: a) Primum est *absolutum,* cui nulla subest conditio, et exprimitur hac forma: *Volo, ut Petrus jiat monachus.* b) Alterum vocatur *absolutum ex parte subjecti et conditionaium ex parte objecti,* et est illa determinatio voluntatis, quae in se explicatur per modum absoluti, sed eventus subjicitur conditioni non ponendae; v. gr., *Volo, ut Judas salvetur, si veram agat poenitentiam,* c) Tertium est *conditionatum tam ex parte subjecti quam ex parte objecti,* quod proprie decretum non est, sed esset, si apponeretur conditio; in hoc tam determinatio seu actus voluntatis quam rei eventus dependent a conditione non ponenda; v. gr., *Vellem, ut Petrus divitiis afflueret, si ipse laboraret.* Hoc tertium decretum imperfectionem importat et Deo convenire non potest, cujus actus a nulla conditione dependet.

2) Quaerimus hic, in quo medio cognoscat Deus futura contingentia tam absoluta, quae dependent a libera voluntate creaturae, quam conditionata, quae dependent a conditione nunquam ponenda [1].

312. Theologorum placita. I. *Systema nominalistarum.* Aliqui dixerunt homines in hac vita scire non posse, quomodo Deus cognoscat futura contingentia, et consequenter supersedendum esse ab hac quaestione. Ita nominales *Ockam, Biel* et alii [2].

Haec responsio, ut nemo non videt, difficultatem non solvit sed fugit. Plura sciscitantur et discutiuntur in theologia, quae in hac vita certo cognosci non possunt.

313. II. *Systema molinistarum.* Molinistae docent futura esse respectu scientiae divinae duplicis generis, nempe, futuribilia et futura absoluta. Futuribilia autem seu futura conditionata latissime patent, quia omne liberum absolute futurum in signo priore ante decretum divinum verificandi conditiones erat conditionate futurum, et Deus hanc futuritionem vidit antequam decretum daret. Unde dicunt ex propositionibus contradictoriis de futuro conditionato post decretum indifferens sed ante decretum verificandi conditiones unam esse veram, quia futuribilcm. Deinde addunt scientiam futuri absoluti esse ipsam scientiam futuribilis, prout, adjuncto decreto verificandi conditiones, cognoscitur eventus a Deo [3].

Signa et gradus cognitionum componunt sequenti modo:

1) *In primo signo* cognoscit Deus omnia possibilia, et inter ea cernit etiam possibilia contingentia in particulari, *quid nimirum posset Petrus* cum auxilio indifferenti in quibuslibet circumstantiis, et quid posset in his vel illis adjunctis cum hoc auxilio, an scilicet posset tenta-

1 facile admittitur a theologis futura necessaria videri a Deo in sua essentia seu in decreto suae voluntatis, quo rebus necessariis aptavit causas necessarias. Item satis communiter docent auctores contra Vazquez, *In I p.,* disp. 65, n. u, futura contingentia, quae ex sola Dei voluntate pendent, ut exsistentia angelorum et plura opera miraculosa, cognosci a Deo in suo decreto efficaci.

2 Ockam, *I Sent*, dist. 38, q un.; Biel, *1 Sent.,* dist. 38, q. un., a. 2.

3 Cfr. Billot, *De Deo uno,* q. 14. th. 22, § 2.

tioni resistere *(cognitio possibilium, scientia simplicis intelligentiae,* de qua supra).

2) *In secundo signo* dat Deus decreta indifferentia movendi voluntatem vel concurrendi cum ea, si omnes adsint conditiones, et per scientiam mediam cognoscit *quid reapse jaceret Petrus* in hoc ordine rerum constitutus et cum hoc auxilio adjutus, an scilicet tentationi resistens bonum operaretur, vel tentationi cedens in peccatum laberetur *(cognitio futuribiliiim, scientia media).*

Sed in quo medio cognoscit Deus haec futuribilia per scientiam mediam? In hoc vertitur tota difficultas et totum systema molinistarum, atque ab ejus solutione dependet adsignatio medii, in quo Deus videat futura absoluta in signo sequenti. Futuribilia in hoc statu juxta molinistas non supponunt decretum divinum verificandi conditiones sed solum decretum indifferens, et sunt versatilia ac proinde nequeunt videri a Deo in causis secundis proximis. Ubi ergo cognoscit Deus, quid faceret Petrus in his vel illis adjunctis cum auxilio indifferenti adjutus? Diversimode respondent molinistae.

a) *Aliqui* dixerunt futuribilia cognosci a Deo in supercomprehensione humanae voluntatis. Ita *Molina,* cui subscribere visi sunt S. *Bellarmintis, Becanus* et alii \

Sed hoc merito rejicitur a theologis etiam ab ipsis hodiernis molinistis, quia per comprehensionem quantumvis perfectam videri non potest in causa, quod in ea non est.

b) *Alii* defenderunt futuribilia a Deo videri tum in se ipsis, tum in se ipso ante et independenter ab omni decreto absolute actuali. Ita *Suarez, Mendive* 2 et alii plures.

Haec pariter sententia reliquenda videtur quoad primam partem, ut patebit ex dicendis in toto hoc articulo. Futuribilia enim, quae dependent a conditione nunquam verificanda, non habent nec habebunt veritatem objectivam, et quamvis haberent, non possent in se ipsis a Deo videri, sed solum in se ipso ad modum possibilium et exsistentium.

c) *Alii* voluerunt Deum cognoscere futuribilia in se ipsis, «penetrando immediate veritatem, quae in ipsis est, vel concipi potest». Ita *Fonseca, Vazquez, Ruiz de Montoya, Valentia, Tanner, Urraburn,* etc. 3.

Haec etiam opinio ex eo saltem deserenda est, quod futuribilia, ut

1 Molina, *Concordia,* q. 14, disp. 50-52; et *in I p.,* q. 14, disp. 14, concl. 1, ratione 2; S. Bellarminus, *De gratia et libero arbitrio,* lib. 4, c. 15; Becanus, *Summa theol.,* p. i, tr. 1, c 10, q. 7, concl 2. Nihilominus cl. Willems, *Theol. nat.,* th. 22 in nota, adserit non certo constare, an Molina docuerit Deum cognoscere futuribilia in supercomprchensione voluntatis finitae an in eis ipsis; et juxta cl. Pesoh, *De Deo uno,* 279, molinistae, cum dicunt Deum futuribilia cognoscere *in supercomprehensione humanae voluntatis,* solum significare intendunt «Deum scire voluntatem, positis conditionibus, transituram in talein actum, quamvis voluntas considerata in actu primo hanc cognitionem producere non possit».

2 Suarez, *De scientia Dei fut. canting.,* lib. 2, cc. 7 et 8; Mendive, *De Deo uno,* n. 198 sqq.

3 Fonseca. *Metaph.,* lib. 6, c. 2, q. 4, sect. 2-10; Vazquez, *In I p.,* disp. 65, c. 4, etc.; Ruiz, *De scientia Dei,* disp. 29 et 75; Valentia, *hl I p.,* disp. 1, q. 14,p. 5. § 2, assert. 4; Tanner, *Theol. schol.,* t. I, *De Deo,* disp. 2. q. 6, dub. 7, ass. 7; Urraburu, *Theod.,* disp. 4, n. 103.

explicant molinistae, cum solo decreto Dei indifferenti non habent veritatem objectivam, nec in se ipsis considerata possunt immediate terminare scientiam Dei.

d) *Ludovicus San* [1] docet futuribilia a Deo videri in se ipso, si attendatur ratio formalis, in qua Deus ea cognoscit, et in se ipsis, si attendatur ratio fundans aeternam veritatem fundamentalem eorum. Contendit enim futuribilia habere in semetipsis aeternam veritatem fundamentalem, id est, aeternam veritatem objectivam fundatam in esse. Aeterna haec veritas fundamentalis eminenter continetur in essentia divina et intellectui divino sistit, ut cognoscatur [2].

Aeterna veritas objectiva fundamentalis, quam P. de San tribuit futuribilibus, antequam repraesententur in essentia divina, est omnino gratuita, et inde corruit fundamentum hujus explicationis.

e) *Alii* denique hodie multo communius inter molinistas, volunt futuribilia cognosci a Deo in ipsa essentia divina, quatenus est archetypus omnis veritatis, quia omnis veritas etiam futuribilium per prius invenitur in essentia divina, et veritates creaturarum sunt imitationes essentiae divinae. Juxta hanc sententiam essentia divina repraesentat omnes modos possibiles essendi rerum non solum in genere sed etiam in particulari, omnia conditionate futura, omnes scilicet voluntates creatas cum omnibus circumstantiis, inclinationibus, loco, tempore, situ, auxiliis simultaneis a Deo oblatis, etc.; uno verbo, cum omnibus conditionibus, in quibus actus liberi ponerentur vel non a libera voluntate. «Divinus intellectus speculando et comprehendendo divinam essentiam, eo ipso speculatur omnes possibiles modos participationis ipsius. Hinc Dei intuitus primo quidem fertur in essentiam suam, deinde vero trans divinam essentiam visam in omnia possibilia, et omnes, quotquot sunt, modos singularitatis eorum. Fertur itaque in unamquamque voluntatem creabilem, secundum quod est haec in individuo voluntas, ab omni alia possibili voluntate distincta» [3], et in unumquemque actum liberum conditionate futurum, adeo ut cognoscat Deus in sua essentia omnia possibilia et futuribilia ante decretum absolutum suae voluntatis, in quantum essentia divina est archetypus veritatis etiam possibilium et futuribilium. Deinde praelucente cognitione futuribilium (scientia media),

1 *De Deo uno,* n. 170 sqq.

2 «Tria, inquit, signa rationis hic distinguere oportet. *In primo signo rationis* futurum contingens, secundum quod in tempore a voluntate vel reipsa procedet, vel ab ea procederet, si poneretur conditio aliqua, fundat aeternam veritatem objectivam futurorum contingentium. *In secundo signo rationis* essentia divina, tanquam infinitus actus veritatis, jam eminenter in se continet atque repraesentat objectivam veritatem futurorum contingentium. *In tertio signo rationis* intellectus divinus, attingendo hanc objectivam veritatem futurorum contingentium, ea in ipsismet cognoscit», n. 198. «Si sermo sit *de ratione formali,* in qua Deus cognoscit futura contingentia, sic Deus ea non cognoscit in ipsismet sed in sua essentia. Ipsamet scilicet essentia divina est objectum illud formale, quod tanquam primo ac per se cognitum determinat intellectum divinum ad cognoscenda futura contingentia tanquam quaedam, quorum objectiva veritas in ipsa eminenter continetur. Si vero sermo sit de ratione fundante aeternam veritatem futurorum contingentium, sic Deus cognoscit futura contingentia in ipsismet», n. 199.

3 Billot, *De Deo uno,* th. 22, § 1, *Circa hoc igitur.*

creat hominem seu facit decretum verificandi conditiones, et ita ea, quae erant conditionate futura per scientiam mediam cognita, transeunt in futura absoluta.

Brevius: Veritates possibilium, futuribilium et futurorum non sunt nisi imitationes essentiae divinae. Unde in essentia divina per prius repraesentantur a) omnia possibilia, v. gr., *Petrus potest converti;* b) futuribilia seu facta hypothetica cum decreto Dei indifferenti et cum omnibus circumstantiis et conditionibus, puta: *Petrus converteretur, si audiret Evangelium;* et hoc modo patent intellectui divino omnia futuribilia, seu omnia futura contingentia, quae pendent a conditione non ponenda. Unde divinus intellectus, essentiam divinam speculando et comprehendendo, videt a) possibilia per scientiam simplicis intelligentiae; β) facta hypothetica post decretum indifferens et ante decretum absolutum per scientiam mediam. Ita *Franzelin, Kleutgen, Billot, Pesch,* etc. [1].

Haec explicatio, sicut et totum systema molinistarum, gratis supponit actus liberos hypotheticos post solum decretum indifferens et versatile ante decretum Dei absolutum repraesentari et habere veritatem in essentia divina. Hujus theoriae patronis probandum superest futuribilia per «decreta Dei hypothetica movendi voluntatem creatam et praestandi omnia, quae ex parte mea requiruntur» [2] in essentia divina sine ulteriori decreto adeo fixe repraesentari habereque veritatem, ut certo cognosci possint.

3) *In tertio signo,* praevisa jam per scientiam mediam voluntate seu actu libero conditionali Petri, vel decernit Deus ipsum collocare in adjunctis, in quibus operaturus esset bonum, vel eliget alium ordinem, in quo praevidit Petnim peccaturum, et sic permittit ejus peccatum. Verificata conditione, vel electo alio ordine, constituuntur futura absoluta, et videt Deus vel in ipsa veritate objectiva vel «per simplicem intuitum veritatis vel rei quae futura est» [3], vel potius in essentia divina repraesentante veritatem objectivam, quid reapse futurum sit; v. g., *Petrus tentationi resistet.*

314. III. *Systema thomistarum.* Thomistae communiter docent omnia contingentia in signo priore ante decretum Dei esse mere possibilia nullamque habere veritatem objectivam, adeo ut propositiones contradictoriae singulares de eisdem careant veritate ac falsitate. Quare cognoscuntur a Deo sicut et caetera possibilia in essentia sua per scientiam simplicis intelligentiae.

Ex his possibilibus 1) *quaedam* seligit Deus et decernit ut hypothetice futura, id est, dependentia a conditione nunquam verificanda [4], et haec cognoscuntur a Deo in essentia sua repraesentante decreta subjective absoluta et objective conditionata. 2) *Alia* seligit Deus et decernit ut absolute futura modo tamen causae proximae convenienti, necessaria

1 Franzelin, *De Deo uno,* th. 43; Kleutgen, *De ipso Deo,* n. 537 sqq.: Billot, *De Deo uno,* q. 14, th. *22;* Pesch, *De Deo uno,* n. 235.

2 Billot, *De Deo uno,* th. 22, § 1.

3 Suarez, *De scientia Dei /ut. contint; ,* lib 1, c. 8, n. 2.

4 Si dependent a conditione ponenda, possunt dici futura absoluta.

necessario, et libera libere; et haec videntur a Deo in sua essentia repraesentante decreta absoluta et efficacia, quibus actiones bonae praedefiniuntur malaeve permittuntur.

315. IV. *Systema augustinianorum.* Veteres augustiniani (aegidiani) dixerunt Deum cognoscere futura conditionata et absoluta *in suis ideis,* sed, cum ideae divinae sint rerum effectrices, potest haec sententia reduci in systema thomisticum. Recentiores generatim defendunt futura conditionata meritoria ordinis supernaturalis in statu naturae lapsae cognosci a Deo in suis decretis praedeterminantibus subjective absolutis et objective conditionatis, ac futura absoluta ordinis supernaturalis in suis decretis absolutis; futura vero conditionata naturalia in omni statu et supernaturalia in statu naturae integrae cognosci a Deo in voluntate creata repraesentata in essentia divina ut imitabili a creatura X.

316. V. *Systema medium.* His ultimis temporibus aliqui excogitarunt systema, quod possumus vocare medium. Rejiciunt tum scientiam mediam molinistarum tum decreta praedeterminantia thomistarum, et dicunt «Deum praecognoscere futura contingentia *non ante actum liberum* divinae voluntatis, ac proinde sine ope scientiae mediae; *nec post actum liberum,* ac proinde sine decretis praedeterminantibus; sed *in actu libero* divinae voluntatis» 2, id est, in essentia sua, quatenus omnia sunt Deo simul praesentia in aeternitate secundum rationes intelligibiles eorumdem, supposita libera Dei voluntate de eorum futuritione.-Ita *Card. Pecci, Satolli, Janssens, Paquet, Lorenzelli,* etc. 3.

Patroni hujus sententiae ex una parte accedere videntur ad systema thomistarum, sed non explicant, quomodo futura contingentia sint praesentia in aeternitate, et quid sit libera Dei voluntas, quam supponunt, ut futura repraesententur in aeternitate; et cum explicare tentant influxum causae primae in voluntates liberas, ut futura contingentia sint determinate vera vel habeant rationes intelligibiles, incidunt in inconvenientia, quae ipsimet valide accumulant contra scientiam mediam 4.

317. Thesis **I. Omnia futura conditionata cognoscuntur a Deo in sua essentia repraesentante decreta subjective absoluta et objective conditionata de rerum futuritione.**

Nota. Dari in Deo decreta subjective absoluta et objective conditionata ex eo constat, quod futura conditionata habeant revera aliquam futuritionem, scilicet conditionatam, et, si conditio purificaretur, revera exsisterent.

Arg. *Ex multiplici ratione.* 1) Futurum contingens conditiona-

1 Cfr. Berti, *De theol. discipl.,* lib. 4, cc. 6-12; Honoratus dei Val, *De Deo uno,* n. 164.—Hanc sententiam, paucis mutatis, defenderunt Tournely, *De Deo et div attrib.,* q. 16, a. 3, § *Quo in medio,* conci. 3, et alii.

2 Paquet, *De Deo uno,* disp. 6, q. 2, a. 3.

3 Pecci, *Sentenea di S. Tomniaso circa 1'in/lusso di Dio... 2,* 20; Satolli, *De operat, div.,* disp, 1, lect. 5; Janssens, *in i p.,* q. 14, diss. 1, de scientia media, conci. 5; et diss 3 per totum; Paquet. *De Deo uno,* disp. 4, q. 1, a. 6; Lorenzelli, *Metaphys. specialis,* p. 2, lect. 1.

* Cfr.,Norbortu» del Prodo, *De gratia et libero arb ,* p. 3, c. 12.

tum extrahitur quodammodo e statu purae possibilitatis et fit cognoscibile ut futurum decreto Dei subjective absoluto et objective conditionato. Non datur nec dari potest alia ratio, qua futura conditionata determinentur et reddantur cognoscibilia ut futura. Ergo.

2) Suppressis memoratis decretis, Deus indigeret sese convertere ad futura hypothetica et ab eorum determinatione exspectare certitudinem suae cognitionis, quod certe argueret dependentiam intellectus divini a rebus creatis.

3) Essentia divina est quidem imitabilis in infinitum a creaturis, et, qua omnipotens, repraesentat omnia possibilia, sed sine decreto efficaci non repraesentat aliquid ut futurum. Nequit ergo sine decreto efficaci esse medium cognoscendi, quod in ea non est.

4) Decretum concurrendi simultanée ad actionem humanae voluntatis non extrahit eventus liberos a statu possibilitatis et non facit futuros cognoscibiles, quia indifferens est ad unum vel alterum, et indifferens additum indifferenti non facit determinatum. Unde, si Deus non daret decretum absolutum, exspectaret determinationem creaturae et dependeret ab ea, quod est inconveniens.

Neque valet dicere cum *Pesch* x, eventus liberos extrahi a statu possibilitatis per concursum Dei conditionate collatum, quia hic concursus conditionate collatus, est adhuc indifferens ad fore vel non fore, et consequenter non determinat eventus.

Corollarium. Futuribilia non sunt proprie futura, quia non sunt omnino determinata ad exsistendum, nec sunt pure possibilia, quia evenirent, si conditio purificaretur. Idcirco cognoscuntur a Deo, quia extracta sunt a statu possibilium et facta sunt cognoscibilia per decretum Dei efficax subjective absolutum et objective conditionatum. Subjective determinata sunt a Deo, et in executione dependent a conditione, quae nunquam purificabitur.

318. Scholion. An in Deo sint innumera decreta, quae determinent futuritionem sub conditione objectiva omnium combinationum possibilium, non est una thomistarum sententia. Nonnulli multiplicant decreta sine limite et docent omnes combinationes, etiam in alio rerum ordine possibiles, esse a Deo praefinitas sub conditione. Ita *Goudin* 2. Alii censent ad perfectionem scientiae divinae sufficere, ut Deus ea decreverit, quae necessaria sunt ad gubernationem universi in praesenti rerum ordine, relinquendo in statu purae possibilitatis plurima, quae nos in forma futuri conditionati possumus concipere. Sane multiplicatio innumerabilis decretorum conditionatorum de omnibus combinationibus, quae fieri possunt tum in praesenti tum in alio rerum ordine, videtur inutilis. Ita *Joannes a S. Thoma, Van Noort* et alii 3.

319. Thesis **II. Deus certo et infallibiliter cognoscit futura libera absoluta in sua essentia, quatenus haec repraesentat decretum absolutum et efficax actuum liberorum futuritionem determinans.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Certitudinem eventuum futurorum Dominus retulit in sacris litteris ad efficaciam suorum decretorum.

1 *De Deo una,* 239. 2 *De voluntate Dei.* q. 2, a. 1, conci. 3.
3 Joannes a S. Thoma, disp. 20, a. 2, n. 33; Van Noort, *De Deo UM,* n. 92.

Juravit Dominus exercituum dicens: si non ut putavi, ita erit; et quomodo mente tractavi, sic eveniet, ut conteram assyrium in terra mea... Hoc consilium, quod cogitavi super omnem terram..., Dominus enim exercituum decrevit, et quis poterit infirmare? [1].

2) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus:* «Praedestinatione Deus ea praescivit, quae fuerat ipse facturus» [2]. Rursum: «Electi sunt itaque ante mundi constitutionem ea praedestinatione, in qua Deus sua futura facta praescivit» [3].

3) *Ex auctoritate S. Thomae.* «Deus cognoscit res, inquit *Angelicus,* quatenus est causa earum. Sed Deus non tantum est causa necessariorum, sed etiam contingentium. Ergo tam necessaria quam contingentia cognoscit» [4]. Iterum: «Scire est causam rei cognoscere; sed Deus scit omnium contingentium causas, scit enim se ipsum, qui est causa omnium. Ergo ipse scit contingentia» [5]. Unde Deus scit contingentia, quia cognoscit causam eorum. Sed Deus est causa rerum, quatenus suo decreto determinat earum futuritionem. Ergo.

In *Summa Contra Gentiles* ostendit *Angelicus* Deum cognoscere cogitationes mentium et affectus cordium in virtute causae primae, quia ipse est universale essendi principium, et addit: «Dominium, quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus est potestate velle et non velle, excludit determinationem virtutis ad unum et violentiam causae exterius agentis: non autem excludit influentiam superioris causae, a qua est ei esse et operari; et sic remanet causalitas in prima causa, quae Deus est respectu motuum voluntatis, ut sic Deus se ipsum cognoscendo hujusmodi cognoscere possit» [6]. En integrum systema thomisticum: a) Actus liberi nullam determinationem voluntatis ad unum vel violentiam causae exterius agentis patiuntur, sed admittunt influentiam causae primae, b) Influentia causae primae nullum detrimentum infert libertati. c) Deus cognoscit actus liberos in se ipso influente in motus voluntatis seu decernente eorum futuritionem.

4) *Ex ratione,* a) Non potest Deus suam cognitionem mutuare a rebus creatis, quia non potest suam perfectionem ab eis haurire. Unde oportet, ut omnia in se ipso cognoscat. Futura autem non sunt in Deo, nisi in quantum Deus est causa eorum seu determinatus est per decretum efficax suae voluntatis. Ergo Deus videt futura contingentia absoluta in sua essentia, quatenus haec repraesentat decreta absoluta. «Alia a se, inquit S. *Thomas,* videt (Deus) non in ipsis sed in se ipso, in quantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso» [7].

b) In signo priore ante decretum absolutum determinans futuritionem rerum nulla res contingens habet veritatem objectivam. Ergo primus actus, quo res fixe repraesentantur ut futurae et verae in essentia

1 *Is.,* 14, 24-27. Cfr. *Rom.,* 9, 14 sqq.
2 *De praedest. SS.,* c. 10, n. 9: ML 44, 975.
3 *De praedest. SS.,* c. 17, n. 34; ML 44, 986.
4 *De veritate,* q. 2, a. 12, arg. *Sed contra* 4.
5 *De veritate,* q. 2. a. 12, arg. *Sed contra* 6.
6 *Contr. Gent.,* lib. 1, c. 68.
7 *I p.,* q. 14. a. 5.

divina, est decretum Dei efficax et absolutum; ac consequenter Deus videt hujusmodi futura in essentia sua repraesentante decretum absolutum.

Diluuntur objectiones.

320. Obj. 1.° S. *Thomas* ait: «Quicumque cognoscit effectum contingentem in causa sua tantum, non habet de eo nisi conjecturalem cognitionem»[1] Praeterea docet Deum cognoscere «futura secundum duo; scilicet, secundum quod sunt in se ipsis, in quantum scilicet ipsa praesentialiter intuetur, et secundum quod sunt in suis causis, in quantum scilicet videt ordinem causarum ad effectus»[2]. Ergo.

Resp. *In primo textu* S. Thomas loquitur de cognitione futurorum contingentium in suis causis proximis, praeciso decreto Dei, et sic patet verissimam esse expressionem S. Doctoris.

In secundo textu agit S. Doctor de modo essendi futurorum contingentium in aeternitate et in suis causis proximis. Modum videndi futura in aeternitate vocat cognitionem *in se ipsis,* non quod Deus accipiat cognitionem a veritate objectiva, quae sit a parte rei, sed quia futura, antequam fiant in rerum natura, sunt praesentia in aeternitate, secundum esse verum ac reale, quod habitura sunt in tempore, et «Deus... per id, quod in se ipso continet res, cognoscit eas in propria natura»[3].

Obj. 2. Systema thomisticum est destructivum humanae libertatis, quia voluntas humana sub decreto Dei absoluto et efficaci non retinet facultatem exsequendi futura aliter quam determinata sunt. Hoc autem est absurdum. Ergo.

Resp.– Neg. maj. Ad ejus probationem dico voluntatem humanam sub decreto Dei efficaci retinere facultatem exsequendi suos actus aliter ac determinati sunt. Deus enim non solum decernit substantiam actuum, sed etiam modum, quo fieri debeant, necessaria necessario, et libera contingenter ac libere. Causa prima atque universalissima adest voluntati humanae dans ei esse et operari efficaciter quidem, sed faciens ut libere se moveat secundum propriam naturam. Decretum Dei efficax praecedit actum liberum voluntatis non duratione sed logice tantum et ex parte actus secundi, et non officit sed proficit libertati, quia relinquit potentiam cum omnibus requisitis ad actum, et dat, ut actus fiat et libere fiat, quod omnino necessarium est, ut in Deo salvetur ratio causae primae et supremi dominii in omnia[4].

Obj. 3.° Peccata sunt aliquando futura. Si ergo Deus praeordinavit cuncta futura, Deus erit auctor peccati, quod absit.

Resp. Duo sunt in peccato consideranda, actus physicus (ens et bonum) et privatio rectitudinis moralis (non ens). Deus decreto suo positivo decrevit actum physicum peccati et cognovit ab aeterno; privationem autem, cum non sit ens, non decrevit positive, sed permisit, et cognovit ab aeterno non in decreto positivo sed in decreto permissivo. Quare Deus est auctor peccati ex parte, qua est actus positivus, non ex parte, qua est privatio rectitudinis moralis.

ARTICULUS IV

QUID DICENDUM DE SCIENTIA MEDIA

321. Status quaestionis. 1) Aegre hanc implicatissimam quaestionem aggredior, in qua vel pacata unius partis expositio creditur a multis injuria. Ne tamen studiosae juventuti aliquid in his disciplinis

1 *I p.,* q. 14, a. 13.
2 *II-II,* q. 171, a. 6 ad 2.
3 *I p.,* q. 14, a. 6 ad 1.
4 Cfr. Paulus a Concepi., tr. 3. disp. 3, dub. 5, n. 51.

desiderari videatur, breviter meam opinionem ita aperiam ac sustinebo, ut contrarie sentientes magis excusare quam accusare contendam.

2) Disertis verbis docet *Angelicus* omnia possibilia, quae nunquam erunt, cognosci a Deo per *scientiam simplicis intelligentiae;* exsistentia vero, id est, ea quae fuerunt, sunt, vel erunt, per *scientiam visionis.* Sed aliud restare videtur genus objecti, quod nec est mere possibile, nec absolute futurum, sed conditionate futurum seu futuribile. Thomistae defendunt futuribilia, quae dependent a conditione non ponenda, cognosci a Deo per scientiam necessariam et simplicis intelligentiae, et quae dependent a conditione purificanda, cognosci per scientiam liberam et approbationis.

3) *Scientia media.* Molinistae, ut dixi, docent futuribilia esse ea omnia, quae decreto Dei hypothetico et indifferenti extracta sunt a statu purae possibilitatis, sed nondum determinata sunt decreto absoluto verificandi conditiones, a quibus dependent. Unde omnia futura contingentia absoluta fuerunt conditionata seu futuribilia in signo priore ante decretum absolutum verificandi conditiones. Scientia, qua Deus videt haec futuribilia, sive in voluntate humana, sive in se ipsis, sive in concursu praestito, sive in Deo, juxta opiniones supra recensitas, non est scientia simplicis intelligentiae nec visionis, sed *scientia media* k Per eam explorat et videt Deus, quid voluntas creata in multiplici hujus vitae discrimine cum auxilio Dei indifferenti factura esset, si in determinatis adjunctis et conditionibus poneretur; v. gr.. *Petrus gentilis gratia indi)ferenti adjutus, si in familia Christiana viveret, converteretur.* Ad normam hujus praevisionis, vel decernit Deus implere conditiones et constituit futura absoluta, vel non implet conditiones et permittit peccatum, quae videntur per scientiam visionis.

Hic examinari oportet, an haec doctrina de scientia media solidum habeat fundamentum.

4) Cum Ecclesia nondum in hac materia tulerit sententiam, liberum est cuique opinionem, quam maluerit, defendere. Quare limites caritatis excedere videntur, qui dicunt molinistas esse semipelagianismi erroribus infectos, vel e contra de Calvini erroribus accusant thomistas. Ex auctoritate gravissimorum theologorum utrinque exsistentium et ex attenta consideratione sententiarum certissime deducendum existimo thomistas a macula calvinismi et molinistas ab erroribus semipelagianorum esse omnino liberos.

322. Thesis. **Scientia media, prout explicatur a molinistis, non est admittenda.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus ait: *Ne supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur pro alio. Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* 2. Monemur his verbis neminem sibi gloriandum esse,

1 Dicitur *media,* quia mediat inter scientiam necessariam et liberam vel etiam inter scientiam simplicis intelligentiae et visionis.

2 */ Cor ,* 4. 6-7. Hic locus directe agit de donis naturalibus, quibus Corinthii gloriabantur, sed potest id dona supernaturalia recte adhiberi'. Cfr. Comely, *Comment. in rf). / ad Cor.,* 4, 6-7.

quod sua voluntate et virtute ah aliis se discreverit, sed omnem discretionem in gratuitam Dei voluntatem refundi. Sed in systemate scientiae mediae Deus ante suum decretum absolutum videt ex duobus aequali gratia praeventis unum prae alio conversurum, ac proinde discretio unius ab altero non jam in voluntatem Dei sed in voluntatem humanam refunditur. Ergo.

Nec refert, si dicas illam discretionem tribuendam esse voluntati Dei gratuitae, quae praestat concursum humanae voluntati, et operatur simul cum libero arbitrio.

Nam contra est. «Hoc ipso, ajunt ad rem *Salmanticenses,* quod liberum arbitrium habeat de suo aliquam virtutem proximam activam, quae non tribuatur ei ab illa voluntate gratuita, quamvis nequeat operari nisi associatum ipsi, oportet, ut illa partialis efficientia praedicti arbitrii, ut praecise correspondet suae virtuti proximae et innatae secundum id, quod de suo habet, quamvis associato gratiae, et quatenus est pars unius integrae causae ipsius consensus et discretionis, praevideatur a Deo, ut aliquid, quod non est formaliter ab illa voluntate gratuita, sed ab ipsa natura arbitrii» [1]. Patroni scientiae mediae admittere debent concursum Dei indifferentem determinari a voluntate humana et idcirco, qui illum determinat in bonum, potest gloriari quod se discreverit ab aliis.

2) *Ex auctoritate S. Augustini,* a) Doctor hipponensis adducit illa verba Apostoli ad *Rom.,* 9, 11 sqq.: *Cum enim nondum nati fuissent aut aliquid boni aut mali egissent, (ut secundum electionem ■propositum Dei maneret), non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui,* et addit: «Propter quod profecto desipitis, qui dicente veritate *non ex operibus sed ex vocante dictum est;* vos dicitis, ex futuris operibus, quae Deus illum facturum esse praesciebat, Jacob fuisse dilectum; atque ita contradicitis Apostolo dicenti: *Non ex operibus,* quasi non posset dicere: Non ex praesentibus sed futuris operibus. Sed ait: *Non ex operibus,* ut gratiam commendaret» [2].

b) «Si audiam, inquit iterum, quod aliquid futurum erat, sed Deus fecit ne fieret, fidissime respondebo, illud potius futurum erat, quod Deus fecit, non illud, quod si futurum esset, hoc fecisset; nam Deus, quod facturus erat, utique sciebat, et ideo simul sciebat illud futurum non fuisse, quod ne fieret facturus erat» [3].

3) *Ex auctoritate S. Thomae.* Angelicus Doctor, cum sibi objecisset [4] omnem certitudinem praedestinationis fundari in suppositione causae secundae, ac ideo praedestinationem esse conditionalem non absolutam atque exprimi debere sub hac conditione: «salvabitur, si se praeparabit», respondet: «Ad quartum dicendum, quod causa secunda, quam oportet supponere ad inducendum praedestinationis effectum,

1 *De scientia Dei,* disp. io, n. i8.

2 *Contra duas ep. Pelag.,* lib. 2, c. 7, n. 15: ML 44, 582.

3 *Contra Faustum.* lib. 26, c. 4: ML 42. 487. Cfr. id. S. Augustinus, *De anima,* i, c. 12; ML 44, 483; *De praedest. SS.,* c. 19; ML 44. 988.

4 *De veritate,* q. 6, a. 3, obj. 4.

etiam ordini praedestinationis subjacet; non autem est ita in virtutibus inferioribus respectu alicujus virtutis superioris agentis; et ideo ordo divinae praedestinationis, quamvis sit cum suppositione voluntatis humanae, nihilominus tamen absolutam habet certitudinem, etsi in exemplo inducto contrarium appareat» [1].

Iterum: «Cum igitur voluntas divina sit efficacissima, non solum sequitur, quod fiant, quae Deus vult fieri, sed et quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult; vult autem quaedam Deus fieri necessario et quaedam contingenter et libere» [2].

In his locis manifeste evertitur a S. *Thoma* fundamentum scientiae mediae. Systema siquidem scientiae mediae, rejiciens decreta Dei absoluta et efficacia, ponit decretum hypotheticum, et exspectandam esse docet determinationem voluntatis humanae. S. *Thomas* e converso certitudinem scientiae divinae circa actus liberos creaturae repetit ab efficacia divinae operationis.

Saepe docet S. *Doctor* non ideo futura a Deo praenosci, quia futura sunt, sed ideo esse futura, quia sunt praescita [3]. Item, adserit Deum futura non cognoscere, nisi quatenus sunt praesentia in aeternitate. Futura autem fiunt praesentia in aeternitate per decretum Dei efficax [4].

323. 4) *Ex ratione,* a) Cum ante decretum absolutum divinae voluntatis nulla sit in rebus determinatio, ex qua veritas earum exurgat, scientia media caret objecto. Ergo scientia media non est admittenda.

Nec valet recursus ad decretum concurrendi ad actionem creaturae. Hic enim concursus, cum indifferens sit et versatilis, nequit esse fundamentum certum veritatis objecti.

Deus scientia necessaria cognoscit omnia possibilia, et scientia libera, quae supponit decretum Dei absolutum de futuritione rerum, intuetur omnia, quae fuerunt, sunt vel erunt. Gratis ergo fingitur objectum scientiae mediae inter scientiam Dei necessariam et liberam.

b) *Scientia media supponit a creatura produci quamdam entilatem et perfectionem independenter a Deo.* Transitus siquidem causae secundae de potentia ad actum et praesertim transitus voluntatis creatae de *posse agere* ad *ipsum agere* est entitas quaedam et perfectio. Sed scientia media supponit voluntatem creatam vi suae innatae libertatis transire de potentia ad actum et determinare concursum indifferentem ad bonum, quia scientia media dicitur cognitio eorum, quae voluntas humana faceret in talibus adjunctis sine decreto Dei absoluto. Ergo.

c) *Scientia media tollit a Deo rationem actus primi in determinatione voluntatis creatae et facit actum creaturae non participatum a Deo.* Deus est actus purissimus et ipsum esse subsistens, a quo omnis actus creaturae habet esse per participationem, adeo ut non solum effectus, qui a parte rei producitur, sed etiam ipse actus potentiarum debeatur Deo

1 *De veritate,* q. 6, a. 3 ad 4.
2 *I p.,* q. 19, a. 8.
3 Cfr. */ p.,* q. 14, a. 8.
* */ p..* q. 14, a. 13. De mente S. Thomae circa scientiam mediam conferatur Lemos, *l'anoplia gratiae,* t, 1, p. *2,* tr. 5, c. 10.

primo actui per essentiam. Sed in systemate scientiae mediae Deus non influit in potentias causae secundae nec producit earum actum, sed simul cum eis operatur effectum. Hinc patroni scientiae mediae subtrahunt ab influxu Dei determinationem voluntatis creatae [1].

d) *Scientia media aufert a Deo rationem causae primae respectu eorum, quae a voluntate creata jiunt.* Voluntas creata concursu Dei indifferenti se determinans ad unum extremum futuri conditionati habet proculdubio rationem causae primae respectu eorum, quae ab ipsa fiunt. Concursus autem Dei simultaneus non sufficit ad auferendam a voluntate creata hanc rationem causae primae, quia concursus Dei simultaneus se habet ad modum agentis paralleli «non secus ac cum duo trahunt navem» [2].

e) *Systema scientiae mediae aufert a Deo libertatem respectu eorum, quae a libera voluntate creaturae procedunt.* Systema scientiae mediae excogitatum est ad conciliandam libertatem cum praescientia et decretis Dei; sed, si rem bene inspicias, facile colliges libertatem Dei per ipsum coarctari. Dicitur enim Deus ante decretum absolutum suae voluntatis praevidere per scientiam mediam quid Petrus sit facturus cum auxilio sufficienti in his vel illis adjunctis constitutus, adeo ut actio Petri habeat veritatem objectivam. Quid in hoc casu aget Deus? Habetne libertatem ad decernendum contrarium? Si id, quod Petrus determinavit, verum est et praevisum a Deo ante decretum suum absolutum, non facile intelligitur, quomodo possit Deus contrarium decernere.

324. Scholion. *Difficultas.* Christus Dominus ait judaeis: *Vae tibi, Corozain, vae tibi, Bethsaida: quia, si in Tyro et Sidone jactae essent virtutes, quae jactae sunt in vobis, olini in cilicio et cinere poenitentiam egissent* [3]. Haec increpatio fuisset injusta, si Deus in suo decreto absoluto et efficaci futura conditionata videret. Bethsaimitae siquidem et habitatores Corozain, si thomistae fuissent, poterant Deo respondere: «Etiam nos poenitentiam jamdiu egissemus, si praeter virtutes has in nobis factas bona opera efficaciter decrevisses, sicut conversionem tyrioruin et Sidoniorum, suppositis his signis, decreveras».

Resp. I. Haec difficultas aeque urget molinistas. Bethsaimitae et habitatores Corozain, si fuissent molinistae, poterant Christo respondere: «Sciebas per scientiam mediam nos in his adjunctis poenitentiam non esse acturos, bene tamen in aliis; utinam hos posuisses in aliis circumstantiis vel decrevisses verificare alias conditiones, in quibus praevidebas nos poenitentiam acturos».

II. Inanis prorsus et injusta foret responsio judaeorum. Ipsis siquidem concessa sunt auxilia sufficientia, quibus, si non restitissent, potuissent revera de peccatis conteri et per poenitentiam converti. Quod autem non cre-

1 Notatu digna sunt haec verba Molinae: «Sicut concursus Dei generalis cum causa agente per *actionem transeuntem,* ut cum igne producente calorem in aquam, non est influxus Dei in ignem sed in aquam, in quam recipitur effectus a Deo et ab igne simul productus, ita concursus generalis Dei cum causa operante per *actionem immanentem,* ut cum intellectu ad intellectionem et voluntate ad appetitionem, non est influxus Dei in causam ea ratione, qua agens est, quasi eo prius mota et excitata agat; sed cum causa... ea ratione qua patiens est atque in se suscipit effectum ab eadem causa atque a Deo partiali influxu utriusque simul productum». *Concordia,* q. 14, a. 13, disp. 29, *Ut de. concursu.*

2 Molina, *Concordia,* q. 14, disp. 26, *Ex dictis,* et disp 29

3 *Matth.,* 11, 21.

didcrint nec poenitentiam egerint, ipsis imputari debet, qui per resistentiam indigni facti sunt, ut Deus ulteriores gratias conferret. Comparatio inter judaeos tyriosque exacta est, tum quia utrique habuerunt auxilia sufficientia, tum quia defectus gratiae efficacis in judaeis provenit ex eorum malitia, tum denique, quia majorem resistentiam opposuerunt judaei, quam opposuissent tvrii, receptioni gratiae. Nihil impedit, juxta Angelicum, quin ex duobus gratiam sufficientem habentibus unus per suam resistentiam indignus ulterioris auxilii fiat, altero consentiente.

QUAESTIO XV

DE VITA DEI

S. *Th., I p., q. 18.*

ARTICULUS I

UTRUM IN DEO SIT VITA

325. Status quaestionis. 1) Ea dicuntur vivere, quae se ipsa movent, seu ab intrinseco operantur. «Propria autem ratio vitae, ait *Angelicus,* est ex hoc, quod aliquid est natum movere se ipsum, large accipiendo motum, prout etiam intellectualis operatio motus quidam dicitur» \ Sic cognoscimus plantam vivere, quia crescit ac florescit. E contra lapis non vivit, quia non se movet ab intrinseco 1.

2) Motus late sumptus seu actio viventis potest esse *immanens* vel *transiens.* Actio *immanens* dicitur, cujus principium et terminus sunt in operante, quamvis aliquando circa rem exteriorem versetur, ut cognitio. Actio *transiens* est, quae effectum ad extra producit, ut jactus lapidis. Non requiritur ad vitam motus seu actio transiens, sed sufficit immanens, quia ea, quae crescunt, generant, vident, audiunt, intelligunt, vere vivunt et exercent operationes vitales, quamvis aliquando nihil operentur ad extra 3.

3) Dupliciter sumitur vita: a) *Proprie* seu in actu primo, quatenus significat naturam seu essentiam, cui competit operari ex se, seu movere se ipsam 4. Quare ait *Philosophus:* «Vivere viventibus est esse» seu essentia 5. Vita hoc sensu definiri potest: *Principium intrinsecum quo res se ipsam movet secundum suam naturam,* b) *Minus proprie* seu in actu

1 *De anima,* lib. 2, lect. r. Aliquando ea, quae sunt semper in motu ab extrinseco, dicuntur viventia per metaphoram, ut *aquae vivae.*

2 Motus lapidis ad centrum vel ad dispositionem naturalem recuperandam non est ab intrinseco, sed est attractio quaedam a causa exteriori, a centro scilicet mundi. Errat Hackel, *Hisi. de la Création,* leçon i, cum dicit omnia corpora vivere.

3 «Ce qui donne au mouvement vital son caractère spécifique, c'est qu'il est immanent». Morcior, *Psych.,* p. 42 (1899).

4 S. Thomas, *I p.,* q t8, a. 2. «Inanimum est, ait ad rem Tullius, omne quod pulsu agitatur externo: quod autem est animal, id motu cietur interiori et suo». *Tuscul.,* i, 23.

» *De anima,* lib 2, c 4, n 4.

secundo, in quantum significat ipsas actiones vitales, ut intelligere et se movere [1].

4) Sumimus hic nomen vitae in sensu proprio, quatenus significat principium intrinsecum actionum vitalium immanentium, et quaerimus, an Deus sit substantia, cui conveniat ab intrinseco operari.

326. *Opiniones.* Si gentiles forte excipias, qui innumeras deorum turbas finxere, vix aliquem reperies, qui vitam eamque perfectissimam Deo negaverit [2].

327. Thesis. **Dogma catholicum est Deum vita perfectissima praeditum esse.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura. S. Joannes* ait: *Adoraverunt viventem in saecula saeculorum* [3]. Rursum: *Juravit per viventem in saecula saeculorum* [4]. Ipse Dominus: *Vivo ego in aeternum* [5]. Unde Concilium Vaticanum credit et confitetur unum esse Deum verum et *vivum* [6].

2) *Ex ratione.* Vivens est, quod se ipsum movet vel ex se operatur, et eo perfectius aliquid vivit, quo perfectius ab intrinseco operatur. Sed Deus perfectissime ex se operatur. Ergo Deus vivit secundum perfectissimum genus vitae et perfectissimum modum.

Pulcherrime explicat *Angelicus* gradus vitae, qui sunt in viventibus [7]. Tria sunt in viventibus consideranda, *finis, forma, exeeutio,* id est, causa finalis, formalis et instrumentalis. a) *Plantae* se movent quantum ad exeeutionem tantum, seu secundum augmentum et decrementum, nullo habito respectu ad formam et finem, quos habent a natura, b) *Animalia* se movent, exequendo motum et percipiendo per sensum formas accidentales seu sensitivas, quae sunt principium motus; «non tamen per se ipsa praestituunt sibi finem suae operationis vel sui motus, sed est eis inditus a natura, cujus instinctu ad aliquid agendum moventur per formam sensu apprehensam», c) *Jntelligentia* se movent a) *exequendo motum* in triplici genere vitae, in vita nimirum vegetativa, sensitiva et intellectiva; β) *apprehendendo formas* seu species sensitivas ac intellectivas, quae sunt principium motus; et γ) *praestituendo sibi finem,*

1 Circa principium et naturam vitae erraverunt: a) *Antiqui atomistae,* qui juxta Philosophum, *De anima,* lib. i. c. 2, dicebant vitam repetendam esse ex atomis corporeis primitivis (Democritus et Leucippus); vel ex aëre (Diogenes); vel ex exhalatione (Heraclitus); vel ex aqua (Hippo); vel ex sanguine (Critias), b) *liecentiores malerialistae.* quorum *aliqui* docent vitam exsurgere ex connexione virium materiae in mundo organico (Tyndall, Georges Lewes, etc.): *alii* ex phaenomenis mechanicis seu physicis (Huxley); *alii* ex combinatione principiorum chimiae in corpore organico (Herbert Spencer); *alii* ex complexione virium physicarum et chimicarum (Virchow), c) *Aliqui catholici* crudum materialismum rejicientes dixerunt vitam vegetativam (non intellectivam nec sensitivam) «posse concipi et resultari ex viribus mechanicis, prouti hae sub organismi conditionibus operantur»; «has vero artificiosa organismi constitutione contineri».

2 Ipsi gentiles cuprum et lutum aliquando vivere dixerunt, ne deos vita destitutos supponerent.

3 *Ap.,* 5. 14.

4 *Ap.,* 10, 6.

5 *Deut* , 32, 40.

• Sess. 3, c. i; Denz-Bannw., 1782.

7 *I p.* q. 18. a. 3.

quatenus, cognita proportione finis et mediorum, ordinant unum ad alterum. Intellectus tamen habet aliqua «praestituta a natura, sicut sunt prima principia, circa quae non potest aliter se habere, et ultimus finis, quem non potest non velle. Unde, licet quantum ad aliquid se moveat, tamen oportet, quod quantum ad aliqua ab alio moveatur», d) «Illud igitur, cujus sua natura est ipsum ejus intelligere, et cui id, quod naturaliter habet, non determinatur ab alio, hoc est, quod obtinet summum gradum vitae. Tale autem est Deus; unde in Deo maxime est vita»[1].

Imo vero Deum non tantum vivere sed ipsam esse vitam subsistentem inde colliges, quod nihil potest habere per participationem. Unde per Joannem ait Dominus: *Ego sum via, et veritas et vita* [2] [3]

ARTICULUS II

UTRUM DEUS SIT VITA OMNIUM

328. Status quaestionis. Dupliciter intelligi potest titulus hujus articuli: 1) *Proprie,* ita ut Deus dicatur forma omnium rerum, tribuens eis vitam, sicut anima dat vitam homini. 2) *Improprie* seu in sensu tropico, quatenus est causa efficiens et exemplaris vitae omnium.

Errores. Pantheistae omnes, praesertim formalistici, emanatistae et idealistae [3], docuerunt Deum esse proprie et formaliter vitam omnium creaturarum.

329. Thesis. **Deus est vita omnium «causaliter», non «formaliter».**

Pars 1.a

Arg. Deus, utpote perfectissimus, omnium rerum perfectiones in se continet, et. se ipsum contemplando, viventia in esse producit. Ergo Deus est causa turn exemplaris tum efficiens vitae creaturarum. Unde Deus dicitur in sacris litteris fons et auctor vitae. *Apud te,* ait Psalmista, *est fons vitae*[4]; et S. Petrus ad judaeos: *Auctorem... vitae interfecistis*[5].

Pars 2.a

Arg. 1) Deus non potest in compositionem aliorum venire. Ergo Deus non est formaliter vita creaturarum.

2) Deus est causa prima efficiens omnium rerum. Sed causa efficiens non potest esse simul causa formalis suorum effectuum. Ergo.

1 *I p.*. q. 18, a. 3.
2 *Joan.,* 14, 6.
3 Vide supra n. 82.
4 *Ps.* 35. 10.
6 *Act.,* 3. 15.

QUAESTIO XVI

DE VOLUNTATE DEI

S. *Th., 1 p., q. IC).*

ARTICULUS I

DE EXSISTENTIA ET NATURA VOLUNTATIS DIVINAE

§ 1

Utrum in Deo sit voluntas.

330. Status quaestionis. Inclinatio alicujus in bonum non apprehensum vocatur *appetitus naturalis* seu *innatus;* inclinatio in bonum sensibus apprehensum est *appetitus sensitivus;* inclinatio sequens cognitionem intellectualem appellatur *appetitus rationalis* seu *voluntas.* Unde voluntas est: *Appetitus rationalis movens intellectum ad operandum et amans bonum ab eo propositum.*

Haec voluntas appetit quod non habet, et amat quod habet.

Aliqui dixerunt *Aristotelem, Averroem, Theophrastum* et alios negasse Deo voluntatem, sed *Cartusianus* [1] credit eos negasse Deo voluntatem, quae appetat bonum non habitum.

331. Thesis. **In Deo est voluntas proprie dicta.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus ait: *Ut probetis, quae sit voluntas Dei* [2].—*Voluntati enim ejus quis resistit?* [3]. Christus Dominus in horto ajebat ad Patrem: *Non mea voluntas sed tua jiat* [4] [5]

2) Concilium Vaticanum expresse profitetur Deum esse *intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum* “.

3) *Ex ratione.* Omne ens habet inclinationem ad suum bonum, vel acquirendum, cum non habet, vel possidendum, cum habet; unumquodque tamen juxta conditionem suae naturae, inertia et vegetalia per impetum naturae, animalia per appetitum sensibilem, et intellectualia per voluntatem. Sed Deus est perfectissima natura intellectualis. Ergo in Deo est voluntas proprie dicta [6].

Hac tamen voluntate nihil Deus appetit, quod prius careat, sed, se ipsum et in se omnia possidendo et amando, potitur gaudium sempiternum.

1 *I Sent.,* dist. 45, q. 1.
2 *Rpm.,* 12, 2.
3 *Rom.,* 9, 19.
4 *Luc.,* 22, 42.
5 Sess. 3, c. 1;Denz-Bannw., 1782.
2 Cfr. Durandus, *In I Sent.,* dist. 45, q. 1, n 5.

Voluntas Dei non movetur a creaturis, sicut contingit in nobis, sed ab ipso Deo tantum «eo modo loquendi, quo intelligere et velle dicitur motus» h

§ 2

Quid sint voluntas et volitio in Deo.

332. **Status quaestionis.** Voluntas concipitur in Deo ut potentia quaedam, cujus actus est volitio. Scopus hujus paragraph! est investigare 1) an voluntas in Deo sit ab essentia quodammodo distincta, et 2) quid sit in Deo volitio, quae a voluntate procedit.

333. Placita theologorum. I. *De voluntate Dei.* Aliqui ponentes distinctionem realem inter essentiam et attributa Dei, dixerunt voluntatem divinam realiter distingui ab essentia. Sed hoc theologi catholici rejiciunt, et docent voluntatem Dei virtualiter tantum ab essentia distingui.

II. *De volitione Dei.* Aliqui docuerunt voluntatem Dei habere vere et proprie rationem potentiae ac proinde virtualiter distingui a volitione, quam elicit. Ita *Godoy* cum aliis [2]. Alii tamen communius censuerunt divinam voluntatem esse formaliter ipsam volitionem absque virtual! distinctione, et ex consequenti non habere rationem potentiae respectu volitionis, nisi nostro modo concipiendi.

334. Thesis I. Voluntas Dei non distinguitur realiter ab essentia divina, bene tamen virtualiter.

Pars 1.a

Arg. In divinis omnia sunt idem re, ubi non obviat relationis oppositio. Sed inter essentiam et voluntatem Dei non datur relationis oppositio. Ergo. Unde S. *Thomas* ait de Deo: «Sicut suum intelligere est suum esse, ita suum velle» [3] et S. *Cyrillus alex.:* «Voluntatem porro si dixeris, Dei ac Patris naturam significaveris» [4]

Pars 2.a

Arg. 1) Voluntas in Deo supponit naturam perfectissime constitutam per suum esse subsistens. Ergo virtualiter distinguitur ab ea.

2) Constitutivum essentiae divinae, nempe aseitas seu esse a se subsistens, et voluntas Dei pertinent ad lineas diversas et respiciunt diversa objecta formalia. Ergo virtualiter distinguuntur.

335. Thesis II. Voluntas Dei non distinguitur virtualiter ab ejus volitione.

Arg. Ea solummodo distinguuntur virtualiter in Deo, quae, licet ex parte subjecti sint idem, exhibent tamen perfectionem seu formalitatem distinctam, ut essentia, justitia, misericordia, etc. Sed voluntas

1 S. Thomas, *I p.,* q. 19, a. t ad 3.
2 Godoy, *In I p.,* q. ig, disp. 47.
3 *I p.,* q. 19, a. i.
4 *De Trinitate,* dial. 5; MG 75, 915.

et volitio in Deo non exhibent perfectionem seu formalitatem distinctam. Ergo. Voluntas et volitio in Deo non pertinent ad diversas lineas, sed ambae sunt in una linea operandi in genere volitionis.

§ 3

Quodnam sit objectum divinae voluntatis.

336. *Duo hic quaeruntur:* 1) an Deus se et creaturas velit; 2) quodnam sit objectum formale adaequatum divinae voluntatis.

337. Placita theologorum. I. Quantum ad 1.um omnes concedunt Deum velle et amare se et creaturas, id est, diligere bonum increatum ac creatum, diverso tamen modo, ut ex dicendis patebit.

II. Quantum ad 2.um 1) Nonnulli considerantes in voluntate divina non solum amorem caritatis, qua se amat, sed alias quoque virtutes (misericordiam, justitiam, etc.), formaliter reperiri, et putantes harum exsistentiam conciliari non posse, quin objectum formale divinae voluntatis se extendat ultra bonitatem increatam, quam amor caritatis respicit, adseruerunt bonum in communi, non bonum increatum tantum, esse objectum formale adaequatum divinae voluntatis. Ita *Durandus, Suarez* et *Herice* [1].

2) Alii dixerunt bonitatem creaturarum pertinere ad objectum formale, non motivum sed terminativum, divinae voluntatis, quia putarunt voluntatem divinam postulare pro objecto terminativo quodlibet bonum, ad quod terminatur. Ita videtur docere *Arrubal* [2].

3) Communissime docent theologi objectum formale divinae voluntatis esse solam bonitatem divinam, bonum autem creatum esse objectum ejus materiale.

Vereor ne discrepantia orta fuerit ex diversa acceptione objecti [3].

338. Thesis I. **Deus vult bonum increatum et creatum.**

Pars 1.a Deus vult bonum increatum.

Arg. Deus vult et amat omne bonum, quod intelligit sibi formaliter convenire. Sed Deus intelligit bonum increatum ac infinitum sibi formaliter convenire. Ergo Deus vult bonum increatum.

Pars 2.a Deus vult bonum creatum.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Sapiens ait: *Diligis enim omnia, quae sunt, et nihil odisti eorum, quae fecisti* [4]. Et Christus Dominus: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* [5].

2) *Ex ratione,* a) Qui communicat suam bonitatem et perfectiones alicui, vult et amat ejus bonum. Sed Deus communicat suam bonitatem et perfectiones creaturis, quandoque in ordine naturali, quando-

1 Durandus, *I Sent.,* dist. 45, q. 1, nn. 6 et 8; Suarez, *Relectio de libertate volunt, div.,* disp. 1, sect. 2, n. 20 sqq.; Herice, *In I p.,* tr. 2, disp. 18, c. 2.

2 *De Deo uno,* disp. 54, c. 4.

3 Sic Molina, *In I p.*. q. 19, a. 2, disp. 3, expresse docet objectum adaequatum divinae voluntatis esse bonum commune omni bono, sed pro objecto adaequato intelligit omne, quod attingit potentia, et hoc sensu verum dicit.

4 *Sap.,* 11, 25.

5 *Joan.,* 3, 16.

que in ordine supernatural! gratiae et gloriae. Ergo Deus vult bonum creatum.

b) Deus, amando^e ipsum, vult omnia, quae sunt in se. Sed creaturae sunt in Deo secundum proprias rationes, ut supra probatum est. Ergo Deus vult bonitatem creaturarum.

339. Thesis **II. Objectum formale et primarium divinae voluntatis est sola bonitas Dei, bonitas vero creaturarum est objectum materiale et secundarium.**

Pars 1.a Objectum formale et primarium.

Arg. 1) Objectum formale et primarium cujuslibet voluntatis est id, quod per se et propter se appetitur seu amatur, et est ratio volendi caetera. Sed sola bonitas Dei appetitur et amatur per se et propter se a voluntate divina, et est ratio volendi creaturas. Ergo.

2) Voluntas specificatur et constituitur ab objecto suo formali et primario. Sed voluntas divina specificatur ac constituitur a sola bonitate Dei. Ergo

Pars 2.a Objectum materiale et secundarium.

Arg. Objectum materiale et secundarium voluntatis est id, quod appetitur et amatur, non ratione sui, sed ratione alterius, ad quod ordinatur ut ad finem. Sed Deus amat creaturas, non ratione earum, sed ratione bonitatis sui ipsius, quia, ut dicit S. *Thomas,* vult «se ut finem alia vero ut ad finem» 23 Ergo bonum creatum est objectum materiale et secundarium voluntatis divinae.

In voluntate divina est amor affectionis erga se ipsum et amor effectionis erga creaturas, quia, ut profunde arguit *Perujo* 8, bonum creaturarum non movet voluntatem Dei ad amandum, sed Deus amat omnia creata, in quantum ipsis communicat suam bonitatem. Unde bonitas creaturarum non est causa amoris divini, sed e contra amor Dei est causa bonitatis creaturarum 4.

1 Profundissime ad rem ait Joannes Bachonus: 1) «Voluntas volens omnia alia a se et acceptans volitione sui, non necessario requirit in aliis a se rationem objectivam, per quam sint volita aut accepta. Sed voluntas divina est hujusmodi. Ergo... 2) Quando volens habet unum objectum adaequatum, cujus volitione vult omnia volenda, tunc nulla ratio objectiva alia exigitur extra se, ut patet in simili de scientia Dei. Secus fit, quando singulas volitiones acquirit de singulis volitis. Sed sic est in proposito, ut probatum est. Ergo... Igitur Deus volendo se virtute sui ipsius, qui est objectum adaequatum suae voluntatis, quo velit omnia volenda omni modo volibili, nec objectum aliquod requirit... 3) Si exigeret aliquid in creatura in ratione objecti dignificantis eam ad vitam aeternam, aut significaret, faciendo creaturam dignam, ut esset objectum dignum in respectu voluntatis divinae in ratione objecti terminantis aut moventis. *Non moventis* clarum est, quia tunc reduceretur voluntas divina de potentia ad actum: *nec terminantis...* quia tunc Deus dependeret a creatura». *Quodlib.* j, q. 8, a. 2. Similia habet *In I Seni.,* dist. 17, q. un., § *Ego autem dico.* Eamdem doctrinam tradit Gandavensis dicens: «Non vult (Deus) alia a se, nisi volendo se ipsum, sicut neque scit alia a se, nisi sciendo se ipsum». *Summa,* a. 45, q. 3.

2 *I p..* q. 19, a. 2.—Cfr. Molina, *In I p.,* q. 19, a. 2, disp. 3.

3 *Diccionario de ciendas edes,,* v. Voluntad divina.

4 Cfr. Salmanticensos, *De voluntate Dei,* disp. 3, n. 8 sqq.

340. Corollaria. 1) Deus se ipsum diligit amore intensissimo et infinito· caritatis, quo in se fruitur et congaudet.

2) Creaturas exsistentes et futuras amat, ip quantum ipsis communicat suam bonitatem; creaturas quidem rationales, a quibus exigit redamationem, amore amicitiae, et irrationales, quas ordinat ad bonitatem suam vel utilitatem nostram, amore complacentiae. Et eo magis ex parte voliti amat creaturas, quo magis cumulavit eas beneficiis suae bonitatis.

3) Voluntas divina non amat possibilia, a) quia solum amat creaturas, in quantum confert ipsis esse et bonitatem; possibilibus autem non dat esse; b) quia objectum voluntatis est bonum; bonum autem non est nisi exsistens. Ergo [1].

ARTICULUS II

DE LIBERTATE DEI

§ i

Utrum Deus necessario vel libere se ipsum diligat.

341. Status quaestionis. Duplex est libertas, una *quoad specificationem.* altera *quoad exercitium.* Libertas *quoad specificationem* est, qua voluntas potést exercere actus contrarios seu specifice diversos circa unum objectum, ut amare et odisse (amat vel odit proximum). Libertas *quoad exercitium* est, qua voluntas potest elicere vel suspendere actum circa unum objectum, id est, potest verificare quodlibet ex duobus contradictoriis, ut amare vel non amare.

Hic in dubium vertitur, an Deus libere vel necessario et qua necessitate amet se ipsum.

342. THESIS. Deus beatissima necessitate quoad specificationem et quoad exercitium perpetuo amat se ipsum.

Arg. 1) Pater et Filius, sese mutuo diligendo, producunt Spiritum Sanctum. Sed Spiritus Sanctus, utpote necessario exsistens, necessario producitur. Ergo Pater et Filius necessario se amant.

2) Deus est per suam essentiam necessario beatus juxta illud Apostoli: *Qui solus habet immortalitatem et lucem inhabitat inaccessibilem*[2],

1 Plures volunt Deum amare possibilia affectu ct amore inefficaci simplicis complacentiae, in quantum non sunt nihil. Ita Herioe, *In I p.,* tr. 2, disp. i8, c. i; Arriaga, *De Deo uno,* disp. 24, sect. 5 sqq.; Urraburu, *Theodicea,* disp. 5. n 156 sqq ; et Pesch, *De Deo uno,* n. 302.—Attamen alii multo probabilius negant absolute Deum amare possibilia. Ita Alensis, */ p.,* q. 34· membro 4; S. Thomas, */ p.,* q. 5, a. 2 ad 3 et 4; *I p.,* q. 5, a. 3 ad 3: */ p.,* q. 48, a. 3; *De veritate,* q. 23, a. 4 ad 13, aliique veteres scholastici. Cfr. Andreas a Cruce, *In I p.,* q. 19, a. 3, disp. 117, dub 1.

2 *I Tini.,* 6, 16.

immortalitatem scilicet et lucem beatificam. Sed ad beatitudinem requiritur amor Dei. Ergo.

3) Quaelibet voluntas adstringitur ad amandum, non solum quoad specificationem sed etiam quoad exercitium, objectum undequaque perfectum sibi praesens, quia bonitas hujusmodi objecti adaequat omnem virtutem voluntatis. Sed Deus est omnino perfectus et semper suae voluntati praesens. Ergo voluntas Dei necessario necessitate specificationis et exercitii amat se ipsum [1].

§ 2

Utrum Deus libere amet bona creata.

343. Status quaestionis. 1) Cum omnia sint Deo praesentia in aeternitate, per bona creata intelligimus in praesenti omnia, quae fuerunt, vel sunt, vel erunt in aliqua temporis differentia.

2) Duplex potest in Deo considerari amor seu volitio circa creaturas, unus *efficiens* seu productivus, alter *simplicis complacentiae.* Primus confert esse rebus, alter subsequitur rerum exsistentiam; vel potius amor, qui in rerum productione est *efficiens,* post productionem congaudet illis et vocatur amor *simplicis complacentiae.*

3) Necessarium, quod libertati opponitur, potest esse *absolutum* vel *hypotheticum.* Necessarium *absolute* dicitur, quod ex principiis essentialibus et intrinsecis est determinatum ad unum, ut circulum esse rotundum. Necessarium *hypothetice* est, quod a causis extrinsecis efficiente et finali determinatur ad unum, ut sagitta missa a sagittario necessario tendit in altum [2].

344. Errores, 1) *Ethnici* plures, praesertim poetae, docuerunt deos gentilium esse fato subjectos, sed de hoc nostra non interest.

2) *Stoici* [3] et *fatalistae* dixerunt Deum fatali quadam necessitate produxisse mundum.

3) *Gnosticorum* theoria de mundi formatione ex materia aeterna ope spirituum contradicit libertati Dei [4].

4) *Wicleff* [5], *Lutherus* et *Calvinus* [6] libertatem Dei circa creaturas penitus negarunt.

5) *Pantheistae* omnes, etiam evolutionistae, qui nolunt distinguere Deum a creaturis, dicunt Deum necessario amare creaturas [7].

6) *Hermes* [8] et *Günther* [9] minus recte locuti sunt de libertate Dei in operibus ad extra.

1 Cfr. Henricus gandavensis, *Summa,* a. 45, q. 3, litt. G.
2 Cfr. *Prolegomena,* n. 12.
3 Vid. Wulf, *Histoire de la Philosophie médiévale,* p. 62.
4 Vid. Weiss (Ant.), *Hist, eccl.,* t. I, §§ 27-28.
5 Denz-Bannw., 607.
6 Cfr. Mateos Gago, *Colección de opúsculos.* vol. 1, p. 95.
7 Denz-Bannw., 501, 503 et 1665.
8 Denz-Bannw., 1619 sqq.
9 Denz-Bannw., 1655.

345. Thesis **I. Deus est absolute liber quoad specificationem et quoad exercitium in productione et complacentia creaturarum.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus ad Ephesios ait: *Sorte vocati sumus, praedestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae* [1]. Consilium autem voluntatis semper est liberum.—Rursum: *Haec autem omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult* [2].

2) Concilium Vaticanum: *Hic solus verus Deus... liberrimo consilio simtd ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam...—Si quis... Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat se ipsum... a. s.* [3].

3) *Ex ratione,* a) *Quoad specificationem.* Omnia bona creata, cum sint limitata, supponunt in aliis objectis etiam sibi oppositis rationem boni. Deus autem ex duobus bonis potest eligere, quod sibi placuerit, et producere atque amare hoc vel illud. Ergo Deus libere amat creaturas quoad specificationem.

b) *Quoad exercitium,* a) Bonum creatum non potest adaequare virtutem voluntatis Dei. Ergo Deus ita amat creaturas, ut possit suspendere actum amoris, quando velit. Licet Deus necessario hypothetice sibi complaceat, ut dicemus, in bonitate rerum exsistentium, quia ejus volitio efficax subsistit, tamen, sicut nullam habuit necessitatem creandi res, ita nec habet necessitatem conservandi eas, sed potest, cum sibi placuerit, denegare rebus exsistentiam et suspendere actum amoris complacentiae [4].

β) Per volitionem finis non amantur necessario ea, quae sunt ad finem, nisi sint necessaria ad finem. Sed creaturae, quae referuntur ad Deum ut ad finem, non sunt necessariae Deo. Ergo Deus, amando se ipsum, non amat necessario creaturas.

346. Thesis **II. Deus necessario necessitate quoad specificationem et quoad exercitium abominatur malum culpae.**

Arg. Malum culpae seu peccatum semper Deum offendit. Sed Deus necessario quoad specificationem et quoad exercitium abominatur offensam sibi illatam. Ergo Deus necessario abominatur peccatum [5].

347. Thesis **III. Deus amat bonum necessario hypothetice tum quoad specificationem tum quoad exercitium.**

Arg. 1) *Quoad specificationem.* Voluntas Dei, sicut est in rerum productione rectissima, ita in earum complacentia est sanctissima. Ergo, supposita rerum productione et exsistentia, non potest creaturas odisse, sed debet amare.

2) *Quoad exercitium.* Deus, cui omnia patent, non potest habere

1 *Ephes.,* i, 11.
2 *I Cor.,* 12, 11.
3 *Sess.* 3, c. 1; Denz-Bannw., 1783; et *ibid.,* can. 5; Denz-Bannw., 1805
4 Cfr. Henricus gandavensis. *Summa,* a. 45, q. 3.
6 Vid. Herrera, *De voluntate Dei,* q. 5, sect. 6 sqq.

voluntatem suspensam circa creaturas, sed, supposito quod exsistant, necessario eas amat vel odit. Sed Deus non potest odisse bonum, ut diximus. Ergo Deus necessario hypothetice amat bonum creatum.

Dixi *necessario hypothetice* seu supposito quod creaturae exsistant, quia Deus potest libere eas destruere et amorem suum suspendere

§ 3

In quo formaliter consistat actus Dei liber.

348. Status quaestionis. Experientia quotidiana docemur agentia libera pollere facultate ponendi vel non ponendi actus suos liberos, ipsosque actus indifferenter se habere ad esse vel non esse. Cum autem actus divinae voluntatis sint ipsa essentia divina, quae, utpote ens necessarium, nunquam deficere potest, movetur hic difficillima quaestio, quomodo salvetur in Deo liberum arbitrium, et quo pacto actus divinae voluntatis vocari queant liberi. En dilemma: Vel potest Deus suos actus omittere vel non: si primum, ubi est immutabilitas? si secundum, ubi libertas? Aliter: Actus, qui in Deo dicuntur liberi, vel deficere possunt, vel non: si primum, non sunt Deus; si secundum, non sunt liberi.

349. Theologorum placita. 1) *Cajetanus* [1] videtur defendere actum Dei liberum formaliter constitui per aliquam realem perfectionem defectibilem actui necessario superadditam.

2) *Alii* dixerunt actum Dei liberum addere actui necessario formalitatem quamdam in se quidem realem sed virtualiter tantum ab actu necessario distinctam. Ita plures apud *Suarez* [3][4]

3) *Communissime tenent theologi* actum Dei liberum esse ipsum actum necessarium, quatenus fundat terminationem non necessariam ad creaturas; id est, actus increatus et necessarius Dei, in quantum confert esse creaturis, dicitur et est actus Dei liber.

350. Thesis. **Actus Dei liber est ipsemet actus necessarius divinae voluntatis, quatenus fundat relationem rationis non necessariam ad creaturas.**

Arg. 1) *Ex auctoritate S. Thomae.* Egregie hoc explicat *Angelicus* dicens: «Voluntas sua (Dei) uno et eodem actu vult se et alia. Sed habitudo ejus ad se est necessaria et naturalis; habitudo autem ejus ad alia est secundum convenientiam quamdam non quidem necessaria et naturalis... sed voluntaria»[1].

2) *Ex ratione.* Actus Dei liber duo importat, nempe, quod ab ipso Deo non distinguatur, et, prout refertur ad creaturas, possit ad illas terminari vel non terminari. Sed in actu necessario divinae voluntatis, quatenus dicit habitudinem non necessariam ad creaturas, haec duo includuntur. Ergo, a) Actus divinae voluntatis, habens pro objecto

1 Vid. Philippus a SS. Trinitate, *In I p.,* disp. 12, dub. 5.
2 *In l p*, q. 19, a. 3.
3 *Metaphys.,* disp. 30, sect. 9, n. 19.
4 *Contra Gentiles,* lib. 1, c. 82 ad 4. -Cfr. *I p.,* q, 19, a. 2 ad 1, «Nec etiam».

formali *quo* et *quod* ipsam divinam bonitatem, a Deo specificatur et est ipse Deus, b) At hic actus, prout respicit Deum ut objectum formale, necessarius, potest connotare creaturas ut objectum volitum materiale, a quo, licet non specificetur, denominationem intrinsecam accipit. Denominatio siquidem intrinseca, quamvis proveniat a forma intrinseca in recto, requirit saepe connotatum aliquod in obliquo, adeo ut forma non possit sine connotato tribuere rei denominationem intrinsecam; ubi autem advenerit connotatum sive antecedenter, sive consequenter, sive quocumque modo, procedit denominatio a forma intrinseca. Sic Deus denominatur realiter Creator sine ulla additione vel mutatione ex parte sui ad positionem rei exterioris per modum connotati [1].

Deus ergo per eamdem actionem voluntatis, qua necessario et ab aeterno se diligit, amat creaturas libere, quia creaturae sunt objectum materiale et connotatum in obliquo.

ARTICULUS III

DE DIVISIONIBUS DIVINAE VOLUNTATIS

351. Praenotamen. Voluntas Dei in se est simplicissima, sed, quatenus refertur ad creaturas, diversos pro nostro modo intelligcndi habet actus, et eorum ratione diversimode consideratur ac dividitur.

Divisio. Voluntas igitur Dei ratione actuum potest esse:

1) *Beneplaciti* et *signi.*

2) *Absoluta* et *conditionata.*

3) *Antecedens* et *consequens.*

I. *Voluntas beneplaciti* est ipsemet actus divinae voluntatis, prout formaliter invenitur in Deo et dicit habitudinem rationis ad creaturas. *Voluntas signi* est signum externum, quod in nobis solet esse signum volendi, et metaphorice in Deo voluntas divina vocatur. Sic, quia praeceptum est in nobis signum volendi aliquid, «praeceptum divinum quandoque metaphorice voluntas Dei dicitur» [2].

Signa voluntatis divinae sunt quinque, scilicet, *praeceptum, prohibitio, permissio, consilium* et *operatio.* Unde voluntas Dei *praecipit ac prohibet, permittit, consulit, implet.*

Haec signa non semper conveniunt cum voluntate beneplaciti, quia dicuntur voluntates divinae, «non quia sunt signa, quod Deus velit, sed quia ea, quae in nobis solent esse signa volendi, in Deo divinae voluntates dicuntur» [3].

II. *Voluntas absoluta* est, qua Deus aliquid vult sine ulla conditione, ut creationem mundi.—*Voluntas conditionata,* qua aliquid vult sub conditione ut salvationem Judae, si poenitentiam egisset.

III. *Voluntas antecedens* est, qua Deus vult aliquid absolute et essentialiter consideratum, praecisis adjunctis et circumstantiis, quibus

1 Cfr. Salmanticenses, *De voluntate Dei,* disp. 7, n. 54.
2 S. Thomas, *I p.,* q. 19, a. 11.
3 S. Thomas, *I p.,* q. 19, a. 11 ad 2.

vestiri potest, ut Deus vult hominem salvum fieri secundum primam ejus considerationem seu quatenus est homo. *Voluntas consequens* est, qua Deus vult aliquid in concre.to quibusdam adjunctis seu circumstantiis vestitum, ut Deus vult Petrum peccatis infectum perire [1].

Patroni scientiae mediae dicunt voluntatem antecedentem esse, qua Deus vult futurum ante praevisionem consensus hominis; et voluntatem consequentem, qua Deus vult aliquid post praevisum consensum voluntatis creatae. Volunt hanc explicationem fulciri testimonio S. *Joannis Damasceni,* qui ait: «Voluntas *antecedens* est illud, quod quis a se ipso vult; *consequens* vero id, quod ex eorum, quae fiunt, causa proficiscitur» [2].

Explicatio tamen thomistarum videtur magis legitima et menti ac verbis *Angelici Doctoris* conformior. S. *Joannes Damascenus* recte vocat voluntatem antecedentem *id, quod quis a se ipso vult;* quia voluntate antecedente vult Deus objecta quoad essentiam, prout exeunt e manibus creatoris; et voluntatem consequentem *id, quod ex eorum, quae jiunt, causa proficiscitur;* quia ea, quae fiunt, sunt adjuncta et circumstantiae, quibus vestitum objectum vult voluntas consequens.

Scholion. Voluerunt aliqui ut *Scotus, Sylvius, Banez* [3] et alii voluntatem antecedentem non esse actum formaliter in Deo sed eminenter tantum et improprie, quia voluntas in Deo formalitcr exsistens semper impleri debet, et voluntas antecedens non semper impletur.

Communius tamen docent theologi voluntatem antecedentem esse vere et formaliter in Deo. Quia 1) juxta S. *Thomam* Deus voluntate antecedente vult omnes homines salvos fieri; Deus autem vult omnes homines salvos fieri actu formali et sincero suae voluntatis. 2) *Christus*

1 Angelicus Doctor exponens illud Apostoli: *Qui omnes homines vult salvos /ieri, I Tim.,* 2, 4, ait: «Tertio secundum Damascenum, lib. 2, *De /id. orth.,* c. 29 (MG 94, 968), intelligitur de voluntate antecedente non de voluntate consequente. Quae quidem distinctio non accipitur ex parte ipsius voluntatis divinae, in qua nihil est prius vel posterius, sed ex parte votitorum».

«Ad cujus intellectum considerandum est, quod unumquodque secundum quod bonum est, sic est volitum a Deo. Aliquid autem potest esse in prima sui consideratione, secundum quod absolute consideratur, bonum vel malum, quod tamen, prout cum aliquo adjuncto consideratur, quae est consequens consideratio ejus, e contrario se habet. Sicut hominem vivere est bonum, et hominem occidi est malum, secundum absolutam considerationem: sed, si addatur circa aliquem hominem, quod sit homicida vel vivens in periculum multitudinis, sic bonum est eum occidi, et malum est eum vivere: unde potest dici, quod judex justus antecedenter vult omnem hominem vivere, sed consequenter vult homicidam suspendi. Similiter Deus antecedenter vult omnem hominem salvari, sed consequenter vult quosdam damnari secundum exigentiam suae justitiae. Neque tamen id, quod antecedenter volumus, simpliciter volumus, sed secundum quid; quia voluntas comparatur ad res, secundum quod in se ipsis sunt; in se ipsis autem sunt in particulari. Unde simpliciter volumus aliquid, secundum quod volumus illud, consideratis omnibus circumstantiis particularibus, quod est consequenter velle. Unde potest dici, quod judex justus simpliciter vult homicidam suspendi, sed secundum quid vellet eum vivere, scilicet, in quantum est homo. Unde magis potest dici velleitas. quam absoluta voluntas. Et sic patet, quod quidquid Deus simpliciter vult, fit, licet illud, quod antecedenter vult, non fiat». / />., q. 19, a. 6 ad 1.

2 *Contra Munich* , n 79; MG 94, 1577.

3 Scotus, / *Sent* , dist. 46, q unica; Sylvius, *In I p.,* q. 19, a. 6, quaer. 2; Bnnez, *In 1 p* , ‹| 19. .1. 6, 2.“ conci., *Multo probabilius videtur.*

Jesus... voluntate antecedente motus *dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* [1].

Angelicus Doctor [2] adserit quidem voluntatem antecedentem potius dici velleitatem quam voluntatem absolutam, sed verba S. Doctoris intelligenda sunt in comparatione ad voluntatem consequentem, quae sola dicitur voluntas absoluta.

ARTICULUS IV

DE VOLUNTATE DEI SALVIFICA ERGA HOMINES

§ 1

Utrum in Deo sit vera ac sincera voluntas salvandi omnes adultos.

352. Status quaestionis. Voluntas vera ac sincera est illa, qua Deus, non velleitate quadam otiosa et sterili, sed formaliter et actu positivo vult aliquid.

353. Errores, i) *Aliqui,* negantes providentiam Dei circa creata, renuerunt admittere in Deo voluntatem sinceram salvandi homines.

2) *Semipelagiani* docuerunt Deum habere voluntatem generalem dumtaxat salvandi homines, et, oblatis auxiliis communibus, exspectare consensum liberi arbitrii creaturae [3].

3) *Calvinus,* quosdam praedestinatianos sequutus, defendebat Deum non habere voluntatem salvandi omnes et singulos adultos, sed solum «nulli hominum ordini viam ad salutem praeclusisse» [4]. *Jansenius* ait: «Quibusdam hominibus, originali labe damnatis, consequente voluntate justitiae, gratiam sufficientem, fidem, justitiam, salutem felicitatemque negare potest, eosque nolle salvos fieri» [5].

4) *Gottschalk* circa a. 847 dixit Deum non habere voluntatem salvandi nisi praedestinatos [6].

354. Thesis. **Deus voluntate antecedente, quae non est otiosa sed seria atque sincera, vult omnium adultorum salutem.**

Arg. *Ex S. Scriptura.* 1) *Nolo mortem impii, sed, ut convertatur impius a via sua et vivat* [7].

2) Apostolus hortatur, ut «obsecrationes, orationes, postulationes et gratiarum actiones fiant pro omnibus hominibus, quia Deus *omnes homines vult salvos jieri, et ad agnitionem veritatis venire,* et quia *mediator Dei et hominum homo Christus Jesus... dedit redemptionem pro omnibus* [8]. Unde rogat obsecrationes fieri pro hominibus, ne voluntas Dei salvandi omnes homines et pretium redemptionis omnium frustrentur. Hoc

1 *1 Tim.,* 2, 5-6. Cfr. Philippus a SS. Trinitate, *In I p.,* disp. 14, dub. 2.
2 *I p.,* q. 19, a. 6 ad I.
3 Cfr. Weiss, *Hist, eccl.,* t. 1, § 70.
4 *Inst.,* lib. 3, c. 24, n. 16.
5 *De gratia Christi,* lib. 3, c. 20, «Nam quod».
6 Vid. Hergenrôther, *Hist. de la Igl.* (hisp. vers.), t. 3. p. 368 sq.
7 *Ezech.,* 33, 11.
8 *I Tim.,* 2, 4 sqq.

autem significat in Deo dari sinceram voluntatem salvandi omnes homines.

3) Christus Dominus *est Salvator omnium hominum maxime fidelium* —*Pro omnibus mortuus est Christus* 2.—*Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi* 3. Ergo Deus habet voluntatem seriam salvandi omnes adultos.

Difficultatibus satisfit.

355. Obj. 1.° Voluntas Dei sincera semper impletur juxta illud Psalmistae: *Omnia quaecumque voluit, fecit* 4. Unde S. *Augustinus* non vult credere omnipotentem voluisse aliquid fieri, factumque non esse 5. Ergo.

Resp. Voluntas Dei *consequens* semper impletur, conc.; voluntas *antecedens,* neg. Vult Deus voluntate antecedente vere et positive homines salvos fieri, sed aliqui per peccatum ponunt obstaculum, et voluntas Dei aliquando non impletur 6.

Obj. 2.° Christus Dominus oravit pro omnibus, quorum salutem voluit. Sed non oravit nisi pro praedestinatis juxta illud: *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi* 7. Ad rem *S. Thomas:* «Dominus non oravit pro omnibus crucifixoribus, nçque etiam pro omnibus, qui erant credituri in eum, sed pro his solum, qui erant praedestinati, ut per ipsum vitam consequerentur aeternam» 8. Ergo.

Resp. Dist. min. Christus non oravit nisi pro praedestinatis oratione, quae procedit ex voluntate efficaci et consequente, conc.; oratione, quae procedit ex voluntate antecedente, neg. Potest etiam responderi Christum orasse pro omnibus *oratione generali,* pro praedestinatis vero *oratione speciali* 9.

§ 2

Utrum Deus serio velit omnium infantium ante baptismum decedentium salutem.

356. Status quaestionis. Quaerimus hic, num Deus habeat voluntatem antecedentem seriam salvandi omnes infantes, qui decedunt ante baptismum, praescindendo de provisione mediorum, quibus indigent ad baptismum suscipiendum et salutem consequendam. De provisione mediorum disseremus paragraphe sequenti.

1 *I Tim.,* 4, 10.
2 *II Cor., 5,* 15.
3 */ Joan.,* 2. 2.—Innocentius X die 31 Maji 1653 merito damnavit sequentem Jansenii propositionem: «Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse». Denz-Bannw., 1096.
4 *Ps.* 113 (p. 2), 3.
6 *Enchirid.,* c. 95; ML 40, 276; et c. 102; ML 40, 280.
6 Cfr. Toletus, *In I p.,* q. 19, a. 6.
7 *Joan., iy,* 9.
3 *III p.,* q. 21, a. 4 ad 2.
" Cfr. Honoratus dei Val, *De Deo uno,* n. 181.

357. THESIS. Deus serio vult voluntate antecedente omnium infantium ante baptismum decedentium salutem.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus ait: *Omnes homines vult* (Deus) *salvos fieri*[1]. Sed nomine omnium hominum veniunt infantes. Ergo. Ad rem S. *Augustinus:* «Numquid (parvuli) homines non sunt, ut non pertineant ad id, quod dictum est omnes homines?» [2].

Dices. Verba Apostoli non referuntur ad infantes sed ad adultos, quia Deus *omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire.* Infantes autem nequeunt ad agnitionem veritatis venire. Ita haec verba interpretatus est *Vazquez* [3].

Resp. Textus Apostoli intelligendus est juxta capacitatem subjecti. Vult Deus omnes homines, non exceptis parvulis, salvos fieri, et, ut salventur, ad agnitionem veritatis ac Christi, quantum possunt, venire. Porro adulti non solum possunt baptismo ad vitam initiari sed etiam notitiam supernorum fide suscipere actibusque propriis agnoscere veritatem; unde dicuntur ad veritatem venire, non solum Ecclesiam ingrediendo per baptismum, sed etiam fidem actibus positivis profitendo. At infantes veniunt ad agnitionem veritatis, quando Ecclesiam ingrediuntur, et mysteria credunt non quidem actu mentis sed sacramento fidei; unde dicuntur fideles et includuntur in illo Salvatoris: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, hic salvus erit*.[4]

2) *Ex ratione.* Deus vult salutem omnium, qui peccato originali infecti per semetipsos divinae justitiae satisfacere non valent, quia Christus pro omnibus, qui in Adamo peccaverunt, mortuus est et sacramenta instituit. Sed omnes infantes in Adam peccaverunt et incapaces sunt solvendo debito divinae justitiae. Ergo.

§ 3

Utrum Deus vi voluntatis antecedentis provideat omnibus de mediis necessariis ad salutem.

358. Status quaestionis. 1) Certum est Christum Dominum per mortem piacularem solvisse jam debitum, quod homo contraxerat peccando. Sed, ut omnes et singuli salvi fiant, necesse est, ut fructus passionis Christi omnibus applicari possit. Estne a Deo provisum de mediis necessariis non solum in communi sed etiam in particulari, ut fructus passionis Christi omnibus singulisque hominibus perveniat? Quae sunt haec media? En quaestio dilucidanda.

2) Si sermo sit de Christianis adultis, facile admittitur media, quibus omnes etiam scelerati et obcaecati indigent ad salutem consequendam, sat superque praeparata fuisse.

3) Major se offert difficultas de infidelibus, quibus nondum illuxit gratia Dei Salvatoris. Quae sunt media praeparata et oblata infidelibus,

1 *I Tim.,* 2, 4.
2 *Contra Julian.,* 4, 8, 42; ML 44, 759.
3 *In I p.,* disp. 96. 11. 10.
1 Cfr. Posch, De Deo *uno,* n. 348.

qui in aliquibus mundi partibus nihil audierunt de vera religione et de fide catholica?

4) Augetur adhuc difficultas in infantibus, qui ante susceptum baptismum decedunt. Hi aliquando ex parentibus infidelibus nati ante usum rationis moriuntur, interdum vix nati e vita migrant, non semel in utero materno clausi animam efflant, quin potuerint baptismum suscipere. Hujusmodi autem infantibus nullum remedium prodesse potest ad vitam nisi baptismus revera susceptus. Quomodo provisum est ipsis de mediis ad salutem?

Breviter hic de adultis, paulo latius de infantibus agemus.

359. Thesis. **Deus vi voluntatis, quam habet de salute omnium, providit omnibus et singulis hominibus, tum adultis tum infantibus, de mediis ad salvationem necessariis.**

360. I. *De adultis christianis.* Christiani adulti, quantumvis scelerati fuerint ac obdurati, habent proculdubio media ad salutem necessaria. Non solum ratione generali, qua Christus pro omnibus mortuus est et solvit debitum justitiae, sed etiam in particulari habiles effecti sunt ad salutem, quia Ecclesiam ingressi sunt per baptismum, instructionem Christianam suscepere, meritorum ac satisfactionum Christi participes effecti sunt, et gratiae actualis auxilio suffulti non semel moventur a Deo in bonum. Unde Concilium Arausicanum II a Bonifacio II confirmatum ait: «Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati, Christo auxiliante et coopérante, quae ad salutem animae pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere»[1]. Quare docet *Angelicus* obstinationem in peccato nunquam esse completam in via, quia aliqui motus in bonum semper surgunt in anima[2].

361. II. *De adultis infidelibus.* Ex remediis et auxiliis a Deo praeparatis ad salutem hominum alia sunt *remote* alia *proxime* sufficientia. *Remote* sufficientia dicuntur institutio Ecclesiae et sacramentorum, revelationes hominibus collatae, illustrationes affectionesque imperfectae singulis concessae, etc., quibus si adsentiatur, Deus confert ulteriores gratias. Auxilia *proxime* sufficientia sunt, quae immediate conferunt vires ad actus perfectiores in ordine sanctificationis, ut fides et ea, quae proxime disponunt ad fidem, praedicatio externa Evangelii, etc.

Infidelibus adultis aliquando non conferuntur auxilia proxime sufficientia ad fidem et justificationem, quia sunt nonnulli, quibus nunquam praedicatum est Evangelium vel proposita fides, sed semper conferuntur auxilia remota ad salutem non solum per revelationem hominibus factam, per institutionem Ecclesiae et sacramentorum, per passionem et mortem Domini nostri, sed etiam per collationem gratiae sufficientis et illustrationum interiorum. Hae illustrationes et piae affectiones, quae dicuntur gratiae remote sufficientes, sive sint entitative supernaturales, ut aliqui vohmt, sive quoad essentiam naturales et quoad

1 Denz-Bannw., 200.

2 *De veritate,* q. 24, a. 11; / *Seat.,* dist. 48, q. T, a. 4 ad 2.

modum supernaturales, ut aliis placet[1] conferunt infidelibus facultatem, ut quodammodo ad Deum sese convertant et gratiam justificationis adsequantur.

Juxta doctrinam theologorum satis communem potest in conversione infidelium hic processus adsignari. Infideles illustrationibus interioribus excitati concipiunt aliquam cognitionem supernaturalem, fidem scilicet large dictam seu illuminationem supernaturalem, quae est initium et radix justificationis[2]. Deinde experiuntur piam affectionem voluntatis gratiasque ulteriores, quae immediate disponunt ad fidem; illustrantur fide stricte dicta, qua dogmata credunt, ac ultimo, concepto dolore peccatorum, justificantur[3].

362. III. *De infantibus.* 1) De infantibus, qui, suscepto baptismo, ante usum rationis e vita migrarunt, non est dubium, quin plenum remedium acceperint. In fonte enim baptismatis regenerati directe pervolant in caelum.

2) Misericors Dominus non modo vult voluntate antecedente salutem infantium, qui ante usum rationis sine baptismo animam agunt, sed vi hujus voluntatis remedium praeparavit, baptismum scilicet fluminis, quo regenerati possunt in hoc mundo sanctitatem et in caelo gloriam adipisci. Hoc remedium ex se est sufficiens, pro omnibus parvulis, et ex praecepto Domini applicari debet omnibus pro delendo peccato originali[4].

3) Voluntas, qua Deus vult omnes parvulos baptizari, est conditionalis, non quidem ex parte Dei, cui nulla apponitur conditio, neque ex parte infantium, qui non habent actum voluntatis, sed objective et ex parte causarum secundarum, et facit hunc sensum: Volo, ut omnes baptizentur, si ordo naturae physicus vel moralis id patiatur, et si, integro manente ordine providentiae naturalis, sacramentum administrari possit.

4) Ex causis naturalibus, quae saepe impediunt applicationem

1 Vid. Salmanticenses, *De gratia Dei,* disp. 6, n. 86 sqq.: Billuart, *De Deo uno,* diss. 7, a. 8, obj. 5: Tabarelli, *De gratia Christi,* p. 2, q. 2, a. 3.

2 Salmanticenses, *De gratia Dei,* disp. 6, n. 82 sqq., docent huic fidei large dictae applicandum esse illud Concilii Tridentini, sess. 6, c. 8: «fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis»; Denz-Bannw., 801.

3 De his uberius in tractatu de gratia.

4 Aliud remedium praeter baptismum non videtur suppetere infantulis, qui ante usum rationis decedunt. Nonnulli quidem suspicati sunt, num supernaturaliter ipsi illustrentur ut actum fidei et amoris eliciant, vel saltem num ab angelo quopiam baptismum, Deo sic disponente, suscipiant. Cfr. Knoll, *Comp. theol.,* vol. 2, § 325; Kleo, *Dogm..* ed. 4, p. 645. Alii dixerunt baptismum posse suppleri per fidem et orationem parentum, ut defendit Cajetanus, *III p.,* q. 68, a. 2 et 11, vel per aliud remedium, ut existimavit Biel, *In IV Sent.,* dist. 4, q. 2, a. 2, dub. 2, qui praeterea docuit Deum benigna sua dispensatione salvare aliquos saltem parvulos in utero matris sine baptismo decedentes Schell, *Dogmatil:,* vol. 3, ed. 1. p. 479, putavit piam infantium praematuram mortem imputari eis ad salutem. Haec tamen dicta sunt sine fundamento, et videntur contradicere Concilio Florentino adserenti «illorum... animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas»; Doni-Bannw., 693-

proximam baptismi, aliae sunt liberae seu voluntates hominum, aliae necessariae seu ordo physicus rerum: a) Ut primum impedimentum tollatur, suadet Dominus ac praecipit, ut omnes viri ac mulieres diligenter satagant infantulos, qui in necessitate versantur, aqua baptismatis regenerare; et genitores muneris sui negotio tenentur Deum optimum maximum suppliciter exorare, ut pueris suis, qui adhuc in utero materno clauduntur, baptismi gratiam dignetur elargire. Contra voluntatem Dei agunt infideles ac mali christiani, qui impediunt applicationem hujus sacramenti, b) Causae physicae non semel impediunt, quominus baptismus administretur infantulis. Ordo siquidem rerum physicus, originali peccato non parum perturbatus, impedit etiam nunc fructum redemptionis integre pervenire ad eos, quos voluit Deus salvos facere. Unde pueri in utero materno clausi aliquando aegritudine, interdum ex defectu formationis, et non raro violentia genitorum inculpabili animam agunt, quin possint aqua baptismatis lustrari, nisi perturbando ordinem naturae vel operando miracula. Deus autem, qui mundum universum regit et gubernat, non tenetur miracula quotidie patrare, ut remedium parvulis immediate perveniat.

Cave, ne dixeris Deum injuste vel certe durius agere cum infantulis, qui nequiverunt remedio uti. «Non est, inquit *Angelicus,* ex defectu divinae misericordiae, quod in maternis uteris exsistentibus remedium non exhibetur, sed quia non sunt capaces illius remedii, per quod secundum legem communem participes passionis Christi efficiantur, a qua est remissio peccatorum; quia non possunt subjici operationi ministrorum Ecclesiae, per quos talia remedia ministrantur» [1].

363. Scholion. Maxime dolendum est, quod hujusmodi parvuli remedio destituantur in praxi ad sanctitatem adipiscendam, et priventur in aeternum visione beatifica, sed parentibus, qui sine culpa ita filios amiserunt, solatio esse debet conditio eorum post mortem. Parvuli enim innocentes non cruciantur sed gaudent bonis naturalibus in altera vita. Ad rem *Molina:* «In praedestinatione et reprobatione parvulorum solum agebatur de gratuitis donis consequendis aut amittendis. Parvuli namque reprobati in reliquis perinde se habebunt, ac si in solis naturalibus fuissent constituti. Imo post diem judicii, cum ipsorum animae suis fuerint corporibus restitutae, ab omnibus molestiis et aerumnis, quibus in hac vita subjacemus, supernaturaliter liberabuntur, melioremque in naturalibus vitam, vitio omni mentis et corporis immunem, in perpetuas aeternitates ducent, quam ullus unquam mortalium duxerit» [2]. Animae puerorum, juxta S. *Thomam,* non cognoscunt se visione beatifica privari «et propter hoc non dolent, sed hoc, quod per naturam habent, absque dolore possident. Imo magis gaudebunt de hoc, quod participabunt multum de divina bonitate et perfectionibus naturalibus» [3].

1 *IV Sent.,* dist. 6, q. i, a. i, quaestiuncula 3, sol. 1 ad 1.
2 *Concordia,* q. 23, disp. 1, membro 9, *His omnibus.*
3 *De malo,* q. 5, a. 3. Cfr Manterola, *Ajirmaciones catdlicas,* p. 1, c. 10.

ARTICULUS V

DE EFFICACIA DIVINAE VOLUNTATIS

§ 1

An voluntas Dei semper impleatur.

Loquimur de voluntate Dei antecedente atque consequente, et quaerimus, an semper fiat id, quod Deus vult.

364. Thesis. **Voluntas Dei consequens semper impletur, non ita voluntas antecedens.**

Pars 1.a

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Isaias ait ad rem: *Dominus enim exercituum decrevit et quis poterit in/irmare?* L—*Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet*2. Clarius Psalmista: *Omnia, quaecumque voluit, fecit*3.

2) Profundissimam rationem affert S. *Thomas* his verbis: «Cum effectus conformetur agenti secundum suam formam, eadem ratio est in causis agentibus, quae est in causis formalibus. In formis autem sic est, quod, licet aliquid possit deficere ab aliqua forma particulari, tamen a forma universali nihil deficere potest. Potest enim esse aliquid, quod non est homo vel vivum, non autem potest esse aliquid, quod non sit ens. Unde hoc idem in causis agentibus contingere oportet; potest enim aliquid fieri extra ordinem alicujus causae particularis agentis, non autem extra ordinem alicujus causae universalis, sub qua omnes causae particulares comprehenduntur. Quod si aliqua causa particularis deficiat a suo effectu, hoc est propter aliquam aliam causam particularem impedientem, quae continetur sub ordine causae universalis. Unde effectus ordinem causae universalis nullo modo potest exire... Cum igitur voluntas Dei sit universalis causa omnium rerum, impossibile est, quod divina voluntas suum effectum non consequatur. Unde, quod recedere videtur a divina voluntate secundum unum ordinem, relabitur in ipsam secundum alium; sicut peccator, qui, quantum est in se, recedit a divina voluntate peccando, incidit in ordinem divinae voluntatis, dum per ejus justitiam punitur» 4.

Pars 2.a

Arg. Deus voluntate antecedente vult omnium salutem aeternam, ut probavimus. Sed non omnes homines salvantur, ceu docet dogma catholicum. Ergo voluntas Dei antecedens non semper impletur.

1 7-
" 's·. 46, 10.
' *Ps*.. I13 (p. 2), 3.
1 p·, q. 19, a. 6.

§ 2

An Deus ab aeterno praedejinierit omnes actus nostros liberos.

365. Status quaestionis. 1) *Praedefinitio* est decretum divinae voluntatis, quo ab aeterno statuitur aliquid in tempore execution! mandari.

2) Quaeri posset, an Deus omnes actus tam necessarios quam contingentes praedefiniat, sed difficultas restringitur ad actus liberos, quia difficile visum est non paucis libertatem humanam salvari sub praedefinitione divinae voluntatis. Hic solummodo agemus de actibus liberis honestis, de inhonestis acturi § 5.

366. Placita theologorum, i) *Quidam antiqui scholastici* absolute negaverunt actus liberos creaturarum ab aeterno praedefiniri a Deo

2) *Alii* volunt solummodo actus supernaturales et aliquos naturales, qui requiruntur ad obtinendum aliquem finem efficaciter intentum, a Deo praedefiniri [2]

3) Auctores tamen communius docent omnes actus liberos creaturarum a Deo praedefiniri. Sed inter se non parum discrepant in explicanda natura praedefinitionis.

a) *Molinistae* distinguunt praedefinitionem a praedeterminatione. Praedefinitio pro ipsis est decretum divinae voluntatis, quo, praelucente ac dirigente scientia media, id est, habita per scientiam mediam notitia eorum, quae actura sit voluntas humana cum auxilio indifferenti, statuuntur eventus futuri liberi; v. gr., Petrus eliciet actum contritionis.

b) *Thomistae* docent praedefinitionem non distingui realiter a praedeterminatione, et esse decretum absolutum et efficax divinae voluntatis, quo, praevia sola scientia simplicis intelligentiae, statuuntur ab aeterno eventus futuri liberi; v. gr., Petrus poenitentiam aget .

367. Thesis. **Deus decreto suae voluntatis absoluto praedefinivit omnes actus honestos creaturarum, non tantum in genere sed etiam in particulari cum omnibus circumstantiis loci, temporis, etc., quae illos circumstant.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura,* a) Apostolus ait: *Ipsius enim sumus jactura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus*[4]. Unde juxta S. *Augustinum* fidei et caritatis opera, quae per Dei gratiam fuerunt praedestinata, recte praedefinita dicuntur auctoritate Apostoli, creati in operibus bonis, quae praeparavit Deus [5].

b) Ananias Saulo: *Deus patrum nostrorum praeordinavit te, ut cognosceres voluntatem ejus* [6].

1 Vid. Ockam, *In I Sent.,* dist. 38, q. un.; Ariminensis, *In I Sent* , dist. 38, q. 2, a. 2.

2 Cfr. Suarez, *De concursu Dei,* lib. 2, c. 7, n. 11 sqq.; et lib. 3, c. 17, n. 6 sqq.

3 Distinguunt etiam thomistae praedefinitionem a praedeterminatione ut speciem a genere, quatenus prima significat actum interiorem animi aliquid praeconstituentis, et altera denotat actum internum et externum. Cfr. Lemos, *Panoplia,* t. 1, p. 2, tr. 3, c. 1.

4 *Ephes.,* 2, 10.

6 *De praedestinatione SS.,* c. 10; ML 44, 974.

8 *Aci.,* 22, 14.

2) *Ex SS. Patribus.* *Pseudo-Dionysius:* «Exemplaria vero dicimus esse rationes in Deo substantificas rerum et unite praeexsistentes, quas divinus sermo vocat praedefinitiones et divinas atque bonas voluntates, rerum definitrices et effectrices, secundum quas, qui est supra substantiam, omnia, quae sunt, praedefinivit et produxit» [1]. Accedit testimonium libri *ad Annibaldum:* «Voluntate Dei non solum res in esse producuntur, sed etiam rebus producendis modum, quo producuntur, praedeterminavit. Unde cum voluntas Dei efficaciter impleatur, oportet, quod res fiant, et eodem modo, sicut voluntas divina disposuit» [2].

3) *Ex ratione.* In omnibus causarum secundarum actionibus Deus non solum est principium propriae actionis et causa effectus producti, sed etiam est causa actionis prout praecise exercetur a causa secunda, quia tota actio tribuitur Deo. Unde Deus non solum producit effectum sed etiam movet absolute causas secundas ad operandum. Hoc autem facit per decretum praedefiniens. Ergo.

Objicies. S. *Joannes Damascenus* ait: «Illud scire interest, Deum omnia praescire, non autem omnia praefinire. Praescit enim ea, quae in nostra potestate sunt, et non ea praefinit» [3]. Item S. *Gregorius nyssenus:* «Ea, quae sunt in nobis, non sunt ex providentia».

Resp. S. *Joannes Damascenus* et S. *Gregorius nyssenus* acceperunt praefinitionem et providentiam pro impositione necessitatis. Ita eorum mentem explicat Angelicus dicens: «Gregorius nyssenus dicit in libro, quem de homine fecit: providentia est eorum, quae non sunt in nobis, non autem eorum, quae sunt in nobis: et Damascenus eum sequens dicit *(De fid. orth.,* lib. 2, c. 30), quod ea, quae sunt in nobis, Deus praenoscit, sed non praedeterminat, exponenda sunt, ita ut intelligatur ea, quae sunt in nobis, divinae determinationi non esse subjecta quasi ab ea necessitatem accipientia» Alibi: «Damascenus nominat praedeterminationem impositionem necessitatis» [5].

§ 3

Unde repetenda sit efficacia divinorum decretorum circa actus liberos creaturarum.

368. Status quaestionis. 1) Quaestio haec intime connectitur cum illa de *praemotione physica,* quam philosophi dirimunt in theodicea, et cum altera, de qua egimus in articulo de *scientia media,* necnon cum gravissima quaestione de *praedestinatione ante vel post praevisa merita,* ac demum cum illa, quae agitur *circa naturam gratiae efficacis.* Ab illis tamen vere distinguitur, ut terminos attente consideranti facile patebit.

2) Certum est inter catholicos nihil in rerum natura contingere casu, sed omnia esse a Deo decreta, et eo modo, quo decreta sunt, infallibiliter fieri in tempore. Possumus tamen mente transferri in illum statum

1 *De div. nom., c.* 5, n. 8; MG 3, 824.

2 *I ad Annibal.,* dist. 47, q. un., a. 4.—S. Thomae et theologorum mentem circa aeternas Dei praedefinitiones optime expendit Lemos, *Panoplia,* t. 1, tr. 3, c. 5.

3 *De fide orth.,* lib. 2, c. 30; MG 94, 971.

4 *Contra Gentiles,* lib. 3. c. 90.

5 *I p.,* q. 23, a. I ad I.

aeternitatis, in quo consideratur Deus ante decretum circa creaturas, et omnes creaturae sunt mere possibiles. In hoc statu quaeritur, an primum decretum Dei sit absolutum, intrinsece et efficaciter *praedefiniens* ac determinans futuritionem actuum liberorum humanae voluntatis; vel e contra, an Deus edat primum decretum generale ac indifferens seu conditionatum, et exspectet determinationem voluntatis creatae sub auxilio generali ei oblato, et, visa per scientiam mediam determinatione creaturae, decernat absolute actus liberos voluntatis creatae.

369. Placita theologorum. 1) *Molinistae* negant in Deo dari decretum intrinsece efficax et absolutum independens a scientia media et antecedcnter ad praevisionem determinationis voluntatis humanae. Consequenter docent praedefinitiones dirigi praelucente scientia media, qua praenoscitur, quid voluntas ageret in determinatis circumstantiis cum auxilio indifferenti.

Dupliciter tamen potest supponi juxta *Urraburu* praedefinitionem «dirigi ac dependere a scientia media, in primo operando seu eligendo media, non autem in essendo, et secundo tum in essendo tum in operando. Dependet solum in operando, et non in essendo, si praedefinitio actus alicujus datur in Deo antecedenter ad scientiam mediam, licet auxilia et media ad actum illum obtinendum non eligantur nisi post consultationem, ut ita dicam, scientiae mediae: quasi decernat Deus: *Volo omnino talem actum A, illum vero volo obtinere nonnisi per media, quae per scientiam conditionate juturorum /ore videro non intrinseca natura efficacia.* Ea est praedefinitio dependens ac directa per scientiam mediam tum in essendo tum in operando, quae non prius decernit actum, quam cognoscatur per scientiam conditionate futurorum obtineri illum posse per talia auxilia non ex intrinseca natura sua efficacia; et hunc habet modum tendendi, si more humano concipere ac loqui divina audeamus: Quoniam scientia media demonstrat auxilium A vel B vel C, si daretur, obtenturum esse talem consensum, decerno, ut adsit talis consensus, quem voluntas elicit per auxilium, v. gr., A, quod scio efficax fore, licet non essentialiter ex natura sua connexum cum illo est» [1].

Molinistae communissime volunt praedefinitiones Dei dependere a scientia media tum in essendo tum in operando. Hinc praedefinitiones, licet sint aeternae et «duratione praecedant actum ipsum in tempore ponendum, tamen intentionaliter ac logice, si scientiam mediam praesupponunt, posteriores sunt» [2].

2) *Themistae* unanimi consensu dicunt praedefinitiones Dei esse independentes a scientia futurorum conditionatorum et solum supponere scientiam possibilium; ac consequenter decreta, quibus statuuntur et praedefiniuntur actus Uberi creaturarum, esse ab intrinseco efficacia, seu, quod idem est, decreta Dei circa actus nostros liberos repetere suam efficaciam ab omnipotenti Dei voluntate et supremo ejus erga nos dominio.

370. Thesis. **Decreta Dei, quibus praedefiniuntur actus liberi creaturarum, sunt ex se ab intrinseco efficacia.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Sacrae litterae petunt efficaciam decretorum a voluntate Dei: *Non est qui possit tuae resistere voluntati, si decreveris salvare Israel* [3]. *—Sicut divisiones aquarum ita cor regis in manu Domini* [4] *—Dominus enim exercituum decrevit, et quis poterit infirmare?*

1 *Theodicea,* disp. 4, n. 80.
2 Urraburu, *Theodicea,* disp. 4, n. 80, p. 277.
3 *Esth.,* 13, 9.
4 *Prov.,* 21, 1.

et manus ejus extenta, et quis avertet eam [1]—*Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere*[2].

2) *Ex SS. Patribus,* a) S. *Augustinus:* «Non est dubitandum voluntati Dei, qui in caelo et in terra omnia, quaecumque voluit, fecit, et qui etiam, quae futura sunt fecit, humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse, quod vult; quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult, facit... sine dubio habens humanorum eordium, quo placet, inclinandorum omnipotentissimam potestatem»[3]. «Non habent (voluntates creatae) in se potestatem, nisi quam ille concedit» [4].

b) S. *Thomas* ubique hanc doctrinam exposuit: «Deus, inquit, movet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quae deficere non potest. Sed propter naturam voluntatis motae, quae indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed manet libertas» [5]. Alibi: «Praedestinatio habet certitudinem ex parte scientiae Dei, qui non potest falli, et ex parte voluntatis divinae, cui non potest aliquid resistere, et ex parte providentiae, quae certissimo modo ducit ad finem, cum Deus sit sapientissimus» [6].

3) *Ex ratione,* a) Voluntas Dei est causa prima, perfectissima et efficiens, non solum entium sed etiam omnium differentiarum entis, ac idcirco causa consensus liberi humanae voluntatis. Unde «modus contingentiae et necessitatis cadit, ut bene ait S. *Thomas,* sub provisione Dei, qui est universalis provisor totius entis» [7], et ex ipsa voluntate divina originantur necessitas et contingentia in rebus [8]. Sed per decretum indifferens et conditionatum non constituitur voluntas Dei in ratione causae primae, perfectissimae et efficientis consensus liberi humanae voluntatis, quia decretum indifferens non definit potentiam sed exspectat determinationem voluntatis creatae. Ergo.

b) Si voluntas creata sub auxilio indifferenti se determinaret ad bonum, ut volunt molinistae, esset primum movens ac primum determinans et consequenter prima causa sui consensus. Hoc autem est contra illud Apostoli: *Quid autem habes, quod non accepisti?* [9].

371. Scholion. Molinistae congerunt testimonia S. Scripturae et SS. Patrum contra doctrinam a nobis expositam, sed facile omnibus adhibetur solutio, si prae oculis habeantur verba S. Thomae, *Contra Gentiles,* lib. 3, c. 90, ubi clarissime docet actiones nostras etiam liberas efficaciter a Deo moveri; et relata sententia eorum, qui nolunt res humanas liberas divinae providentiae subdi, subjungit: «Videntur autem quaedam in sacra doctrina secundum praedictam sententiam (eorum,

1 Zs., 14, 27.
2 *Philipp.,* 2, 13.
3 *De correptione et gratia,* c. 14, n. 45; ML 44, 943,
4 *De civitate Dei,* lib. 5, c. 9, n. 4; ML 41, 151. Cfr. *De grat. et lib. arb.,* c. 16; ML 44, 900.
3 *De malo,* q. 6, a. un. ad 3.
6 *Quodlib.* 12. a. 3.
' *1 p.,* q. 22, a. 4 ad 3.
8 S. Thomas, *lib. i Periherm.,* lcct. 14.
8 *1 Cor.,* 4, 7.

qui res humanas divinae providentiae -subtrahere conantur) sonare. Dicitur enim *Eccl.,* 15, 17-18: *Apposuit tibi aquam et ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam: ante hominem vita et mors, bonum et malum, quod placuerit ei. dabitur illi.* Haec autem verba ad hoc inducuntur, ut homines esse liberi arbitrii ostendantur, non ut eorum electiones a divina providentia subtrahantur».

§ 4

Utrum voluntas creata maneat semper libera sub efficaci Dei decreto.

372. Status quaestionis. Quod a Deo absolute decretum est infallibiliter fiet. Hoc enim petit natura decreti Dei absoluti, quod ex se efficax est et nullam patitur mutationem. Ex altera parte voluntas creata potest actum ponere vel suspendere. Hinc oritur difficultas, quomodo illud, quod per decretum Dei efficax statutum est et infallibiliter evenit, libere exerceatur; seu, quod idem est, quomodo voluntas creata, per decretum Dei efficaciter praeordinata ac mota, sit in suis actibus libera.

373. Placita theologorum, i) *Adsertores scientiae mediae* communiter censent per decreta Dei anteccdenter ad praevisionem consensus voluntatis ex natura sua efficacia laedi libertatem humanam.
2) *Thomistae* e contra defendunt voluntatem humanam manere liberam sub decretis praedeterminantibus Dei.

374. Thesis. **Decreta Dei praedeterminantia in sensu thomistarum non laedunt libertatem humanam.**

Arg. 1.) S. *Anselmus* ait: «Quoniam enim, quod Deus vult, non potest non esse; cum vult hominis voluntatem nulla cogi vel prohiberi necessitate ad volendum vel ad non volendum, et vult effectum sequi voluntatem, tunc necesse est voluntatem esse liberam et esse quod vult»
2) *Angelicus Doctor* mirifice hanc doctrinam evolvit, cujus integrum articulum juvat hic transcribere. Quaerit S. Doctor, *1 p.,* q. 19, a. 8, *Utrum voluntas Dei necessitatem rebus volitis imponat:* et respondet: «Divina voluntas quibusdam volitis necessitatem imponit, non autem omnibus».

«Cujus quidem rationem aliqui assignare voluerunt ex causis mediis, quia ea, quae producit per causas necessarias, sunt necessaria, ea, vero, quae producit per causas contingentes, sunt contingentia. Sed hoc non videtur sufficienter dictum propter duo. *Primo* quidem, quia effectus alicujus primae causae est contingens propter causam secundam ex eo quod impeditur effectus causae primae per defectum causae secundae, sicut virtus solis per defectum plantae impeditur. Nullus autem defectus causae secundae impedire potest, quin voluntas Dei effectum suum producat. *Secundo,* quia si distinctio contingentium a necessariis refe-

1 *De concord praescientiae et praedest.,* c. 3; ML 168, 511.

ratur solum in causas secundas, sequitur hoc esse praeter intentionem et voluntatem divinam, quod est inconveniens.

»Et ideo melius dicendum est, quod hoc contingit propter efficaciam divinae voluntatis. Cum enim aliqua causa efficax fuerit ad agendum, effectus consequitur causam, non tantum secundum id quod fit, sed etiam secundum modum fiendi vel essendi. Ex debilitate enim virtutis activae in semine contingit quod filius nascitur dissimilis patri in accidentibus, quae pertinent ad modum essendi. Cum igitur voluntas divina sit efficacissima, non solum sequitur quod fiant ea, quae Deus vult fieri, sed et quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Vult autem quaedam Deus necessario, quaedam contingenter, ut sit ordo in rebus ad complementum universi. Et ideo quibusdam effectibus aptavit causas necessarias quae deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proveniunt; quibusdam autem aptavit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter proveniunt. Non igitur propterea effectus voliti a Deo eveniunt contingenter, quia causae proximae sunt contingentes; sed propterea, quia Deus voluit eos contingenter evenire, contingentes causas ad eos praeparavit» [1].

S. *Thomas* in hoc articulo non solum firmavit nostram sententiam, verum etiam fundamentum, cui totum systema thomisticum innititur, adsignavit.

Ratio, qua voluntas humana libere moveatur, et res necessariae necessario operentur, est efficacia divinae voluntatis. Eadem est ratio pro rebus liberis et necessariis. Certum est autem causas naturales praedeterminatas esse a Deo, non exspectato earum consensu. Ergo pariter actus voluntatis humanae definiti sunt a Deo ante praevisum consensum creaturae. At sicut causae naturales sunt necessariae, quia a Deo ordinatae sunt, ita voluntates humanae, quae a.Deo receperunt, ut libere moverentur, suos actus libere exercent sub decreto Dei efficaci.

3) Decretum Dei efficax, quo actus liberi voluntatis creatae praedefiniuntur, non solum facit, ut voluntas humana moveatur ad operandum infallibiliter, sed ut libere moveatur; quia efficacia divinae voluntatis non solum determinat substantiam actus, v. gr., actum amoris, sed ordinat modum, quo hic exercetur, id est, libere vel necessario. Ergo nihil obstat, quominus voluntas creata maneat libera sub decreto Dei efficaci. Quare S. *Doctor* adserit causas necessarias necessario et contingentes contingenter operari *propter efficaciam divinae voluntatis,* quae facit, ut *aliqua fiant,* et *eo modo fiant, quo ea jieri vult.*

375. Scholion. *De distinctione sensus divisi et sensus compositi.* Haec celeberrima distinctio dupliciter potest intelligi: 1) *sensu calviniano; 2) sensu thomistico* [2].

1) *Calvinistae* dixerunt voluntatem hominis decreto Dei efficaci praemotam non posse resistere *in sensu composito,* id est, non habere

1 *I p.,* q. 19, a. 8.

2 Integrum tractatum habet P. Lemos, *Panoplia,* t. i, p. 2, tr. 4, circa distinctionem *sensus divisi* et *sensus compositi,* in quo non solum probat plurimis testimoniis hanc distinctionem admitti debere, sed etiam explicat, ac defendit ex scholasticis, praesertim ex S. Thoma, germanam ejus notionem.

potentiam resistendi; atque ideo, si praemoveatur ad amandum, durante praemotione, necessario amare, quia non retinet potentiam non amandi; posse tamen resistere *in sensu diviso,* id est, sublata praemotione. Calvinistae *in sensu composito,* stante praemotione, denegant voluntati potentiam resistendi, adeo ut actus, ad quem praemovetur, nequeat componi cum potentia in contrarium; ut autem voluntas *in sensu diviso* possit resistere, volunt auferendam esse praemotionem, adeo ut praemotus ad amandum possit non amare, si suspendatur actio Dei. Hic sensus est haereticus et ut talis rejiciendus.

2) *Thomistae* docent voluntatem humanam a Deo efficaciter praemotam non posse *in sensu composito* componere actum cum ejus omissione, retinere tamen, durante etiam praemotione, potentiam resistendi, si resistere vellet, adeo ut voluntas non possit componere actus oppositos, cum hoc repugnet, bene tamen actum cum potentia in oppositum. Sic praemotus ad amandum nequit actum amoris cum non amore componere (sensus compositus). Adjungunt tamen voluntatem a Deo praemotam posse resistere praemotioni *in sensu diviso,* adeo ut voluntas, ad aliquid agendum mota, possit, etiam praemotione stante, actum suspendere, si velit actioni Dei efficaci resistere; retinet enim potentiam, et, si vellet resistere, sequeretur omissio (sensus divisus). Unde haec propositio: *Justus potest peccare mortaliter,* falsa est *in sensu composito,* quia justus nequit componere simul justitiam cum peccato mortali; vera tamen est *in sensu diviso,* quia justus retinet potentiam peccandi mortaliter, et, si vellet haec duo dividere resistendo gratiae, peccaret mortaliter. Quare, sensus compositus significat necessitatem non absolutam sed *consequentiae* et *compositionis,* vel ut bene ait *Billuart, «sensus compositus* importat potentiam simultatis, *sensus divisus* simultatem potentiae» [1]. Actus oppositi componi nequeunt, bene tamen actus et potentia in oppositum, sicut stans non potest esse simul sedens, sed potest stare cum potentia sedendi.

Dices a) voluntatem humanam hoc modo praemotam infallibiliter bonum operari, et nunquam fore, ut resistat motioni divinae.

Respondeo motionem infallibilem ad unum non inducere necessitatem nec libertati unquam officere, cum voluntas infallibiliter mota ad unum possit divinae motioni resistere. Sicut scientia Dei est infallibilis circa eventus futuros et actus hominum liberos, et voluntas humana infallibiliter exsequitur illos actus a Deo praevisos, quin tamen infallibilitas inducat necessitatem.

Praeterea ipsi patroni scientiae mediae communiter ponunt decretum Dei absolutum post praevisionem consensus creaturae, et dicunt indefectibiliter, sicut Deus decrevit, rem esse futuram. Haec tamen indefectibilitas nullam necessitatem imponit voluntati. Nec valet dicere praefatum decretum sequi praevisionem consensus creaturae, quia indefectibilitas non ex consensu creaturae, qui mutabilis est, sed nascitur ex decreto Dei, quo rerum futuritio determinatur.

Voluntas ergo non necessario operatur, quamvis aliquid infallibiliter sit exsequutura. Infallibilitas enim affectat objectum externum, necessitas vero modificat potentiam, et unum est objectum esse infallibiliter futurum, et aliud valde diversum potentiam ad illud obstringi [2].

* *De Deo uno.* diss. 8, a. 4, § 2. *Sic ergo.*

3 S. Thomas, *Dc veritate,* q. 23, a. 5 ad 3 ait: «Quamvis non esse effectus divinae

b) Hanc distinctionem accusant adversarii de novitate et inventione thomistarum.

Sed immerito. S. *Thomas* suo tempore non semel usus est hac distinctione. Primo quidem sub nomine *necessitatis ex suppositione* et *necessitatis absolute, I p.,* q. 23, a. 6 ad 3; et *1 p.,* q. 19, a. 8 ad 1 et 3; deinde sub nomine necessitatis *consequentiae* et *consequentis. De veritate,* q. 24, a. 1 ad 13; et sub expressis'terminis *sensus divisi* et *sensus compositi, De veritate,* q. 6, a. 4, ad 8; *Contra Gentiles,* lib. 1, c. 67 in fine, et *1 p.,* q. 14, a. 13 ad 3.

Difficultatibus satisfit.

376. Obj. 1.° Liberum est, quod sub consilio se movet. Sed voluntas creata a Deo efficaciter mota non se movet sub consilio. Ergo decretum efficax Dei tollit libertatem.

Resp. S. *Thomas* solvit hanc difficultatem dicens: «Liberum arbitrium est causa sui motus, quia homo per liberum arbitrium se ipsum movet ad agendum. Non tamen hoc est de necessitate libertatis, quod sit prima causa sui id, quod liberum est; sicut nec ad hoc, quod aliquid sit causa alterius, requiritur, quod sit prima causa ejus. Deus igitur est prima causa movens et naturales causas et voluntarias. Et sicut naturalibus causis, movendo eas, non aufert, quin actus earum sint naturales, ita movendo causas voluntarias, non aufert, quin actiones earum sint voluntariae; sed potius hoc in eis facit; operatur enim in unoquoque secundum ejus proprietatem» L

Obj. 2. Concilium Tridentinum docet *liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum... posse dissentire, si velit* 2, et *posse divinam inspirationem abjicere* 3. Voluntas autem humana decreto Dei efficaci praedeterminata nequit dissentire aut motionem Dei abjicere. Ergo.

Resp.—Dist. min. Voluntas humana decreto Dei efficaci praedeterminata nequit dissentire aut motionem Dei abjicere *in sensu composito,* conc.; *in sintu diviso,* neg. Voluntas humana nequit simul conjungere motionem Dei ad actum cum non actu, quia illa motio solummodo natura praecedit actum et est cum eo simul tempore, sed sub illa motione retinet facultatem dissentiendi.

§ 5

Utrum Deus decernat mala.

377. Status quaestionis. 1) Malum in quantum hujusmodi non potest esse volitum ab appetitu sive naturali, sive animali, sive intellectivo; potest tamen appeti per accidens, in quantum appetitur bonum, quod malo conjungitur; sic agens naturale vult per accidens corruptionem, appetendo aliam formam, leo occisionem animalis, appetendo cibum, et homo offensam Dei, appetendo delectationem. Hoc ideo contingit, quia bonum, cui conjungitur malum, magis appetitur, quam bonum, quod omittitur per malum. «Nullum autem bonum, ait S. *Tho-*

volûntatis non possit simul stare cum divina voluntate, tamen potentia deficiendi effectum simul stat cum divina voluntate. Non enim sunt ista incompossibilia: Deus vult istum salvari et iste potest damnari. Sed sunt incompossibilia: Deus vult istum salvari et iste damnatur». Cfr. S. Anselmus, *De concordia praescient, et praedest.,* c. 3; ML 158, 511.

1 *I p.,* q. 83, a. 1 ad 3.

2 *Sess.* 6, can. 4: Denz-Bannw., 814

3 *Sess.* 6, de justif., c. 5; Denz-Bannw., 797.

nias, Deus magis vult, quam suam bonitatem; vult tamen aliquod bonum magis, quam aliud quoddam bonum. Unde malum culpae, quod privat ordinem ad bonum divinum, Deus nullo modo vult, sed malum naturalis defectus vel malum poenae vult, volendo aliquod bonum, cui conjungitur tale malum, sicut, volendo justitiam, vult poenam, et, volendo ordinem naturae servari, vult quaedam naturaliter corrumpi» [1].

2) Haec clarissima sunt, sed quia malum est multiplex et diversis considerationibus subjicitur, juvat hic paulo latius hanc doctrinam discutere.

3) Malum, quod est privatio boni, triplex distinguitur, malum naturae, poenae et culpae. *Malum naturae* est privatio entitatis seu perfectionis naturalis debitae. *Malum poenae* est ipsa poena alicui ob culpam injuncta. *Malum culpae* est privatio conformitatis ad regulas morum.

4) Actus humani, quibus malum culpae committitur, quidam sunt intrinsece mali, id est, prohibiti quia mali, ut odium Dei; alii sunt secundum se indifferentes, sed per legem supervenientem prohibiti, ac consequenter mali quia prohibiti, ut frangere jejunium.

5) Malum culpae seu peccatum potest dupliciter considerari: a) quoad suam entitatem physicam, seu quatenus est actus a potentia procedens, praecisa deformitate morali; b) quatenus a regulis morum deficit seu deordinationem moralem importat. Ipsa entitas physica potest rursum considerari, quatenus est formaliter fundamentum malitiae implicans culpam in obliquo, et quatenus est absolute et specificative actio naturalis.

Cum homo, praecisa Dei motione, non possit actum, qui aliunde est peccaminosus, elicere, necesse est Deum in omnibus creaturae operationibus interesse. Sed difficultas est, quousque illa actio Dei in operationibus hominum peccaminosis se extendat, et quas in illis partes habeat decretum Dei praedeterminans.

378. Errores. 1) *Non defuerunt haeretici,* qui dicerent Deum, non quidem directe et ex intentione peccandi, sed indirecte et ex consequenti, velle et ordinare non solum materiale peccati verum etiam ipsum peccatum formale et malum culpae, quatenus culpa est. Ita *Calvinus* [2] et ejus sequaces, quos damnavit Concilium Tridentinum [3][4]

2) *Theodorus mopsuestenus* blasphemavit, cum dixit: «sciens Deus expedire hominibus peccatum, hoc fieri disposuit» [4]. Et S. *Thomas* refert quosdam docuisse, «quod, licet Deus non velit mala, vult tamen mala esse vel fieri» [5].

Doctrina theologorum. 1) *Theologi 'catholici* quatuor in hac materia concordes docuere, scilicet: a) Malum in quantum hujusmodi nullatenus esse a Deo volitum. b) Malum naturale et malum poenae esse a Deo volitum per accidens, in quantum vult bonum, quod malo conjungitur, c) Malum culpae nullo pacto, ne quidem per accidens, a Deo intendi sed solum permitti.

1 *I p.,* q, 19. a. 9.

2 *instit,* lib. 3, c. 23.

3 Sr.ss. 6. can. (>. Denz-Bannw., 816. Cfr. Salmanticenses, *De voluntate Dei,* disp. to. n. 163.

4 Cfr *Concit. Cpolitanum II,* collât. 4, post med., § 61; Mansi, 9, 22.

3 *! p ,* q. 19, a 9 ad 1.

d) Ipsum actum physicum seu materiale peccati, quatenus est formaliter fundamentum culpae, non esse a Deo decretum.

2) *Themistae* communiter docent, aliquibus theologis reclamantibus, entitatem physicam peccati absolute seu secundum se consideratam esse directe a Deo decretam, quin peccatum Deo imputetur.

379. Thesis **I. Nullum malum, ut tale, est a Deo volitum.**

Arg. Omne volitum habet rationem boni. Sed nullum malum, ut tale, habet rationem boni. Ergo nullum malum, ut tale, est a Deo volitum. Unde axioma commune: «Nemo intendens ad malum operatur».

380. Thesis **II. Deus vult per accidens malum naturae et malum poenae.**

Arg. Dicitur malum intendi per accidens, quando amatur unum bonum, ex quo sequitur malum. Sed Deus vult quaedam bona, ex quibus sequitur malum naturae et poenae. Ergo Deus vult per accidens malum naturae et poenae. Sic vult ordinem justitiae, cui conjungitur poena hominis scelerati, et servat leges naturae, ex quibus sequitur rerum corruptio.

381. Thesis **III. Deus nullo pacto, ne quidem per accidens, vult malum culpae.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Regius Psaltes: *Non Deus volens iniquitatem tu es*[1].— *Odio sunt Deo impius et impietas ejus*[2].

2) *Concilium Trid.: Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas jacere, sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie et per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judae, quam vocatio Pauli, a. s.*[3]

3) *Ex ratione.* Malum culpae est aversio voluntatis a Deo. Sed Deus non potest velle aversionem voluntatis creatae a se, quin se ipsum odio prosequatur. Ergo.

382. Thesis **IV. Deus non vult actum physicum seu entitatem physicam peccati, quatenus est formaliter fundamentum culpae.**

Arg. Actus physicus peccati, quatenus formaliter est fundamentum deformitatis, secum fert necessario et in obliquo importat malum culpae. Sed voluntas Dei. rectissima et .sanctissima cum sit, non vult id, quod necessario fert et in obliquo importat malum culpae. Ergo.

383. Thesis **V. Voluntas Dei vult et decreto suo efficaci ab aeterno praedeterminavit entitatem physicam peccati absolute et secundum se sumptam.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* S. Petrus ait israelitis: *Hunc* (Jesum) *definito consilio et praescientia Dei traditum per manus iniquorum a/fi-*

1 *Ps.* 5. 5
2 *Sap..* 14, 9.
3 Sess. 6, can. 6; Denz-Bannw., 816.

gentes interemistis [1]. Hic peccatum Judae (quoad suam entitatem) divino consilio decretum fuisse satis innuitur. Unde fideles Jerusalem sic affati sunt Deum: *Convenerunt... adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes et Pontius Pilatus cum gentibus et populis Israel facere, quae manus tua et consilium tuum decreverunt fieri* [2]. Praeterea, induxit Dominus corda hominum ad bella injuste gerenda contra filios Israel [3]; tradidit homines *in desideria cordis eorum, in immunditiam... in passiones ignominiae... in reprobum sensum, ut faciant ea, quae non conveniunt* [4]. Haec oportet intelligi de entitate physica peccati, non de malo culpae. Ergo.

2) *Ex testimonio S. Thomae.* «In malis actionibus, quamvis sit (Deus) causa earum quantum ad essentiam, non tamen est causa quantum ad defectum» [5].

3) *Ex ratione.* Omne bonum, quatenus tale, est a Deo volitum. Sed entitas physica peccati absolute et secundum se sumpta est quoddam bonum, quia ens. Ergo. Unde secundum *Angelicum* nefas est dicere peccatum esse a Deo «nisi cum hac additione, in quantum est actus et in quantum est ens» [6].

Voluntas divina non producit nec vult malitiam peccati seu malum culpae, sed id dumtaxat, quod est in eo physicum et materiale, cui deordinatio ac culpa non est essentialis sed accidentalis, proveniens a libero arbitrio peccatoris in malum prono. In hac propositione: *Odium Dei est peccatum,* praedicatio est essentialis, quia odium non sumitur pro entitate physica actus; in hac vero propositione: *Hic actus,* demonstrato odio Dei, *est peccatum,* praedicatio est accidentalis, quia per accidens se habet, quod talis actus sit peccatum. Ideo totus actus peccati, in quantum importat entitatem, est a Deo, sed defectus et privatio perfectionis seu deordinatio a regulis morum est a creatura. Exemplo familiari solet hoc a theologis illustrari. Motus, qui est in varo, totaliter procedit ab anima, principio et causa totius motus. Sed claudicatio emergit a curvitate tibiae. Ita a pari totus effectus physicus peccati est a Deo, primo principio omnium entium, sed defectus ejus emergunt ab homine.

Solvuntur argumenta.

384. Nota. Argumenta, quae contra doctrinam expositam ab auctoritate petuntur, facile dilues, si praenotaveris verbis S. Scripturae, SS. Patrum, et conciliorum, quae tanto studio congeruntur ab adversariis, non negari motionem Dei in actum physicum peccati secundum se, sed in ipsam culpam et deordinationem moralem, vel ad summum in actum physicum, quatenus est formaliter fundamentum malitiae.

Obj. Qui producit actum essentialiter peccaminosum, est etiam causa malitiae. Sed sunt actus essentialiter peccaminosi, ut blasphemia, odium Dei, etc. Ergo qui producit hos actus, est causa malitiae.

1 *Ad.,* 2, 23.
2 *Ad.,* 4, 27-28.
3 *Josue,* 11, 20.
4 *Rom.,* i, 24-28.
5 *In II Sent.,* dist. 37, q. 2. a. 2 ad 3.
6 *In II Sent.,* dist, 37, q. 2, a. 2.

Resp.—Dist. min. Blasphemia, odium Dei, etc., sunt actus essentialiter peccaminosi, si in genere morum considerentur, conc.; in genere physico, neg. Hujusmodi actus dupliciter considerantur: i) *in genere naturae,* quatenus per principia physica constituuntur; 2) *in genere morum,* quatenus eis superadditur ordo ad regulas morum. Primo modo non sunt essentialiter mali nec peccaminosi. Quia tamen essentia actuum saepissime nominatur ex ordine ad praedictas regulas morum, ideo dicimus illos actus esse essentialiter peccaminosos [1].

Instabis. Illi actus quoad esse physicum habent saltem nexum inseparabilem cum malitia. Hoc autem sufficit, ut ipsa malitia imputetur Deo actum physicum praedeterminanti. Ergo.

Resp. *Transacta majori,* quam non omnes concedunt, neg. min. Ad rem S. *Thomas:* «Actio, quae peccati deformitatem habet, dicitur bona, in quantum est actio, bonitate naturae, non propter hoc quod aliquando inveniatur separata a deformitate, sed quia bonitas illa naturae deformitati substat; ita etiam Deus dicitur esse causa illius actionis, in quantum est actio, et non in quantum est deformis; non hoc modo, quod actionem faciat a deformitate separatam, sed quia in actione deformitati conjuncta hoc, quod est actionis, facit, et quod deformitatis, non facit. Etsi enim in effectu plura inseparabiliter conjuncta sint, non oportet, ut, quidquid est causa ejus quantum ad unum, sit causa ejus quantum ad alterum»[2].

QUAESTIO XVII

DE PROVIDENTIA DEI

S. *Th., I p., q. 22.*

ARTICULUS I

UTRUM IN DEO SIT PROVIDENTIA

385. Status quaestionis. 1) Providentia venit a *procul videre* et in genere est ratio ordinis rerum in mente praeexsistens. Quatenus est in Deo definitur a Seneca: *Aeterna ars cuncta temperantis Dei*[3]; et a *S. Thoma: Ratio ordinis rerum in finem in mente divina praeexsistens*[4].

2) Providentia est principalis pars prudentiae, ad quam aliae duae partes, scilicet memoria praeteritorum et intelligentia praesentium, ordinantur, quia ex praeteritis memoratis et praesentibus intellectis conjectamus de futuris providendis. Prudentis quippe proprium est secundum Philosophum [5] ordinare alia in finem sive respectu sui ipsius, sicut dicitur homo prudens, qui bene ordinat actus suos ad finem vitae suae, sive respectu aliorum sibi subjectorum in familia, vel civitate vel regno, sicut dicitur *Matth.,* 24, 45: *Fidelis servus et prudens, quem constituit*

1 «Deformitas peccati, ait S. Thomas, non consequitur speciem actus, secundum quod est in genere naturae, sic autem a Deo causatur; sed consequitur speciem actus, secundum quod est moralis, prout causatur ex libero arbitrio». *De malo,* q. 3, a. 2 ad 2.

2 *In II Sent.,* dist. 37, q. 2, a. 2 ad 5.

3 EA 71. 13·

4 *1 p.,* q. 22, a. i.

5 *Ethic.,* 6, c. 13.

Dominus super familiam suam 1. Intellectus igitur, memoratis praeteritis, cognitis praesentibus et pensatis omnibus circumstantiis, ordinat rem in finem, et haec ordinatio vocatur providentia. Essentialiter consistit in actu intellectus, praesupponit tamen et connotât voluntatem finis 2.

3) In providentia duo sunt accurate consideranda, *ordo* scilicet rerum in finem et *exsecutio* hujus ordinis. Quantum ad primum providentia est aeterna, quantum ad secundum temporalis 3. Utrumque est actus simplicissimus. Hic solum disserimus de providentia quantum ad rationem ordinis, et inquirimus, an Deus ordinaverit res creatas in finem, de executione postea acturi.

386. Errores. Providentiam Deo subtraxerunt: 1) *Democritus* et *epicuraei* dicentes mundum et omnia, quae sunt in eo, facta esse casu et fortuito 4. 2) *Fatalistae* et *stoici* adserentes omnia, etiam deos, fato et caecae necessitati subjacere 5.* 3) *Pantheistac,* qui Deum non distinguunt a mundo, nullum ordinem et moderationem admittunt in rebus, nisi oriatur cx necessitate ipsius mundi. 4) *Naturalistae* omnes, sive pantheistis subscribant, sive theistarum nomine glorientur, defendunt Deum post creationem mundi nihil curare de rebus, sed omnia creata ex viribus et legibus naturae in proprios fines ordinari. 5) *Rationalistae* hodierni, quidquid verbis protestentur, naturalistis accénséndi sunt.

387. Thesis. **In Deo est perfectissima providentia.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Sapiens ait: *Pussillum et magnum ipse* (Deus) *jecit, et aequaliter cura est illi de omnibus* °.—*Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* 1 — *Non enim est alius Deus, quam tu, cui cura est de omnibus* 8.—*Tua autem, Pater, providentia gubernat* (navem), *quoniam dedisti et in mari viam et inter /luctus semitam firmissimam* 9. S. Petrus: *Ipsi cura est de vobis* l0.11

2) *Ex Concilio Vat.:* «Universa vero, quae condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter» 11.

1 Cfr. S. Thomas, Z *p.,* q. 22, a. I.

2 S. Thomas, *l p.,* q. 22, a. i ad 3. Quando versatur circa creaturas rationales, quae sunt pars objecti materialis providentiae, proprio nomine vocatur *praedestinatio.*

3 Providentia absolute loquendo secundum propriam rationem praescindit ab adsecutione finis, et consistit in ratione ordinis rerum in finem; sed quatenus residet in Deo, est specialissima, et utrumque complectitur, id est, ordinat res creatas in finem et adsequitur eventum, modo infra dicendo. Cfr. Nazarius, *In I p.,* q. 22, a. I Banez, *In I p.,* q. 22, a. I.

'* Cfr. S. Thomas, *I p.,* q. 22, a. 2.

5 Cfr. Hergenrhthor. *Hist, de la Igl.* (ed. hisp.), t. I, c. 2, § I. Mahumetani non erubescunt fatalismum profiteri. Hergenrother, *Ibid.,* t. 3, c. 2, § 1, n. 102, p. 8.

n *Sap.,* 6, 8.

' *Sap.,* 8, i.

8 *Sap.,* 12, 13.

° *Sap.,* 14, 3.

10 *I Petri,* 5, 7.

11 $<.*.< 3, c 1; Denz-Bannw., 1784. Ex SS. Patribus videri possunt Clemens alex., *Strom* , lib (>, 17; MG 9, 389 sqq.: S. Bas lius. *Hom. in Hexacm.,* n. 5; MG 31. 29, 13.

3) *Ex ratione.* Omne bonum creaturarum, utpote a Deo per intellectum conditum, exsistit in Deo mente conceptum. Sed in creaturis invenitur bonum et quantum ad substantiam et quantum ad ordinem earum in finem. Ergo in Deo exsistit ratio ordinis rerum in finem.

ARTICULUS II

UTRUM OMNIA CREATA SINT SUBJECTA DIVINAE PROVIDENTIAE

388. Status quaestionis. Ordinatio et gubernatio rerum potest esse duplex: 1) *Communis,* quatenus actio seu ordinatio gubernantis respicit totam universitatem seu collectionem rerum, quin descendat ad singularia. 2) *Particularis,* in quantum actio gubernantis ordinat omnia et singula ad suos respectivos fines.

Quaerimus, an omnia hoc duplici modo subjaceant divinae providentiae.

389. Errores, i) *Dualistae* seu *manichaei,* defensores duplicis principii rerum, dixerunt gubernationi et regimini principii boni subjecta fuisse orhnia in primo rerum exordio, exceptis tenebris, materia, vento, igne et fumo, quae a malo principio moderata sunt, sed postea imperium mali principii ita extensum fuisse, ut hodie mundus subjaceat utrique principio [1]. 2) *Balbus* in ore Tullii ajebat: «Magna dii curant, parva negligunt»[2]. 3) *Averroës* docuit non esse necessarium «divinae bonitati habere sollicitudinem de singularibus, nisi secundum quod habent communicationem in natura communi»[3]. 4) *Tullius,* libertatem humanam salvare volens, «res humanas, de quibus consiliamur, divinae providentiae subtraxit» [4]. 5) «*Quidam* posuerunt incorruptibilia tantum providentiae subjacere, corruptibilia vero non secundum individua sed secundum species, sic enim incorruptibilia sunt. Ex quorum persona dicitur Job., 22, 14: *Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, et circa cardines caeli perambulat.* A corruptibilium autem géneralitate excepit Rabbi Moyses homines propter splendorem intellectus, quem participant. In aliis autem individuis corruptibilibus aliorum opinionem est sequutus» [5]. 6) *Pelagiani* dicebant hominem sine auxilio Dei posse bona opera facere, *semipelagiani* et *sociniani,* qui contendebant initium boni operis posse oriri a viribus naturae, et *hodierni liberales,* qui libertatem conscientiae et cultuum defendunt, non parum detrahunt divinae providentiae [6].

1 Cfr. Hergenrdther, *Hist, de la Igl.,* t. 1, época i. c. 2, n. 142. Eumdem errorem quoad substantiam admiserunt *gnostici* et *calhari; Ibid.,* n. 116 sqq.; et t. 4. periodo 5, c. 2, n. 300.

2 *De natura deorum,* lib. 2, c. 66.—Plutarchus, *De placitis philosoph.,* lib. 2, c. 3; Cano, *De locis theol.,* lib. 10, c. 5; Vazquez, *In I p.,* disp. 64. n. 3, et disp. 87, n. 2, dixerunt Aristotelem subtraxisse divinae providentiae futura contingentia, sed S. Thomas, *Contra Gentiles,* lib. 3, c. 75, in bono sensu Philosophum explicat.

3 S. Thomas, *In I Sent.,* dist. 39. q. 2, a. 2.

4 S. Thomas, *I p.,* q. 22, a. 2 ad 4.

6 S. Thomas, *I p.,* q. 22, a. 2.

° Hergenrôther, *Hist, de la Igl.,* t. 5, C. I, n. 205.

390. Thesis. **Omnia creata etiam minutissima et vilissima subjacent divinae providentiae non solum «in communi» verum etiam «in particulari».**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Sacrae litterae passim nos docent Deum pascere volatilia caeli, vestire lilia horti fenumque agri, et de capillis capitis curam habere [1]. Unde *Sapiens* dicit aequaliter Deo esse curam de omnibus [2].

2) *Ex Concilio Vat.: Universa vero, quae condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter*[3].

3) *Ex ratione.* «Cum... omne agens agat propter finem, tantum se extendit ordinatio effectuum in finem, quantum se extendit causalitas primi agentis... Causalitas autem Dei, qui est primum agens, se extendit usque ad omnia entia, non solum quantum ad principia speciei, sed etiam quantum ad individualia principia, non solum incorruptibilium sed etiam corruptibilium. Unde necesse est omnia, quae habent quocumque modo esse, ordinata esse a Deo in finem secundum illud Apostoli ad *Rom.*, 13, 2: *Quae a Deo sunt, ordinata sunt* [4].

391. Scholion. Cum diversa admodum sint genera rerum in mundo, et quaedam magis vel minus prae aliis perfectiones participent, oportet, ut aliqua in specialiores fines referantur. Hinc diversi sunt ex parte creaturarum ordines providentiae divinae. Unde providentia divina potest esse: 1) *Ordinaria* vel *extraordinaria,* in quantum Deus modo et mediis consuetis, vel modo et mediis extraordinariis, unumquodque dirigit in finem. Creaturas irrationales providentia ordinaria et rationales providentia saepe extraordinaria gubernat Dominus. 2) *Physica* et *moralis,* prout res creatae legibus naturae aut regulis morum gubernantur. 3) *Naturalis* et *supernaturalis,* prout finis, ad quem ordinantur, et media, quibus creaturae reguntur, sunt naturalia vel supernaturalia.

Non tamen potest dici providentia Dei multiplex, quia distinctio specifica sumenda est non ex finibus particularibus rerum ordinandarum, sed ex fine ultimo provisoris, qui in Deo est unicus, ostensio nempe suae bonitatis et attributorum [5].

Solvuntur difficultates.

392. Obj. 1.° Apostolus ait: *Numquid de bobus cura est Deo?* [*] Ergo non omnia subjacent divinae providentiae.

Resp. Apostolus loquitur de providentia extraordinaria, qua saepe reguntur creaturae rationales. Hanc providentiam extraordinariam negat Deo Apostolus circa boves, non ordinariam.

Obj. 2.° 5. *Hieronymus* ait: «Absurdum est ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotve mo-

1 *Matth.*, 6, 36, et *Luc.*, 12, 22 sqq.
2 *Sap.*, 6, 8.
3 Sess 3. C. 1: Denz-Bannw., 1784.
'. / *p.*, q. 22, a. 2.
6 Cfr Salmant., *De voluntate Dei,* disp. 2. nn. 30 et 50; *De praed.*, disp. 2, n. 128.
Λ / *Cor.*, 9, 9.

nantur, quae cimicum et pulicum et muscarum sit in terra multitudo, quanti pisces in aqua natent, et qui de minoribus majorum praedae cedere debeant»[1]. Item S. *Thomas* adserit numerum vel boum, vel culicum, vel aliquorum hujusmodi non esse a Deo per se praeordinatum [2].

Resp. 1) S. *Hieronymus* nunquam Deo negavit providentiam de singulis rebus enumeratis, sed adseruît non esse in Deo eamdem de his curam specialem ac de hominibus. Hoc explicat ipse statim dicens: «Non simus, tam fatui adulatores Dei, ut, dum potentiam ejus etiam ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus, *eamdem* rationabilium quam irrationabilium providentiam esse dicentes».

2) S. *Thomas* dicit numerum boum, culicum, etc., non esse *per se* praeordinatum. Haec particula *per sè* explicat sensum verborum et significat numerum individuum harum rerum, qui variabilis est, non esse propter se et ad conservationem individui praeordinatum, sed propter speciem, ad cujus conservationem individua ordinantur.

Obj. 3.° Si Deus provideret de omnibus ac singulis rebus, nullum esset malum in mundo, quia provisor sapiens, ut est Deus, excludit malum de rebus provisis. Sed multa mala sunt in mundo. Ergo.

Resp. Neg. maj. Provisor particularis, qui unius vel paucarum rerum curam gerit, debet, quantum potest, malum a rebus provisis excludere, sed provisor universalis, ut est Deus, permittit aliquos defectus in rebus particularibus accidere, ne impediatur bonum totius. «Si enim omnia mala impedirentur, ait ad rem *Angelicus,* multa bona deessent universo. Non enim esset vita leonis, si non esset occisio animalium, nec esset patientia martyrum, si non esset persecutio tyrannorum. Unde dicit *Augustinus:* «Neque enim Deus, omnipotens... ullo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut bene faceret et de malo» [3].

ARTICULUS III

UTRUM DEUS IMMEDIATE OMNIBUS PROVIDEAT

393. Status quaestionis. In providentia duo sunt, ut supra notavimus, consideranda, *ratio ordinis* rerum in finem et *exsecutio* hujus ordinis. Quaerimus, utrum Deus immediate quoad utrumque omnibus provideat.

394. *Opinio Platonis.* Refert S. *Thomas* ex *S. Gregorio Nysseno* [4] Platonem posuisse triplicem providentiam, «quarum *prima* est summi Dei, qui primo et principaliter providet rebus spiritualibus et consequenter toti mundo quantum ad genera, species et causas universales. *Secunda* vero providentia est, qua providetur singularibus generabilium et corruptibilium; et hanc attribuit diis, qui circumeunt caelos, id est, substantiis separatis, quae movent corpora caelestia circulariter. *Tertia* vero providentia est rerum humanarum, quam attribuebat daemonibus, quos platonici ponebant medios inter nos et deos, ut narrat *Augustinus,* lib. 9, *De civ. Dei,* cc. 1-2, et lib. 8, c. 14» [5].

1 *In Habacuc,* 1, 14; ML 25, 1286.
2 *I p.*. q. 23. a. 7.
3 *Enchiridion,* c. 11; ML 40, 236. Cfr S. Thomas. *I p.* q. 22, a 2 ad 2.
4 De *natura hominis,* c. 44: MG 40, 793.
5 *I p.,* q. 22, a. 3, et q. 103, a. 6 ad 1.

395. Thesis. **1) Quantum ad rationem ordinis rerum in finem Deus ipse immediate providet omnibus. 2) Sed quantum ad exsecutionem ordinis saepenumero utitur causis secundis. 3) Hoc tamen non obstat, quominus ipse per praemotionem omnibus immediate praesens adsit et in illis operetur.**

Pars 1.a

Arg. Deus «in suo intellectu habet rationem omnium etiam minimorum, et quascumque causas aliquibus effectibus praefecit, dedit eis virtutem ad illos effectus producendos» [1]. Ergo Deus per se ipsum immediate omnibus providet quantum ad ordinem rerum in finem.

Pars 2.a

Supremi provisoris proprium est adhibere ministros, eisque committere aliquid circa inferiora exsequendum; ita a pari Deus, provisor supremus ac universalis, «inferiora gubernat per superiora, non propter defectum suae virtutis, sed propter abundantiam suae bonitatis, ut dignitatem causalitatis etiam creaturis communicet» [2]. Sic filiis parentes, discipulis magistros, civitatibus rectores, nationibus principes praefecit, et per eos gubernat subditos.

Diximus Deum *saepenumero* uti causis secundis ad executionem ordinis rerum, ut quosdam casus, in quibus causae secundae non interveniunt, exciperemus. Sunt enim aliqui eventus supernaturales et extraordinarii, quos ipse Deus specialissima providentia sine causis secundis exsequitur, ut miracula, etc.

Pars 3.a

Arg. Ostensum est supra, et patet ex philosophia, omnes actiones, etiam illas, quae a creaturis fiunt, Deo ut causae primae et auctori universali rerum adscribendas esse, quia in omnibus creaturis immediate, modo unicuique convenienti, operatur. Ergo.

Corollarium. Ex his sequitur rationem ordinis rerum in finem soli Deo competere, exsecutionem vero hujus ordinis quandoque soli Deo et interdum causis secundis convenire, non excludendo tamen in hoc ultimo casu operationem immediatam Dei, causae primae.

396. Scholion. *Num providentia divina sil infallibilis,* seu, an sit de intrinseca ratione divinae providentiae non solum ordinatio rerum in finem verum etiam infallibilis adsecutio finis.

S. *Thomas* expresse adserit in *Summa* «quod ea, quae ab ipso (Deo) providentur, cuncta eveniunt eo modo, quo ipse providet» [3], et divina providentia «non deficit a suo effectu, neque a modo eveniendi, quem providit» [4]. At in quaestionibus *De veritate* contrarium dicere videtur [5].

1 S. Thomas, *1 p.,* q. 22, a. 3.
2 S. Thomas, *1 p.,* q. 22, a. 3.
3 */ p..* q. 22, a. 4 ad 2.
4 *I p..* q. 22, a. 4 ad 3.
8 *De veritate,* q. 6, a. 1.

Aliqui commentatores dixerunt S. Doctorem in *Swmma* retractasse,, quod alibi docuerat[1]; alii volunt in quaestione *De veritate* locutum fuisse de providentia in genere, quae non semper impletur, in *Summa* vero de 'providentia speciali seu divina, quae efficacior est ac certior humana providentia [2].

Rectius milii videtur dicendum:

1) Ordinatio rerum et consequens praeparatio mediorum ad finem est de intrinseca ratione divinae providentiae. Unde nulla est creatura in mundo, quae non fuerit ordinata a Deo in suum finem, vel cui non fuerint praeparata media ad finis adsecutionem.

2) Adsecutio supremi finis omnium creaturarum, qui est gloria Dei infallibiliter obtinetur per divinam providentiam. Sive enim creaturae perveniant sive non ad finem suum proximum, Deus semper consequitur gloriam suam. Sic gloria Dei impletur per ostensionem misericordiae suae in hominis salvatione, et per ostensionem suae justitiae in hominis damnatione.

3) Finis proximus seu particularis, ad quem res ordinantur a Deo per providentiam, non semper obtinetur. Ratio est, quia licet providentia sit actus intellectus [3], connotât tamen actum voluntatis, quo finis intenditur et media praeparantur. Hic actus voluntatis quandoque est efficax et absolutus, praeparatque causas efficaces, quae infallibiliter producunt effectum, aliquando est inefficax seu conditionatus, et praeparat causas contingentes, quae ab effectu producendo deficiunt[4].

4) Praedestinatio, quae est pars objectiva providentiae, connotât semper actum absolutum et efficacem voluntatis ac idcirco semper impletur seu consequitur finem.

5) Quando S. *Thomas* loco supra citato et alibi passim docet divinam providentiam nunquam deficere a consecutione finis, loquitur de hac speciali providentia seu praedestinatione vel de providentia quantum ad finem ultimum, in aliis vero locis, ubi contrarium docere videtur, agit de providentia quantum ad adsecutionem finis proximi rerum.

QUAESTIO XVIII

DE PRAEDESTINATIONE

ARTICULUS I

QUID SIT PRAEDESTINATIO

397. I. *Definitio nominalis.* Praedestinatio, si etymon spectes, componitur ex duabus particulis *prae* et *destino,* quae satis exactam rei notitiam exhibent. Particula *prae* potest significare prioritatem digni-

1 Ita Banez, *In I p.,* q. 22, a. 1 ad 1.

2 Ita Buonpensière, *In I p.,* q. 22, n. 1104.

3 Aliqui reponunt providentiam in actu intellectus et voluntatis simul, alii in actu solius voluntatis, alii in actu intellectus.

4 Cfr. Salmanticenses, *De praedestinatione,* disp. 2, nn 162-163.

tatis, temporis vel causalitatis; verbum autem *destino* significat quamdam transmissionem seu directionem Unde praedestinatio vi nominis est destinatio vel deputatio quaedam alicujus rei in finem, antequam fiat, vel juxta alios ante omne tempus.

II. *Definitio realis.* 1) Praedestinatio aliquando sumitur *late* pro quolibet decreto sive ad gloriam, sive ad poenam, sive ad quodlibet aliud in tempore faciendum. Hoc sensu dicit S. *Augustinus:* «Deus fecit ea (futura) praedestinando» 1. 2) Saepius usurpatur praedestinatio *stricte* pro sola deputatione alicujus ad gloriam et ad media, quibus ad gloriam itur. Duplex definitio traditur ab auctoribus de praedestinatione stricte sumpta, una 5. *Augustini,* altera S. *Thomae.*

a) *Definitio S. Augustini. S. Augustinus* ait: «Praedestinatio sanctorum nihil aliud: *Praescientia scilicet et -praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumqUe liberantur3.* Dicitur 1.°: *Praescientia,* quo nomine non intelligitur scientia media, ut voluerunt *Lessius, Molina, Suarez* 4 et alii, sed scientia approbationis, qua Deus approbat electos ad vitam aeternam, de qua scientia ait S. *Augustinus:* «Praedestinatione quippe Deus ea praescivit, quae fuerat ipse facturus»5. Haec scientia connotât actum voluntatis et est effectrix ac practica. 2.° *Praeparatio,* ut magis innuatur praedestinationem esse scientiam practicam, quae imperat seu intimat creaturas rationales conduci in vitam aeternam mediis opportunis. 3.° *Beneficiorum Dei,* seu mediorum supernaturalium, quibus indigemus ad vitam aeternam adipiscendam, ut sunt vocatio, motiones interiores, gratia sanctificans, etc. 4.° *Quibus certissime liberantur, quicumque liberantur,* ut innuatur praedestinationem esse certam et semper eventu compleri.

b) *Definitio S. Thomae.* Praedestinatio est: *Ratio transmissionis creaturae rationalis in finem vitae aeternae in mente divina ab aeterno exsistens3.* Dicitur 1.° *Ratio... in mente divina ab aeterno exsistens,* quia praedestinatio est actus intellectus, non quidem pure speculativus, sed practicus, quatenus ordinat salvationem electorum et imperat media ad finem. 2.° *Transmissionis,* quo significantur tum effectus principalis praedestinationis, qui est deputatio ad aliquem finem, tum praeparatio mediorum, quibus transmissio efficitur. 3.° *Creaturae rationalis,* ut denotetur objectum praedestinationis esse creaturam rationalem seu intellectualem. 4.° *In finem· vitae aeternae,* ut determinetur ultimus terminus transmissionis, qui est vita aeterna.

398; Scholion I. *Praedestinatio formaliter consistit in actu intellectus, connotât tamen in obliquo actum voluntatis.* Ratio videtur clara. Praedestinatio enim est ordinatio creaturae rationalis in finem vitae

1 S. Thomas, *De veritate,* q. 6, a. i; et *In I Sent.,* dist. 40, q. 2.
2 *In Joan.,* tr. 68, n. x; ML 35, 1814.
3 *De dono perseverantiae,* c. 14, n. 35; ML 45, 1014.
4 Lessius, *De praedestinatione,* sect. 1, n. 3; Molina, *In I p.,* q. 23, aa. 4 et 5, inenibr. ii; Suarez, *De praedesl.,* lib. 1, c. 7.
ll *De praedestinatione sanctorum,* c. 10, n. 19; ML 44, 975.
° *I p.,* q. 23, a. i.

aeternae, adhibitis mediis opportunis. Ordinare autem aliquid in finem est actus intellectus. Ergo praedestinatio est actus intellectus \

Connotât tamen in obliquo actum voluntatis, quia ordinatio in finem supponit necessario electionem et volitionem finis atque approbationem mediorum 2.

Scholion II. *Praedestinatio jormaliter et in recto est imperium divini intellectus* non quidem eo modo, quo superior praecipit subditis aliquid facere, sed imperium monasticum, in quantum est actus intellectus practici, quo imperative disponitur, ut electi conducantur in vitam aeternam et ordinentur media efficacia ad illam consequendam 3. Ratio est. quia praedestinatio dicitur ratio transmissionis et ordinatio quaedam. Ordinatio autem non est simplex judicium, quo intellectus cognoscit media ad beatitudinem adipiscendam, sed est efficax dispositio et imperium, quo intimatur rem fieri.

Sequens processus seu ordo actuum intellectus et voluntatis Dei hac in re statuitur a *Salmanticensibus* 4: 1) Cognitio seu scientia omnium possibilium in triplici ordine naturae, gratiae et gloriae, omniumque mediorum, quibus finis uniuscujusque ordinis obtineri potest. 2) Voluntas seu intentio communicandi creaturis rationalibus bona illius triplicis ordinis ad ostensionem suae bonitatis, ita tamen ut beatitudo sit finis ordinum naturae et gratiae. Actus voluntatis, quo Deus vult hanc beatitudinem absolute conferre creaturis dicitur *dilectio* et, quo vult aliquibus prae aliis eam elargiri, vocatur *electio.* 3) Intellectus ex hac finis electione quasi motus judicat haec vel illa media esse apta electis ad beatitudinem consequendam, et ea proponit voluntati. 4) Voluntas eligit aptiora. 5) Intellectus imperat praefata media determinato tempore exsequi. 6) Voluntas acceptat et approbat imperium intellectus. 7) Tempore praefinito exsequuntur media et obtinetur finis.

Haec paucis confirmat *Angelicus* dicens: «Sunt autem quatuor actus rationis, secundum quod dirigit humanos actus. Quorum *primus* est intellectus quidam, quo aliquis recte existimat de fine, qui est sicut principium in operativis, ut Philosophus dicit in 2 Physic, com. 89. *Secundus* actus est consilium de agendis... *Tertius* est judicium de agendis...

1 Non omnes theologi subscribunt huic propositioni: i) *Aliqui* volunt praedestinationem essentialiter consistere in actu voluntatis. Ita Scolus cum suis discipulis, *In 1 Seni.,* dist. 39, n. 23; et dist. 40. q. 1; Vazquez, *Γη I p.,* disp. 87. c. 3. 2) *Alii* eam reponunt in actu utriusque potentiae, intellectus et voluntatis. Sic Molina, *In I p..* q. 23, disp. 2 (fatetur tamen praedestinationem principaliter consistere in actu intellectus, includendo intrinsece actum voluntatis); Lessius, *De praedestinatione,* sect, i, n. 1; Becanus, *Summa theol.,* p. I. tr. t, c. 14, q. 2, et alii. 3) Longe tamen probabilior mihi videtur opinio S. Thomae, *De veritate,* q. 6, a. Γ, Valentiae, *In I p.,* q 23, p. 2; S. Bellarmini, *De gratia et lib. arb.,* lib. 2, c. 9, et aliorum, qui dicunt praedestinationem formaliter consistere in actu intellectus.

2 Utramque hujus scholii partem expresse docet Angelicus, *De verit.,* q. 6, a 1.

3 Huic doctrinae contradicunt non pauci. Plures enim volunt praedestinationem formaliter et in recto esse «judicium, quo intellectus cognoscit media aptitudinemque singulorum ad finem (vitam aeternam), quaeve eorum magis expediant, ut voluntas sine alio imperio intellectus eligat, quod maluerit, moveatque membra facultatemque exsecutricem ad operationem». Ita Molina, *In I p.,* q. 23, disp. 2; Suarez, *De praedestinatione,* lib. I, c. 17. n. 14. et alii

1 De praedestinatione, disp. 2, nn. 35-36.

Quarius actus est praeceptum de agendo» 1. «Post determinationem consilii, quae est judicium rationis, voluntas eligit, et post electionem ratio imperat ei, per quod agendum est, quod eligitur» 2.

Scholion III. *Praedestinatio est pars objectiva, non subjectiva, providentiae. Partes subjectivae* alicujus rei dicuntur, quae sub ea continentur tanquam inferiora sub toto superiore, ita ut totum superius sit veluti genus quoddam vel totum potentiale respectu inferiorum; sic species est pars subjectiva generis, et substantia pars subjectiva entis. *Partes objectivai* sunt, quae ex se omnino identificantur cum toto, sed objectum materiale unius concipitur ut pars objecti totius. Sic intellectus practicus et speculativus, item ratio superior et inferior sunt partes objectivae intellectus humani. Intellectus enim, una et simplicissima potentia, cujus objectum est verum, quatenus respicit verum pure speculandum, dicitur *speculativus,* quatenus respicit verum ordinandum ad opus, est *practicus,* quatenus intendit aeternis conspiciendis, vocatur *ratio superior,* et quatenus intendit rebus temporalibus, nuncupatur *ratio inferior* 3.

Juxta hanc explicationem praedestinatio est pars objectiva providentiae, ut communissime tenent theologi, non Solum thomistae sed etiam extranei4. Ratio est, quia objectum materiale praedestinationis est pars objecti materialis providentiae absolute et simpliciter sumptae. Providentia siquidem absolute sumpta versatur circa omnes creaturas, circa omnia media, quae ordinantur ad finem, et circa omnem finem naturae, gratiae et gloriae, dum praedestinatio solum versatur circa creaturas intellectuales, circa media ad beatitudinem et circa finem peculiarem, qui est vita aeterna. Unde S. *Thomas* ait; «Praedestinatio quantum ad objecta est quaedam pars providentiae» s.

Non tamen potest dici pars subjectiva, quia praedestinatio non continetur sub providentia tanquam inferior sub toto superiore, sed est ipsamet providentia, quatenus ordinat creaturas rationales in vitam aeternam ®.

Scholion IV. Finis ultimus praedestinationis est gloria Dei et Christi, ad quam ordinantur tanquam ad finem ordines naturae, gratiae et gloriae, ita tamen, ut vita aeterna creaturarum respectu gloriae Dei et Christi sit quidem medium, sed respectu ordinis naturae et gratiae habeat rationem finis. Quare praedestinatio, supposita volitione finis, ordinat creaturas rationales ad vitam aeternam dirigitque media ad illam.

Scholion V. Praedestinatio plerumque accipitur adaequate pro transmissione creaturae rationalis in vitam aeternam et ordinatione me-

1 *De malo,* q. 15, a. 4.

2 *I-II,* q. 17, a. 3 ad 1.

3 Cfr. Complutenses, *De anima,* disp. 19, n. 21 sqq.: Philippus a SS. Trinitate, *Summa philosophica, II-II,* q. 42, a. 4.

4 Vazquez. *In I p.,* disp. 87, nn. 23-24; Valentia, *In I p.,* q. 23, p. I, et alii.

6 *I p.,* q. 23, a. i.

° Nonnulli censent praedestinationem esse partem subjectivam providentiae, quia putant providentiam in genere dividi in duas species, in providentiam naturalem et praedestinationem. Ita Molina, *In I p.,* q. 22, a. I, disp. 2 in. fine, *Ad primum ergo,* et q. 23, aa. 1-2, disp. 1, *Aptius tamen:* Arrubal, disp. 63, c. 5; Herioe, t 3, disp 22, ‹ 7, n. 65, et alii. Verius tamen dicitur totam distinctionem se tenere ex parte objecti materialis.

diorum ad illam consequendam, at non semel usurpatur inadaequate et lato sensu pro destinatione alicujus ad effectum praedestinationis, v. gr., ad gratiam. Unde aliqui dicuntur apud Patres praedestinati ad fidem, gratiam, etc.

ARTICULUS II

UTRUM DEUS ALIQUOS DE FACTO PRAEDESTINAVERIT

399. Errores. 1) *Athei* et *fatalistae,* qui Dei providentiam inficiantur, et *materialistae,* qui animae immortalitatem negant, necnon *positivistae* hodierni, qui matérialisme deflectunt, nolunt admittere quosdam a Deo praedestinari in vitam aeternam.

2) *Gnostici* (basilidiani, Valentiniani, marcionitae, manichaei, etc.) dixerunt quosdam homines ex natura sua esse bonos et sine ulla Dei praeordinatione esse restituendos in vitam aeternam, alios vero ex natura sua esse malos et in locum tenebrarum deputandos.

3) *Pelagiam* voluerunt homines posse semetipsos viribus naturae justificare ac idcirco adipisci gloriam aeternam, quin a Deo fuerint praeordinati [1].

4) *Ambrosius Calharinus* [2] [3] posuit duos ordines salvandorum. *Unus est praedestinatorum,* qui a Deo praeordinati sunt ab aeterno in vitam aeternam et adeo gratiae donis suffulti sunt, ut ad altissimum sanctitatis fastigium pervenerint et infallibiliter obtinuerint salutem, ut B. V. Maria, S. Joannes Baptista, etc.; *alius ordo est* eorum, qui aequalibus gratiis ornati tendunt in finem; si gratiis bene utantur, salvantur; sin autem, inter reprobos connumerantur [3].

400. Thesis. Dogma catholicum est Deum aliquos praedestinasse.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus ait: *Quos praescivit et praedestinavit conformes jieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem praedestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, hos et justificavit, quos autem justificavit, illos et glorificavit* [4]. Rursum: *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in caritate. Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suae* [5]. Apostolus his verbis non solum docet exsistentiam praedestinationis, verum etiam tradit germanam ejus notionem. Unde Dominus dicturus est electis in die judicii: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi* [6]; et Concilium Valentinum, a. 855, can. 3, ait: «Fidenter fatemur praedestinationem electorum ad vitam» [7].

1 Cfr. S. Augustinus, *De nat. et grat.,* 44, 52; ML 44, 272.

2 *De praed. Dei,* lib. 3, Comment, ad ep. Kom.

3 Cfr. Katschthaler, *De gratia,* n. 456, circa mentem Catharini.

4 *Rom.,* 8, 29-30.

5 *Ephes.,* I, 4-5.

6 *Matth.,* 25, 34.

7 Denz-Bannw., 322. Cfr. *Concil. Trid., sess.* 6, c. 12; Denz-Bannw., 805. SS. Patres constanter hoc docuerunt. Cfr. S. Aug., *De dono persev.,* 17, 42; ML 45. 1019; et *De praed. SS.,* 17, 34; ML 44, 986; S. Prosper, *Resp. ad obj. gallorum,* part. 2; ML 51, 172.

2) Nihil fit in tempore, quod Deus ab aeterno non praeordinaverit. Notum est autem quosdam aliquando in vitam aeternam mediis opportunis perduci. Ergo.

Scholion I. *De necessitate praedestinationis ad salutem.* Sine praedestinatione nemo potest salutem adipisci, quia, ut ait S. *Joannes, non intrabit in eam* (in gloriam)... *nisi qui scripti sunt in libro vitae Agni*[1]. Unde S. *Fulgentius:* «Firmissime tene et nullatenus dubites... neque perire posse aliquem eorum, quos Deus praedestinavit ad regnum caelorum, nec quemquam eorum, quos Deus non praedestinavit ad vitam, ulla posse ratione salvari»[2].

Ratio est, quia cum vita aeterna consistens in visione beatifica excedat vires creaturae, nemo potest ad eam pervenire, nisi a Deo praeordinetur et transmittatur.

Scholion II. *De subjecto praedestinationis.* Duo sunt in praedestinatione consideranda, ratio scilicet ordinis creaturarum in finem et executio hujus ordinis. *Ratio ordinis* residet in mente divina, quia, ut ex dictis patet, est actus divini intellectus. Item *exsecutio ordinis* active sumpta, utpote Dei operatio, est in Deo; passive vero, in quantum exsequuntur de facto beneficia Dei, exsistit in creaturis[3].

ARTICULUS III

UTRUM SIT ALIQUA CAUSA PRAEDESTINATIONIS, SEU AN PRAEDESTINATIO SIT POST PRAEVISA MERITA

401. Status quaestionis. 1) Causa, quantum ad praesens attinet, potest esse *efficiens physica, finalis* et *meritoria.*

Causa *efficiens physica* nostrae praedestinationis est proculdubio ipse Deus, omnium rerum etiam nostrae beatitudinis auctor. Causa *finalis* ultima est gloria Dei vel etiam gloria Christi Salvatoris, quatenus ordo gratiae et ipsa quoque nostra beatitudo referuntur proxime ad gloriam Christi et ultimo ad gloriam Dei. Causa item *meritoria* principalis nostrae praedestinationis est Christus Jesus, qui suo sanguine meruit nobis dona supernaturalia et vitam aeternam. Difficultas est de causa meritoria secundaria, et quaeritur, an merita creaturae praecesserint quodammodo praedestinationem.

2) Praedestinatio potest esse ad fidem, vel ad primam gratiam, vel ad gloriam. Certum est contra pelagianos et semipelagianos praevisa merita hominis non esse causam praedestinationis ad fidem vel ad primam gratiam, quia nemo potest naturaliter mereri fidem vel primam gratiam, et, si mereretur, non esset gratia. Unde Concilium Tridentinum «declarat... ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Jesum Christum praeveniente gratia sumendum esse»[4]. Item facile concedunt

1 *Ap.*, 21, 27.
2 *De fide ad Petrum,* c. 35, n. 76; ML 65, 703.
3 Cfr. S. Thomas, *I p.,* q. 23, a. 2.
4 *Sess.* 6, C. 5; Donz-Bannw., 797.

theologi, etiam systematis Molinae patroni, praedestinationis adaequatae sumptae non dari causam ex parte praedestinati, quia, si prima gratia non potest mereri, minus potest mereri tota series beneficiorum, quae ex ea pendent[1]. Quaestio est de sola praedestinatione ad gloriam.

3) In praedestinationis exsecutione opera bona facta in gratia possunt mereri et de facto merentur gloriam, quia unicuique confertur vita aeterna ut merces bonorum operum, sed non loquimur hic de exsecutione, quae est temporalis, sed de praedestinatione aeterna in intentione, non quidem *subjective* pro actu praedestinantis, qui, utpote infinite perfectus, nullam habet causam seu, ut ait *Angelicus,* «non propter hoc vult hoc» [2], sed *objective,* id est, an merita creaturae sint ratio praedestinationis, et Deus velit praedestinationem esse propter merita creaturae: «hoc vult esse propter hoc».

4) Meritum, quod alibi fusius explicabitur, est quoddam opus retributione dignum. Si operi debeatur praemium ex justitia, est meritum *de condigno;* si ex quadam decentia, meritum *de congruo.* Agimus hic de quocumque merito etiam de congruo, et quaerimus, an praedestinatio ad gloriam possit habere dependentiam causalitatis ab aliquo bono opere ipsius praedestinati.

5) Satis communiter docent auctores parvulorum praedestinationem ad gloriam esse omnino gratuitam seu ante praevisa eorum merita, quia infantes, qui non sunt ad usum rationis perventuri, nullum habent meritum futurum [3].

6) Quaestio ergo est, an praedestinatio adultorum ad gloriam sit ante eorum praevisa merita ac consequenter omnino gratis; aut e contra sit post eorum praevisa merita et objective dependens ab illis in ordine causalitatis vel saltem conditionis sine qua non.

402. I. Errores, i) *Gnostici* imprimis erraverunt, cum, rejicientes praedestinationem proprie dictam, dixerunt quosdam homines a bono principio productos esse natura sua bonos, et secum gerere merita necessaria ad vitam aeternam. Falsum est siquidem dari duplex rerum principium, unum bonum et alterum malum, et opera bona naturalia esse merita ad vitam aeternam.

2) *Alii* «dixerunt, quod effectus praedestinationis praeordinatur alicui *propter merita praeexsistentia in alia vita;* et haec fuit opinio *Origenis,* qui posuit animas humanas ab initio creatas et secundum diversitatem suorum operum diversos status eas sortiri in hoc mundo corporibus unitas [4]. Sed hanc opinionem excludit Apostolus {*Rom.,* 9, 11-13) dicens: *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret), non ex operibus sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori»* [5].

1 Cl. Pesoh, *De Deo uno,* n. 364 sqq., bene probat molinistas in hac parte convenire cum thomistis.

2 *I p.,* q. 19, a. 5.

3 Cfr. Molina, *In I p.,* q. 23, aa. 4-5, disp. 1, membr. 11; Suarez, *De praed.,* lib. 2, c. 5.

4 Hunc errorem primo docuit Piato, *Phaedo,* 21; et ab eo accepit Origones, *Periarchon,* lib. 1, cc. 7-8; MG 11, 173 sqq. Origcnem impugnavit Methodius, Olimpi et Patarorum in Syria episcopus; MG 18, 202. Vid. Suarez, *De praed* , lib 2, c. 4, n 4

5 S. Thomas, *I p* , q. 23, a. 5.

3) *Pelagiani* olim docuerunt hominem viribus naturae exercere bona opera et per ea mereri gratiam et praedestinationem ad gloriam [1].

Hic error merito damnatus est inConcilio Milevitano II [2], et Araüsicano II[3], quia operibus naturae tribuit vim promerendi gratiam supernaturalein et gloriam.

4) *Semipelagiani,* qui docebant boni operis initium esse ex nobis et consummationem a Deo, dixerunt «quod alicui datur praedestinationis effectus et non alteri, quia unus initium dedit se praeparando et non alius» [4]; consequenter unus meretur praedestinationem, dum alter aeternae damnationi se ccmmittit.

«Contra hoc est, quod dicit Apostolus (*7/ Cor.,* 3, 5): *non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis»* [5]; et illud Joannis: *Sine me nihil potestis facere* [6].

5) *Alii* «dixerunt quod merita sequentia praedestinationis effectum sunt ratio praedestinationis, ut intelligatur, quod ideo Deus dat gratiam alicui, et praeordinavit se ei daturum, quia praescivit eum bene usurum gratia, sicut si rex det alicui militi equum, quem scit bene usurum».

«Sed isti videntur distinxisse inter id, quod est ex gratia, et id, quod est ex libero arbitrio, quasi non possit esse idem ex utroque. Manifestum est autem, quod id, quod est gratiae, est praedestinationis effectus, et hoc non potest poni ut ratio praedestinationis, cum hoc sub praedestinatione concludatur. Si igitur aliquid aliud ex parte nostra sit ratio praedestinationis, hoc erit praeter effectum praedestinationis. Non est autem distinctum, quod est ex libero arbitrio et ex praedestinatione, sicut nec est distinctum, quod est ex causa secunda et causa prima. Divina enim providentia producit effectus per operationem causarum secundarum... Unde et id, quod est per liberum arbitrium, est ex praedestinatione» [7].

403. II. Systema molinistarum. Molinistae defendunt tres saltem theorias, quae, licet in multis conveniant, in nonnullis differunt. *Aliqui* volunt praedestinationem ad gloriam esse post praevisa merita sine reprobatione negativa damnandorum *(Vazquez); alii* ante praevisa merita cum reprobatione negativa damnandorum *(Suarez); alii* ante praevisa merita sine reprobatione negativa damnandorum *(Billot).* Omnes *Molinam* ad suas partes trahere conantur.

1) *Prima theoria.* Defensores primae theoriae volunt praedestinationem quorumdam fieri post et propter praevisa merita, adeo ut merita praevisa sint causa praedestinationis ex parte effectus. Quod ut probent, statuunt duplex principium: 1.um Praedestinatio ad gratiam praecedit prioritate signi praedestinationem ad gloriam. 2.um «Eodem modo et ordine praeparantur in praedestinatione Dei beneficia gratiae et gloriae, quo modo et ordine conferuntur in tempore». Cum autem gloria conferatur in tempore propter merita, concludunt homines praedestinari ad gloriam propter eorum merita, quae Deus praevidet per scientiam mediam.

Hoc pacto decreta componunt: *In primo signo* praevidet Deus per scientiam simplicis intelligentiae omnia possibilia et omnes rerum pos-

[1] Cfr. S. Augustinus, *De gest. Pel.,* c. 18; ML 44, 345; et *De nat. et grat.,* c 52; ML 44, 272.

[2] Denz-Bannw., 104-105.

[3] Denz-Bannw., 176, 177, 179.

[4] S. Thomas, *I p.,* q. 23, a. 5.

[5] S. Thomas, *I p.,* q. 23, a. 5.

[6] *Joan.,* 15, 5.

[7] *I p.,* q. 23, a. 5.

sibiles combinationes. *In secundo signo* Deus decernit omnes indiscriminatim salvos fieri, si gratiae cooperaverint. *In tertio signo* confert omnibus gratias ad salutem sufficientes. *In quarto signo* praevidet per scientiam mediam, quinam sint vel non gratiae cooperaturi. *In quinto signo* dat decretum absolutum (vel, ut *Lessius*[1] vult, ipsum decretum conditionatum transfert in absolutum), quo decernit bonum opus eorum, qui gratiae consentire visi sunt. *In sexto signo* praedestinat aliquos ad gloriam propter eorum merita praevisa et reprobat positive alios propter eorum peccata praevisa. Ita *Vazquez, Lessius, Becanus, S. Franciscus Salesius, Franzelin, Pesch*[2] *et* alii.

Absit a me hanc sententiam, a gravissimis theologis confirmatam, erroris accusare. Ob auctoritatem tamen S. *Augustini, S. Thomae* et aliorum, qui contrarium sentiunt, necnon ob validas rationes intrinsecas, quae ei opponuntur, deserendam esse puto.

a) Juxta S. *Augustinum* nulla est differentia inter praedestinationem infantium et adultorum[3]; Deus praedestinatione praescivit, quae erat ipse facturus[4], et non elegit homines, quia crediderunt, sed elegit, ut crederent[5]; et juxta S. *Thomani* merita sunt effectus praedestinationis[6]. b) Admitti non potest homines prius ad gratiam praedestinari quam ad gloriam, quia in ordine intentionis prudens ordinator prius intendit finem quam media[7]. c) Principium illud: «gloria praeparatur ab aeterno eodem modo et ordine, quo datur in tempore», verum est, si loquamur de praeparatione et ratione, qua reipsa datur, quia gloria praeparata est danda propter merita; non vero, si loquamur de ratione, propter quam praeparatur, quia gloria non est praeparata propter merita sed gratuito[8]. d) Electio ad gloriam, cum sit acceptio unius prae alio, fieri debet eo momento, quo est in arbitrio eligentis accipere unum vel alium sine injuria, non quando unus meretur acceptionem prae altero.

2) *Secunda theoria.* Congruistae, quorum praecipuus parens est *Suarez,* aliter rem explicant: a) Deus scientia simplicis intelligentiae cognoscit omnia possibilia, omnes naturas, omnesque rerum combinationes, quae fieri possunt[9]. b) Scientia media «Deus, priusquam hominem talem praedestinet per talia auxilia, praescit eumdem hominem meriturum esse gloriam, si illi dentur talia auxilia praedeterminantia»[10] in tali ordine et circumstantiis, c) Voluntate absoluta et efficaci, non

1 *De gratia efficaci,* c. 4. n. 16: et *De praedest.,* n. 107.

2 Vazquez, *In I p.,* disp. 89, c. 2; et c. 9, n 84; Lessius, *D.· praed.,* sect. 2, n. 22; Becanus, *Summit theol. schol.,* p. 1, c. 14, q. 4; S. Franciscus Salesius, *Epist. ad P. Lessium,* 26 Aug. 16x8, ed. Vives, t. 9, p. 507 sq.: Franzelin, *De Deo uno,* th. 59; Pesch, *De Deo uno,* n. 372 sqq. In hac sententia, ut vides, electio ad gratiam est omnino gratuita, praedestinatio ad gloriam propter merita, et reprobatio propter culpam.

3 *De dono persev.,* c. 11; ML 45, 1007.

4 *De praed. SS.,* c. 10, n. 19: ML 44, 975

5 *De praed. SS.,* c. 17; ML 44, 985.

6 *I p.,* q. 23, a. 5.

7 Cfr. Suarez, *De divina praed.,* lib. 1, c. 8.

8 Cfr. Billot, *De Deo uno,* th. 31, § 1.

9 *De div. praed.,* lib. t, c. 6, n. 5.

10 *De divina praed.,* lib. 1, c. 7, n 20.

intuitu meritorum sed gratuito, eligit Deus primo ad gloriam et consequenter ad gratiam aliquos [1], volendo positive non eligere alios [2]. d) Dat decretum absolutum conferendi electis media efficacia ad bona opera facienda et salutem consequendam, e) Praevidet scientia visionis bonorum merita ac perseverantiam et reproborum demerita ac impoenitentiam. f) Mali reprobantur positive, g) In tempore exsequuntur haec decreta. Ita *Suarez, S. Bellarminus, Franciscus de Lugo,* et alii non pauci[3].

Hoc systema vel theoria, quamquam dilucide ab eximio Doctore et a cl. Francisco de Lugo exponatur, rejiciendum mihi videtur: a) Quia ad praedestinationem requirit scientiam mediam, qua cognoscantur futura conditionata, et super eam fundatur; dictum est autem supra scientiam mediam rejiciendam esse, β) Supponit praedestinationem consistere in actu voluntatis, id est, in electione unius prae alio. Praedestinatio autem non est actus voluntatis nec mera electio, sed ordinatio in vitam aeternam.

3) *Tertia theoria* exprimitur his verbis: «Praedestinationi, quae est formaliter in intellectu practico, praesupponitur secundum rationem gratuita prorsus ad gloriam electio; electioni autem ad gloriam nulla respondet antecedens reprobatio negativa»[4].

Hoc ordine signa distinguunt: *In primo signo* praevidet Deus per scientiam simplicis intelligentiae omnes ordines et combinationes possibiles et per scientiam mediam quinam ex infinitis ordinibus et hypothesibus consentirent gratiae et obtinerent salutem aeternam, et quinam ex abusu suae libertatis deficerent. *In secundo signo* «divina voluntas sese determinat circa unum finem, quem novit de facto obtinendum in uno certo ordine, illumque finem absolute vult». «Est signum absolutae voluntatis salutis quorundam» [5]. *In tertio ordine* consequenter ad volitionem finis decernit Deus mandare execution! totum ipsum ordinem, cui respondet voliti finis eventus obtinendus, et hoc est signun *praedestinationis* et reprobationis» [6]. Deinde addit *Billot:* «In ratione intellecta dicti ordinis continetur tum praescita transmissio horum hominum in vitam aeternam, tum praescita defectio aliorum a salute; decernit autem Deus procurare primum, et ad hoc ipsum permittere secundum: ex hujus adjunctione decreti fit, ut quoad quosdam jam in Deo sit *praescientia* et *praeparatio* vocationis, justificationis, necnon et consequentis glorificationis (et hoc est praedestinatio); quoad alios vero

1 Cfr. Suarez, *De div. praed.,* lib. 1, c. 8, n. 32. «Distinguendo secundum rationem in ipsa Dei voluntate voluntatem exsequentem a praedestinante, voluntas exsequens est posterior secundum rationem; ergo non repugnat aliquid esse causam vel rationem posterioris et non prioris. Quodsi hoc non repugnat, ergo existimandum est non omnes effectus gratiae, qui dantur ex merito, praedestinari ex merito». Suarez, *De div. praed.,* lib. 2, c. 23, n. 18.

2 «Probabilius censeo, ait Suarez, Deum in illo signo ita non elegisse reprobos ad gloriam, ut positivum actum voluntatis habuerit non eligendi illos seu volendi non eligere». *De div. praed.,* lib. 5, c. 4, n. 5.

:l Suarez, *De div. praed.,* lib. t, c. 8; S. Bellarminus, *De gratia et lib. arb.,* lib. 2, cc 0-15; Francisous do Luro, *De Deo uno,* disp. 39, c. 4, n. 13 sqq.

• Billot, *De Deo uno,* th 32 (ed. 5.“. 1910).

‘ Billot, *Dr Deo uno,* qq. 23-24, § 3 (ed. 5.·, 1910, p. 289).

" Billot, *De Deo uno,* th 32, § 1

praescientia et *permissio* defectionis (et hoc est reprobatio)» [1] In hac theoria praedestinatio quorumdam ad gloriam supponit merita conditionata et scientiam mediam futuribilium, sed quia Deus liberrime eligit eum ordinem, in quo conditiones verificantur, gratuito eligit quosdam ad gloriam. Ita *Billot,* et alii moderni, qui ipsum sequuntur [2].

Haec pariter explicatio, licet ingeniosa et subtilis, in multis peccare videtur. 1) Fundatur in scientia media, quam supra diximus esse rejiciendam. 2) Habet omnia inconvenientia, quae opponuntur thomistis. Eligendo siquidem et execution! mandando ordinem, in quo praesciuntur aliqui salvandi et alii condemnandi ante praevisa merita vel demerita, quidam positive destinantur ad gloriam et alii reprobantur negative. Reprobi possent in hac theoria respondere Domino: «fuissemus et nos salvi, si alium ordinem, in quo novisti nos gratiae consensuros, elegisses». 3) Praedestinatio in hac sententia non versatur circa salvandos immediate sed circa ordinem rerum, in quo praevidentur aliquos gratiae consensuros, sed ultra hoc requiritur ordinatio singulorum. 4) Praedestinationem ponit in actu voluntatis, in electione nempe ordinis in quo hi homines potius quam illi praesciuntur salvandi.

404. III. Systema duplicis ordinis praedestinatorum. Aliqui docent eos, qui ad insigniorem vitae sanctitatem sunt perventuri, ut B. V. Maria et apostoli, ante praevisa merita, caeteros vero post praevisa merita a Deo praedestinari. Ita *Biel, Ockam, Herrmann, Spiridion a Maria Imm.,* etc. [3].

1) Hujus systematis patroni, volentes conciliare oppositas sententias, inciderunt in omnium inconvenientia. 2) Differentia inter sanctos insignes et ordinarios quoad praedestinationem caret fundamento.

405. IV. Systema praedestinationis simultaneae ad gratiam et gloriam. Nonnulli recentiores docent Deum uno eodemque momento gratuito decernere aliquibus gloriam cum meritis infallibiliter futuris sub efficaci influxu Dei vocantis, justificantis et in bono conservantis, adeo ut, non ex praevisis meritis aut post praevisa merita neque absolute ante ipsa, sed potius cum meritis infallibiliter futuris, censendus sit Deus electos gratuito praedestinare ad gloriam sub suavi at intimo potentissimoque providentiae influxu. Ita *Satolli, Paquet* et alii [4].

Haec sententia ex eo saltem reprobanda videtur, quod in negotio praedestinationis gloria est finis, gratia vero medium ad finem. Porro inter finem et medium adest semper aliqua prioritas saltem signi, id est, in ordine intentionis finis est primus, in ordine vero exsecutionis ultimus.

406. V. Systema thomisticum. Thomistae docent in mysterio praedestinationis probe distinguendum esse ordinem intentionis ab ordine exsecutionis: 1) *In ordine intentionis* ordinat Deus ab aeterno

1 *De Deo uno,* th. 32, § 3, *Tertium tandem.*

2 Billot, *De Deo uno,* th. 32, § 3.

3 Biel, *In I Sent.,* dist. 41, q. un., a. 2, concl. 2-3; Ockam, *In I Sent.,* dist. 4:; Herrmann, *Instit. theol, dogm.,* vol. 1, n. 529; Spiridion a M. Imm., *Le consolationi della predestinazione divina,* p. 317 sqq

4 Satolli, *De operat, div.,* disp. 6, lect. 2; Paquet, *De Deo uno,* disp. 6, q. 2, a 3.

gratis et ante praevisa merita dare aliquibus gloriam, obtinendam in praxi a singulis ut praemium, et exinde decernit eis conferre gratiam ad facienda merita, dum permittit, ut alii propria culpa decidant. 2) *In ordine exsecutionis* prius confert praedestinatis gratiam, et propter merita ope gratiae facta elargitur eis gloriam ut praemium.

Hunc decretorum ordinem statuunt: 1) Praevidet Deus omnia possibilia per scientiam simplicis intelligentiae. 2) Vult omnium creaturarum rationalium salutem aeternam, eisque gratias sufficientes praeparat ac offert. 3) Decreto absoluto et efficaci quosdam praedestinat seu ordinat ad gloriam per gratiam obtinendam, permittendo alios sua culpa deficefe. 4) Decernit gratias efficaces electis conferre. 5) Videt scientia visionis bona opera et perseverantiam electorum et prava opera ac impoenitentiam reproborum. 6) Per decretum exsecutionis sanctis mercedem et reprobis poenam aeternam decernit.

407. Thesis. **Deus ante praevisa merita quosdam elegit et efficaciter praedestinavit ad gloriam et ex hac electione decrevit illis dare gratiam et merita; adeo ut praedestinatio in ordine intentionis praecedat prioritate ordinis hominum merita ac idcirco sit omnino gratuita.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura,* a) Apostolus ait: *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in caritate. Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suae* [1]. Haec verba exponens ait S. *Thomas:* «Benedixit, inquam, nos licet nostris meritis maledictos» [2]. Et S. *Augustinus:* «Hanc autem electionem non praecedentium in bonis operibus meritorum, sed electionem gratiae, demonstrans Apostolus sic inquit: *Et in hoc tempore reliquiae per electionem gratiae salvae factae sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus,* etc. Haec est electio gratiae, id est, electio, qua pei" Dei gratiam homines eliguntur. Haec est, inquam, electio gratiae, qua omnia bona merita praeveniuntur humana. Si enim ullis bonis meritis datur, jam non gratis datur, sed debita redditur» [3].

Nec valet dicere Apostolum loqui de electione ad gratiam, non de electione ad gloriam; nam Auctor libri *Hypognesticon* inter opera S. *Augustini* hoc evertit dicens: «Regnum eis caelorum esse praedestinatum sine dubitatione dicendum. Hoc enim apostolus Paulus probat, cum ante eos praedestinatos et electos esse testatur, quam mundus constitueretur» [4].

b) Iterum Apostolus: *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, (ut secundum electionem propositum Dei maneret), non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui*[5]. Hunc locum

1 *Eph.,* i, 3-5.
2 *Ad ephes.,* 1, lect. 1.
3 *De patientia,* c. 20; ML 40, 620.
4 *Hypognesticon,* lib. 6, c. 6, n. 9; ML 45, 1662.
4 *Horn.,* 9, 11-13.

exponens ait S. *Augustinus:* «Qua in re, si futura opera vel bona hujus vel mala illius, quae Deus utique praesciebat, vellet intelligi, nequaquam diceret *non ex operibus,* sed diceret *ex luturis operibus,* eoque modo istam solveret quaestionem, imo nullam, quam solvi opus esset, faceret quaestionem» [1].

2) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus,* praeclarissimus praedestinationis et gratiae Doctor, totus est, quidquid in contrarium dicat *Franzelin* [2], in defendenda praedestinatione gratuita. Ait ad rem: «Cum posset dicere Apostolus et recte dicere: stipendium autem justitiae vita aeterna, maluit dicere: *gratia* autem *Dei vita aeterna,* ut hinc intelligeremus, non pro meritis nostris Deum nos ad aeternam vitam, sed pro sua miseratione perducere»[3].

S. *Fulgentius:* «Illi autem cum Christo regnabunt, quos Deus gratuita bonitate sua praedestinavit ad regnum»[4].

S. *Thomas:* «Electio tamen et dilectio aliter ordinantur in nobis et in Deo; eo quod in nobis voluntas diligendo non causât bonum, sed ex bono praeexsistenti incitamur ad diligendum, et ideo eligimus aliquem, quem diligamus; et sic electio dilectionem praecedit in nobis. In Deo autem est e converso. Nam voluntas ejus, qua vult bonum alicui diligendo, est causa, quod illud bonum ab eo prae aliis habeatur. Et sic patet, quod dilectio praesupponitur electioni secundum rationem, et electio praedestinationi» [5].—«Praedestinatio praesupponit dilectionem, per quam Deus vult salutem alicujus... Praeexigitur etiam et electio, per quam ille, qui in finem infallibiliter dirigitur, ab aliis separatur, qui non hoc modo in finem diriguntur. Haec autem separatio non est propter diversitatem aliquam inventam in iis, qui separantur, quae posset ad amorem incitare»[6].—«Quod autem praedestinatur ad vitam aeternam, non est debitum, ut dictum est, sed gratia pure gratis data» [7]. «Praedestinatio importat praeparationem meritorum, quibus pervenitur ad gloriam; sed reprobatio non importat praeparationem peccatorum, quibus pervenitur ad poenam. Et ideo praescientia meritorum non potest esse aliqua ratio praedestinationis, quia merita praescita cadunt sub praedestinatione, sed praescientia peccatorum potest esse aliqua ratio reprobationis ex parte poenae, quae praeparatur reprobatis, in quantum scilicet Deus proponit se puniturum malos propter peccata, quae a se ipsis habent, non a Deo. Justus autem proponit se praemiaturum propter merita, quae a se ipsis non habent» [8].

1 *Enchiridion,* c. 98; Ml. 40, 277. Eadem repetit *Contra duas ep. Pelag.,* lib. 4, c. 6, n. 16; Ml. 44, 621; et *ep. 194 ad Xystum,* c. 2; ML 33, 876.

2 *De Deo uno,* th. 58.

3 *De grat. et lib. arb., c.* 9; Ml. 44, 893. Mentem Augustini explicat Petavius, *De Deo,* lib. 9-10.

4 *De fide ad Petrum,* c. 3, n. 40: ML 65, 692.

5 *1 P.* q. 23. a. 4.

6 *De veritate,* q. 6, a. 1.

7 *In ep. ad Ephes.,* c. 1, lect. 1

8 *In ep. ad Rom.,* c. 9, lect. 2 Hanc esse mentem S. *Thomae* dilucide demonstrant non solum thomistae sed etiam plurimi extranei Videantur S. Bellarminus, *De grat. et lib. arb* , lib 2, c. 10 to 15; Toledo, *In 1 p.* q. 23 a. 5. Suarez, *De praed.* ,

3) *Ex ratione,* a) In praedestinatione iit electio quorumdam ad gloriam, relictis aliis in massa perditionis. Electio autem iit ad arbitrium eligentis in eo signo, in quo potest eligens sine injuria unum adsumere prae aliis. Sed post praevisa merita ex gratia non potest Deus unum prae alio ad arbitrium adsumere ad vitam aeternam, cum aliis debita sit gloria et aliis damnatio. Ergo praedestinatio ad gloriam fit ante praevisa merita.

b) Prudens ordinator rerum prius intendit finem quam media, quia finis propter se et media propter finem appetuntur. Sed gloria est finis gratiae ac meritorum. Ergo Deus, prudentissimus ordinator, prius praedestinavit salvandos ad gloriam quam ad gratiam et ante eorum praevisa merita [1].

Solvuntur difficultates.

408. Obj. 1.° Dominus dicturus est justis in die judicii: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me, nudus et cooperuistis me* [2]. Ad quod S. *Joannes Chrysostomus:* «Haereditate possidete quasi proprium, quasi paternum et vestrum, jam olim vobis debitum. Antequam enim essetis, inquit, haec vobis parata erant, quia sciebam vos tales esse futuros» [3]. Ergo praedestinatio salvandorum facta est post praevisa merita.

Resp. Hic locus S. Scripturae et commentarium *Chrysostomi,* quod subjicitur, intelligenda sunt de praedestinatione in ordine exsecutionis praeconceptae, non in ordine intentionis purae.

Obj. 2.° S. *Augustinus* ait: «Non tamen electio praecedit justificationem sed electionem justificatio. Nemo enim eligitur nisi jam distans ab illo, qui rejicitur. Unde, quod dictum est, quia *elegit nos Deus ante mundi constitutionem (Eph.,* i, 4), non video quomodo sit dictum, nisi praescientia. Hoc autem quod ait: *non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei,* etc., non electione meritorum, quae post justificationem gratiae proveniunt, sed liberalitate donorum Dei voluit intelligi, ne quis de operibus extollatur» [4]. — S. *Ambrosius:* «Non enim ante praedestinavit Deus, quam praescierit, sed quorum merita praescivit, eorum praemia praedestinavit» [5].

Resp. I. Verba horum SS. Patrum referuntur proculdubio ad praedestinationem in ordine exsecutionis, non quidem praecise exsecutionis in actu collationis, sed exsecutionis mente praeconceptae. Nihil enim prohibet, quominus ipsa exsecutio praedestinationis active sumpta correspondent etiam ex parte Dei actui intentionis, adeo ut Deus, qui ab aeterno elegit gratuito aliquos ad gloriam obtinendam per merita, ubi viderit electorum seu praedestinatorum justitiam et bona opera, statuerit eis in ordine exsecutionis mente conceptae conferre gloriam.

Resp. II. Patres aliquando acceperunt *praescientiam* pro *praedestina-*

lib. 2, c. 23; Billot, *De Deo uno.* th. 32; Honoratus dei Val, *De Deo uno,* n. 245, et alii. Falluntur ergo Franzelin, *De Deo uno,* th. 64; Posch, *De Deo uno,* n. 379, et alii, qui conantur S. Doctorem in suas partes adducere. Qui velit contradictionem inter S. *Thomam* et *Molinam* deprehendere, conferat S. Doctorem, *I p.,* q. 23, a. 5. et Molinam, *Concordia,* q. 23, aa. 4-5, disp. 1, m. 6 sqq.

[1] Vide hoc argumentum dilucide expositum et ab evasionibus adversariorum propugnatum apud Salmanticenses. *De praed.,* disp. 9, n. 70 sqq., et apud Billuart, *De Deo uno,* diss 9. a. 4, § 3.

[2] *Matth.,* 25, 34

[3] *Hom.* 80, n 2, MG 58, 710

[4] *l. 1 ad Simplicianum,* q 2, n 6; ML 40, 115.

[5] *De fide,* lib 5, c p ML 16, 605

Hone. Unde ait S. *Augustinus:* (Aliquando eadem praedestinatio significatur etiam nomine praescientiae, sicut ait Apostolus: *Non repulit Deus plebem suam, quam praescivit.* Hic, quod ait *praescivit,* non recte intelligitur nisi *praedestinavit»* [1].

Obj. 3. Praedestinatio ad gloriam ante praevisa merita tollit libertatem hominis, quia voluntas humana, priusquam actum eliciat, a Deo praeordinata in finem, necessitatur ad exsequenda opera determinata, quae ducunt ad finem. Ergo non est admittenda.

Resp.—Neg. ant. Praedestinatio ante praevisa merita, non solum respicit finem sed etiam media et modum, quo aliquid fieri debeat. Cum Deus aliquem praedestinat in finem, statuit illum libere cum mediis ab ipso eligendis salvatum iri. Unde haec praeordinatio ad gloriam ante praevisa merita non tollit sed potius perficit libertatem humanam.

Obj. 4.° Sententia de praedestinatione ante praevisa merita nata est omnes a virtutis et pietatis exercitio revocare. «Hominem tenuioris indolis facile desperatum, hominem vero levioris ingenii salutis suae incurium reddere posset». Ita *Katschthaler* [2].

Praeterea, data praedestinatione ante praevisa merita, quilibet ultra modum torqueretur et ab opere non semel cessaret hoc dilemmate victus: «Vel sum praedestinatus vel non; si primum, quidquid egero, salvabor; si secundum, infallibiliter damnabor. Unde, quidquid egero, inutile est, et de salute mea incurius vivam, securus illud tandem futurum, quod Deus ab aeterno, praecisa mea voluntate, praeordinaverit».

Resp. I. Vehementer hic fallitur imaginatio. Haec enim inconvenientia in quolibet systemate aeque urgent. Admittitur enim ab omnibus Deum praescire ab aeterno omnes actiones humanas, et sive ante sive post illam praescientiam (hoc parum refert) quosdam ad gloriam ab aeterno praedestinasse, relictis aliis in massa damnandorum. In omni systemate illud infallibiliter erit, quod a Deo praevisum fuit ac determinatum; et quidquid agat homo, quamvis supponatur praedestinatus aut reprobatus post praevisa merita vel demerita, salvabitur vel damnabitur, prout Deo praenotum fuerit. Anne poterit scientia Dei falli vel praedestinatio non impleri? Unde in systemate praedestinationis post praevisa merita posset unusquisque dicere: (Quidquid egero, tandem illud fiet, quod Deus in me vidit et circa me praeordinavit; idcirco possum incurius vivere».

Resp. II. Praedestinatio Dei ante praevisa merita non refertur solum ad finem, sed etiam ad media et ad modum, quo unusquisque ordinatur in finem. Unde, cum homo praedestinatur ad gloriam, simul definitur ipsum libere consequuturum esse beatitudinem. Si quis igitur bene vixerit, revera salvabitur, sin autem, condemnabitur.

ARTICULUS IV

DE EFFECTIBUS PRAEDESTINATIONIS

409. Effectus praedestinationis possunt esse triplicis generis: 1) *supernaturales,* ut vocatio, justificatio et glorificatio; 2) *naturales,* ut substantia praedestinati; 3) *permissio peccati.* De his in totidem paragraphes breviter disserendum est.

1 *De dono persev.,* c. 18; MI. 45, 1022.

2 *De Deo,* n. 455.

§ 1

Utrum vocatio, justificatio, actus supernaturales electorum, et glorificatio sint effectus praedestinationis.

410. Status quaestionis. 1) Effectus praedestinationis dicitur *quidquid a Deo fit in creatura intellectuali ex intentione efficaci tribuendi beatitudinem aliquibus prae aliis* 1. Ut aliquid sit effectus praedestinationis tria requiruntur: a) Quod sit bonum, quia, quidquid a Deo fit, bonum est. b) Quod procedat ex efficaci Dei intentione conferendi alicui beatitudinem, quia Deus volens efficaciter finem, intendit media, c) Quod de facto conducat praedestinatum in finem beatitudinis aeternae, quia hoc scopo producitur a Deo.

2) *Vocatio,* proprie loquendo, est quidquid hominem movet, vel movere natum est. ad gratiam et gloriam adipiscendam, ut motio Dei interna, praedicatio externa, miracula, exempla aliorum, etc. Potest esse naturalis vel supernaturalis. *Supernaturalis,* de qua hic solummodo agimus, est iterum duplex: una *externa,* quae fit externis signis, ut praedicatio; alia *interna,* quae interius movet voluntatem, ut gratia actualis interior. Utraque dividitur in *efficacem* et *inefficacem,* prout effectum sortitur vel non.

3) *Justificatio,* quae fit per gratiam sanctificantem, potest esse continuata sine interruptione usque ad mortem vel interrupta per peccatum lethale. Anima in sanctificatione recipit simul cum gratia habituali dona spiritualia, ut virtutes infusas, et deinde operatur actus supematurales, facit merita et accipit saepe donum perseverantiae.

4) *Glorificatio* hominis proprie consistit in clara Dei visione, quae dicitur vita aeterna.

411. Quaerimus hic, an et quomodo haec omnia sint effectus praedestinationis.

412. Placita theologorum. I. Quod l.um nonnulli dixerunt solas vocationes efficaces, non inefficaces, esse in electis effectum praedestinationis. Ita *Vazquez, Valentia, Contenson* 2.

Communius tamen defendunt auctores utramque vocationem esse in electis effectum praedestinationis. Ita *Cajetanus, Suarez, Salmanticenses,* etc. 3

II. Quod 2."" *Vazquez* et *Becanusl,* contra communem doctorum sententiam adseruerunt justificationes, quae peccato mortali interrumpuntur, non esse effectus praedestinationis, nisi «qua ratione post peccatum

1 «Quidquid est in homine, ait Ancelicus, ordinans ipsum in salutem, comprehenditur totum sub effectu praedestinationis, etiam ipsa praeparatio ad gratiam». *I p.,* q. 23, a. 5.

2 Vazquez. *In I p.,* disp. 93, c. 1; Valentia, *In I p.,* q. 23, disp. I, p. 3: Contenson, *Theol. mentis et cordis,* lib. 2, disp. 6, c. 1, specui. 3. Ut vocatio sit effectus praedestinationis, duo requirit Vazquez: 1) ut «detur cum ea scientia et notitia, qua cognoscatur effectum habitura in nobis»; 2) ut ita sit connexa «cum aliis effectibus usque in finem vitae, ut in ipsam glorificationem effectum habeat».

3 Cajetanus, / />.. q. 23, a. 5: Suarez, *Oepracd,* lib. 3, c. 6, n. 5; Salmanticenses, *Be pracd* , disp. 4, n. 40 sqq.

4 Vazquez, *In l p* , disp 93,1 3. Boaanus, *Summa th. sch* , p. I, tr. I, c. 14, q. 3.

commissum definit Deus ea omnia restaurare sequenti aliqua justificatione, quae jam amplius non sit peccato interrumpenda».

Molina docuit bonum usum liberi arbitrii in praeparatione ad primam gratiam, ut praecise emanat a libero arbitrio, non esse effectum praedestinationis [1].

III. Quoad 3.um Singularem opinionem tenuit *Durandus* [2], dicens glorificationem non esse effectum praedestinationis.

413. Thesis **I. Omnis vocatio, etiam externa, sive efficax fuerit sive inefficax, est in electis effectus praedestinationis.**

1) *Vocatio efficax,* a) Apostolus ait: *Quos autem praedestinavit, hos et vocavit* [3]. Et Dominus Jesus Christus: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum* [4], b) Vocationes efficaces a Deo fiunt cum intentione efficaci salvandi aliquos. Ergo sunt effectus praedestinationis.

2) *Vocatio inefficax,* a) Vocationes inefficaces, licet actu non producant conversionem peccatoris, excitant tamen praedestinatum ad anteactae vitae emendationem et disponunt cor hominis ad consentiendum iis, quae spectant ad gratiam et gloriam. Ergo, b) Vocationes inefficaces semper conducunt praedestinatum magis vel minus mediate ad vitae aeternae consecutionem, quia *omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti* [5]. Ergo.

414. Thesis **II. Justificatio electorum, sive interrumpenda fuerit sive non, dona cuncta spiritualia gratiam consequentia, bonus usus gratiae actusque supernaturales in electis sunt effectus praedestinationis.**

1) *Justificatio non interrupta.* Hoc certe innuit Apostolus his verbis: *Quos autem praedestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, hos et justificavit* [6].

2) *Justificatio interrumpenda,* a) Justificatio, quae peccatum praecedit, confertur a Deo electis cum intentione efficaci eos salvandi, et de facto confert eis jus ad gloriam. Per peccatum autem superveniens non omnino frustratur, sed impeditur, quousque, ablato peccato, merita resurgant et influant in vitam aeternam. «Haec autem justificatio, ait *Angelicus,* etsi in aliquibus frustretur, quia non perseverant usque ad finem, in praedestinatis tamen nunquam frustratur» [7]. b) Gratia semel amissa plurimum confert ad vitam aeternam adipiscendam, tum quatenus est occasio excitans hominem ad dolorem peccatorum concipiendum et pericula cavenda, tum quatenus renovat memoriam status praeteriti et movet praedestinatum ad diligentius Deo famulandum [8].

3) *Dona spiritualia gratiam consequentia,* ut caritas, etc., sunt

1 *In I p.,* q. 23, aa. 4-5, disp. 1, membro 10.
2 *In I Sent.,* dist. 41, q. 2, nn. 10-11.
3 *Rom.,* 8, 30.
4 *Joan.,* 6, 44.
5 *Rom.,* 8, 28.
6 *Rom.,* 8, 30.
7 *In ep. ad Rom.,* 8, lect. 6.
8 Cfr. Suarez, *De praed.,* lib. 3, c. 4, n. 7.

etiam effectus praedestinationis, quia sunt proprietates gratiae, cujus conditionem sortiuntur.

4) *Bonus usus gratiae actusque supernaturales electorum* sunt effectus praedestinationis. «Non est autem distinctum, ait S. *Thomas,* quod est ex libero arbitrio et ex praedestinatione, sicut nec est distinctum, quod est ex causa secunda et causa prima. Divina enim providentia producit effectus per operationes causarum secundarum... Unde et id, quod est per liberum arbitrium, est ex praedestinatione» [1].

Corollarium. Minus recte docet *Molina* bonum usum liberi arbitrii, «si spectetur, ut praecise emanat a libero arbitrio..., computandum non esse inter effectus praedestinationis» [2]. Nam «certum est, ut inquit S. *Augustinus,* nos velle, cum volumus, sed ille (Deus) facit, ut velimus» [3]. Bonus usus liberi arbitrii, etiam ut praecise emanat a libero arbitrio, necessario includit influxum Dei conferentis virtutem proximam et actum secundum.

415. Thesis III. Glorificatio est effectus praedestinationis.

Arg. *Ex S. Scriptura.* Apostolus ait: *Quos autem praedestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, hos et justificavit, quos autem justificavit, illos et glorificavit* [4]. Ad rem S. *Thomas:* «Praedestinatio est causa et ejus, quod exspectatur in futura vita a praedestinatis, scilicet gloriae, et ejus, quod percipitur in praesenti, scilicet gratiae» [5]. Ratio est, quia praedestinatio deputat electos ad gloriam.

§ 2

Utrum substantia praedestinati et entia naturalia hujus mundi sint effectus praedestinationis.

416. Status quaestionis. 1) Sub nomine *substantiae praedestinati* intelligimus in praesenti a) esse substantiale creaturae rationalis; b) ejus qualitates et circumstantias, scilicet, temperamentum, ingenium, indolem, complexionem, valetudinem, patriam, parentes, educationem, longaevitatem, etc.; c) opera ordinis naturalis honesta, quae fiunt a praedestinatis [6].

2) Dupliciter potest aliquid esse effectus praedestinationis: a) *elicitive,* quatenus per ipsam Dei ordinationem elicitur, ut medium conducens homines ad vitam aeternam; et hoc sensu certum est substantiam praedestinati et entia naturalia hujus mundi non esse effectus praedestinationis, quia, cum sint ordinis naturalis, non habent connexionem proportionatam cum vita aeterna: b) *imperative,* quatenus divina pro-

1 *I P.*, q. 23, a. 5.
2 *In I p.*, q. 23, aa. 4-5, disp. 1, membro 10.
3 *De gratia et lib. arb.*, c. 16; ML 44, 900.
4 *Rom.*, 8, 30.
5 *I p.*, q. 23, a. 3 ad 2.
6 Cfr. Paulus a Conoopliono, tr. 5, disp. 3, n. 28 sqq.

videntia disponitur, ut praedestinatis sit occasio vel motivum vitae aeternae adipiscendae.

3) Quaerimus, an substantia praedestinati et entia naturalia hujus mundi computentur inter effectus imperatos praedestinationis.

417. Placita theologorum, i) *Vasque.·;,* cui subscribit *Contenson* '. quamvis admittat nativitatem, bonam educationem, signa exteriora, opera moralia, virtutes acquisitas, et alia hujusmodi, quatenus conferuntur a Deo intuitu Christi, esse effectus praedestinationis, contendit tamen substantiam praedestinati et dona creationis, ut sunt naturalis hominis constitutio et temperamentum, non posse referri inter effectus praedestinationis.

2) Contrarium communissime docent theologi.

418. THESIS. **Substantia praedestinati et entia naturalia hujus mundi sunt probabilius effectus imperati praedestinationis.**

Arg. 1) Substantia praedestinati est objectum, circa quod versatur voluntas Dei salvifica; et qua tale imperatur a Deo, ut sit occasio vel motivum salutis aeternae consequendae 2.

2) Entia pariter naturalia ordinantur a Deo, ut mediate deserviant operi praedestinationis, puta removendo impedimenta gratiae, sustentando praedestinatum, etc. Ergo computandi sunt inter effectus praedestinationis.

Non tamen videtur esse necessarium, ut omnia et singula entia naturalia hujus mundi sint effectus praedestinationis cujuslibet electi, sed sufficit, ut omnia entia deserviant praedestinationi totius corporis mystici, et pro singulis hominibus ea tantum concurrant, quae ipsos circumstant et quoquo modo adjuvant ad vitam aeternam consequendam.

Dixi *probabilius,* quia, ut bene notant *Sabnanticenses* 3, haec doctrina probari non potest nisi rationibus congruentibus, quae limites probabilitatis non excedunt.

Corollaria. 1) Qualitates et circumstantiae praedestinatorum, scilicet, nativitas, indoles, complexio, ingenium, valetudo, patria, parentes, educatio, divitiae, honores, mors praematura, etc., computantur inter effectus praedestinationis, quia ministerialiter deserviunt fini vitae aeternae consequendo, tum removendo impedimenta gratiae, tum juvando homines in bonis spiritualibus.

2) Opera ordinis naturalis moraliter bona, etiam mortua, quae a praedestinatis fiunt in hac vita, sunt effectus praedestinationis, quia ministerialiter et per accidens juvant electos ad vitam aeternam consequendam.

§ 3

Utrum permissio peccatorum sit effectus praedestinationis.

419. Status quaestionis. 1) Certum est omnino peccata formaliter sumpta non esse effectum praedestinationis, quia non efficiuntur a Deo. Agitur de permissione dumtaxat peccatorum.

1 Vazquez, *In I p.,* disp. 93, c. 4. Contenson, lib. 2, (liss. 6, c. 1.

2 Cfr. Posch, *De Deo uno,* n. 406

3 *De pvaed.,* disp. 5, n. 21.

2) Peccata aliquando permittit Deus in electis, aliquando in reprobis. Quaerimus, an permissio peccatorum tam in electis quam in reprobis sit effectus praedestinationis electorum.

420. Placita theologorum, i) *Aliqui* nolunt admittere permissiones peccatorum esse effectum praedestinationis. Ita *Vazquez, Herice, Goudin* [1].
2) *Communius* affirmant theologi. Ita *Molina, Suarez, Zagaglia, Pesch* [2], et omnes fere thomistae.

421. Thesis. **Permissiones omnium peccatorum, quae committuntur tam ab electis quam a reprobis, probabilius sunt effectus praedestinationis electorum.**

Arg. 1) *Angelicus Doctor* bene hoc probat dicens: «Inter omnes autem partes universi excellunt sancti Dei, ad quorum quemlibet pertinet, quod dicitur *Matth.,* 24, 47: *Super omnia bona sua constituet eum.* Et ideo, quidquid accidit vel circa ipsos vel alias res, totum in bonum eorum cedit, ita quod verificatur, quod dicitur *Prov.,* 11, 29: *Qui stultus est, serviet sapienti.* Quia scilicet etiam mala peccatorum in bonum justorum cedunt. Unde Deus specialem curam de justis habere dicitur secundum illud psalmi 33, 16: *Oculi Domini super justos,* in quantum scilicet sic de eis curat, quod nihil mali circa eos esse permittit, quod non in eorum bonum convertet» [3].
2) *Ex ratione.* Praedestinati ob peccata propria fiunt humiliores, doctiores, cautiores, etc., ab alienis vero peccatis accipiunt documenta vitae, ne superbiant aut cadant. Unde S. *Augustinus:* «Justus, quando videt poenam peccatoris, proficit ipse, et mors alterius valet ad vitam alterius» [4].

ARTICULUS V

DE PROPRIETATIBUS PRAEDESTINATIONIS

Proprietates praedestinationis sunt certitudo et infallibilitas ex parte sui, et incertitudo ex parte hominis. De his breviter in duplici paragraphe.

§ 1

Utrum praedestinatio sit in se certa et infallibilis.

422. Status quaestionis. 1) Certitudo praedestinationis in se potest spectari quantum ad praescientiam et quantum ad causalitatem. Certitudo *praescientiae* habetur, quando cognitio Dei correspondet ob-

1 Vazquez, *In I p.,* disp. 93, c. 2; Herioe, tr. 3, disp. 30, c. 6, n. 42; Goudin, *De praedestinatione,* a. 3, conci. 4.
2 Molina. *In I p.,* q. 23, aa. 1-2, disp. 3; Suarez, *De praed.,* lib. 3, c. 8, n. 4; Zagaglia, *Cursus theol.,* t. 4, disp. 4, sect. I, § 4, dic. 2; Pesch, *De Deo uno,* n. 406.
3 *Ad Hom ,* 8, lect. 6. Cfr. S. Augustinus, *De correpi, et gratia,* c. 9, n. 24; ML 44. 930.
4 *In ps 57,* n. 21; ML 36, 691.

jectivae rerum veritati. Certitudo *causalitatis,* «quando causa infallibiliter effectum producit»[1]

2) Circa certitudinem praedestinationis ex parte sui quaeri potest: a) an praedestinatio sit certa certitudine non solum praescientiae sed etiam causalitatis; b) unde repetat hanc certitudinem; c) utrum certe et infallibiliter consequatur suum effectum; d) an et quomodo innotescat Deo numerus praedestinatorum.

423. Error. Pelagiani et semipelagiani, existimantes vitam aeternam hominum pendere ex liberis et fallibilibus naturae viribus, negaverunt praedestinationem esse certam in se.

Hoc pariter negaverunt, qui Deo subtraxerunt praescientiam futurorum contingentium.

424. Thesis 1. **Praedestinatio est in se omnino certa certitudine praescientiae et causalitatis.**

Pars 1.a Certitudine praescientiae.

Arg. *Ex S. Scriptura.* Dominus ait in Evangelio: *Oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me*[2]. Et Apostolus: *Cognovit Dominus, qui sunt ejus*[3].

Ratio est, quia Deus, utpote omniscius et sapientissimus, omnia futura etiam secretissima perfecte cognoscit.

Pars 2.a Certitudine causalitatis.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura. Ego,* inquit Dominus, *vitam aeternam do eis* (ovibus), *et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea*[4].

2) *Ex ratione.* Praedestinatio, utpote specialis providentia, est efficax imperium, quo, connotato actu voluntatis, transmittuntur creaturae intellectuales in finem vitae aeternae. Imperium autem Dei non potest frustrari effectu. Ergo praedestinatio est certa certitudine causalitatis. «Si ergo consideremus salutem, ait *Angelicus,* respectu *causae proximae,* scilicet liberi arbitrii, non habet certitudinem sed contingentium, respectu autem *causae primae,* quae est praedestinatio, habet certitudinem»[5]

Objicies, 1) S. *Petrus* ait: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis*[6]. 2) Sacerdos in canone orat Deum dicens: «Ut in electorum tuorum nos jubeas grege numerari». 3) S. *Augustinus:* «Si non es praedestinatus, fac, ut praedestineris». Ergo.

Resp. Ad 1.um S. Petrus hortatur nos, ut certam nostram vocationem et electionem faciamus, quoad exsecutionem et effectum praedestinationis, conc.; quoad ordinationem divinam, neg. Praedestinatus potest et debet per bona opera exsequi suam praedestinationem ab aeterno a Deo factam.

1 S. Thomas, *De veritate,* q. 6, a. 3.
2 *Joan.,* 10, 27.
3 *II Tim.,* 2, 19.
4 *Joan.,* 10, 28.
5 *De veritate,* q. 6, a. 3.
6 *II Petri,* 1, 10.

Ad Sacerdos orans Deum, ut in electorum suorum nos jubeat grege numerari, per metonyrniam nominat *causam* pro *effectu,* et nomine electionis postulat, ut per gratiam sanctificantem et perseverantiam finalem nos aggreget numero sanctorum exsistentium in patria, conc.; petit propositum Dei immutari, neg.

Ad 3."" Praefata verba non inveniuntur ad litteram in operibus 5. *Augustini* [2], consecrata tamen sunt concordi theologorum hortatu, et intelliguntur quoad effectum, quasi diceretur: «Si nondum in te percipis effectus et signa praedestinationis, ora, ut ea adsequaris».

425. Thesis **II. Certitudo praedestinationis repetenda est ex efficaci et absoluto Dei decreto, quo, connotato actu voluntatis, quidam prae aliis transmittuntur in gloriam ante praevisa merita, et praeparantur media ad illam; idque sine detrimento libertatis creatae.**

Arg. Certitudo, de qua loquimur, repetenda est ex ipsa natura praedestinationis seu ex actu efficacissimo et infallibili Dei, quo aliqui transmittuntur in vitam aeternam, et praeparantur media, quibus certissime salvantur, quicumque salvantur. Sed hic actus efficacissimus est decretum Dei absolutum. Ergo.

Hoc autem decretum absolutum non nocet libertati creatae, quia aeque versatur circa substantiam et circa modum transmissionis salvandorum in patriam, aptans actibus liberis causas liberas.

426. Thesis **III. Praedestinatio certe consequitur suum effectum, id est, praedestinati ad gloriam infallibiliter salvantur** [3].

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Christus Dominus ait in Evangelio: *Haec est voluntas ejus, qui misit me, Patris: ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo* [4].—*Non rapiet eas* (oves) *quisquam de manu mea* [5].

2) *Ex ratione.* Ordinatio divini intellectus, connotans voluntatem Dei absolutam, est efficacissima et frustrari non potest. Sed praedestinatio salvandorum est hujusmodi ordinatio. Ergo praedestinatio certe consequitur suum effectum. Ad rem apposite S. *Augustinus:* «Horum si quisquam perit, fallitur Deus; sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus, sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus» [6].

427. Thesis **IV. Numerus praedestinatorum est Deo certe notus, non solum formaliter (quot sint salvandi) verum etiam materialiter (qui sint in individuo salvandi).**

Nota. 1) Quidam antiqui, ut refert S. *Thomas* [7], dixerunt numerum salvandorum esse Deo notum formaliter, ita ut sciat quot sint ex

1 Cfr. Sylvius, *In 1 p.,* q. 23, a. 7 ad 6.

2 Forte desumpta sunt ex illis verbis: «Nondum traheris, ora, ut traharis#, tr 26, *in Joan.,* n. 2; ML 35, 1607.

3 Ambrosius Catharinus docuit esse «contra sacras litteras affirmare, quod *soli* praedestinati salventur, et quod *soli* reprobi condemnentur», opinionemque SS. Augustini et Thomae esse crudelem. Banez, *1 p.,* q. 23, a. 7.

'* *Joan.,* 6, 39.

6 *Joan.,* 10, 28.

" *De correpi. el gral.,* c. 7, n 14; ML 44. 924.

7 *Iu 1 Sent.,* dist. 40, q. 3, a. un.

hominibus salvandi, non vero materialiter, adeo ut sciat, qui sint in individuo salvandi, quia (dicebant) isti homines possunt in fine salvari vel non salvari.

2) Juxta *Ambrosium Catharinum:* a) *aliqui* sunt in gratia confirmati et praedestinati, ut apostoli, quorum numerus est Deo notus; b) *alii* sunt insignes in sceleribus et certo reprobi, ut Judas, quos etiam novit Dominus; c) *alii* denique nec sunt praedestinati nec reprobi, sed salvandi vel condemnandi secundum usum liberi arbitrii; et horum numerus non est Deo notus [1].

Arg. 1) Christus ajebat: *Ego scio, quos elegerim* [2]. Et Apostolus: *Cognovit Dominus, qui sunt ejus* [3].

2) S. *Augustinus:* «Quorum (praedestinatorum) ita certus est numerus, ut nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis» [4].

3) Ecclesia canit in collecta: «Deus, cui soli cognitus est numerus electorum in superna felicitate locandus» [5].

4) Deus est auctor praedestinationis hominum non solum formaliter quoad numerum, v, gr., decernens centum esse salvandos, sed etiam materialiter quoad individua, determinans hos vel illos esse glorificandos. Sed Deus optime novit, quidquid ipse facit. Ergo. Apposite S. *Thomas:* «Certus est Deo numerus praedestinatorum, non solum per modum *cognitionis,* sed etiam per modum cujusdam *principalis praefinitionis*» [6].

428. Scholion I. *De libro vitae.* Praedestinatio non semel vocatur *liber vitae* in sacris litteris: *Qui non inventus est,* ait S. Joannes, *in libro vitae scriptus, missus est in stagnum ignis* [7] *—Non intrabit in eam... nisi qui scripti surit in libro vitae agni* [8].

Proprie tamen loquendo haec duo non parum differunt. Praedestinatio est ordinatio aliquorum in vitam aeternam, liber vero vitae est recensio praedestinatorum in intellectu divino. «Liber vitae, ait S. *Thomas,* in Deo dicitur metaphorice secundum similitudinem a rebus humanis acceptam. Est enim consuetum apud homines, quod illi, qui ad aliquid eliguntur, conscribuntur in libro, utpote milites vel consiliarii, qui olim dicebantur patres conscripti. Patet autem... quod omnes praedestinati eliguntur a Deo ad habendam vitam aeternam. Ipsa ergo praedestinatorum conscriptio dicitur liber vitae. Dicitur autem metaphorice aliquid conscriptum in intellectu alicujus, quod firmiter in memoria tenet... Unde ipsa Dei notitia, qua firmiter retinet se aliquos praedestinasse ad vitam aeternam, dicitur *liber vitae»* [9].

Liber vitae secundum S. *Thomam* [10] potest dici dupliciter: uno modo *simpliciter,* et est conscriptio eorum, qui sunt electi ad vitam: alio modo

[1] *De praedest. Dei,* lib. 3, versus finem. Cfr. Banez, *In I p.,* q. 23, a. 7.
[2] *Joan.,* 13, 18.
[3] *II Tim.,* 2, 19.
[4] *De correpi, el grat.,* c. 13, n. 39: ML 44, 940.
[5] *Collecta pro vivis et dejunctis.*
[6] *I p.,* q. 23, a. 7.
[7] *Apoc.,* 20, 15.
[8] *Apoc.,* 21, 27.
[9] *I p.,* q. 24, a. 1.
[10] *I p.,* q. 24, a. I ad 1.

secundum quid, et est conscriptio aliquorum in his, quae ducunt ad vitam, scilicet in gratia, in bonis operibus, etc.

Qui *simpliciter* conscripti sunt in libro vitae, nunquam delentur, sed infallibiliter consequuntur vitam aeternam, ad quam ordinati sunt. Qui autem conscripti sunt *secundum quid* tantum, dicuntur deleri de libro vitae per peccatum mortale, quia amittunt gratiam, qua ducebantur ad vitam. Hoc sensu interpretanda sunt loca sequentia S. Scripturae: *Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo* 1.—*Deleantur de libro viventium* 23

429. Scholion II. *De numero praedestinatorum.* Quaerunt hic theologi, quot praecise homines salventur. Etsi res periculis plena sit, dicemus breviter, quid in hac parte tenendum sit, et quid ut dubium divinae providentiae relinquendum.

1) *Absolute loquendo magnus est omnium electorum numerus.* Constat ex verbis S. Joannis: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis, stantes ante thronum et in conspectu agni, amicti stolis albis, et palmae in manibus eorum* 8.—Id ipsum probat pretium nostrae redemptionis, quod fuit infinitum.

2) Longe probabilius est numerum electorum, prout constat ex angelis et hominibus beatis, excedere numerum reproborum. Hanc opinionem commendant sapientia, bonitas et potentia Dei, quae non videntur pati posse, ut ex creaturis intellectualibus major pars pereat.

3) *Quantum ad solos homines* nullo solido fundamento adseritur, quod a) «tot ex hominibus salvantur, quot angeli ceciderunt»; vel b) «tot salvabuntur, quot angeli remanserunt»; vel c) «tot ex hominibus salvabuntur, quot angeli ceciderunt, et insuper tot quot fuerunt angeli creati» 45

4) *Communius et probabilius est ex universo genere humano plures esse reprobos quam electos* s. Sacrae Scripturae testimonia hoc saepe innuunt. *Multi enim sunt vocati,* ait Dominus, *pauci vero electi*6', id est, multi sunt vocati ad fidem Christi, pauci vero Ecclesiam ingrediuntur, extra quam non est salus. Rursum: *Lata porta et spatiosa via est, quae ducit ad perditionem, et multi sunt, qui intrant per eam. Quam angusta porta et arcta via est, quae ducit ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam* 7.

Validum argumentum pro hac opinione sumitur ex incredulitate et maxima morum corruptione, quas in mundo conspicimus.

Dixi *probabilius,* quia aliqui non sine fundamento existimant ex universo genere humano tot saltem esse praedestinatos quot reprobos *(Gener* et *Hurter)* 8; alii censent numerum praedestinatorum superare

l *Ex.,* 32, 33.

2 *Ps.* 68, 29.

3 *Apoc.,* 7, 9.

1 Angelicus refert ac rejicit lias opiniones, *I p.,* q. 23, a. 7.

5 Contrarium tenet Casteloim, *Le. rigorisme,* etc.; sed Copin, *La question de l'Evangile: Signeur,* y *en aura-t-il peu de sauvés,* communiorem sententiam contra ipsum solide defendit.

" *Matth.,* 22, 14.

' *Matth* , 7, 13-14.

" Genar. *'theol. dog. schol.,* 2, 34a sqq.: Hurter, *De Deo uno,* n. 123.

numerum reproborum *(Bougaud)* [2] Hanc opinionem commendare videtur Dominus, cum praenuntiat bonos in extremo judicio esse separandos a malis, sicut bonum semen separatur a zizania; regnum caelorum comparat tum piscatori eligenti bonos pisces in sagena, tum virginibus ad nuptias vocatis, tum convivio nuptiali. Porro paterfamilias non solet majorem copiam zizaniae quam boni seminis in agro colligere, nec piscator malos pisces in majori numero quam bonos congregat in sagena; ex decem virginibus quinque sunt admissae ad nuptias, et in convivio unus tantummodo inventus est, qui careret veste nuptiali [2].

5) *Probabilius est ex hominibus baptizatis* (catholicis, schismaticis et haereticis) *plures esse praedestinatos quam reprobos.* Ratio est, quia juxta computum medicorum tertia fere pars infantium moritur ante usum rationis, et, si supponantur baptizati, salvantur. Ex adultis autem, qui inter catholicos, schismaticos et haereticos versantur, multos salvari non est ambigendum.

6) *Probabilius est ex catholicis adultis plures salvari quam condemnari* [3]. Videtur haec doctrina colligi posse ex intentione Christi in instituenda sua Ecclesia et ex efficacia suae passionis. Ad quid praeparaverit Christus et contulerit hominibus tot beneficia ad salutem efficacissima? Quamvis plures catholici parum curent de sua salute et raro accedant ad sacramenta, in fine tamen vitae non adeo sunt numerosi, qui rejiciant auxilia spiritualia.

Haec dicta sunt, ut mori theologorum fieret satis, sed fatemur in hac quaestione omnia esse relinquenda judicio Dei. «cui soli cognitus est numerus electorum in superna felicitate locandus».

§ 2

Utrum aliquis in hac vita possit esse certus de sua praedestinatione.

430. Status quaestionis. Tripliciter potest aliquid in hac vita cognosci: *primo,* per revelationem; *secundo,* certitudinaliter ex veris et certis principiis per legitimam consequentiam; *tertio,* conjecturaliter per aliqua signa[4] [5] Quaeritur hic, an et quomodo scire, queat homo in hac vita se esse praedestinatum.

Error. *Calvinus, Bucerus* [6] aliique plures novatores saeculi xvi tenuerunt hominem praedestinatum semper esse suae praedestinationis conscium.

1 *Le Christianisme et les temps présents,* t. 5. c. 16.

2 Cfr. Faber, *Creator and creature,* B, 3, c. 2.

3 Hanc doctrinam tuentur Suarez, *De praed.,* lib. 6, C. 3. n. 6; Bougaud, *Le Christianisme et les temps présents,* t. 5, c. 16; Faber, *Creator and creature,* B, 3, c. 2; Casteleim, *Le rigorisme, le nombre des élus et la doctrine du salut;* Tanquerey, *De Deo uno,* n. 541 (ed. 13."); Buonpensière, *Comment, in Sum.,* q. 23, a. 7, n. 1240; Spiridion a Maria 1mm., *Le consolazioni della predestinazione divina,* append. 3. et alii. Plures tamen contradicunt, inter quos praecipui sunt Molina, *In 1 p.,* q. 23, a. 7; Philippus a SS. Trinitate, *De Deo uno,* disp. 17, dub. 4; Godls, *De paucitate sal vandorum quid docuerint sancti.*

1 *I-II,* q. 112, a. 5.

5 Calvinus, *Inst.,* lib. 3, c. 2, n |6; Bucerus, *Colloq Ratisb.*

431. Thesis. **1) Nemo citra specialem Dei revelationem scire potest certitudine physica se esse praedestinatum,** *2)* **bene tamen conjecturaliter.**

Pars 1.a

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Ecclesiasticus hoc tradit dicens: *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta*[1]. Et Apostolus ait: *Qui se existimat stare, videat, ne cadat*[2]— *Cum metu et tremore vestram salutem operamini*[3].

2) *Ex Concilio Tridentino.* «Nemo quoque, quandiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinae praedestinationis mysterio usque adeo praesumere debet, ut certo statuat se omnino esse in numero praedestinatorum... Nam, nisi ex speciali revelatione, sciri non potest, quos Deus sibi elegerit»[4].

3) *Ex ratione.* Praedestinatio hominis pendet a liberrimo divinae voluntatis actu. Sed, quae Deus libere statuit, nemo scire potest, antequam fiant, nisi per revelationem. Ergo.

Dixi *citra specialem revelationem,* quia nihil prohibet, quominus Deus revelet alicui factum suae praedestinationis. Imo probabile est Deum illud revelasse quibusdam sanctis, v. gr., in Veteri Testamento Abrahae, Isaac, Jacob, Moysi, Eliae, Eliseo, etc., et in Novo Testamento Bmae. V. Mariae, S. Joseph, S. Joanni Baptistae, undecim apostolis, S. Paulo, etc.

Animadvertit tamen et probat *Angelicus*[5] non convenire omnibus indiscriminatim propriam praedestinationem in hac vita cognoscere, quia ex hoc praedestinati negligentiam et non praedestinati desperationem caperent.

Pars 2.a

Sunt aliqua signa in hominibus, quae ita sanctitatem vitae, firmitatem voluntatis, et perseverantiam in bonis operibus arguunt, ut ex eis quorumdam praedestinationem conjicere liceat.

Haec signa possunt esse plurima. Praecipua sunt: 1) Frequentia sacramentorum; 2) desiderium ardens proficiendi in via perfectionis; 3) orationis studium diuturnum; 4) misericordia erga pauperes; 5) vera humilitas; 6) patientia in tolerandis adversitatibus propter Christum; 7) devotio sincera erga SS. Virginem; 8) in-sacerdotibus zelus animarum.

1 *Eccl.,* 9, 1-2.
2 *I Cor.,* 10, 12.
3 *Philipp.,* 2, 12.
4 Sess. 6, C. 12; Denz-Bannw., 805.
5 *De veritate,* q. 6, a. 5.

QUAESTIO XIX

DE REPROBATIONE

S. *Th., I p., q. 2J.*

ARTICULUS I

QUID ET QUOTUPLEX SIT REPROBATIO

432. I. Reprobatio opponitur contrarie approbationi et dicitur quasi rejectio alicujus rei minime aptae. Est ad instar praedestinationis providentia specialis erga creaturas rationales in ordine supernatural!, ea differentia, quod praedestinatio est tota ratio transmissionis creaturarum in gloriam sempiternam; et reprobatio non fit nisi supposita et praevisa defectione liberi arbitrii. Consequenter definiri potest: *Providentia specialis, qua permittitur aliquos cadere in culpam non liniendam et ex praevisione hujus culpae deputantur ipsi in poenam aeternam* 1.

II. *Est essentialiter actus intellectus divini, qui dicitur imperium, connotât tamen actum divinae voluntatis* 2. Ratio est, quia, ut expresse docet S. *Thomas* 3, reprobatio est pars divinae providentiae. Providentia autem est actus intellectus, qui dicitur imperium, connotans praesuppositive actum voluntatis intendentis finem et eligentis media. Haec providentia permittit peccatum et impoenitentiam finalem 4, ac tandem, visis peccatis, ordinat punire peccatores cruciatibus aeternis.

Sedulo animadvertendum est cum *Angelico,* «quod aliter se habet reprobatio in causando quam praedestinatio. Nam praedestinatio est causa et ejus, quod exspectatur in futura vita a praedestinatis, scilicet gloriae, et ejus, quod percipitur in praesenti, scilicet gratiae. Reprobatio vero non est causa ejus, quod est in praesenti, scilicet culpae; sed est causa derelictionis a Deo. Est tamen causa ejus, quod redditur in futuro, scilicet poenae aeternae. Sed culpa provenit ex libero arbitrio ejus, qui reprobatur et a gratia deseritur» 5.

1 Cfr Magister Sent., *I Seni.,* dist. 40, q. 4.

2 Cfr. Banez, *In I p.,* q. 23, a, 3, dub. I. Nonnulli, ut Durandus, *In I Sent.,* dist. 40. q. 2, n. 4; et S. Bonaventura, *In 1 Sent.,* dist. 40, a. I, q. 2, voluerunt reprobationem formaliter esse actum voluntatis. Alii cum Molina, *In 1 p.,* q. 23, a. 3, *Quia ergo,* docent reprobationem esse *tjudiciwn aeternum,* quo creatura rationalis a Deo judicatur indigna vita aeterna et digna poena aeterna cum proposito eam perpetuo excludendi a regno caelesti, aut simul etiam puniendi cruciatibus aeternis, prout fuerint ipsius peccata». Alii cum Alensi, *I p.,* q. 29, membro 2; et Frassen, *Scotiis academicus,* tr. 2, disp. 3, a. 3, q. 1, defendunt actus intellectus et voluntatis ex aequo requiri ad reprobationem. Sed thomistae communiter et plurcs extranei contendunt eam esse actum intellectus, qui dicitur imperium, connotando actum voluntatis.

3 *I p.,* q. 23, a. 3.

4 Permjssio est actus intellectus practici, ut patet ex conscientia, quae, cum sit actus intellectus practici, permittit quosdam actus Cfr. Raphael n S. Joseph, *Inst. fund, theol. mor.,* tr. 2. n. 22.

5 *Ip.,* q. 23, a. 3 ad 2.

III. *Duplex reprobatio.* Reprobatio, etsi in se simplex sit et unica, dicitur *negativa* vel *positiva* ob diversos conceptus. *Negativa,* si revera est reprobatio, juxta aliquos est «mera omissio electionis quorumdam ad vitam aeternam», sed verius definitur: «Permissio, ut aliqui in peccatum cadant et per peccatum a fine vitae aeternae decidant» L *Positiva* est: «Actus Dei, quo post praevisionem peccati deputantur peccatores ad poenam aeternam pro culpa».

ARTICULUS II

UTRUM DEUS ALIQUEM REPROBET

433. Thesis. **De fide certum est aliquos homines a Deo reprobari.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Dominus in die judicii dicturus est *iis, qui a sinistris erunt: Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* 2. Et Apostolus ait: *Deus volens ostendere iram et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa irae apta in interitum* 3.

2) Concilium Valentinum III, a. 855 sub Leone IV celebratum, can. 3, ait: «Fidenter fatemur praedestinationem electorum ad vitam et praedestinationem impiorum ad mortem»4 5

3) *Ex ratione.* Ad provisorem universalem pertinet aliquos defectus in rebus provisis permittere eosque semel commissos punire. Sed Deus est provisor universalis omnium creaturarum. Ergo Deus permittit quosdam homines a fine deficere atque ordinat impios pro culpae modo punire B.

ARTICULUS III

DE motivis reprobationis

De motivis reprobationis in duplici paragraphe disserendum est.

§ 1

Utrum detur reprobatio positiva ante praevisa demerita.

434. Status quaestionis. Reprobatio positiva est, ut diximus, ordinatio Dei, qua aliqui deputantur ad aeterna supplicia. Quaerimus, an reprobi destinentur ad aeternos cruciatus ante eorum praevisa demerita.

1 Haec reprobatio, licet sit actus Dei positivus, quo permittitur quosdam deficere a gloria, dicitur fortasse *negativa,* quia nihil efficit circa reprobos.

3 *Matth.,* 25, 41.

3 *Jiom., 9,* 22, 23.

1 Donz-Bannw., 322.

6 Cfr. S. Thoniua. *ait /toni.,* <>, lect. 4

435. Errores, i) *Praedestinaliani* docuerunt Deum aliquos, decreto suo absoluto et efficaci, ante eorum praevisa demerita, in aeternam damnationem deputasse. Errorem praedestinatianorum jam olim sopitum Goteschalcus, monachus saxonus e monasterio fuldensi, saeculo ix suscitavit dicens quosdam homines necessario damnari ad mortem a Deo destinatos.

2) *Thomas Bradwardin,* primo monachus ac professor et cancellarius oxoniensis, deinde archicpiscopus cantuariensis, vir aliunde eruditissimus et pius, scripto ingenti volumine, praedestinatianorum errorem saeculo xiv professus est, et wicleffistarum systemati viam in hac materia stravit. Post ipsum Wicleffus *(Trialog.,* lib. 1, cc. 1, 10, 11, etc.) docuit, ac Joannes Hus et Hieronymus de Fraga tumultuarie praedicarunt praedestinationem et reprobationem aeque a Deo ante praevisionem meriti vel demeriti ordinari[1]

3) *Lutheries,* negans omnino libertatem voluntatis humanae, dixit unumquemque ad vitam aeternam vel ad aeternam damnationem addici ad nutum Dei, et ideo dari in natura humana reprobos, quia sunt a Deo destinati in aeternam damnationem [2].

4) *Calvinus* ait: «Non enim pari conditione creantur omnes, sed aliis vita aeterna, aliis damnatio aeterna praeordinatur, itaque prout in alterutrum finem quisque conditus est, ita vel ad vitam vel ad mortem praeordinatum dicimus» [3]. Reprobos Deus «in vitae contumeliam et mortis exitium creavit, ut irae suae organa forent et severitatis exempla» [4].

5) *Supralapsarii et infralapsarii.* Inter calvinistas confestim orta est discordia. Rigidiores docuerunt Deum absolute destinasse aliquos homines ad damnationem ante praevisionem peccati originalis, et vocati sunt *supralapsarii* (antelapsarii); mitiores dixerunt Deum reprobasse quosdam post praevisum solum peccatum originale, et nuncupati sunt *infralapsarii* (postiapsarii) [5].

6) *Jansenistae* subscripserunt infralapsariis, cum dixerunt aliquos homines peccato originali infectos relinqui a Deo sine auxilio sufficienti, aeternisque addici suppliciis, adeo ut Christus non fuerit mortuus nisi pro praedestinatis [°].

Haec systemata, quae faciunt Deum tyrannis crudeliorem, merito sunt ab Ecclesia damnata.

436. Thesis. **Neminem positive reprobat Deus nisi praevisis ejus demeritis. Quare peccatum est causa reprobationis positivae.** *(Est de fide.)*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura. Nolo mortem impii,* **ait Dominus,** *sed ut convertatur impius a via sua et vivat* [7].—*Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum* [8].

2) *Ex conciliis.* **Concilium Arausicanüm II: «Aliquos vero ad malum divina potestate praedestinatos esse, non solum non credimus, sed**

1 Cfr HergonrBther, *Hist, de la Igl.,* t. 4 (ed. hisp.), p. 576 sq.

2 Cfr. ejus liber *De servo arbitrio.* Lutherani generatin'! reliquerunt magistrum suum et subscripserunt Melanchtoni, qui expresse dixit causam reprobationis esse «peccatum in hominibus, qui prorsus non audiunt nec accipiunt Evangelium, aut qui abjiciunt fidem, antequam hinc discedant», id est, «in his... causam esse reprobationis peccatum ipsorum et humanam voluntatem». *Loci contni theol , De praedestinatione* (Basileae, 1550).

3 *Inst.,* lib. 3, c. 21, n. 5.

4 *Inst.,* lib. 3, c. 24, n. 12.

6 Cfr. KnSpfler, *Manual de Hist. ecl.* (ed. hisp.), § 182.

° Cfr. Katschthaler, 3. p. 422.

7 *Ezech.,* 33, ii.

8 *Oseae,* 13, 9.

etiam, si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus»[1].

3) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus:* «Bonus est Deus, justus est Deus. Potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est»[2].

4) Judex, si est justus, bonus ac perfectus, neminem punit, nisi cognoscat culpabilem. Ergo Deus, qui est justus, bonus ac perfectus, neminem reprobat nisi praevisis demeritis.

§ 2

Utrum detur aliquorum reprobatio negativa ante praevisa demerita.

437. Aliqui abhorrent a reprobatione negativa tanquam a doctrina S. Scripturae et SS. Patrum aliena, ac pietati Dei parum consona. Ita *Lessius, Frassen, Franzelin, Satolli, Pesch*[3], et alii plures. Alii putant aliquid negativum ante praevisionem culpae reperiri in reprobatione creaturarum, idque reprobationem negativam appellari. Ita communiter thomistae[4] et ex extraneis S. *Bellarminus, Ruiz, Suarez, Janssens*[5], et alii.

In rigore sermonis non deberet appellari reprobatio negativa, quia reprobatio est circa finem reproborum; permissio autem peccati, quocumque modo fiat, non versatur circa finem sed circa media. Est potius permissio peccati, quo praeviso, fit reprobatio positiva.

438. Thesis. **Datur in Deo permissio peccati quorumdam ante praevisa eorum demerita.**

Arg. Eo ipso, quo aliqui prae aliis praedestinantur ad gloriam ante eorum merita, necessario sequitur permitti peccatum eorum, qui non pertinent ad numerum electorum. Ergo Deus permittit peccatum quorumdam ante praevisa eorum demerita.

Quo ordine hoc fiat exponetur in sequentibus.

1 Denz-Bannw., 200. fd ipsum definitum est in Conciliis Carisiacensi, Denz-Bannw., 316, Valentino. Denz-Bannw., 322, et Tridentino, Denz-Bannw., 827.

2 *Contra Jul.,* lib. 3, c. 18; ML 44. 721: Cfr. Rupertus, *in Apoc.,* lib. 6, c. 11; MΓ. 169, 1038.

3 Lessius, *De div. perf.,* lib. 14, C. 2, n. 15; Frassen, *Scotus acad.,* tr. 2, disp. 3, a. 3; Franzelin, *De Deo uno,* th. 55; Satolli, *De operat, div.,* disp. 6, lect. 6; Pesch, *De Deo uno,* prop. 61-62.

4 Cfr Salmanticenses, *De praedestinatione,* disp. 8, dub. 2. Philippus a SS. Trinitate, *De Deo uno,* disp. 20, dub. 2; Gonet, *De praedestinatione,* disp. 5, a. 2.

5 S. Bellarminus, *De grat. et lib. arb.,* lib. 2, cc. 10 et 16; Ruiz, *De praed.,* disp. 14; Suarez, *De praedest.,* lib. 5, c. 4, n. 5; Janssens, *In 1 p.,* q. 23, a. 3.

§ 3

In quo consistat -permissio peccati reproborum, quam plures vocant reprobationem negativam.

439. Tres sunt praecipuae sententiae:

Prima sententia tenet reprobationem negativam consistere in *exclusione positiva alicujus a regno caelesti ut a beneficio indebito* independenter ab omni peccato sive actuali sive originali. Non habet rationem poenae, sed est negatio beneficii indebiti. Exclusionem a gloria caelesti sequuntur permissio peccati, et, peccato praeviso, reprobatio positiva seu decretum damnationis cum voluntate infligendi poenam sensus et damni propter culpam. Ita *Alvarez, Salmanticenses, Contenson, Philippus a SSma. Trinitate*[1], et alii bene multi[2].

Secunda sententia docet reprobationem, quam vocant negativam, esse actum Dei positivum, quo permittitur quosdam in peccatum labi et a caelesti beatitudine ob culpam decidere. Subjective in Deo est actus positivus, objective in reprobis est pura negatio. Ita *Suarez, Goudin, Billuart,* etc. [3].

Tertia sententia est eorum, qui reprobationem improprie negativam reponunt in *non electione* seu in *mera quadam praeteritione eorum,* qui ad gloriam minime praedestinantur. Hanc sententiam, quam *Suarez*[4] non praedestinationem appellat, plures *congruistae, Patres augustiniani*[5], *Lafosse*[6] et novissime *Janssens*[7] sequuntur.

440. Thesis. **1) Non datur in Deo exclusio positiva aliquorum a regno caelesti tanquam a beneficio indebito ante praevisa eorum demerita; neque 2) praeteritio tantum eorumdem, ut, qui praevideantur in peccatum labi, non adsumantur ad gloriam; sed 3) sola permissio Dei, ut aliqui in peccatum cadant et a gloria decidant.**

Pars 1.a

Arg. 1) Deus *omnes homines vult salvos jieri, et ad agnitionem veritatis venire*[8]. Sed haec voluntas Dei salvandi omnes homines nequit componi cum exclusione positiva aliquorum a regno caelesti sine culpa ut a beneficio indebito. Ergo.

1 Alvarez, *Ve auxiliis,* disp. 109; Salmanticenses, *De praedest.,* disp. 8, n. 1 sqq.; Contenson, *Theol. mentis et cordis, De reprobatione,* diss. 6, c. 2; Philippus a SS. Trinitate, *De Deo uno,* disp. 20, dub. 2.

2 Joannes Bachonus jam suo tempore hanc sententiam exposuit ac refutavit *in 1 Sent.,* dist. 41, q. un., a. 2.

3 Suarez, *De praedest.,* lib. 5, c. 4, n. 5; Goudin, *De reprobatione,* a. 1, conci. 3; Billuart, *De Deo uno,* diss. 9, a. 9, § 2.

4 *De praedest.,* lib. 5, c. 4, n. 8.

5 Vid. Honoratus dei Val, *De Deo uno,* n. 238.

6 *De Deo ac div. attributis,* q 8, a. 2, § 2.

7 *De Deo uno,* t. 2, p. 432 sqq.

8 */ Tim.,* 2, 4.

2) Nemini infligitur poena sine culpa. Sed exclusio a regno caelesti est poena. Ergo nemo excluditur a regno caelesti sine culpa et ante praevisa demerita. «Deus autem, ait *Angelicus,* omnia inclinat et convertit in se ipsum sicut in ultimum finem, sicut *Dionysius* dicit cap. 1 *De div. noni.* (vers. fin. lect. 3): unde impossibile est, quod sit sibi vel aliis *causa discedendi ab ordine, qui est in ipsum»* [1]

Pars 2.a

Arg. Providentia divina positive agit in omnes homines, antequam ipsi ad aliquid se determinent. Mera autem praeteritio non electorum non est actio positiva providentiae sed potius omissio actionis. Ergo circa reprobos ante eorum demerita non datur sola praeteritio.

Pars 3.a

Arg. 1) «Reprobatio, ait S. *Thomas,* includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam et inferendi damnationis poenam pro culpa»[2]. Haec S. Doctoris verba explicant totam materiam reprobationis. Voluntas permittendi aliquem cadere in culpam innuit permissionem, de qua loquimur, ita tamen ut permissio sit actus positivus Dei; voluntas inferendi damnationis poenam pro culpa indicat reprobationem proprie dictam.

2) Admittenda est aliqua Dei providentia circa reprobos, antequam ipsi peccatum committant. Sed nulla Dei actio positiva versatur circa ipsos in hoc ordine nisi permissio peccandi. Ergo.

§ 4

An ex parte creaturae detur motivum seu causa demeritoria permissionis peccati.

441. Certum est nullum peccatum personale hominum esse motivum hujus permissionis, quia permissio praecedit praevisionem peccatorum personalium [3]. Sed disputatur, an saltem peccatum originale sit motivum hujusmodi permissionis.

442. Opiniones theologorum. 1) Juxta plures reprobatio negativa, considerata non ut poena sed ut exclusio a beneficio indebito, «non habet pro motivo praevisa demerita et peccata, sive actualia sive originale» [4], sed Deus ordinat «excludere reprobos a regno ante praevisa eorum peccata, seu independenter ab eorum praevisione et non propter illa ut propter causam meritoriam praedictae voluntatis» [5]. Ita *Alvarez, Salmanticenses, Laurentius a S. Theresia, Joannes a S. Thoma,* et alii [6]. Suam opinionem fundant a) in

1 *I-II,* q. 79, a. 1.

2 *I p.,* q. 23, a. 3.

3 Cfr. Lemos, *Panoplia,* t. 2, tr. 4, c. 6 sqq.

4 Contenson, *Theol. mentis et cord.,* lib. 2, diss. 6, c. 1, specui. 2.

5 Salmanticenses, *De praedest.,* disp. 8, n. 24.

6 Alvarez, *De auxiliis,* disp 110; Salmanticenses, *De praedest.,* disp. 8, n. 24; Laurentius a S. Th., *Spicii, theol.,* t. 3, controv. II, n. 58 sqq.; Joannes a S. Thoma, *De Deo uno,* q. 23, disp. 10, a. 2.

testimonio Apostoli dicentis: A'ow *ex operibus sed ex vocante dictum est... Jacob dilexi, Esau autem odio habui* '; b) in ratione theologica, quia beneficium indebitum denegatur, non ob demerita et ratione culpae, sed ex voluntate dantis. Gloria autem caelestis est beneficium indebitum creaturae rationali. Ergo.

2) Alii docent in Deo fuisse duplicem oeconomiam: a) Una erat *oeconomia primitiva,* in qua protoparentes erant confirmandi in gratia, et salvandi omnes eorum posteri. Nemo fuit in ea praedestinatus, nemo reprobus, nemo derelictus; solummodo ordinavit Deus permittere peccatum protoparerttum. b) Altera erat *nova oeconomia* post praevisum Adae lapsum, in quo aliqui misericorditer electi sunt et praedestinati ad gloriam, dum aliis permissum est iri' peccata ruere.

Qui in hac secunda oeconomia fundant mysterium permissionis peccati, diversimode rem explicant.

a) *Patres augustiniani* volunt peccatum originale, sive remittendum fuerit sive non, fuisse causam demeritoriam reprobationis negativae hominum, adeo ut reprobatio negativa consistat «in omissione efficacis liberationis aliquorum a damnationis statu, in quo post peccatum versantur omnes» 1. *Plures thomistae* subscribunt huic sententiae, eum hac differentia, quod reprobatio negativa, quae fit ob peccatum originale, non est mera omissio liberationis, sed actus positivus divinae providentiae permittentis quosdam a fine deficere. Ita *Lemos, Gonet, Gazzamga* 3;* et alii.

Ratio fundamentalis hujus opinionis est sequens: JPeccatum originale est vera culpa, et, si praevideatur, est sufficiens reprobationis causa, quia ponit in homine indignitatem et positivam Dei inimicitiam. Sed fuit revera praevisum ante hominum reprobationem, quia fuit praevisum ante Christi praedestinationem, et Christus praedestinatus est ante hominum reprobationem. Ergo peccatum originale fuit causa demeritoria reprobationis negativae !

β) *Aliqui thomistae* docent peccatum originale fuisse de facto motivum reprobationis in iis, quibus non remittitur, non vero in iis, quibus remittitur. Rationem hujus differentiae adsignant, quia reprobi, quibus peccatum originale non remittitur, damnantur etiam propter hoc peccatum, secus vero reprobi, quibus remissum est. Ita *Billuart,* 5 et alii.

443. Thesis. **1) Neque peccatum originale praevisum, 2) neque aliud quidpiam ex parte creaturae, 3) sed sola voluntas divina est causa seu motivum permissionis peccati hominum.**

Pars 1.a

Arg. 1) Eadem in specie est in omnibus reprobis causa permissionis peccati, quia eadem in omnibus est conditio ante peccatum personale. Sed peccatum originale non est aliquibus reprobis causa talis

1 *Horn.,* 9, 12-13.

2 In hac sententia electi praedestinantur ad gloriam per actum *purae misericordiae* in foro gratiae, qui consistit in eorum liberatione a damnationis statu; reprobi vero relinquuntur per actum *justitiae,* qui consistit in non efficaci liberatione eorum a massa damnationis; Honoratus dei Val, *De Deo uno,* 238. Hanc opinionem amplexus est Janssens dicens: «In hac sola sententia putamus juxta scripturas haec tria salvari posse: 1) Omnes homines comparari vasis ex eadem massa aptis in interitum; 2) propositum praedestinationis esse propositum misericordiae; 3) ex non electione sequi infallibiliter damnationem, quin Deus illam positive intendat».

3 Lemos, *Panoplia gratiae,* t. 2, tr. 4, c. 11 sqq., praesertim n. 256; Gonol, tr. 5, disp. 5, n. 74 sqq.; Gazzaniga, *Praei, theol.,* t. 2, diss. 6, <. 9.

'* Cfr. Lemos, *Panoplia gratiae,* t. 2, tr 4. η. 210; et tr 4, ce 11-16

5 *De Deo uno,* diss. 9, a. 9, § 4.

permissionis. Ergo. **Prob. min.** Peccatum originale, quod est efficaciter a Deo remittendum, non potest esse causa sen motivum permissionis peccatorum, sicut peccata personalia remittenda non sunt causa reprobationis positivae. Sed peccatum originale in aliquibus reprobis est remittendum, adeo ut nihil sit *damnationis iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per baptismum,* ut docet Concilium Tridentinufh [1]. Ergo.

2) Peccatum originale est idem in omnibus praedestinatis et reprobis. Ergo nequit esse in reprobis causa permissionis peccatorum [2].

Pars 2.a

Arg. Causa permissionis peccati nequit esse in reprobis 1) infectio naturae humanae, quia nihil damnationis remanet in renatis[3], neque 2) concupiscentia aut fomes peccati, quia concupiscentia non nocet sed remanet ad agonem, et prodest non consentientibus[4]; neque 3) peccatum personale, quia permissio praecedit peccata personalia. Ergo.

Pars 3.a

Arg. S. *Thomas* ait: «Quare hos elegit in gloriam et illos reprobavit, non habet rationem nisi divinam voluntatem» [5]. Et auctor libri *Sententiarum ad Annibaldum:* «Voluntati divinae de salute hominis duplex voluntas opponi videtur, scilicet, voluntas de contradictorio, secundum quod vult *aliquem non salvare,* et voluntas de contrario, secundum quod vult *damnare aliquem* (reprobatio positiva). Prima quidem voluntas non requirit aliquam rationem ex parte voliti, cum salus gloriae non sit debitum humanae naturae. Non enim requiritur ratio, quare non dem alicui, cui dare non debeo. Sed voluntas damnationis respicit rationem voliti in damnato, cum damnatio ex debito inferatur» [6].

Prae oculis tamen habeas illa verba S. *Augustini:* «Quare illum trahat (Deus) et illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare»[7].

444. Scholion. Adversarii putant actum Dei positivum, quo decernitur aliquos sine culpa non eligi ad gloriam, non cohaerere cum voluntate sincera, quam Deus habet salvandi omnes homines. Sed, si principia thomistarum bene perpendantur, facile evanescit apparens contradictio. Quando enim aliqui eliguntur ad gloriam, alii actu positivo [8] relinquuntur pro eo signo, praescindendo de eo, quod futurum sit signis posterioribus [9]. In eo actu Deus vult voluntate antecedente et sincera omnium salutem. In eo autem stat differentia, quod aliquibus confert gratias efficaces, quibus voluntas humana semper consentit, dum

1 Sdss. 4, can. 5: Denz-Bannw., 792.
2 Cfr. Andreas a Cruce, *In I p.,* q. 23, a. 3, dub. 2, pet. 4.
3 *Concit. Trid.,* sess. 5, can. 5; Denz-Bannw., 792.
4 *Concit. Trid.,* sess. 5, can. 5; Denz-Bannw., 792.
5 *I p.* q. 23, a. 5 ad 3.
6 *I ad Annibald.,* dist. 41, q. un., a. 3.
7 *In Joan.,* tr. 26, n. 2; Ml. 35, 1607.
8 Androne a Cruce, *In I p.,* q. 23, a. 3, n. 2890, defendit actum positivum Dei, quo aliqui relinquuntur non electi, non esse distinctum ab eo actu, quo salvandi eliguntur ad gloriam, quia unius acceptio est voluntaria alterius derelictio.
9 Cfr. Andrens a Cruce, *De Deo uno,* n. 2891.

aliis solummodo concedit gratias sufficientes, quibus possunt omnes consentire; sed, qui non consentiunt, labuntur in peccata, et reprobationem positivam merentur.

ARTICULUS IV

DE PROPRIETATIBUS, EFFECTIBUS ET SIGNIS REPROBATIONIS

445. I. *Proprietates.* Praecipuae proprietates reprobationis sunt *certitudo* ac *immutabilitas* ex parte Dei et *incertitude* ex parte creaturarum, de quibus eadem proportionabiliter dicenda sunt ac de proprietatibus praedestinationis. Ea enim ratione, qua cognoscit Deus numerum praedestinatorum, novit quot sint reprobi, et sicut incerti sunt homines de sua praedestinatione, ita ignorant reprobi sortem suae reprobationis.

II. *Effectus* reprobationis possunt cum *Salmanticensibus* [1] probabiliter recenseri sequentes:

1) Permissiones omnium peccatorum, quibus reprobi damnantur, perseverantia in illis, et ipsa damnatio seu poena aeterna atque carentia visionis beatificae. Ratio est, quia reprobi his, quae recensuimus, conducuntur ad damnationem.

2) Substantia reprobi est quodammodo effectus saltem imperatus reprobationis, quatenus necessario requiritur ad permissionem peccatorum et aeternam damnationem.

3) Dona naturalia reprobi sunt effectus imperati reprobationis, quia conferunt ad damnationem et majorem poenam reprobi.

446. III. *Signa* damnandorum sunt:

1) *Amor nimius rerum terrenarum.* Qui enim huic exsilio rebusque mundanis nimis afficiuntur, nequeunt ad caelestia serio adspirare.

2) *In peccatis, praesertim libidinis, usque ad senectutem sordescere.* «Ob hoc unum impudicitiae vitium, ait S. *Alphonsus M. de Ligorio,* aut saltem non sine eo, omnes damnari, quicumque damnantur» [2]

3) *Ecclesiae doctrinis bellum indicere vel parum affici.* Nam extra Ecclesiam non datur salus.

4) *A frequentia sacramentorum sese avertere.* Sacramenta namque sunt media necessaria ad recipiendam gratiam, qua hujus vitae pericula superantur.

5) *Superbiam sectari. S. Gregorius* ait: «Evidentissimum reprobationis signum superbia» [3].

1 *De praedestinatione,* disp. 8, dub. 3.
2 *Theol. mor.,* 6 praecept., init. n. 413.
3 *Moral.,* lib. 34, n. 56; ML 76, 750.

QUAESTIO XX

DE POTENTIA DEI

S. *Th., I p., q. 25.*

ARTICULUS I

UTRUM IN DEO SIT POTENTIA

447. Status quaestionis. 1) Duplex est potentia: una *activa,* qua agens potest producere actum secundum: altera *-passiva,* qua res efficitur capax recipiendi aliquid in se 1.

Potentia passiva Deo non competit, quia Deus, utpote actus purissimus et perfectissimus, nihil de novo recipere potest.

2) Potentiae activae corresponde! duplex operatio: *immanens* una, cujus terminus manet in ipso operante, ut velle et intelligere; *transiens* altera, quae actum extra operantem producit, ut creare, gubernare, etc. Potentia activa, in quantum est principium actuum immanentium, Deo certissime convenit, quia Deus intelligit et vult. Difficultas est, an Deo competat potentia activa, in quantum est principium operationum ad extra.

448. Thesis. **Potentia activa operationum ad extra Deo certissime competit.** *(Est de fide.)*

Arg. 1) a) Nomina *'EI, 'Eloah, 'Elohim* et praesertim *Schaddai— sibi sufficiens—,* quae in sacris litteris Deo tribuuntur, aperte innuunt Deum potentia praeditum esse. Unde *Schaddai* vertitur a Vulgata, *qui potens est* vel *omnipotens (Gen.,* 17, 1).

b) Sanctissima Virgo ait: *Fecit mihi magna, qui potens est* 2; et juxta Apostolum Deus est *solus potens, rex regum et Dominus dominantium 3.*

c) «Deus bonitate sua et *omnipotenti virtute...* de nihilo condidit creaturam»4.

2) *Ex ratione S. Thomae.* «Unumquodque, secundum quod est actu et perfectum, secundum hoc est principium activum alicujus... Ostensum est autem supra... quod Deus est actus purus et simpliciter et universaliter perfectus... Unde maxime ei competit esse principium activum et nullo modo pati. Ratio autem activi principii convenit potentiae activae»5.

Corollarium. Haec potentia aliter est in creaturis et aliter in Deo propter duo. 1) Potentia in creaturis est media inter essentiam et ope-

1 Cfr S. Thomas, *De potentia,* q. 1, a. 1.
2 *Eue.,* i, 49.
/ Tim., 6, 15.
4 *('oncil, l'ut ,* sess. 3, c. 1; Denz-Bannw., 1783.
° S. Thomas, */ p.,* q. 25, a. I.

rationem, adeo ut in creaturis distinguantur essentia ut principium radicale, potentia tanquam actus primus, operatio tanquam actus secundus seu effectus; in Deo autem ipsamet essentia, quatenus est principium exsequens *ad extra* dicitur et est potentia. 2) Potentia in creaturis est principium tum actionis tum effectus; in Deo autem est principium effectus *ad extra,* non actionis, quae est divina essentia [1].

ARTICULUS II

IN QUO FORMALITER CONSISTAT POTENTIA DEI

449. Placita theologorum, i) S. *Thomas* haec habet: «Potentia non ponitur in Deo ut aliquid differens a scientia et voluntate secundum rem, sed solum secundum rationem, in quantum scilicet potentia importat rationem principii exsequentis id, quod voluntas imperat, et ad quod scientia dirigit. Quae tria Deo secundum idem conveniunt.—Vel dicendum, quod ipsa scientia vel voluntas divina, secundum quod est principium effectivum, habet rationem potentiae» [2].

2) Nonnulli putant potentiam activam in Deo esse formaliter essentiam. Ita *Suarez* et alii [3].

3) Alii volunt potentiam exsecutricem Dei esse attributum virtualiter distinctum a natura et a tota linea intellectiva. Sic *Kleiitgen* [4]

4) Alii docent potentiam Dei aeque constitui per intellectum et voluntatem. Sic *Vazquez* et *Toletus* cum aliis [5].

5) Alii contendunt potentiam exsecutivam in Deo esse voluntatem. Sic *Scotistae* [6], *Hontheim* et *Urraburu* [7].

6) Plurimi tenent potentiam Dei exsecutricem esse ipsam scientiam, quatenus connotât voluntatem approbationis. Ita thomistae cum pluribus extraneis.

450. Thesis. **Potentia activa in Deo est ipsamet scientia formaliter sumpta, quatenus connotât voluntatem approbationis.**

Arg. 1) *Angelicus Doctor* ait: «Ipsa scientia, vel voluntas divina, secundum quod est principium effectivum, habet rationem potentiae» [8]. Scientia autem est principium effectivum, quatenus habet voluntatem conjunctam, ut alibi docet *Angelicus.* Ergo.

2) *Ex ratione.* Scientia Dei imperat exsecutionem eorum, quae a voluntate approbata sunt, ut jam diximus superius et passim repetit S. *Thomas.* Ergo scientia Dei, quatenus connotât voluntatem approbantem est potentia activa. Hinc omnipotentia Dei consistit, ut optime ajunt *Salmanticenses,* «in ipso purissimo actu sciendi, prout solum virtualiter est transiens, et formaliter atque ab aeterno est immanens in

[1] S. Thomas, *I p.,* q. 25, a. 1 ad 3.
[2] *I p.,* q. 25, a. i ad 4.
[3] Suarez, *Metaphys.,* disp. 30, sect. 17, n. 45 sqq.
[4] Kleutgen, *De ipso Deo,* n. 632.
[5] Vazquez, *In 1 p.,* disp. 102, aa. 3-4; Toletus, *I p.,* q. 25, a. I.
[6] Cfr. Mastrius, *In I Sent.,* disp. 4, q. 6, a 1, n 111.
[7] Hontheim, *Instit. theod.,* n. 926; Urraburu, *Theodicea,* n 236.
[8] *I p.,* q. 25, a. i ad 4.

Deo, et juxta praescriptum divinae voluntatis habet ratione suae eminentiae inferre productionem passivam et temporalem creaturarum, quamvis ipse sit ab aeterno» [1].

ARTICULUS III

UTRUM DEUS SIT OMNIPOTENS

451. Omnipotentia, quoad praesens attinet, est *potestas faciendi omnia possibilia.* Quod ut recte intelligatur, juverit animadvertere possibile dici dupliciter: 1) respectu alicujus potentiae, et sic dicitur aliquid possibile homini, angelo, etc.; 2) absolute ex habitudine terminorum, et hoc est intrinsecus possibile. Difficultas est, an Deus possit facere omnia, quae sunt absolute et intrinsece possibilia.

Errores. 1) *Wiçleff* [2], antiquos fatalistas sequutus, dixit Deum ex necessitate naturae operari, et consequenter non posse facere nisi ea, quae facit. Huic accedunt pessimistae moderni *(Schopenhauer, E. v. Hartmann,* etc.), qui docent mundum ex caeca necessitate vel voluntate Dei inconscia ortum esse.

2) S. *Thomas* [3] refert opinionem Magistri Amalaraei et aliorum-, qui dicebant Deum in suis operibus procedere secundum ordinem justitiae et sapientiae, quem mutare nequit.

3) Omnipotentiam Dei inficiati sunt pariter *optimistae,* qui, putantes hunc mundum esse optimum ex possibilibus, negaverunt Deo potentiam faciendi meliorem. Ita *Plato, Abaelardus, Leibnitz* et alii [4].

452. Thesis. **Deus est omnipotens.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura,* a) Nomen *Jahve,* quod, ut diximus, significat ipsum esse, totum esse, et est nomen proprium Dei, certissime innuit Deum esse absolute omnipotentem, quidquid dicant rationalistae in contrarium. Qui enim est totum esse, non potest non habere plenitudinem potentiae.

b) Ipse Dominus ait: *Numquid Deo quidquam est difficile?* [5]. Psalmista: *Omnia, quaecumque voluit, Dominus fecit in caelo, in terra, in mari, et in omnibus abyssis* [6]. Christus: *Apud Deum autem omnia possibilia sunt* [7]. Angelus: *Non erit impossibile apud Deum* [8].

2) In symbolis Ecclesiae profitemur Deum esse *omnipotentem* [9], et Concilia Oecumenica Lat. IV et Vaticanum vocaverunt Deum *omnipotentem* [10].

1 *De scientia Dei,* disp. 5, n. 73.
2 Cfr. Waidensis, *Doctrinale fidei,* lib. 1, a. 1, c. 10.
3 *De potentia,* q. 1, a. 5.
4 Plato, *Timaeo:* Abaelardus, vid Denz-Bannw., n. 374: Leibnitz, *Tentamina de bonitate Dei,* n. 195.
5 *Gen.,* 18, 14.
6 *Ps.* 134, 6.
7 *Matth.,* 19, 26.
8 *Luc.,* 1, 37.
9 Vid. Denz-Bannw., 6 sqq.
10 Denz-Bannw., 428 et 1782.

3) *Ex ratione.* Possibile illud dicitur, quod non repugnat in se et ab aliquo agente potest reduci ad actum. Porro dantur possibilia infinita, quae respondent potentiae divinae. Sed agens, quod potest reducere in actum possibilia infinita est omnipotens. Ergo Deus est omnipotens [1].

453. Corollaria. I. Objectum omnipotentiae dicitur et est omne possibile, denominato possibili, non extrinsece a potentia activa, ut aliqui voluerunt, neque a voluntate Dei, ut *Cartesius* [2] docuit, sed intrinsece a notis internis rei, quatenus ex se non repugnat seu contradictionem non involvit, semper tamen dependenter ab intellectu divino. Unde Deus facere valet etiam ea, quae legibus physicis contradicunt, si ex habitudine terminorum metaphysice non repugnant.

II. Quae contradictionem implicant, Deus facere non potest, vel potius fieri non possunt. Hinc 1) Numerus quaternarius, dum manet quaternarius, augeri non potest; semel facta non possunt infecta reddi; creatura infinita impossibilis est; quia haec repugnant in terminis. 2) Deus non potest peccare, tum quia peccare non est efficere sed deficere a perfecta ratione agendi, tum quia posse peccare repugnat naturae divinae.

ARTICULUS IV

QUAE SIT RATIO DISTINCTIONIS POTENTIAE ORDINARIAE ET EXTRAORDINARIAE SEU ABSOLUTAE IN DEO

454. Non semel dicimus in theologia hoc vel illud esse impossibile potentia Dei ordinaria, non vero potentia Dei extraordinaria. Quare, operae pretium est explicare quid significent hi termini.

455. Error. I. Absurde dixerunt jansenistae potentiam Dei *ordinatam* esse, quae justitia, sapientia et sanctitate dirigitur; *absolutam* vero quae, abstractione facta a legibus justitiae, sapientiae et sanctitatis, per se sola operatur. Hoc, inquam, absurdum est, quia potentia Dei, tam ordinaria quam extraordinaria, legibus justitiae, sapientiae et sanctitatis semper cohaeret.

456. II. *Vera explicatio.* Juxta communissimam doctorum opinionem potentia Dei *ordinaria* vel *ordinata* est potestas faciendi ea omnia, quae Deus scit scientia approbationis, id est, facultas, qua Deus exsequitur ea, quae sapienti suo consilio ex infinitis rerum ordinibus libere elegit et aliquando facienda decrevit, sive sint ordinis naturae, sive ordinis gratiae et gloriae, sive secundum consuetum naturae cursum, ut generatio et corruptio, sive praeter consuetum naturae cursum, ut miracula; potentia Dei *absoluta* est, potestas, quam Deus habet faciendi ea, quae cognoscit sola scientia simplicis intelligentiae, seu facultas exsequendi ea, quae Deus non decrevit quidem facere, sed, cum sint possibilia, conformiter ad suam sapientiam potuit decernere. Hinc

[1] Cfr. Kloutgen, *De ipso Deo,* 640.
[2] *Méditations métaphys.,* Resp ad obj, sext., 6,

potentia ordinaria exsequuntur ea omnia, quae revera fiunt, potentia absoluta respicit omnia possibilia, objectum scilicet omnipotentiae divinae in tota sua latitudine

457. III. *Alia vera acceptio.* Plurimi theologi volunt Deum potentia sua *ordinaria* agere ea, quae facit secundum consuetum naturae cursum et secundum legem communem gratiae, ut cum res in esse conservat, vel homines mediantibus sacramentis sanctificat; potentia vero *absoluta* producere ea, quae contra leges physicas naturae operatur, ut cum miracula patrat [1][2].*

1 Hanc opinionem sequuntur S. Thomas, *I p.,* q. 25, a. 5; et *Contra Gentiles.* lib. 3, c. 96; Scotus, *In 1 Sent.,* dist. 44, q. 1; Ferrariensis, *Contr. Gent.,* lib. 3. C. 98; Valentia, *In I p.,* q. 25, disp. 1, p. 3, *Hoc posito;* Kleutgen, *De ipso Deo,* n. 645; Pesch, *De Deo uno,* 441; Urraburu, *Theodicea,* n. 232.

2 Hunc modum explicandi vocat Suarez, *De Deo.* lib. 3, c. 9, n 19, frequentiorem et commodiorem, et Kleutgen, *De ipso Deo,* n. 646, usitatissimum.

TRACTATUS II

DE DEO TRINO

458. Auctores consulendi. 1) **Symbola,** a) **Apostolorum,** *Denz-Bannw.,* 6; b) **Nicaeno-Cpolitanum,** *Denz-Bannw.,* 54; c) **Athanasianum,** *Denz-Bannw.,* 39; d) **Formula «Libellus in modum Symboli»,** *Denz-Bannw.,* 19.

2) **Acta Conciliorum,** praesertim *Nicaeni I* (a. 325); *Cpolitani I* (a. 381); *Ephesini* (a. 431); *Chalcedonensis* (a. 451); *Cpolitani II* (a. 553); *Lat. IV* (a. 1215), et *Florentini* (a. .1439).

3) **SS. Patres. S. Justinus,** *Dialogus cum Tryphone,* MG 6, 471; **S. Irenaeus,** *haer.,* MG 7, 437; **Clemens alex.,** *Paedagogus,* MG 8, 247, et *Stromata,* MG 8, 685; **Tertullianus,** *Adv. Praxeam,* ML 2, 177; **Novatianus,** *De Trinitate,* ML 3, 913; **S. Athanasius,** *De Trinitate et Spiritu Sancto,* MG 26, 1191; **S. Hilarius,** *Libri 12 de Trinitate,* ML 10, 25; **S. Cyrillus hierosol.,** *Catecheses,* 6, 7, 10, 11, 16 et 17, MG 33, 537; **S. Ambrosius,** *Tractatus de Trinitate.* ML 17, 537, et *De fide orthodoxa,* ML 17, 579; **S. Gregorius naz.,** *Orat, theol.,* 3-5, MG 36, 104; **S. Gregorius nyssenus,** *Oratio catech. magna,* MG 45, 11; *Quod non sunt tres dii,* MG 45, 116; *De fide,* MG 45, 136; *Contra Eunomium,* MG 45, 244; **Isaac Judaeus,** *Liber fidei* seu *De Trinitate,* MG 33, 1541; **Didymus alex.,** *De Trinitate libri tres,* MG 39, 269; **S. Cyrillus alex.,** *Thesaurus de sancta et consubstantiali Trinitate,* MG 75, 9; *De S. Trinitate dialogi,* MG 75, 657 sqq.; *De sancta et vivifica Trinitate,* MG 75, 1147; **S. Augustinus,** *De Trinitate,* ML 42, 819; **Boetius,** *De Trinitate,* ML 64, 1247; **S. Isidorus,** *Etymol.,* lib. 7, c. 4, ML 82, 271; **Alcuinus,** *De fide s. et indiv. Trinitatis,* ML 101, 13; *De Trinitate quaest.* 18, ML 101, 57; **S. Joannes Damascenus,** *De sancta Trinitate,* MG 95, 9 sqq.; **S. Anselmus,** *De fide Trinitatis,* ML 158, 259.

4) **Theologi. Rupertus abbas,** *De Trinitate,* ML 167, 197: **Hugo a S. Victore,** *Summa Sententiarum,* t. 1, c. 6 sqq., ML 176, 51; **Bandinus,** *De s. Trinitate liber,* ML 192, 970; **Richardus a S. Victore,** *De Trinitate libri sex,* ML 196, 887; **Galtherus,** *Liber de Trinitate,* ML 209, 573; **Petrus Lombardus,** *I Sent.,* ML 192, 521 ; **S. Albertus M., O. P.,** *in I Sent.;* **Alensis, O. M.,** *Summa theol., I p.,* q. 42 sqq.; **S. Thomas, O. P.,** *I p.,* q. 27 sqq.; *in I Sent.,* et *Contra Gentiles,* lib. 4, c. 1 sqq.; **S. Bonaventura, O. M., Scotus, O. M., Durandus, O. P., Bachonus, O. C., Ariminensis, Argentina, O. S. A.. Biel, O. M.. Paludanus, O. P.. Capreolus, O. P., etc.,** *in I Sent.;* **Vazquez, S. J.,** *In I p.,* q. 27 sqq.; **Valentia, S. J.,** *In I p.,* «I *Analysis fidei catholicae de Trinitate* et *Comment, theol.,* t. 1, disp. 2;

Suarez, S. J., *De SS. Trinitatis mysterio;* **Toletus, S. J.,** *In Summam theol. enarratio, I p.,* **q. 27 sqq.; Ruiz de Montoya, S. J.,** *Commentaria de Trinitate;* **Petavius, S. J.,** *De Trinitate;* **Joannes a S. Thoma, O. P.,** *De sacro Trinitatis mysterio;* **Salmanticenses, O. C. Ex.,** *De SS. Trinitatis mysterio;* **Gabriel a S. Vincentio, O. C. Ex.,** *De SS. Trinitatis mysterio;* **Laurentius a S. Theresia, O. C. Ex.,** *Spicilegium theol., De aug. SS. Trinitatis mysterio;* **vol. 3, p. 317 sqq.; Philippus a SS. Trinitate, O. C. Ex.,** *De Deo trino;* **Gonet et Billuart, O. P.,** *De SS. Trinitatis mysterio;* **Paulus a Conceptione, O. C. Ex.,** *De Trinitate;* **Liberius a Jesu, O. C. Ex.,** *Controversiae,* **t. 2, controv. 7; Perrone, S. J.,** *Tract, de SS. Trinitate;* **Franzelin, S. J.,** *De Deo trino;* **Regnon, S. J.,** *Études de Théol. positive* **sur la Ste. Trinité; Janssens, O. S. B.,** *De Deo trino;* **Hugon,** *Le mystère de la très Ste. Trinité;* **et compendiorum auctores moderni.**

QUAESTIO XXI

DE EXSISTENTIA SS. TRINITATIS

ARTICULUS I

TRADUNTUR NOTIONES PRAEVIAE

459. Ratio articuli. Cum vocabula *essentia, natura, substantia, suppositum, persona, hypostasis, subsistentia,* et *exsistentia* saepissime occurrant in praesenti tractatu, et de rebus per ea significatis non semel sit disserendum, operae pretium est, quaedam hic de ipsis praelibare. Haec terminorum explicatio quanti sit momenti nemo non videt, quia, ut ait S. *Hieronymus,* «ex verbis inordinate prolatis haeresis incurritur» [1].

460. I. Essentia, natura, substantia.

1) *Essentia* derivatur ab *esse,* ut docet S. *Augustinus* [2], et est *id, quo res primo intrinsece et adaequate in suo esse seu specie constituitur et distinguitur ab aliis* [3]. Vocabulo aliquantulum barbaro in scholis vocatur *quidditas,* quia nomine essentiae intelligimus quid res sit. Dicitur etiam aliquando *ratio rei,* quia ratio significat id, quod exprimitur per definitionem essentialem [4].

2) *Natura*—ουσiα—denotat essentiam, quatenus tendit ad operationem, seu in quantum est operationis principium. Aliquando latiori sensu significat omne, quod est; hoc pacto dicimus naturam divinam, naturam accidentis, etc., et est omnino idem ac essentia.

3) *Substantia* exprimit essentiam, quatenus in se subsistit et nullo indiget subjecto ad exsistendum.

461. II. Suppositum, persona, hypostasis.

1) *Suppositum* est: *Substantia perfecte subsistens, sui juris et alteri incommunicabilis.* Dicitur a) *substantia,* ut innuatur suppositum non esse accidens, quod alteri tanquam subjecto inhaeret, sed quoddam esse substantiale; b) *perfecte subsistens,* ut excludantur partes intégrales et essentiales, quae naturam aliquam complent; unde caput, forma et ipsa anima rationalis, non vocantur suppositum, quia non sunt substantiae completae; c) *sui juris,* ut amplior detur explicatio substantiae comple-

1 Apud Magistrum Sent., *IV Sent.,* dist. 13 in fine; ct apud S. Thomam, *I p.,* q. 31, a. 2.

2 *De Trinitate,* lib. 5, c. 2, n. 3; ML 42, 912.

3 «Essentia dicitur, ait S. Thomas, secundum quod per eam et in ea res habet esse». *De ente et essentia,* c. 1.

4 Cfr Philippus a SS. Trinitate. *Sumnia phil.,* p. 3, q. 17, a. 1; et Sanseverino, *thilologia, 76.*

tae, cui competit independentia ab aliis rebus creatis in esse et operari; d) *alteri incommunicabilis,* in quantum excludit triplicem communicabilitatem, universalis scilicet ad singularia, partis ad totum, et naturae ad suppositum h Plerumque solet a philosophis definiri: *Naturae cujuslibet individua et incommunicabilis substantia.*

2) *Persona*—ζροσωπον—tum in philosophia tum in theologia est ipsummet suppositum in natura intellectuali 1. Unde appellatur in scholis suppositum rationale, et recte definitur a *Boetio: Naturae rationalis* (seu intellectualis) *individua substantia*3. Dicitur a) *substantia,* quia ratio personae accidentibus nunquam convenit; b) *individua,* ut innuatur personam esse substantiam completam et determinatam; unde ex hoc capite convenit personae sicut et supposito triplex incommunicabilitas, nempe a) universalis ad singularia, ut naturae abstractae excludantur a ratione personae; β) partis ad totum, quia partes intégrales et substantiales non sunt personae; γ) naturae ad suppositum, unde natura humana Christi communicata Verbo non est persona: c) *naturae rationalis,* quia persona est substantia completa in sola natura intellectuali 4.

3) *Hypostasis*—ὑποσταϭι —est nomen graecum quod idem sonat ac suppositum, et quamvis in primis Ecclesiae saeculis adhibita fuerit non semel pro significanda natura (ουσἱα) 5, a longo jam tempore usurpatur pro supposito, et <<ex usu loquendi, ut ait *Angelicus,* habet, quod sumatur pro individuo rationalis naturae ratione suae excellentiae» 6. Unde hypostasis et persona promiscue usurpantur apud theologos 7.

1 S. Thomas, *In I Sent.,* dist. 25, q. I, a. 1 ad 7; Sanseverino. *Ontologia,* 224.

2 Nomen *persona* apud poetas significat homines celebriores, apud jurisconsultos denotat homines a servitute immunes seu liberos, et apud canonistas designat in dignitate ecclesiastica constitutos.

3 *De duabus naturis,* c. 3; ML 64, 1343.

1 Absurdam prorsus personae notionem tradidit Lockius, *Essai phil. concern. Vent. hum.,* liv. 3, ch. 27, § 9, quem deinde sequuti sunt Zucrigé, *Defensio scientifica theoriae christ. Trinit.* (germ), p. 244 (Vienae, 1846): Günther, *Propaed. theol. spec.,* vol. 1, pp. 157, 284, 296 et 585, et alii dicentes personam esse *substantiam sui consciam,* et toties mutari quoties mutatur conscientia actuum. Ex hoc sequi videtur infantes, dormientes, mentecaptos, etc., qui conscientiam suorum actuum non habent, non esse personas, et eos, qui anteactae vitae ob'iti novam suorum actuum conscientiam efformant, novam personam indui; in Christo propter duplicem naturam sui consciam esse duas personas, ut Nestorius somniavit; et in Deo propter unitatem naturae sui consciae unicam dari personam. Ut hoc ultimum inconveniens vitaret Zucrigé (1. c., p. 266), docuit in Deo esse tres conscientias, unam scilicet in singulis personis, sed hoc est ponere tres intellectus et tres naturas in Deo, quod est absurdum. Cfr. Mercier, *Ontologia,* n. 148 sqq.

6 Cfr. Petavius, *De Trinitate,* lib. 4, c. 1.

6 *I p.,* q. 29, a. 2 ad 1.

7 Cfr. Philippus-a SS. Trinitate, *Cursus theol.,* tr. 2, disp. 3, dub. 1. Gravissima hic agitatur quaestio de distinctione inter essentiam et personam in rebus creatis, an scilicet et quomodo persona distinguatur ab essentia in rebus creatis. Quaestionem remittimus ad philosophos. Hic satis fuerit auctorum sententias breviter referre, et nostram opinionem innuere. 1) *Aliqui,* ut Tiphanus, *De hypostasi et persona,* c. 29 sqq.; Franzelin, *De Verbo incarnato,* th. 30-31; Stentrup, *Christologia,* vol. r, th. 31-34, et alii non pauci, docent essentiam et personam in rebus creatis sola ratione distingui. Huic opinioni consentire videntur, qui, ut videbimus, dicunt subsistentiam nihil positivum addere essentiae, rationemque personae consistere in negativo. 2) *Alii* dicunt personam denominative et quasi materialiter sumptam

462. III. Subsistentia, exsistentia.

1) *Subsistentia* est terminus seu complementum substantiae in linea substantiali, et definitur: *modus substantialis, quo essentia redditur perfecte subsistens, sui juris et alteri incommunicabilis.* Est modus substantialis additus essentiae, quo constituitur persona. Subsistentia potest triplicem subsistendi modum essentiae communicare: a) Confert modum subsistendi sine inhaesione alteri, quo gaudet substantia etiam imperfecta, prout distinguitur contra accidens, b) Tribuit modum subsistendi independenter ab omnibus aliis, adeo ut essentia fiat sui juris in esse et operari; hoc pacto essentia divina et anima separata sunt subsistentes. c) Praestat modum essendi incommunicabiliter alteri ut supposito, quo substantia constituitur in esse suppositi vel personae [1]. An haec incommunicabilitas sit effectus formalis subsistentiae non constat inter auctores. Juxta aliquos a subsistentia, juxta alios a suppositalitate vel personalitate formaliter confertur [2]. Sive conferatur a subsistentia, sive a suppositalitate seu personalitate, ubi subsistens fuerit incommunicabile, resultat suppositum seu persona.

Rursus non parum disputatur circa naturam subsistentiae, quae essentiam constituit in ratione personae: a) *Aliqui, Scotum* forte sequuti[3], dixerunt subsistentiam saltem creatam esse quid negativum et consistere in negatione unionis cum alia persona nobiliori. Ita praeter plures sco-

pro eo, quod subsistit, non differre a natura individuata nisi ratione; personam vero formaliter sumptam, prout formaliter actuatur exsistentia, differre realiter a natura. Sic Michael de Maria, *Ontologia,* p. 2, q. 3, a. 8. 3) *Alii* communius tenent essentiam et personam in rebus creatis realiter distingui, quia ad constituendam personam additur essentiae aliquid positivum reale, nempe subsistentia. Ex natura enim rationali tanquam ex potentia et ex subsistentia, tanquam ex actu exsurgit persona. Ita Cajetanus, *In III p.,* q. 4, a. 2; Banez, *In I p.,* q. 3, a. 3: Joannes a S. Thoma, *Physica,* q. 7, a. 1: Philippus a SS. Trinitate, *Summa philosoph.,* p. 3, q. 18; Suarez, *Metaph*, disp. 34; Valentia, *In III p.,* disp 1, q. 4, p. 2; Lugo, *De Incarnatione,* disp. I, sect. 1-3; Urraburu, *Ontologia,* n. 294.

Haec tertia sententia magis mihi probatur, tum quia aliquid positivum additur essentiae ad constituendam personam, tum quia, ut profunde arguit Urraburu, *Ontol.,* n. 293, gravissimum inconveniens urget contra primam et secundam opinionem. Nam si ratio personae consistit in mera negatione, ut volunt plures scotistae et concedere debent patroni distinctionis rationis inter naturam et personam, natura humana in Christo tam perfecta et completa erit in linea substantiali ex propriis sub personalitate Verbi, ac esset sub personalitate Pauli, adeo ut in Christo sint duae substantiae completae et subsistentes, una divina et altera humana. Hoc autem est inconveniens; quia inter duas substantias completas et subsistentes fieri nequit unio substantialis, ex qua oriatur unum ens. Unio enim substantialis fit, quando uni extremorum deest aliquid ad substantiam completam et suppletur ab altero.

1 Cfr. Salmanticonses, *De SS. Trinitatis mysterio,* disp. 9, dub. 5, n. 80.

2 Philippus a SS. Trinitate, *Summa phil.,* p. 3, q. 18, a. 1, defendit incommunicabilitatem non conferri a subsistentia, sed a suppositalitate vel personalitate; et huic opinioni favere videntur omnes, qui docent naturam divinam ratione sui importare subsistentiam absolutam communicabilem tribus personis. Juxta hanc explicationem haec tria concreta, subsistens, suppositum et persona constituuntur formaliter tribus abstractis, subsistentia nempe, suppositalitate et personalitate. Concedendum tamen est, ut ipse praeclarus auctor docet, haec tria in creatis realiter non distingui.

3 Soolus, />i *III Sent.,* dist t, q. 1. *Ideo propter istum* adserit utrumque probabile esse, scilicet subsistentiam esse quid negativum vel positivum

tistas *Molina,* et *Mendive* [1]. β) *Alii* volunt subsistentiam esse accidens, adeo ut persona non sit nisi natura substans accidentibus[2], γ) *Alii* insinuantsubsistentiam esse ultimam individuationem naturae[3]. δ) *Alii* dicunt naturam cum sola exsistentia fieri personam, adeo ut exsistentia substantiae nuncupetur subsistentia, sicut exsistentia accidentis vocatur inhaesio seu exsistentia. Ita *Capreolus*[4], *Blasius a Conceptione*[5] etc. ε) *Alii* docent subsistentiam esse modum substantialem, realem et positivum, quo substantia ultimo completur et fit subsistens, sui juris et alieno supposito incommunicabilis. Ita *Valentia, Suarez, Urraburu* [6] et alii, quibus consentiunt plures thomistae [7]. c) Juxta *alios* subsistentia non est modus substantialis, sed forma quaedam positiva, reductive pertinens ad praedicamentum substantiae, et distincta a natura, non tanquam modus a re, sed tanquam res a re. Sic *Cajetanus, Banez, Medina, Philippus a SS. Trinitate, Alexander a Jesu Maria* et alii[8].

Certius mihi videtur *naturam et subsistentiam realiter distingui in creatis.* Solidum fundamentum hujus doctrinae est, quia natura creata etiam individua privari potest propria subsistentia et terminari aliena, ut constat ex natura humana Christi, quae terminatur sola subsistentia divina. Ergo subsistentia realiter distinguitur a natura singulari in rebus creatis. Quomodo potest natura privari subsistentia propria et perfici aliena, si realiter idem est ac subsistentia? An se ipso potest aliquid privari? [9]. Porro hoc quod factum est in natura humana Christi, potest verificari in qualibet natura creata, quia quaelibet natura substantialis creata, etiam angelica, potest adsumi a persona divina.

An haec realis distinctio sit realis modalis, ut volunt plures, vel realis entitativa, ut defendunt alii non pauci, non est hic definiendum. Utraque opinio innititur solido fundamento, et satisfacit difficultatibus, quae petuntur ex mysterio incarnationis, quamvis, ut verum fatear, distinctio realis modalis magis mihi arrideat [10].

2) *Exsistentia.* Ultimum rei complementum dicitur exsistentia, quae recte definiri potest: *Id, quo res constituitur ultimo extra suas causas.* Essentia educitur a statu futuritionis et constituitur extra causas inchoative et in fieri actualitate viali ab agente, sed ultimo, complete et in facto esse, constituitur formaliter extra causas ab exsistentia. Unde

1 Molina, *In I p.,* q. 29, a. 1, disp. 2 in fine, (loquitur de ratione formali personae); Mendive, *Ontologia,* n. 367.

2 Vide Suarez, *Metaphysica,* disp. 34, sect. 3, nn. 5-6.

3 Cfr. Lugo, *De Incarnatione,* disp. 12, sect. 3, n. 23.

4 *In III Sent.,* dist. 5, q. 3, a. 3, § 2.

5 *Metaphysica,* disp. 8, qq. 3, 4 et 5.

6 Valentia, *In I p.,* disp. 2. q. 3, p. 2; Suarez, *Metaphysica,* disp. 34. sect. 4, n. 23 sq.; Urraburu, *Ontologia,* n. 296.

7 Cfr. Sanseverino, *Ontologia,* n. 234.

8 Cajetanus, *In I p.,* q. 3, a. 3; et *In III p.,* q. 4, a. 2; Banez, *In I p.,* q. 3, a. 3, 2.a, 3 a et 4." concl.; Medina, *In III p.,* q. 4, a. 2; Philippus a SS. Trinitate, *Summa phil.,* p. 3, q. 18, a. 3; Alexander a Jesu Maria, *Metaphysica,* tr. 2, disp. 5, q. 7.

9 Tiphanus, *De hypostasi et persona,* c. 37, contendit subsistentiam re aut modaliter a natura diversam non posse compati cum mysterio incarnationis, sed alii melius putant realem distinctionem naturae et subsistentiae requiri ad salvandum mysterium incarnationis.

10 Cfr. Complutenses abbrev., *De generat, et corruptione,* disp 15. q [illegible] n. 11.

nomine exsistentiae satisfit quaestioni, *an res sit.* Sicut subsistentia est complementum substantiae in linea substantiali, ita exsistentia est terminus rei in ratione entis [1].

Probabilius substantia potitur sua exsistentia substantiali, et accidentia habent suam propriam exsistentiam, distinctam ab exsistentia substantiae. Quia a) modus exsistendi substantiae est per se exsistere, accidentis vero esse in alio; b) substantia saepe eadem exsistit, mutatis accidentibus; c) accidentia in sacra eucharistia exsistunt sine exsistentia substantiae [2].

463. Quaestio. Magna contentione disputatum est inter philosophos, an exsistentia realiter distinguatur ab essentia actuali physica in rebus creatis actu exsistentibus [3].

1) Plures philosophi negant exsistentiam realiter distingui ab essentia actuali physica in rebus creatis actu exsistentibus, et putant ipsam essentiam per se formaliter et per propriam entitatem exsistere. Ita post *Durandum, Gandavensem, Biel* [4], etc., plures philosophi ac theologi scholastici praesertim ex *Societate Jesu* [5], quibus adstipulantur omnes, qui vestigia Cartesii secuti negant in rebus creatis dari compositionem ex materia et forma.

2) Schola thomistica, praeeunte *Angelico Doctore* [6], unanimiter docet, excepto forte uno *Hervaeo* [7], exsistentiam realiter distingui ab essentia actuali in rebus creatis [8]. Thomistis subscribunt plures extranei

1 Cfr. Laurentius a S. Theresia, *Spicilegium theol.,* t. 3, p. 8, controv. 9, n. 23.

2 Cfr. Alexander a Jesu Maria, *Metaph.,* tr. 2, disp. 6, q. 5.

3 Exsistentia in Deo sola ratione cnm fundamento in re distinguitur ab essentia, ut omnes debent concedere; in rebus creatis saltem virtualiter distinguitur, ut pronum est, quia conceptus essentiae est formalitcr distinctus a conceptu exsistentiae, et essentia quoad praedicata propria est necessaria, exsistentia vero contingens. Scotistae magistrum suum secuti admittunt distinctionem actualem formalem a parte rei, sed relinquenda videtur haec opinio.

4 Durandus, *In I Sent.,* dist. 8, q. 2; Gandavensis, *Quodlib.* 1, q. 9; Biel, *In III Sent.,* dist. 6, q. 2.

6 Cfr. Valentia, *In I p.,* disp. 1, q. 3, p. 4; Vazquez, *In III p.,* disp. 72, c. 2; Suarez, *Metaphysica,* disp. 31. sect. 1; et ex recentioribus: Balmes, *Filosofia fundamental,* lib. 5. c. 12; Kleutgen, *La filosofia antica* (ital. vers.), tr. 6, c. 2; Urraburu, *Ontologia,* n. 253. Vide etiam ephemeridem *liazdn y Fe,* ano 19x2, t. 34, p. 56 sqq.; et 1913, t. 36, p. 21 sqq.

6 *In IV metaphys.,* lect. 2; *De ente et essentia,* c. 5; *I p.,* q. 3, a. 4. Et auctor *Opusc.* 44, tr. 2, c. 2 (ed. Parmae), haec habet: «In creaturis esse essentiae et esse actualis exsistentiae differunt realiter, ut duae diversae res». Adeo clara visa est doctissimo Liberatore mens Angelici Doctoris, ut ob solam ejus auctoritatem mutaverit in posteris editionibus suae philosophiae sententiam negativam, quam tenuerat in prima editione, et Urraburu, *Ontologia,* n. 251, quasi fatetur se in hac celebri quaestione patrocinio carere Angelici Doctoris. S. Thomas mutuavit proculdubio hanc doctrinam ex Aristotele, *Poster. Analyt.,* lib. 2, text. 7, ubi Philosophus realem distinctionem essentiae et exsistentiae admisit, ut Avicenna, 5 *Metaphys.* interpretatus est.

7 *Quodlib.* 7, 9.

K Cfr. ex thomistis Capreolus, *In I Sent.,* dist. 8, q. 1; Cajetanus, *De ente et essentia,* ‹ 5, q 11; Banez, *In I p.,* q. 3, a. 4, dub. 2; Complutenses, *In 1 Phys.,* disp. 3, 11. 64; Complutenses abbrev., *T)e generat, et corrupt.,* lib. 2, disp. 15, n. 17 sqq.; Blasius a Conceptione, *Metaph.,* disp. 6, q. i; Philippus a SS. Trinitate, *Summa philasophica,* p. 3. q 19. a. 2; Joannes a Thoma, *Physica,* q. 7, a. 4: Sanseverino, *Ontologia.* n 92; Norbortus dei Prado, *De verit. fundam, phil. christ.,* lib. I, c. 2 sqq.; Mercier, *Ontol.,* n. 49. Vide etiam ephemerides *Cientia tnmista,* ano 1912. t. 6. p. 437.

quos inter eminent ex *Societate Jesu, Conimbricenses, Silvester Maurus, Liberatore, San, De Maria* et alii[1].

Admittenda est distinctio realis inter essentiam actualem et exsistentiam in rebus creatis, a) Est expressa sententia S. *Thomae* locis supra citatis et alibi passim, adeo ut argumentatio S. Doctoris in eo saepe fundetur, quod solus Deus sit suum esse subsistens, creaturae vero habeant esse participatum, b) Verbum adsumpsit humanam naturam, actualem et individuam, sine exsistentia creata. Quae autem dissociantur, realiter distinguuntur, c) Exsistentia, quae non distinguitur ab essentia, est aeterna, quia exsistentia in hoc casu est essentialis, et sicut essentia est aeterna quoad praedicata essentialia, ita est aeterna quoad exsistentiam, d) Exsistentia rerum creatarum realiter recipitur in natura; esse enim irreceptum foret infinitum et purum, sicut albedo non recepta in subjecto foret pura albedo et infinita qua talis. Sed recipiens et receptum realiter distinguuntur. Ergo.

Exsistentia advenit naturae post subsistentiam. Ex dictis facile resolvitur quaestio, an subsistentia prius adveniat naturae quam exsistentia. Patroni distinctionis virtualis inter essentiam et exsistentiam docent subsistentiam advenire naturae exsistenti[2]. Sed veritati magis congruit thomistarum communissima sententia, juxta quam subsistentia prius natura recipitur in essentia et est ratio recipiendi exsistentiam[3]. Unde subjectum subsistentiae, ut bene explicat *Laurentius a S. Theresia*[4], est sola natura, et subjectum exsistentiae est natura subsistens.

464. Scholion. Individuum, quod etiam dicitur prima substantia, constituitur formaliter ex principiis individuantibus, ratio formalis suppositi et personae est subsistentia seu personalitas, et exsistens vocatur id, quod completum est in facto esse et formaliter per exsistentiam.

ARTICULUS II

REFERUNTUR ERRORES CIRCA MYSTERIUM SS. TRINITATIS, ET TRADITUR VERA NOTIO HUJUS MYSTERII

Quia veritas catholica non raro ex fideli errorum narratione patescit, juverit hic aliquid de erroribus circa mysterium SS. Trinitatis breviter disserere. Deinde tradetur summa catholica credendorum de hoc mysterio.

465. Errores. 1. *Gentiles* imprimis, qui veri Dei notitia destituti sunt, mysterium SS. Trinitatis ignorant. Plures *judaei,* unitatem naturae divinae cum trinitate personarum conciliare non valentes, dogma Trinitatis rejiciunt. *Mahumetani* Trinitatem personarum in Deo universim negant. «Im-

[1] Conimbricenses, *i Physicorum,* c. 9, q. 6, a. 2; Silvester Maurus, *Quaesi. phil.,* vol. 2, q. 6; Liberatore, *Ontologia,* n. 20,· San, *Cosmol.,* c. 6; Do Maria, *Ontol.,* p. 2, q. I, a. 4.

[2] Vazquez, *In III p.,* disp.· 31, c. 6; Suarez, *Metaph.,* disp. 34, sect. 3, nn. 5-6.

[3] Cfr. Philippus a SS. Trinitate, *Summa phil.*. p. 3, q 20, aa. 2-3.

[4] *Spicileg. theol.,* t. 3, p. 8, controv. 9, n 26.

possibile est, ajebat Mahoma, Deum generare filium, quia uxore caret». Unde in Korano, qui a pluribus scriptoribus compositus fuit [1] Sura 4, n. 169, haec leguntur: «Credite in Deum et legatos ejus, et ne dicatis tres: Deus est Deus unus. Absit, ut sit illi filius» [2].

Sèd magis adhuc plorandae sunt aberrationes haereticorum, qui acceptam evangelii veritatem innumeris modis impugnarunt.

Cum fides catholica doceat tres personas realiter distinctas et unam naturam in Deo admittendas esse, ex duplici praesertim capite contra hoc mysterium insurgunt haeretici. *Antitrinitarii,* unitatem naturae defendere volentes, negant in Deo esse tres personas realiter distinctas, dum e contra *tritheitae,* tres personas salvare conantes, inducunt tres naturas divinas.

466. 11. Antitrinitarii. Ex antitrinitariis alii sunt *monarchiani,* alii *subordinatiani* seu *dinamistae.*

1) *Monarchiani,* ex thov αοναϊα, cum unitate naturae unam absolute personam in Deo ponebant dicentes «monarchiam tenemus». Filium autem et Spiritum Sanctum, quorum saepe meminit S. Scriptura, dicebant esse diversas formas, quibus manifestatur divinitas.

a) Horum aliqui, *Praxeas* scilicet, ex Phrygia probabiliter oriundus, circa a. 190, et *Noëtus* presbyter smirnensis, circa a. 200, tenuerunt personas in Deo non realiter sed modaliter dumtaxat propter tres modos operandi distingui, in quantum Deus in se μονα , ingenitus et invisibilis (αγέννητο , αόρατὸ) Pater, genitus et visibilis (γεννητο , ορατο) Filius dicebatur. Hac ratione vocantur *modalistae.* Addebant ulterius Patrem ipsum, in Christo natum, passum et mortuum fuisse, et dicti sunt *patripassiani* [3].

b) *Sabellius,* Ptolemaide in Lybia natus, presbyter, et Noëti discipulus, modalistarum et patripassianorum sectam aliquantulum modificavit et suo -nomine celebriorem fecit, imo nactus est multos discipulos in haeresi. Exinde omnes modalistae et patripassiani a suo praecipuo propagatore appellati sunt *sabelliani.* Admittebant in Deo aliquam trinitatem, non personarum, sed respectuum Dei ad mundum externum, et docebant Patrem et Filium et Spiritum Sanctum non esse personas in se distinctas, sed tria phaenomena seu manifestationes—τρ-α προαιυπα—unius ejusdemque personae divinae [4]. Stoicorum theoriam sequi gloriabantur, et Deum faciebant unicum monadem, qui in tres manifestationes se evolvit. Unde Deum in creatione et gubernatione mundi Patrem, in incarnatione, passione et morte l'ilium, et in sanctificatione Spiritum Sanctum appellabant [5].

c) *Paulus samosatenus,* inde ab anno 260 episcopus antiochenus, monarchianis adnumerandus est, quia docuit Verbum—λογον—et Spiritum Sanctum non esse personas a Patre distinctas. Christum fecit puram creaturam, cui Verbum—λογο —se conjunxit virtute quadam speciali, non hypostatice, solum usque ad mortem [6].

d) *Sabellianismus,* vertente jam saeculo iii fere exstinctus, revivere coepit per hypsistarios (saeculo iv) in Cappadocia, per euchitas seu messalianos (saeculo iv) in Mesopotamia et Syria, per bogomilos (saeculo xii) in Bulgaria, etc., sed generatim sopitus permansit usque dum tempore reformationis a *Michaele Servet* [7] a socinianis [8] et ab arminianis in pristinum vigorem restitutus est.

1 Vide Weis (Ant.), *Hist, eccl.,* § 53, n. 2.

2 Cfr. Ludovicus Marracio Lucensis, *Refutatio Alcorani,* in Suram 4 Alcorani.

3 Epigonus et Cleomenes, discipuli Noëti, hos errores primo in Oriente et deinde Romae propagarunt.

4 Cfr. S. Epiphanius, *haer.* 72, i; MG 42, 384.

5 Berillus, episcopus Bostrae in Arabia, errores Sabellii aliquando professus est, sed in Concilio Arabiae a. 244 opera Origcnis deposuit errores et cum Ecclesia catholica se conciliavit.

6 Cfr. Hettinger, *Apologia* (hisp. vers.), t. 2, p. 47 in nota.

7 Michael Servet, medicus hisps., Genevae a calvinianis combustus anno 1553.

8 Auctoribus Laelio Socino († 1562) ejusque nepote Fausto Socino († 1604) communiter vocantur *sociniani,* sed a negata personarum in Deo Trinitate non semel appellantur *unitarii.*

e) *Recentiores protestantes,* Swedenbergiuxn. sequuti, negant plerumque distinctionem realem personarum in Deo, et Scripturam salvare contendunt dicentes Deum diversas appellationes sortiri ex operibus externis, adeo ut Deus nuncupetur Pater quatenus creator, Filius quatenus redemptor, et Spiritus Sanctus quatenus sanctificator [1].

f) *Ralionalistae,* nihil nisi, quod ratione probatum est, admittere volentes, dogma catholicum de Trinitate contradictionibus scatere contendunt. X'ocabulum tamen Trinitatis plures retinent sensu vario. Nonnulli dicunt Deum appellari trinum, quatenus habet potentiam, intellectum et voluntatem, vel quatenus praeditus est sapientia, bonitate et sanctitate, vel aliis constat attributis. In sententia Kant Deus est Pater quatenus creator. Filius quatenus gubernator, et Spiritus Sanctus quatenus judex [2]. Juxta Hegel unica datur in Deo realitas, quae quatenus idea est Deus (Pater); quatenus extra se posita, natura (Filius); quatenus ope conscientiae in se reversa suique conscia, spiritus (Spiritus Sanctus) [3]. Harnack apud Fei haec habet: «Sancta Trinitas est motus ille vitalis et aeternus Dei in semetipso, quo felix et beatus est» [4].

2) *Subordinations.* Hoc nomine veniunt illi haeretici, qui Filium aut Spiritum Sanctum vel utrumque dicebant esse Patri inferiorem seu subordinatum.

Hanc haeresim diversi diversimode propugnavere:

a) *Ebionitae, theodotiani* et *artemonitae* ab Ebione, Theodoto coriario et Artemone respective sic appellati, Christum faciebant purum hominem. Item *melchiseditiani,* a Theodoto argentario vel banchario (τριιπκζ'.τη), Coriarii discipulo, orti, docebant Melchisedech esse Christo superiorem. Alogi —ἄλογο —, quorum meminit S. *Epiphanius* [5], doctrinam de Verbo ac divinitate Christi a S. Joanne expositam rejecerunt [6].

b) Saeculis II, III et IV plures scriptores, Sabellii aberrationes refutare conantes, aliquando obiter adhibuerunt expressiones sapientes subordinatianismum. Scriptores catholici strenue defenderunt veram Christi humanitatem contra docetas, ejus divinitatem contra ebionitas et theodotianos, ejusdem distinctionem realem a Patre contra sabellianos, unitatem naturae et realem distinctionem personarum Patris et Filii et Spiritus Sancti in Deo contra ethnicos; at, ubi unam haeresim refutare voluerunt, extremum contrarium non semel attingere visi sunt. Ita *Tertullianus, Origenes, Lactantius* [7], *Dionysius alex.* [8], aliique alexandrini, contra modalistas et prae-

1 Wegscheider, *Instit.,* § 93, ait: «Dogmatis de Trinitate summa in eo recte ponitur: ut Deum tanquam omnium hominum patrem sanctissimum revereamur, Jesum autem agnoscamus Messiam s. filium Dei, h. e. legatum divinum, Deo probatissimum singularibusque ab eo dotibus ac praesidiis adjutum, et Spiritum Sanctum sive divinam eam efficaciam qua Deus omnem perfectionem spiritualem promovet et adjuvat, omni studio amplectamur». Protestantium mentem in hac materia exponit Schaier (*Katechismuslehre,* § 86), dicens: «Id, quod de Trinitate sancta Scriptura dicit, refertur solummodo ad hoc, quod Deus semetipsum tanquam Patrem, Filium et Spiritum Sanctum revelavit».

2 Cfr. Van Noort, *De Deo trino,* n. 125.

3 Vid. supra n. 82. Hegelio subscripsit professor A. Vera, cum in opere *Problem! dell'assolato,* p. 2, adserit absolutum ante sui evolutionem esse Patrem, in evolutione Filium, et in reflexione Spiritum Sanctum; et in opere *L'hégélianisme et la Philosophie,* ch. 6 in fine ait: «Si la dialectique hégélienne est monotone, le Père, le Fils et le Saint Sprit sont monotones aussi».

4 Cfr. Fei, *De Deo trino,* n. 132.

5 *Haer.,* 51, 3 sqq.; MG 41, 892.

6 Dollinger, *Hippol. et Call.,* pp. 292-310, docet *alogos* non negasse divinitatem Christi, sed evangelium S. Joannis, quod Cerintho tribuebant, rejecisse; at S. Epiphanius, *Haer.,* 51 (MG 41. 892) contrarium adserit.

7 Cfr. S. Hieronymus, *ep.* 84 (ad Pamach.); ML 22, 744.

8 Vid. S. Athanasius, *De sententia Dionysii,* MG 25, 480 sqq, t ir etiam *Ep.* Dionysii rom. ad Dionysium alex., ML 5, 104 sq

sertim contra sabellianos debellantes, aliquantulum subordinatianismo faverunt, et *Lucianus* antiochenus, Ani magister et pro fide catholica Nicomediae martyrio coronatus, de Filii origine ac de ejus cum Patre relationibus minus recte locutus est, at omnia bona fide.

c) *Arianismus. Arius,* in Lybia natus et Luciani, uti dixi, discipulus, Filii divinitatem impugnavit. Dicebat enim Verbum Dei non esse ex substantia Patris genitum, sed libera voluntate ex nihilo creatum, non coaeternum nec consubstantialem—epooistov—Patri, ut fides catholica docet, sed similem dumtaxat et adoptivum, non Filium naturalem. Haec doctrina ex diametro, ut patet, opponebatur sabellianismo. Dum Sabellius confusionem (synairesin) personarum introducere conabatur, Arius separationem (diairesin) naturae inter Patrem et Filium praedicabat. Arius ipse pluries damnatus, et ab Ecclesia alexandrina, ad quam pertinebat, expulsus, Palaestinam fugit, indeque Nicomediam se contulit, ubi plures sectatores nactus est. Deinde in Concilio Oecumenico Nicaeno, cui praesens adfuit, a. 325 iterum damnatus est.

d) *Macedoniani.* Sicut Arius in Filium ita *Macedonius* non multo post in Spiritum Sanctum invehi coepit. Hic semi-arianus et arianorum ope inde ab anno 350 in patriarchatum cpolitanum evectus, quos de Christo prius sparserat, de Spiritu Sancto coepit praedicare errores. Dicebat enim Spiritum Sanctum non esse Deum sed puram creaturam. Patri Filioque minorem, utriusque ministrum et inter spiritus creatos primo loco connumerandum. Macedoniani dicti sunt *pnewnathomachi* ΙπνίυαστωΐΓ/ο'.〉, id est, inimici Spiritus Sancti, et damnati sunt in Alexandriae synodo a. 362, et Romae duplici coacto Concilio aa. 369 et 374 sub Damaso Papa, ac tandem in Concilio generali Cpolitano I, a. 381.

e) *Valentinus de Gentilis* docuit saeculo xvi in Deo esse tres characteres personales essentialiter diversos, quorum primus Pater longe aliis eminens dicitur *essentiator,* Filius et Spiritus Sanctus *essentiali* [1]

467. III. Tritheitae. Non hic agimus de polytheismo ethnicorum, qui innumeros olim coluit deos et nunc etiam colit apud barbaras nationes. Solummodo loquimur de iis, qui post admissa doctrinae Christianae capita non solum tres personas distinctas sed etiam triplicem naturam Deo tribuerunt.

1) *Joannes Asconaghe,* philosophus cpolitanus (c. a. 560) et *Joannes Philoponus,* grammaticus alexandrinus (c. a. 600), docuerunt Deum esse unum unitate generica non numerica, et tres personas esse tres substantias singulares [2].

2) *Roscellinus,* canonicus compendiensis (Compïègne) et nominalista (saec. xi), unitatem essentiae in personis appellabat *flatum vocis* et dicebat personas divinas esse *tres res* ab invicem separatas [3]

3) *Gilbertus porretanus,* episcopus pictaviensis, inter divinas personas et essentiam, neenon inter personas et earum proprietates, adstruxit realem distinctionem; et consequenter admisit tres formas a Deo distinctas, quibus personae constituuntur.

4) *Joachim,* abbas monasterii florensis (in Calabria), f c. 1202, docuit inter divinas personas non dari unitatem substantialem sed collectivam et similitudinariam eo fere modo, quo multi homines dicuntur unus populus [4]

5) *Antonius Giinther* (1785-1863), sacerdos bohemus, scripsit Viennae, et in lucem edidit libros de theologia speculativa, in quibus adseruit tres divinas personas esse tres substantias, identicas tamen seu omnino aequales [5].

468. Vera notio mysterii SS. Trinitatis. Vocabulum θρια —Trinitas quod primo usurpatum est, ut videtur, a S. *Théophile antioche-*

1 Cfr. Hergenrttther, *Hist, de la Igl.* (hisp. vers.), t. 5, p. 298.

2 Cfr. Hergonrttther, *Hist, de la Igl.,* t. 2, p. 254.

3 Cfr. Hurtor, *Nomenci. lilt.,* t. 2, p. 4.

4 Ralmundus Lullius, majoricensis (1235-1315) refertur a quibusdam inter tritheitas, sed lullistae contendunt suum magistrum in bono sensu explicare.

5 Giintherus decreto S. Congr. Ind , 17 Febr 1857, quo ejus opera proscripta sunt, humiliter se subjecit,

no (180) \ probabilius idem est etymologice ac ternio seu ternarius, directe exprimens numerum personarum, sed non semel usurpatur in Ecclesiae liturgia pro trium unitate.

Juxta dogma catholicum et formulas exinde a Christiana theologia deductas SS. Trinitas describi potest: Mysterium, in quo Pater et Filius et Spiritus Sanctus, tres personae relationibus oppositis constitutae ac realiter distinctae, sunt aequales inter se et una eademque substantia; in qua Pater est principium sine principio, Filius a Patre procedit per generationem et Spiritus Sanctus ab utroque per spirationem.

Haec dilucide exprimuntur in symbolo athanasiano his verbis: *Fides autem catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate et Trinitatem in unitate veneremur; neque confundentes personas neque substantiam separantes. Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti. Sed Patris et Filii et Spiritus Sancti una est divinitas, aequalis gloria, coaeterna majestas.*

ARTICULUS III

UTRUM NOMEN PERSONAE DEO CONVENIAT

469. Status quaestionis. Titulus articuli patet ex superius dictis de etymologia et significatione personae. Quaeritur, an ratio personae vere et proprie, id est, formaliter et non tantum virtualiter, Deo conveniat.

470. Errores, i) *Laurentius Valla,* grammaticus (-f 1457), putans nomen personae nonnisi animi vel corporis qualitatem significare, ausu temerario docuit personam non esse in Deo magis quam in bruto [2].

2) Hodierni pantheistae, materialistae et rationalistae, minime valentes altissima nostrae religionis mysteria cognoscere, ea proferunt verbo et scripto absurda atque impia contra personalitatem Dei, ut merito existimes eos insaniae delirio duci [3].

471. Thesis. **Fide catholica certum est rationem personae vere et proprie Deo convenire.**

Arg. 1) Traditio universalis semper tribuit Deo nomen personae. Nam a) SS. *Patres,* ut *Theodoretus, Origenes, S. Basilius, S. Augustinus* [4] et alii diserte loquuntur de divinis personis, b) *Documenta ecclesiastica,* ut symbolum athanasianum, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum appellant personas, c) *Concilia* tum Oecumenica, ut Lateranense IV [5], tum particularia, ut Toletanum I [6] explicite definivere in

1 *Ad Autolycum,* lib. 2, n. 15; MG 6, 1077. Cfr. Bardenhewer, *Patrologia,* § 21, n. 2.

2 *Elegant, lat. ling.,* lib. 6, c. 34. Vide Hurter, *Nomenclator liti.,* vol. 2, p. 925 sqq. (ed. 1906).

3 Cfr. Bulsano, *Inst. theol. theoret.,* t. 1, p. 1, sect. 2, introd.

4 Theodoretus, *Interrog. IÇ in Gen.;* MG 80, 101; Origenes, *In Joann* , t. 2, 6; MG 14, 128; S. Basilius, *ep.* 236, 6; MG 32, 884; S. Augustinus, *ep.* 169, c. 2; MI. 33. 745·

5 Denz-Bannw., 428.

6 Denz-Bannw., 19.

Deo esse personas, d) *Consensus omnium fidelium* semper credit ac praedicat Deum esse personalem.

2) «Persona, ait S. *Thomas,* significat id, quod est perfectissimum in tota natura, scilicet, subsistens in rationali natura. Unde cum omne illud, quod est perfectionis, Deo sit attribuendum, eo quod ejus essentia continet in se omnem perfectionem, conveniens est, ut hoc nomen persona de Deo dicatur. Non tamen eodem modo, quo dicitur de creaturis, sed excellentiori modo, sicut et alia nomina, quae creaturis a nobis imposita Deo attribuuntur» x.

ARTICULUS IV

UTRUM IN DEO SINT TRES PERSONAE REALITER DISTINCTAE ET UNA SOLA SUBSTANTIA

472. Totius oeconomiae Christianae fundamentum continetur in mysterio SS. Trinitatis. Ideo quam diligentissime probandum est 1) contra antitrinitarios, tres personas Patrem et Filium et Spiritum Sanctum realiter in Deo distingui, et 2) contra tritheitas, tres personas in Deo omnino consubstantiales esse.

§ 1

De Trinitate personarum.

473. Thesis **I. Pluralitas personarum adumbratur in Veteri Testamento.**

1) Deus utitur forma plurali, cum de se ipso loquitur: *Faciamus,* inquit, *hominem ad imaginem et similitudinem nostram* 2. Sensus obvius horum verborum est Deum cum aliis consulendo vel deliberando loqui. Haec interpretatio, quae est SS. *Patrum* 3, eo magis firmatur, quod Deus, ut recte animadvertit cl. *Hetzenauer* 4,5 de se ipso loquitur in plurali: *Faciamus;* dum hagiographus de Deo in plurali loquente ait illico in singulari: *Et creavit... ad imaginem suam... creavit illum*6. Huic simi-

1 *I p.,* q. 29, a. 3.
2 *Gen.,* i, 26.
3 Vide Patres apud Petavium, *De Trinitate,* 2, 7, 4 sqq.
4 *Theol. bibi.,* § 40.
5 *Gen.,* i, 27; cfr. Philo, *De mundi opific.,* prope med.; et *De profugis,* sub initium.

a) Plures rationalistae, ut Gunkel, *Genesis,* loi; Loysi, *Les mythes babyloniens rt les premiers Chapitres de la Genèse,* 59, aliique docent hagiographum ideo usum luisse numero plurali in hexaëmero, quia, licet ipse monotheista fuerit, vestigia I.muni polytheism! reliquit in suo scripto, mutuata a documentis polytheisticis babyloniorum, quibus usus est. Sed hoc admitti nequit, a) quia, si verba recte inspi- i.mtur, non solum hagiographus refert Deum dixisse *Faciamus,* sed ipse Deus, qui postea saepe dicturus erat se esse solum, verum et unicum Deum, protplit ver-

lis est alius locus, in quo ait Dominus: *Ecce tinus est populus et unum labium omnibus... Venite, igitur, descendamus et confundamus ibi linguam eorum... Atque ita divisit eos Dominus* [1]. Hic, Dominus ipse (Jahve) cum aliis colloquens se exprimit in plurali: *Venite, descendamus, con/undamus.* Ubi hagiographus describit actionem externam, quae est communis toti Trinitati, tribuit opus uni Domino (Jahve).

Efficacior adhuc videtur locus, in quo Dominus ait: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est* [2]. Jahve in his verbis per ironiam se refert ad tentationem, *eritis sicut dii,* qua Adam victus est [3], sed simul innuit pluralitatem personarum esse in Deo, quando colloquitur cum aliis: *quasi unus ex nobis* [4].

2) Idem ostenditur ex aliis locis Veteris Testamenti. *Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem a Domino de caelo* [5]. Id est, Dominus, qui loquebatur cum Abraham in mundo, fecit venire sulphur et ignem a Domino de caelo [6]. Item audivit Isaias Seraphim, qui ter canebant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Jahve, Dominus Deus exercituum,* et deinde vocem Domini dicentis: *Quem mittam et quis ibit nobis?* [7]. Porro Isaias hic juxta S. Joannem *vidit gloriam ejus* (Filii) *et locutus est de eo* [8]; et juxta S. Ambrosium sub trina repetitione unius sanctitatis indicantur tres personae in una sanctitate seu natura [9].

ba *Faciamus,* etc. β) Non est verum, ut docent veri critici, hagiographum retinuisse documenta polytheistica babyloniorum.

b) Interpretatio eorum, qui volunt Deum, cum dixit *Faciamus,* locutum fuisse cum angelis, admitti nequit, quia *Deus creavit hominem ad imaginem suam,* non ad imaginem angelorum. Cfr. S. Augustinus, *De civ. Dei,* lib. 16, c. 6, n. i; ML 41, 484.

C) Verbum *Faciamus,* non est a) *plurale majestalicum,* ut vult Gesenius, *Gramm, maj.,* § 216, n. 5, cum aliis, quia plurale majcstaticum nunquam invenitur in primis S. Scripturae libris; neque est β) *plurale invitationis* Dei secum ipso loquentis, quia hic modus nunquam occurrit in libris Veteris Testamenti: neque est ·[) *locutio* ad trigeminam potentiam Dei, ut Philo, *De profugis,* ante medium, et plures rationalistae indicarunt, quia una sola persona, dirigens se ad plures potentias, nunquam in plurali loquitur.

d) Gravius peccat Minocchi, *La Genesi,* 12 sq.. quando dicit in praefatis verbis nullam deprehendi allusionem ad dogma Christianum Trinitatis, sed solum contineri «una tendenza dello spirito religioso ebraico, guidato da Dio inspirante verso il puro concetto della Trinità cristiana». His verbis innuere videtur auctor modernista dogma Christianum Trinitatis esse inventum spiritus religiosi hebraeorum, quod est a veritate omnino alienum Cfr. Hetzenauer. *Theol. bibi.,* § 40, et *Comment, in Genesim,* 1, 26.

1 *Gen.,* ii, 6 sqq.

2 *Gen.,* 3, 22.

3 Vide Hummelauer, *Comment, in Genesim,* 3, 22.

4 Haec expressio *quasi unus ex nobis* non potest referri *ad alios deos* aut *ad angelos bonos,* ut ex contextu patet, et rationes modo adductae circa verbum *Faciamus* probant.

5 *Gen.,* 19, 24.

6 Hujus loci tanta est vis ad probandam distinctionem personarum, ut aliqui rationalistae voluerint phrasim de secundo Domino esse glossam aliena manu introductam. Sed fiçustra. Unde Concilium Sirmiensc ait: «Si quis hoc dictum *pluit Dominus ignem a Domino* non de Patre ac Filio accipiat, a. s.·

7 *Is.,* 6, 3-8.

8 *Joan.,* 12, 41.

9 *De fide,* lib. 2, c. 12, n. 107; ML te, 582.

3) Locus classicus habetur ad rem in Proverbiis, ubi sapientia divina describitur his verbis: *Dominus possedit me* id est, generatione tenet me, *in initio viarum suarum, antequam quidquam jaceret a principio... Nondum erant abyssi et ego jam concepta eram... Cum eo eram cuncta componens, et delectabar per singulos dies, ludens* (operans) *coram eo omni tempore* [1]. Haec ipsa in initio Evangelii S. Joannis de Verbo praedicantur. Sapientia aeterna erat juxta Proverbia *in initio viarum Domini* et ante omnem creaturam genita, cum Deo erat cuncta componens et delectabatur per singulos dies; et juxta Evangelium S. Joannis: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum jacta sunt, et sine ipso jactum est nihil* [2]

4) *Ex theophaniis etiam Veteris Testamenti* recte intellectis et a SS. Patribus expositis colligitur pluralitas personarum.

a) *Apparuit* autem *ei* (Abrahae) *Dominus in convalle Mambre... Cumque elevasset oculos, apparuerunt ei lres viri stantes prope eum; quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, et adoravit in terram. Et dixit: Domine, si inveni gratiam in oculis tuis* [3]. SS. Patres crebro docent in his tribus angelis, forma humana conspicuis, adumbratum fuisse mysterium SS. Trinitatis [4]. Unde Ecclesia in officio ait: *Tres vidit et unum adoravit* [5].

b) Deus in Veteri Testamento passim nominatur *angelus Domini* vel *angelus Dei* [6]. Porro angelus ex officio significat missum vel legatum, et sic Dominus (angelus) signis visibilibus saepe missus fuisse et apparuisse dicitur. *Apparuitque ei Dominus* (rrrr "x~'2 ἀγγελο κοριοὐ. Angelus Jahve) *in jlamma ignis de medio rubi... Et ait: Ego sum Deus Patris lui, Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob* [7]. Angelus Domini ait ad Jacob: *Ego sum Deus Bethel* [8] et ad Moysem: *Ego sum qui sum* [9]. Ergo Deus in Veteri Testamento dictus est aliquando missus. Nemo autem semetipsum mittere potest, sed mittens et missus necessario distinguuntur. Ergo in Deo alius est mittens et alius missus [10].

1 *Prov.*, 8, 22-30.
2 *Joan.*, 1, 1 sqq.
3 *Gen.*, 18. i sqq.
4 Cfr. S. Augustinus, *Contra Maxim.*, 2, 26, 7; Ml. 42, 808; et *De Trinitate*, lib. 2, nn. 20-2; Ml. 42, 858 sq.; S. Ambrosius, *De Cain et Abel*, i, 8; Ml. 14, 331.
5 *Brev. rom.*. Dominica quinquag., resp. 2.
6 *Gen.*, 16, 7; *Ex.*, 3, 2 sqq.; 14, 24, etc.
7 *Ex.*, 3, 2 sqq.
8 *Gen.*, 31, 13.
9 *Ex.*, 3, 14.
10 Cfr. Franzelin, *De Deo trino*, th. 6.—S. Augustinus, *De Trinitate*, lib. 2, 13; Ml. 42, 860; Theodorotus, *In Exodum*, interrog. 5; MG 80, 229; et alii docuerunt angelum Dei in his locis esse ipsum Deum missum a Deo, seu Verbum Dei, et ex hac missione argumentum sumi pro distinctione personarum. Vide Patres apud Petavium, *De Trinitate*, lib. 8, c. 2.

Veteres protestantes, qui pluralitatem personarum admittebant in Deo, consentiebant SS. Patribus in interpretatione horum textuum, et concedebant vim argumenti propositi; sed recentiores protestantes, imbuti plerumque pantheismo, lationalisino ei modernismo, et patror inantes dogmatum evolutionem, quoquo se vertunt, ni efficaciam hujus argumenti infirment. Vide Hetzenauor, *Theol. bibl.* § 40.

c) Plures SS. Patres et veteres scholastici contenderunt theophanias Veteris Testamenti ad solum Filium referri, quia vetus oeconomia, utpote praeparatio et umbra futurorum, administrata fuit per Filium, qui conditurus erat Novum Testamentum.

Attamen probabilius crediderim cum S. Augustino in praefatis apparitionibus manifestatas fuisse unam vel alteram vel etiam omnes simul Trinitatis personas. «Per subjectam vero creaturam, ait S. *Augustinus,* non solum Filium vel Spiritum Sanctum sed etiam Patrem corporali specie sive similitudine mortalibus sensibus significationem sui dare potuisse credendum est»[1]. Hujus ratio est, quia, sicut in Novo Testamento non semel apparuerunt personae divinae singillatim vel omnes simul, ita nihil obstare videtur, quominus in Veteri Testamento quaelibet singillatim vel omnes simul personae sese manifestaverint[2].

d) Aliqui SS. Patres et exegetae catholici docuerunt Deum ipsum immediate, id est, unam vel alteram vel etiam omnes Trinitatis personas specie visibili apparuisse in theophaniis Veteris Testamenti. Id probant, quia ille angelus Domini, qui se prodidit, a) diserte adseruit: *Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob*[3]; *Ego sum qui sum*[4]. Quod sane purus angelus nequit dicere; et ß) sacrificium sibi offerri permisit[5], quod soli Deo debetur.

Nihilominus alii SS. Patres, ut S. *Augustinus*[6], *S. Hieronymus*[7], S. *Gregorius*[8], etc., quibus subscribunt plures scholastici, docent Deum immediate nunquam apparuisse visibili specie in theophaniis Veteris Testamenti, sed mediante angelo, qui se adsumpto corpore aliquando angelum, aliquando Deum esse dicebat. Haec opinio, quam sequitur S. *Thomas*[9], «verissima» est juxta *Suarez*[10], et «certa» juxta *Pesch*[11].

5) *Filius et Spiritus Sanctus in particulari vocantur Deus, et commemorantur ut distinctae personae a Patre.*

a) *Filius nominatur Deus.* Messias siquidem in lege promissus vocatur *Emmanuel*[12], *Deus, fortis, pater futuri saeculi*[13]. *Dominator in*

Aliqui etiam catholici, admittentes, ut par est, exsistentiam SS. Trinitatis et probabilitatem argumenti propositi, vocabulum *angelus Dei* varie interpretantur. Cl. P. Lagrange, *Revue Biblique,* 1903, p. 212 sqq., ingeniose rem explicat, et p. 219 ait: «Où les anciens disaient, sans scrupule Iahve, les modernes ont dit avec plus de précision *l'ange de Iahve.* Ne serait ce pas ce scrupule, appliqué aux anciens histoires, qui leur donne cet aspect extraordinaire: un ange identifié avec Dieu?»

1 *De Trinitate,* lib. 2, n. 35; ML 42, 868.

2 Theophaniae, in quibus Deus dicitur *angelus Domini* seu *Deus missus,* non possunt referri ad Patrem, qui nunquam mittitur, sed hoc non impedit, quominus ipse Pater aliter appareat, quia non solum Deus *missus,* sed etiam *mittens* se manifestare potest. Cfr. S. Thomas, *In I Sent.,* dist. 16, q. un., a. 1 ad 4.

3 *Ex.,* 3, 6.

4 *Ex.,* 3, 14.

5 *Jud.,* 6, 18.

6 *De Trinitate,* 3, 11. 21; ML 42, 881.

7 *In Gal.,* 3. 19; ML 26, 392.

8 *Moral.,* praef., c. 1; ML 75, 517.

9 *In II Sent.,* dist. 8, q. 1, a. 6.

10 *De angelis,* 6, 20.

11 *De Deo trino,* n. 475. Cfr. P. Montagne, *Revue biblique,* 1894, p 232 sqq.

12 *Is.,* 7, 14; 8, 8.

13 *Is.,* 9, 6.

Israel et egressus ejus ab initio a diebus aeternitatis [1]. *Deus ipse veniet et salvabit vos* [2]. Porro hic Messias, Deus, distinguitur a Patre, quia: *Ecce ego mitto angelum meum et praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et angelus testamenti, quem vos vultis* [3]. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te* [4].—*Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis* [5] [6] Ergo pluralitas personarum adumbratur in Veteri Testamento.

b) Spiritus Sanctus non clare quidem sed sufficienter insinuatur in Veteri Testamento. In benedictione ter nomen Domini invocatur [6]; ter Propheta repetit nomen Domini dicens: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus* [7]; Spiritus Domini mittendus annuntiatur in psalmis [8]; solemne trisagion *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum,* quod Seraphim canebant, tertiam personam exprimebat [9]; ac tandem in libro *Sapientiae* dicitur: *Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam et miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis...* [10].

474. Thesis II. In Novo Testamento plene revelatum est in Deo esse tres personas realiter distinctas, Patrem, Filium et Spiritum Sanctum.

I. Revelantur tres personae simul.

1) *In annuntiatione.* Gabriel angelus ait Mariae Virgini: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei* [11]. Hic memorantur tres personaé distinctae. *Altissimus* est Pater, quia Jesus vocabitur Filius Altissimi [12]; *qui nascetur de Virgine* est Filius Dei; et Spiritus Sanctus seu *virtus Altissimi* est tertia persona.

2) *In Christi baptismate.* Quando Christus in Jordane baptizatus est, *apertum est caelum et descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum, et vox de caelo facta est: Tu es Filius meus dilectus.* En iterum tres personae, Pater, qui loquitur, Filius, qui baptizatur, et Spiritus Sanctus, qui descendit [13] [14]

3) *In formula baptismi.* Christus misit apostolos dicens: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* [14]. Duo sunt in hoc loco accurate notanda: a) Explicite adducuntur nomina personalia Patris et Filii, quae proculdubio persona-

[1] *Midi.,* 5, 2.
[2] *Is.,* 35. 4.
[3] *Malach.,* 3, 1.
[4] *Ps.* 2, 7. Id est, die resurrectionis ostendi te esse Filium meum. Cfr. *Act.,* 13. 33 sq.
[5] *Ps.* 109, r.
[6] *Num.,* 6, 24 sqq.
[7] *Ps.* 66, 7 sq
[8] *Ps.* 103, 30.
[9] *Is.,* 6. 3.
[10] *Sap*, 9, 17. Cfr. D. Haokspill, *Revue biblique,* 1902, p. 66 sqq.
[11] *Luc.,* i, 35.
[12] *Luc.,* i, 32.
[13] *Luc.,* 3, 22.
[14] *Mallii*, 28, 19. Εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος.

rum distinctionem significant, et Spiritus Sanctus, qui eisdem connumeratur et aequiparatur, est tertia persona, b) In graeco sermone repetitio conjunctionis χαι-και et articulus του singulis nominibus praepositus, ut venit in hac formula, distinctionem suppositi, non diversas virtutes vel potentias ejusdem suppositi indicant[1].

4) *In promissione Spiritus Sancti.* Jesus ait: *Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum... Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia* [2]. Filius hic rogat Patrem, Pater mittit Spiritum Sanctum, et Spiritus Sanctus mittitur.

5) *In praedicatione apostolorum.* Discipuli Domini, accepto munere praedicandi Evangelium, verbo et scripto tradiderunt ubique mysterium Trinitatis. S. Petrus direxit epistolam *electis... secundum praescientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam et aspersionem sanguinis Jesu Christi* [3]. S. Paulus adserit Corinthios esse sanctificatos *in nomine Domini nostri Jesu Christi et in Spiritu Dei nostri*[4].

475. II. Revelantur Pater et Filius et Spiritus Sanctus singillatim, ut personae distinctae.

1) *Pater.* Deus aliquando dicitur pater improprie, quatenus est bonus et misericors, seu quatenus homines locupletat multis beneficiis, et gratia sanctificante adoptat in filios. Hoc sensu pater est nomen genericum, tribus personis commune.

Pater sumitur proprie, et revelatur ut persona in sacris litteris, quoties significatur ut principium generationis Filii[5],* vel mittens eum in mundum [6], vel constituens geminum testem cum Filio [7], etc.

2) *Filius.* Filium esse proprie personam distinctam a Patre demonstrant: a) vocabula *Filius* [8], *unigenitus a Patre* [9], *Filius...* (Dei) *unigenitus* [10], *proprius Filius* [11], quibus appellatur; b) locutiones, quibus Filius dicitur *missus* [12], *datus* [13],* *dilectus a Patre* [14], etc.; c) proprietates, quae in sacris litteris Filio tribuuntur, quando dicitur *splendor gloriae et figura substantiae Patris* [15], *haeres constitutus a Patre* [16], *portans omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum jaciens* [17].

1 Hoc jam intellexerat Priscillianus, haereticus hispanus saec. iv, qui, ut ait Orosius, *Command, ad S. Aug.*, n. 2 (MI. 31, 1214), fraudulenter abstulit particulam *et*, atque Scripturas ad suam partem adtrahere conatus est.
2 *Joan.*, 14, 16-26.
3 *I Petr.*, 1, 1-2.
4 *I Cor.*, 6, 11.
5 *Joan.*, 1, 14.
6 *Joan.*, 10, 36.
7 *Joan.*, 8, 17-18.
8 *Matth.*, 3, 17.
9 *Joan.*, I, 14.
10 *Joan.*, 3, 16.
11 *Rom.*, 8, 32.
12 *Joan.*, 17, 21.
13 *Joan.*, 3, 16.
14 *Matth.*, 3, 17.
15 *Hebr.*, I, 3.
16 *Hebr.*, 1, 2.
17 *Hebr.*, I, 3.

3) *Spiritus Sanctus.* Licet aliquando nomen Spiritus usurpetur in Scriptura ad significandam substantiam divinam, quae revera est spiritus purissimus, saepe adhibetur etiam pro designanda persona distincta a Patre et Filio, ut probant sequentia: a) Vocatur *Paraclitus,* id est, consolator vel advocatus [1], qui personam significat; b) procedit a Patre et Filio [2], c) mittitur ab utroque in mundum [3].[4]

476. Scholion. *De commate joanneo.*

I. *Historia.* In prima epistola S. *Joannis* secundum editionem Vulgatam haec leguntur: *Tres sunt, qui testimonium dant in caelo: Pater. Verbum et Spiritus Sanctus, et hi lres unum sunt. Et lres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, et aqua et sanguis, et hi tres unum sunt* [4].

Haec verba exprimunt proculdtibio mysterium SS. Trinitatis seu Trinitatem personarum in una natura, sed contra haereticos vi probationis carent, quia ab acatholicis plerumque respuuntur ut spuria.

Jam inde a saeculo xvi suspicati sunt nonnulli verba, quae adduximus, textui sacro adjecta fuisse aliena manu. Multum disputatum est deinde per tria saecula de authentia eorum.

1) Unitarii seu sociniani constanter recusarunt authentiam commatis.

2) Protestantes post multas vacillationes in negativam sententiam fere communiter abierunt [5].

3) Ex catholicis nonnulli, ut *Kleutgen*[6], docent authentiam textus salva fide negari non posse; alii defendunt textum esse authenticum, nulla adsignata censura pro sententia contraria [7]; alii rem in dubium vertunt [8]; alii denique renuunt admittere authentiam verborum [8].

Hinc inde agitabatur quaestio, quando venit sequens decretum S. Rom. et Univ. Inquisitionis.

«Feria IV die 13 Januarii 1897.—In congregatione generali... proposito: Utrum tuto negari aut saltem in dubium vocari possit esse authenticum textum S. *Joannis* in epistola prima, c. 5, v. 7, qui sic se habet: *Quoniam lres sunt, qui testimonium dant in caelo: Paler, Verbum et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt.*

Omnibus diligentissime examine perpensis, praehabitoque DD. con-

1 *Joan.,* 14, 26.—«Consolator ergo ille vel advocatus, ait S. Augustinus, ...quod est graece paracletus». *Tr. in Joannem,* 94, 2; ML 35, 1868.

2 *Joan.,* 15, 26; 16, 14.

3 *Joan.,* 14, 26; 15, 26.

4 *I Joan.,* 5, 7-8. Ὅτι τρει εἴσιν οι μαρτυροὑντε ἐν τῳ οὐρανῳ, ὁ πατήρ, ὁ λόγο ζαί το ἁγιον πνεὑμα, ζαί οὗτοι οι τρει εν εiαi ζαί τρει εiοῖν οι μαρτυροὑνε·; εν τή γή, τό πνεὑμα ζαί τό ὑδωρ ζαί τό αiμα. ζαί οι τρει ει τό εν εiσιν.

6 In editionibus N. T. graeci Griesbaoh, Lachmann, Westcott-Hort, etc., suppressum fuit comma. Cfr. Cornely, *Introd spec.,* vol. 3, p. 669.

6 *De ipso Deo,* n. 851.

7 Ita Wiseman, *Two letters on I John.* 5-7; Franzelin, *De Deo trino,* th. 4; Le Hir, *Les trois témoins célestes. Éludes bibliques,* et alii.

8 Ita Pesch, *De Deo trino,* n. 462 sqq.: Van Noort, *De Deo trino,* n. 146 sqq.; Honoratus del Val, S. *Theol. dogm.,* tr. 2, n. 19; Cornely, *Introd. spec.,* vol. 3, n. 321.

" Sic Schanz, In Aberle Einl. Freiburg. 1877. p. 127 in nota; A. Scholz, *Ed. crit. N T;* Paulus Martin, /tVt in ‹‹ . *scient l·. eccl.,* Août et Sept. 1887; Künxtle, *Dus comma Joan.* lJeesl comma in editione minori Novi Testamenti curante H. J. withe, Oxonii typ. Clarem!., 1911.

sultbrum voto, iidem Eminentissimi Cardinales respondendum mandarunt: *Negative.*

Feria vero VI, die 15 ejusdem mensis et anni... Sanctitas sua resolutionem Eminentissimorum Patrum approbavit et confirmavit»[1].

II. *Quaestio solvenda.* Nemo negaverit comma hoc, interpretatum de trinitate personarum in unitate essentiae[2], multum favere dogmati catholico; et cum sit ab antiquis temporibus in Vulgata editione et aliis documentis ecclesiasticis receptum, non inutiliter posse adhiberi qua testimonium traditionis ad probandum mysterium SS. Trinitatis.

Sed quaestio est de authentia textus, an scilicet sit pars S. Scripturae et adhiberi possit in disputationibus contra haereticos Scripturam admittentes ut testimonium scripturisticum. Circa hoc duplex occurrit difficultas: 1) An comma joanneum gaudeat *authentia dogmatica,* id est, an argumentis theologicis ex magisterio Ecclesiae depromptis probetur textum esse genuinum, adeo ut theologus obstringatur non inquirere ulterius critice de ejus authentia. 2) An polleat *authentia critica,* id est, an, perpensis codicibus, usu patristico et contextu verborum S. *Joannis,* constet locum esse genuinum.

477. III. *De authentia dogmatica.* Non videtur incisum, de quo agimus, gaudere authentia dogmatica, adeo ut vetemur catholici disputare de ejus genuinitate et investigare fundamenta, quibus innititur vel rejicitur.

Hoc probant:

1) Auctoritas interpretum, etiam catholicorum, qui vel dubitant de authentia textus vel etiam rejiciunt incisum ut spurium.

2) Absentia declarationis magisterii Ecclesiae obligantis nos ad credendum textum esse genuinum. Nam

a) *Canones Concilii Tridentini*[3] *et Vaticani*[4,5] quibus sub poena anathematis obstringimur libros integros cum omnibus suis partibus, *prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in Veteri Vulgata latina editione habentur,* pro sacris et canonicis suscipere, minime nos ligant ad suscipiendum hoc comma ut genuinum; quia hic textus a principio in Ecclesia catholica legi non consuevit, ut constabit ex dicendis, nec in Veteri Vulgata latina editione continebatur, ut patet ex plurimis exemplaribus manuscriptis hodierna Vulgata antiquioribus, quae exstant, et ex textu Vulgatae a S. Hieronymo correcto®.

b) *Usus commatis in documentis Ecclesiae dogmaticis,* ad quem vellent aliqui confugere, non declarat textum esse genuinum. Allegata sunt interdum verba commatis in documentis, etiam doctrinalibus ad defi-

1 Vide *Acta S. Sedis,* vol. 29, 637.

2 Non facile intelligitur, ut probe animadvertit cl. Posch, *De Deo Irino,* n. 467, quid sit testimonium caeleste trium personarum, et «demonstrandum est hos tres dici unum in essentia, non in solo testimonio, quia statim sequitur etiam aquam, sanguinem et spiritum esse unum, non sane essentialiter, sed moraliter in testificando».

3 Sess. 4: Denz-Bannw., 784.

1 Sess. 3, c. 2; et *De revel.,* can. 4; Denz-Bannw., 1787 et 1809.

5 Si aliquo tali textu, ait bene Franzelin, *De Scriptura et tradit ,* p. 530, posset demonstrari non esse ex veteri Vulgata editione, ejus conformitas cum Scriptura primitiva non posset dici per decretum Concilii declarata

niendam aliam veritatem, v. gr., mysterium SS. Trinitatis, ut in Concilio Lat. IV [1], sed nunquam directe definitum est locum esse genuinum. Usus autem verborum ad modum probationis pro alio scopo non est declaratio genuinitatis, nec magisterium Ecclesiae gaudet infallibilitate in adlegationibus ad dogma definiendum.

c) *Decretum S. Officii supra relatum* non dirimit controversiam, nec prohibet novas eruditorum investigationes circa genuinitatem incisi, ut aliqui crediderunt in principio. S. Congregatio solum declaravit *tuto* negari aut in dubium vocari non posse esse textum S, *Joannis* authenticum. Egit tantummodo de gradu securitatis doctrinae non de veritate genuinitatis vel authentiae [2].

478. IV. *De authentia critica.* Comma joanneum. critice loquendo, est dubiae authenticitatis. In utramque partem rationes probabiles adducuntur.

1) *Rationes contra genuinitatem.*

aj *Ex codicibus graecis* 193 antiquissimi [3] et 60 circiter lectionaria numerantur, quae hoc inciso carent, dum unus tantummodo codex ante saeculum xv inventus est, qui incisum contineat (scilicet *Act.* 173 saeculi XI, qui adservatur Neapoli) non in textu, sed in margine, manu aliena, saeculo, ut videtur, xvi adjectum [4].*

Ex versionibus syriacis (Peschito, Philoxeniana, etc.), *copticis, aethiopicis, armeniis, slavonicis,* etc., nulla est, quae contineat hunc versum, nisi in aliquo codice aperte falsificato

In editione Vulgata nunquam introductum est comma ante saeculum vin, nec S. *Hieronymus* illud adhibuit [6]; plurimi sunt codices Vulgatae antiquissimi, ut ille *Fuldensis,* saec. VI, in quibus versus desideratur [7]. Ex codicibus autem Vulgatae posterioribus, qui comma continent, plures transponunt versus 7 et 8, alii discrepant in verbis, et alii aliter inter se dissentiunt.

b) *Patres orientales*—graeci, syri, armeni—, quibus utilissima proculdubio fuisset auctoritas commatis joannci in controversiis contra sabellianos, arianos, macedonianos, etc., nunquam hoc testimonio usi sunt.

Patres latini ante saeculum v nunquam comma adhibuerunt. Unde tacent de illo S. *Hilarius, Lucifer calaritanus, Hossius Cordubensis,*

1 Denz-Bannw., 431.

2 Hanc interpretationem confirmavit Emus. Card. Vaughan in epistola ad D. W. Ward his verbis: «Y have ascertained from an excellent source that the decree of the Holy Office on the passage of the *Three Witnesses,* which you refer to, is not intended to close the discussion on the authenticity of that text, the field of Biblical criticism is not touchet by this decree».—*The Guardian,* 4 Junii 1897; et *Revue biblique,* 1898, p. 149. Cfr. Arendt, *Analecta eccl.,* 1902, p. 37.

3 Aliqui eorum, ut B. N. A, dicuntur esse saeculi iv et v.

1 Codices Vatic. *Ottobonianus* act. 162 et *Montfortianus* seu Dublin , act. 34, «pii comma continent, sunt respective saeculi xv et xvi.

3 Vide Comely, *Introd.,* 3, n. 23 t.

3 Praefatio quaedam in septem epistolas, quae nomine S. Hieronymi evulgat.t est et loquitur de hoc commate, censetur spuria; ML 29, 863 sqq. Cfr. Janssens, *T)e Deo trino,* p. 144. Comely suspicatur hanc praefationem compositam esse a Vigilio tapsensi, qui sua scripta solebat fictis antiquorum Patrum nominibus exornare.

7 Janssons, *De Deo trino,* p 143, adserit plus quam centum codices reperiri, in quibus versus desideratur.

S. *Augustinus,* etc., acerrimi defensores mysterii SS. Trinitatis. Ab exeunte saeculo v nonnulli illud adhibuerunt, tacentibus tamen Patribus celebrioribus.

c) Non desunt argumenta, quae vehementer suadeant comma hoc adjectum fuisse a Priscilliano, haeretico hispano (f 385) \ vel a Vigilio tapsensi[2], vel ab alio scriptore saeculi iv vel v.

2) *Rationes in favorem genuinitatis commatis joannei.*

a) Cardinalis Mai invenit codicem antiquum vi vel vn saeculi operis S. Augustini *Speculum Scripturae* vel *lib. testimon.,* in quo comma joanneum bis legitur [3].

b) Episcopi catholici, non solum universae Africae sed etiam insularum multarum Carthagine coadunati, miserunt ad regem Hunnericum a. 484 *Libellum fidei* a S. Eugenio praeside concilii compositum [4], in quo expresse adducitur comma 5. *Joannis* [5].*

c) Vigilius tapsensis [e], qui praefato afrorum coetui interfuit, et paulo post S. Fulgentius ruspensis (468-533) [7] utuntur nostro commate.

d) Denique Cassiodorus saec. vi in Italia [8], S. Isidorus saeculo vn [9], ac Etherius et Beatus saeculo vm in Hispania aliique plurimi adhibuerunt versum in quaestione.

e) Contextus intrinsecus Scripturae exigere videtur comma, de quo agitur.

f) Explicari non potest, quomodo versus integer ex aliena manu in textum irrepserit. E contra omissio in codicibus orientalibus et pluribus occidentalibus facile explicatur; quia cum versus 7 et 8 sint homoeotelenton, id est, similiter desinentes, facile potuit oculus amanuensis a fine versus 7 ad initium v. 9 transilire. Praeterea Eusebius, arianismo imbutus, potuit versum malitiose omittere, cum quinquaginta codices jussu Constantini confecit.

Ex his facile apparet nihil critice certum dici posse circa hanc quaestionem.

1 Cfr. Künstle, *Das Comma Joan.,* Freiburg. 1905; et P. Martin, *Revue des sciences eccl.,* 1887.

2 Janssens, *De Deo trino,* p. 151.

3 *Specul. Script.,* c. 2, 3, in nova Mai bibliotheca Patrum, Romae, 1852, 1 Disputant eruditi, an S. Augustinus hunc codicem scripserit. Mangenot, *Diet, de la Hible,* v. Jean (première epître) negat *Speculum* esse opus S. Augustini.

4 Vide hunc *Libellum* apud Vietorem Vitens, *De persecui, vand.,* Ill, 11; MI. 58, 227; Harduin, *Collect, concil., 2,* 863.

5 Cfr. Bardenhewer, *Patrologia,* § 113, n. 3. Animadvertit Janssens, p. 151, «de genuinitate hujus loci (Libelli fidei) apud eruditos magnum prostare dubium, cum unicus codex, in quo hi actus contineantur, non ultra saeculum ix ortum habeat».

8 *De Trinit.,* lib. 1; ML 62, 243: et *contra Varimadum,* lib. 1, c. 5; ML 62, 359.

7 *Resp. 10 ad obj. arian.;* ML 65, 224; et *De Trinitate,* c. 4; ML 65, 500.

8 *Complexiones in I Joannis,* n. 10; ML 70, 1373.

8 *Testimon. div. Script, el Pair.,* c. 2; ML 83, 120. Dubitant nonnulli, an hoc opus tribuendum sit S. Isidoro. Cfr. Comely, *introd. gen.,* 3, p. 677.

479. Thesis III. Constans Ecclesiae traditio nos docet in Deo esse tres personas.

Nota. Nemo non videt, et adversarii ultro concedunt, fidem in tres divinas personas inde a celebrato Concilio Nicaeno (a. 325) [1] in Ecclesia fuisse communem. Concilia enim tam generalia quam particularia hoc declaraverunt, Romani Pontifices saepe testati sunt, SS. Patres crebro defenderunt, theologi catholici jugiter exposuerunt, et fideles christiani constanter crediderunt tres esse in Deo personas realiter distinctas. Probandum hic venit traditionem hanc fuisse pariter constantem ante Concilium Nicaenum.

Arg. 1) *Ex praxi Ecclesiae,* a) *Forma baptismi,* ex quo Christus misit apostolos praedicare evangelium et baptizare in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, semper pronuntiata fuit in Ecclesia sub nomine trium personarum. Unde διδαχή *Doctrina duodecim apostolorum* —, quae juxta probabilissimam sententiam saeculo t composita est[2], haec habet: «Baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti... Effunde in caput ter aquam in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti» [3].

b) *Symbola* in diversis ecclesiis a saeculo n recepta?, praesertim symbolum apostolorum, quod, fatente ipso *Harnack*[5], ineunte saeculo π evulgatum est, expresse nominant tres personas.

c) *In doxologiis* inde a temporibus apostolorum introductis [6] et constanti fidelium traditione conservatis canitur *Gloria Pairi et Filio et Spiritui Sancto.*

d) *Martyres Christi* hanc fidem non solum proprio sanguine signaverunt, sed et disertis verbis professi sunt. Unde S. *Polycarpus* (t 156) hanc confessionem emisit: «De omnibus te (verax Deus) laudo, tibi benedico, te glorifico per sempiternum et caelestem pontificem Jesum Christum, dilectum tuum Filium, per quem tibi cum ipso et Spiritu Sancto gloria et nunc et in futura saecula» [7].

2) *Ex SS. Patribus,* a) *Patres apostolici. Epistola Barnabae,* saeculo i incerto auctore scripta, expresse commemorat Patrem et Filium his verbis: «Nam de nobis Scriptura dicit, loquente (Patre) ad Filium: *Faciamus hominem,* etc.» [8] et Spiritum Sanctum meminit, cum dicit: «Effusum ex abundantia fontis Domini Spiritum» descendere super baptizatos [9]. S. *Clemens romanus* ait: «Nonne nobis unus est Deus, et unus Christus et unus Spiritus gratiae?» [10]. S. *Ignatius* adprecatur fide-

1 Denz-Bannw., 54.
2 Cfr. Bardenhewer, *Patrolog.,* § 6, n. 2.
3 *Didaché,* c. 7, nn. 1-3. *Rouet et Journet, Enchir. pair.,* n. 4. Vide apud *Revue d'Histoire eccl.,* 15 Apr. 1912, tabellam in qua referuntur formulae baptismi antiquitus usitatae in liturgiis gallicana, hispana, mediolanensi et romana.
4 Denz-Bannw., n. 2 sqq.
5 *Chronologic der altchristigen Litteratur bis Eusebius,* t. 1, 2, Lipsiae, 1897, p. 532.
6 Cfr. Poseh, *De Deo trino,* n. 478.
7 *Martyrium S. Polycarpi,* 14, 3; MG 5, 1040.
8 *Ep. Barnabae,* 6; MG 2, 741.
9 *Ep. Barnabae,* I, 2; MG 2. 741.
10 *Ep. 1 ad Cor.,* 46; MG 1, 304.

libus, «ut omnia... prospere... succedant... in Filio et Patre et Spiritu» U *Hermas* docet Filium fuisse in consilio Patris ad condendam creaturam 1.

b) *Patres saeculi II.* *S. Justinus M.* ait: «Eum, et Filium, qui ab eo venit ac nos ista docuit... et Spiritum propheticum colimus et adoramus» 3.

A thenagoras: «Quis igitur non miretur, cum atheos vocari audeat eos, qui Deum Patrem et Filium Deum et Spiritum Sanctum adserunt, ac eorum et in unione potentiam et in ordine distinctionem demonstrant»45

S. *Irenaeus:* «Ecclesia enim... accepit eam fidem, quae est in unum Deum, Patrem omnipotentem... et in unum Jesum Christum filium Dei incarnatum pro nostra salute, et in Spiritum Sanctum, qui per prophetas praedicavit dispositiones Dei et adventum» s.

c) *Patres saeculi III.* *Tertullianus:* «Custodiatur oikonomiae sacramentum, quae unitatem in trinitatem disponit, tres dirigens Patrem et Filium et Spiritum Sanctum» ®.

S. Hippolytus: «Necesse enim est, ut, quamvis nolit, confiteatur Deum Patrem omnipotentem, et Jesum Christum Filium Dei, Deum factum hominem... et Spiritum Sanctum, et hos esse vere tres»7.

Origenes: «Nos autem, qui tres personas, Patrem et Filium atque Spiritum Sanctum esse credimus»8.

S. *Cyprianus* expresse Patrem et Filium et Spiritum Sanctum commemorat, atque addit: «Et tres unum sunt» 9.

Diluuntur objectiones.

480. Obj. 1.° «Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se», ut fert axioma. Sed Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt idem uni essentiae. Ergo Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt idem inter se.

Resp. Angelicus Doctor integre satisfacit huic difficultati dicens: «Secundum Philosophum, in 3 Phys. text. 21, argumentum illud tenet, quod quaecumque uni et eidem sunt eadem, sibi invicem sunt eadem, in his quae sunt idem re et ratione, sicut tunica et indumentum; non autem in his quae differunt ratione. Unde ibidem, dicit quod licet actio sit idem motui, similiter et passio, non tamen sequitur quod actio et passio sint idem; quia in

1 *Ad Magnesios,* 13; MG 5, 672.
- *Pastor,* lib. 1, vis. 3, c. 5; MG 2, 903.
3 *Apol.* i, n. 6; MG e, 336.
4 *Legatio pro Christianis,* n. 10; MG 6, 909.
5 *Adv. haer.,* lib. 1. c. 10, n. 1; MG 7, 549.
6 *Adv. Praxeam,* c. 2; ML 2, 180; *Corp. Vindob.,* 47, 229.
’ *Contra haeresim Noiti;* MG 10, 803.
8 *In Joannem,* t. 2, n. 6; MG 14, 128. Magna exstitit aliquando et nondum soluta est controversia de mente Origenis circa Trinitatem. Acerrime ipsum impugnaverunt S. Epiphanius, *Haer.,* 67; MG 42, 174; S. Hieronymus, *Apol. contra Ru/inum,* ep. ad Avitum, 124; ML 22, 1059 sqq., et alii. Ab omni errore eum vindicarunt S. Gregorius Thaumaturgus, Eusebius Caesariensis, S. Athanasius, *De decr. nicaenae synodi,* n. 27; MG 25, 465, et alii. Cfr. Vincenzi, *Origenes vindic., Rufinus in praef.,* lib. 1 *Periarchon:* MG 17, 615, et alii. Defensores Origenis opinantur libros *Periarchon, Stromata, De Resurrectione,* etc., ab haereticis fuisse corruptos; ejus adversarii putant Origenem revera docuisse errores de Trinitate, sed ejus opera fuisse a Rufino purgata. Cfr. Petavius, *De Trinitate,* lib. 1, c. 4; et lib. 1, c. 14.
9 *De unitate Eccl.,* 6; ML 4, 504.

actione importatur respectus ut a quo est motus in mobili, in passione vero, ut qui est ab alio. Et similiter, licet paternitas sit idem secundum rem cum essentia divina, et similiter filiatio, tamen haec duo in suis propriis rationibus important oppositos respectus. Unde distinguuntur ab invicem» '. Hinc caret illatione hoc argumentum: Pater est essentia divina; Filius est essentia divina. Ergo Pater et Filius sunt idem inter se; quia Pater et Filius distinguuntur virtualiter ab essentia divina.

Obj. 2.° Natura per personalitatem completa redditur incommunicabilis alteri supposito. Ergo natura divina semel per paternitatem determinata communicari non potest Filio et Spiritui Sancto.

Resp. Dist. ant. Natura per personalitatem completa est incommunicabilis in rebus creatis, conc.; in divinis, neg. Personae enim in Deo constituuntur per relationes, ut dicetur inferius. Relativa autem necessario petunt correlativa.

481. Scholion. Λ mysterio SS. Trinitatis valde diversae sunt trinitates deorum, quas finxerunt fere ubique pagani. Apud *indos* dii trinitatis erant Brahma, Vishnu, Shiva; apud *graccos* Zeus, Athene, Apollon; apud *romanos* Jupiter, Juno, Minerva; apud *suecos* Thôr, Wotan, Fricco.

§ 2

Utrum Pater et Filius et Spiritus Sanctus sint consubstantiales.

482. Status quaestionis. In mysterio SS. Trinitatis duo nos docet fides catholica, nempe in Deo esse tres personas realiter distinctas, et has personas esse consubstantiales. Demonstrata jam distinctione personarum contra antitrinitarios, restat hic probandum tres personas esse consubstantiales.

Porro consubstantialitas personarum demonstratur, probando quamlibet earum esse Deum, quia cum non sit nisi unus Deus, demonstrata deitate uniuscujusque personae, sequitur eas esse consubstantiales.

483. Thesis **I. Prima persona SS. Trinitatis, quae dicitur Pater, est vere Deus.** *(De tide.)*

Arg. *Ex S. Scriptura.* Judaei quaerebant Jesum interficere, quia *Patrem suum dicebat Deum aequalem se laciens Deo* 2. Christus glorificavit Patrem, Dominum caeli et terrae 3, et ipsum vocavit solum Deum verum 4.

Id ipsum confirmat consensus catholicorum et haereticorum, inter quos nulla unquam circa hoc exstitit controversia.

484. Thesis **II. Verbum seu Filius est verus Deus, consubstantialis Patri.** *(Est de jide.)*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura,* a) *In Veteri Testamento* Sapientiae increatae seu Verbo Dei tribuuntur, a) Creatio rerum: *Cum eo eram cuncta*

1 *I p..* q. 28, a. 3 ad i.

2 *Joan., 5,* 18. Hic merito interpretes putant judaeos rite intellexisse verba Christi cum de eo fassi sunt: *Patrem suum dicebat Deum.*

3 *Matth.,* n, 25.

1 *Joan., ij,* 3. In hunc locum bene ait Hummelauer: «Contra arianos, socinianos adverti debet Christum non dicere solum Patrem esse verum Deum; sed Patrem esse *unicum verum Deum,* in oppositione ad polytheismum et ad idola factat.

componens [1]; *Ego feci in caelis, ni oriretur lumen indeficiens* [2]. β) Aeternitas: *A b aeterno ordinata sum* [3]. γ) Omnipotentia: *Cum sit una, omnia potest, el in se permanens omnia innovat* [4] δ) Omnipraesentia: *Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* [5]. ε) Dominium super reges: *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt* [6].

b) *In Novo Testamento, a)* Expresse declaratur Verbum esse Deum: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* [7]. Verbum vocatur a Joanne *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris* [8], *verus Deus et vita aeterna* [9]. Christus *est* juxta S. Paulum *super omnia Deus benedictus in saecula* [10].

β) Attributa divinitatis tribuuntur Verbo. Aeternitas: *Hoc erat in principio apud Deum* [11]. *Quod fuit ab initio, quod audivimus... testamur et annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem, et apparuit nobis* [12]. Immutabilitas: *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso* [13]. Perfecta cognitio Patris: *Nemo scit, quis sit Filius, nisi Pater, et quis sit Pater, nisi Filius* [14]. Creatio rerum: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est* [15]. *Omnia per ipsum, et in ipso areata sunt* [16]. Conservatio rerum: *Omnia in ipso constant* [17]; *et ipse portat omnia verbo virtutis suae* [18]. Sanctificatio et salvatio hominum: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* [19]. *Ego vitam aeternam do eis* [20].

γ) Accipit cultum latriae: *Et adorent eum omnes angeli Dei* [21]. *Creditis in Deum et in me credite* [22].

δ) Invictissimum argumentum sumitur ex illis verbis Christi Filii Dei: *Ego et Paler unum sumus* [23]. Haec verba non referuntur ad unitatem concordiae et consensus animi, ut inepte dicunt ariani et sociniani,

1 *Prov.,* S, 30.
2 *Eccli.,* 24, 6.
3 *Prov.,* 8, 23.
4 *Sap.,* 7, 27.
5 *Sap.,* 8, i.
6 *Prov.,* 8, 15.
7 *Joan.,* 1, 1.
8 *Joan.,* i, 18.
9 *I Joan.,* 5, 20.
10 *Rom.,* 9, 5. Frustra conantur haeretici ultima verba, appositis novis punctis, soli Deo, non Christo referre. Cfr. Comely, in h. 1.; et Honoratus dei Val, *De SS. Trinitate,* n. 21.
11 *Joan.,* i, 2.
12 *I Joan.,* i, 1-2.
13 *Joan.,* 5, 26.
14 *Luc.,* 10, 22.
15 *Joan.,* i, 3.
16 *Coloss.,* i, 16.
17 *Coloss.,* I, 17.
18 *Hebr.,* 1, 3.
19 *Joan.,* I, 12.
20 *Joan.,* 10, 28
21 *Hebr.,* I, 6.
22 *Joan.,* 14, i.
23 *Joan.,* 10, 30.

sed ad unitatem potentiae èt naturae, ut clarissime liquet ex contextu. Ait Christus 28: *Non rapiet eas* (oves) *quisquam de manu mea;* quod ut probet, hoc pacto argumentatur v. 29: Pater meus, quod dedit mihi majus omnibus est, et nemo potest rapere eas de manu Patris mei. Sed *ego et Pater unum sumus.* Ergo nemo rapiet eas de manu mea. His verbis declarat Jesus se esse Patri aequalem virtute, ut SS. Patres saepe interpretantur [1]. Quorum autem est una potentia, est pariter una essentia et natura. Ergo Christus Dei Filius est aequalis Patri in natura atque idcirco Deus. Hoc sensu verba Christi intellexerunt judaei, cum sustulerunt lapides, ut lapidarent eum (v. 31), dicentes: *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, et quia tu, homo cum sis, facis te ipsum Deum* [2].

s) Innumera alia S. Scripturae loca ostendunt Verbum esse Deum. Nam *a)* Filius constitutus est a Deo *haeres universorum* [3]; *b)* est *splendor gloriae et figura substantiae ejus* (Patris) [4]; *c) Patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo* [5]; *d) non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo* [6].

2) *Ex traditione,* a) In epistola *Barnabae* legitur: «Dominus sustinuit pati pro anima nostra, cum sit totius mundi Dominus, cui dixit Deus in constitutione mundi: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram»* [7]. Hic Dominus, qui passus est, scilicet Filius, vocatur totius mundi Dominus. *S. Ignatius M.* docet Deum se manifestare «per Jesum Christum Filium suum, qui est Verbum ejus aeternum e silentio progressum» [8]. S. *Justinus:* «Cum Verbum sit primogenitum Dei, Deus etiam est» [9]. Ex Patribus saeculi III cfr. *Tertullianus* [10], S. *Cyprianus* [11] et alii.

b) Traditionem Ecclesiae de Filii divinitate probant a) *Impugnationes,* quas apostoli et SS. Patres passi sunt ex parte haereticorum; β) *Testimonium paganorum,* qui Christianis exprobrabant quod Deum crucifixum adorarent: γ) *Praxis praelatorum,* qui Simonem magum, ebionitas, cerinthianos, etc., condemnarunt ut haereticos, eo quod negaverint divinitatem Christi.

c) *In symbolis Ecclesiae* profitemur Filium esse Deum his verbis: *Forma romana, ravennensis* et *africana:* «Credo in Deum, Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum». *Forma hispana:* «Credo... et in Jesum Christum Filium ejus

1 Cfr. S. Ambrosius, *De Spiritu Sancto,* lib. 3, c. 16; MI. 16, 804; et S. Joannes Chrys., *Hom. in Joan.,* 60, n. 2; MG 59, 338.

2 *Joan.,* 10, 33. Ad haec bene dicit S. Augustinus: «Ecce judaei intellexerunt, quod non intelligunt ariani»; *In Joan.,* 48, n. 8; ME 35, 1744: et Maldonatus: «Lapides isti clamant adversus arianos». *Comm. in Joan.,* 10, 33.

3 *Hebr.,* 1, 2.

4 *Hebr.,* 1, 3.

5 *Joan.,* 5, 18.

6 *Philip.,* 2, 6.

7 *Ep. Barnabae,* 5. 5; MG 2, 735.

8 *Ep. ad Magnesios,* 8, 2: MG 5, 669.

9 *Apol.,* i, 63; MG 6. 425.

10 *Ado. Praxeam,* c. 15: ML 2. 196.

11 *Quod idola dii non sint,* 11; ML 4, 578.

unicum, Deum et Dominum nostrum». *Forma gallicana:* «Credo... in Jesum Christum Filium ejus unigenitum, sempiternum». Formae alexandrina, antiochena et hierosolymitana eadem fere verba retinent[1].

d) Concilia tum generalia tum particularia Ecclesiae hanc veritatem saepe nobis tradidere. Confer Concilium Nicaenum I et Cpolitanum I, in quibus non solum haeresis ariana proscripta est, sed etiam consubstantialitas Patris et Filii expresse definita.

485. Scholion. Quia rationalistae et unitarii hodierni plura colligunt ex Patribus antenicaenis, quae videntur subordinatianismo aut arianismo favere, lubet heic quaedam principia generalia stabilire, ut difficiliores praedictorum Patrum locutiones explicentur [2].

1) Patres antenicaeni fidem de Trinitate integre professi sunt, et fuerunt idonei traditionis testes, demonstrationem tamen rationalem seu speculationes theologicas non semper cum omni proprietate tradiderunt [3]. Tractatio enim scientifica de Trinitate nondum exculta erat illo tempore.

2) Vocabulorum, quae adhibuerunt, nondum erat significatio determinata, praesertim apud graecos, ut patet ex nominibus ὑποστασ.ι, πρόσωπον et οοσία.

3) Disputando acerrime contra haereticos in una materia, aliquas expressiones protulerunt, quae opposito errori favere videbantur, ut etiam hodie saepe contingit.

4) Prudentia non semel prohibiti sunt, ne aperte doctrinam de Trinitate ab initio proponerent paganis vel recens conversis. Timebant enim, ne in tritheismum plures inciderent.

Cum his principiis explicari possunt in bono sensu, quae minus proprie dixere Patres antiqui.

Ad quatuor praesertim capita reducuntur difficiliores eorum expressiones, quas placet hic juxta principia stabilita breviter exponere [4].

a) *Innuunt alit]nando Patrem esse superiorem aliis personis.* Sic *Justinus* Filium vocat «alium Deum sub creatore (Patre) universorum» [5]; et Patrem «opificem hujusce universitatis» collocat primo loco, Filium «harum rerum doctorem» secundo loco, et «Spiritum Sanctum», tertio loco [6]. S. *Basilius* Patrem appellat «Deum super omnia» [7]. *Tertullianus* docet Patrem esse «totam substantiam» et majorem divinitate Christi. Juxta *Origenem* Pater dicitur *ὁ* θεὸ (cum articulo), et Verbum θεὸ (sine articulo), quia solus Pater est αὐτοβεο [8]. Haec et similia dixerunt SS. Patres, non ut indicarent Patrem esse natura superiorem reliquis

1 Denz-Bannw., 2-40.

2 Cfr. Franzolin, *De Deo trino,* th. 11; Regnon, *Études de théologie positive sur la Sainte Trinité,* 1Ac série, étude 2, ch. 2 sqq.; Janssens, *De Deo trino,* p. 198 sqq.; Van Noort, *De Deo trino,* n. 161 sq.; P. Murillo, *Razon y Ee,* vol. 31, p. 277 sqq.

3 Petavius primo severe, *De Trinitate,* lib. 1, ce. 3-5, deinde benignius, *De traditione trium priorum saeculorum* (nunc est *Praefatio ad libros de Trinitate),* Patres antenicaenos in hac materia judicavit.

1 Cfr. Franzelin, *De Deo trino,* th. 11.

6 *Dial, cum Tryphone,* n. 56; MG e, 597.

° *Apol.* r, n. 13; MG 6, 348.

’ *Ep.* 38, n. 4; MG 32, 329.

8 *Comment, in Joan.,* MG 14, 108.

personis, sed ut significarent Patrem esse principium sine principio, a quo aliae procedunt. Alius et alius sicut etiam connumeratio personarum in primo, secundo et tertio loco apud *Justinum* significat distinctionem personarum et ordinem originis non diversitatem naturae. Pater est «Deus super omnia» juxta S. *Basilium,* et «tota substantia», imo «major divinitate Christi» juxta *Tertullianum* ratione principii, quia ipsa communicat esse aliis. Pater appellatur αὐτοβεο quia est principium sine principio.

b) *Docent interdum Patrem voluntate vel voluntarie genuisse Filium.* Ita *Hippolytus* [1] et alii, etiam post Concilium Nicaenum. Sed hac expressione nunquam significarunt voluntatem liberam Patris esse principium seu causam effectricem Filii, ut ariani deinde voluerunt, quia hac libertate solam creaturam producit, sed docuerunt Patrem non invite et caeca necessitate Filium genuisse, volens enim genuit eum, sicut volens est Deus.

c) *Verbum et Spiritum Sanctum exhibent tanquam ministros Patris in creatione.* Ita S. *Irenaeus* [2], *Theophilus antiochenus* [3], *Clemens alexandrinus* [4][5] et alii. His locutionibus significare voluerunt Verbum et Spiritum Sanctum esse, non minores natura, sed consortes Patris ratione distinctionis personarum, ut excluderent necessitatem ministerii angelorum, ut jam expressius declaravit S. *Irenaeus* Alii considerantes Verbum esse ideam et exemplar rerum, et non satis distinguentes inter proprium et appropriatum, dixerunt generationem Verbi, de qua agitur *Prov.* 8, 22 sqq., esse dispositionem ad opus creationis *(Theophilus antiochenus* [6], *Justinus* [7], *Hippolytus* [8] et alii).—Quandoque distinguunt duplicem Verbi generationem seu nativitatem, unam aeternam in sinu Patris, temporalem alteram in manifestatione ad extra. Hoc ideo distinguebant, quia per primam generationem Verbum dicitur mente conceptum et insitum, Λογο ενδιάδετο, per secundam vero Verbum prolatitium seu manifestativum in creatione et incarnatione, Λογο προφορικό. Ita *Tertullianus* [9] et alii.

d) *Adserunt non semel Patrem ratione suae immensitatis esse invisibilem, Filium vero jieri aliquando visibilem.* Sic S. *Justinus* [10], [11] *Clemens alex.* [11], *Tertullianus* [12] et alii. Sed hoc modo loquendi Patres nunquam innuerunt Filium in propria natura divina fuisse visibilem, sed in natura humana tantum et in theophan-is Veteris Testamenti.

Haec si prae oculis habeas, facile comperies vetustos Patres improprie quidem interdum locutos fuisse, sed nunquam mysterium SS. Tri-

1 *Contra haeresim Nocti,* n. 16; MG 10, 825.
2 *Adv. haer.,* lib. 4, c. 7, n. 4; MG 7, 593; et lib. 3, c. 8, 11. 3; MG 7, 867.
3 *Ad Autolycum,* lib. 2, n. 10; MG 0, 1063.
* *Strom.,* 7, c. 2; MG 9, 409.
6 *Adv. haer.,* lib. 4, c. 7, n. 4; MG 7, 993.
6 *Ad Autolycum,* lib. 2, n. 10; MG e, 1063.
7 *Dial, cum Tryphone,* 61; MG 6, 613.
8 *Contra haeresim Noêti,* n. 10; MG 10, 817.
9 *Adv Praxeam,* 7; ML 2, 185; et *Adv. gnosticos,* c. 7; ML 2, 159.
,0 *Apol.* 1, n. 63; MG 6, 424.
11 *Pardag* , lib. 1, c. 7; MG 8. 320; et *Strom.,* lib. 4, c. 25; MG 8, 1365.
12 *Adv. Praxeam,* cc. 14-16; ML 2, 194 et 199.

nitatis negasse. Unde S. *Athanasius.* Trinitatis defensor acerrimus, urgebat arianos dicens: «Nos quidem hanc sententiam a Patribus ad Patres transiisse demonstramus. Vos vero, o novi judaei et Caiphae discipuli, quos Patres, qui vestris voculis faverint, exhibere potestis? Nullum certe prudentem et sapientem unquam proferetis; omnes enim a vobis abhorrent praeter unum diabolum» [1]. Et S. *Augustinus,* omnium quotquot antiquitus exstiterunt haeresum impugnator, ait: «Omnes, quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quae Deus est, divinorum librorum veterum et novorum catholici tractatores, hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus unius ejusdemque substantiae inseparabili aequalitate divinam insinuent unitatem; ideoque non sint tres dii sed unus Deus: quamvis Pater Filium genuerit, et ideo Filius non sit qui Pater est; Filiusque a Patre sit genitus, et ideo Pater non sit qui Filius est; Spiritusque Sanctus nec Pater sit nec Filius, sed tantum Patris et Filii Spiritus, Patri et Filio etiam ipse coaequalis et ad Trinitatis pertinens unitatem» [2].

486. Thesis **III. Spiritus Sanctus est Deus, consubstantialis Patri et Filio.** *(Est de fide.)*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura,* a) Spiritus Sanctus expresse nominatur Deus in sacris litteris. *Cur lentavit satanas,* ait Petrus Ananiae, *cor tuum mentiri Spiritui Sancto?... Non es mentitus hominibus sed Deo* [3]. Ananias subtraxit partem bonorum, quae obtulerat Deo. et hac de causa arguitur a S. Petro, quod, mentiendo Spiritui Sancto, mentitus est Deo [4]. *Divisiones vero gratiarum sunt,* inquit Apostolus, *idem autem Spiritus. Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus. Et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus* [5]. Nomina *Spiritus, Dominus* et *Deus* vel designant hic Spiritum Sanctum, ut aliqui voluerunt [6], vel saltem describunt donorum originem a tribus personis, ut aliis placet, connumerando Spiritum Sanctum Patri et Filio in eodem ordine.

b) Attributa Dei competunt Spiritui Sancto, a) Scientia infinita: *Spiritus enim omnia scrutatur etiam profunda Dei... quae Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei* [7], β) Cognitio et praedictio futurorum: *Spiritu Sancto inspirante, locuti sunt sancti Dei homines* [8] *Oportet impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus Sanctus per os David* [9]. γ) Perfectiones divinae, quibus datur cultus latriae: *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est?* [10].

1 *De decr. nic. syn.,* n. 27; MG 25, 466.
2 *De Trinitate,* lib. 1, n. 7; ML 42, 824
3 *Act.,* 5, 3-4.
4 Cfr. Potavius, *De Trinitate,* lib. 2, c. 13, n. 1.
5 *I Cor.,* 12, 4-6.
6 S. Thomas, *Comment, in ep. I ad Cor.,* c. 12, lect. t.
7 *I Cor.,* 2, 10-11.
8 *II Petri,* 1, 21.
9 *Act.,* i, 16.
10 *I Cor.,* 6, 19. Ad rem in symbolo nicaeno cpolitano dicimus de Spiritu Sancto: *Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur.* Donz-Bannw., 86

c) Operationes Dei tribuuntur Spiritui Sancto. Etenim Spiritus Dei. a) Sanctificat homines: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*[1]. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*[2]. β) Elargitur hominibus plura charismata et dona miraculorum: *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae, alii autem sermo scientiae... alii gratia sanitatum in uno Spiritu, alii operatio virtutum... Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult*[3]. γ) Docet fideles omnem veritatem: *Paraclitus autem Spiritus Sanctus... ille vos docebit omnia*[4].

2) *Ex traditione,* a) *Clemens romanus:* «Sicut enim Deus vivit, et Dominus Jesus Christus vivit, et Spiritus Sanctus, fides et spes electorum»[5]. S. *Ignatius:* «Fortes sitis in virtute Spiritus»[6]. *S. Justinus:* «Eum (Patrem), et Filium, qui ab eo venit... et Spiritum propheticum colimus et adoramus»[7]. *Athenagoras:* «Deum dicimus et Filium ipsius, et Spiritum Sanctum, unitos secundum virtutem, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum»[8].

b) *In symbolo cpolitano:* «Credimus... in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem... qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur»[9].

c) *Doxologiae,* quae laudem Dei continent, expresse nominant Spiritum Sanctum una cum Patre et Filio.

d) *In baptismo* abluimur a peccatis «in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti», id est, in nomine unius Dei et trium personarum.

487. Dices. Deus non contristatur, nec orat Deum, nec loquitur nisi a semetipso. Sed Spiritus Sanctus: i) Contristatur juxta illud: *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei*[10]. 2) Orat Deum, quia *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*[11]. 3) *Non enim loquetur a semetipso, sed, quaecumque audiet, loquetur*[12].

Resp. Ad 1.um Spiritus Sanctus dicitur contristari metaphorice, in quantum peccatis hominum offenditur; sicut enim homines offensi solent contristari, ita Spiritus Sanctus, cum a peccatoribus offenditur, dicitur contristari.

Ad 2.um Spiritus postulat pro nobis bona, non formaliter sicut creaturae petunt, sed efficienter, movendo creaturas, ut gratias a Deo postulent.

Ad 3.um Spiritus Sanctus dicitur non loqui a semetipso «ratione processionis a Patre et Filio, quatenus scilicet doctrinam non secus ac essentiam habet communicatam a Patre, et Filio»[13].

1 *Joan.,* 3, 5.
2 *Rom.,* 5, 5.
3 *1 Cor.,* 12, 8-11. Cfr. Comely, in h. l.
4 *Joan.,* 14, 26.
5 *1 Cor., 59, 2;* Funk, *Patres ap.,* 1, 172.
6 *Ad Smyrn.,* 13; MG 5, 717.
7 *Apol.* I. 6; MG 6, 335.
8 *Legat pro Christianis,* n. 24; MG 8, 946.
9 Denz-Bannw., 86.
10 *Ephes.,* 4, 30. Cfr. S. Hieronymus, *In ep. ad Ephes.,* c. 4, v. 5; ML 26, *528*
11 *Rom.,* 8, 26.
12 *Joan.,* 16, 13.
13 Coshlam, Dr *Deo trino,* q. 18, a. 3, § 1.

QUAESTIO XXII

DE DIVINIS PROCESSIONIBUS IN GENERE

S. *Th.. I p., q. 27.*

ARTICULUS I

UTRUM IN DEO DENTUR PROCESSIONES

488. Status quaestionis. 1) Processio sumi potest a) *pro motu locali progressivo,* qui solis rebus corporalibus competit; et b) *pro emanatione seu origine unius ab alio* tanquam a causa vel a principio. Haec origo aliquando est per actionem immanentem, ut verbum mentis a dicente, et vocatur processio *ad intra,* aliquando est per actionem transeuntem, ut calor ab igne, et dicitur processio *ad extra.* Potest considerari active, ut est operatio agentis, vel passive, prout est terminus operationis.

2) Certum est in Deo dari processiones *ad extra,* quia res creatae ab eo per creationem prodeunt.

3) Solum quaeritur hic, an in Deo sit aliqua processio *ad intra,* non quidem tanquam origo rei a causa, sed tanquam origo personarum a principio. Clarius: sciscitari oportet, utrum in Deo, sicut actiones virtualiter transeuntes producunt plüres effectus *ad extra,* an pariter actus intellectus et voluntatis sint fecundi, et qua principium producant aliquem terminum *ad intra.*

489. Errores. 1) *Monarchiani* et *subordinatiani,* quamvis loquantur de tribus personis, de facto negant in Deo processiones *ad intra.* Monarchiani minime distinxerunt Filium et Spiritum Sanctum a Patre, sed dixerunt ipsum Patrem, prout diversimode manifestatur, esse Filium et Spiritum Sanctum. Subordinatiani e contra, licet tres personas inter se distinctas admiserint, docuerunt Filium et Spiritum Sanctum esse puras creaturas, ac proinde effectus processionis *ad extra* [1].

2) *Rationalistae,* altitudinem mysteriorum Dei adsequi non valentes, Trinitatem personarum ut figmentum humanum rejiciunt, et processiones Dei *ad intra* ut speculationes theologicas impugnant.

490. Thesis. **Dantur in Deo processiones «ad intra».** *(Est de fide.)*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Ait Dominus in Evangelio: *Ego enim ex Deo processi, et veni* [2]. Et de Spiritu Sancto dicitur: *Mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit* [3].

2) *Ex conciliis.* In symbolo nicaeno cpolitano profitemur Filium Dei unigenitum esse «ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo,

1 Cfr. supra, n. 466.

2 *Joan.,* 8, 42. Hunc locum Glossa et SS. Patres exponunt de aeterna Filii processione.

3 *Joan.,* 15, 26.

lumen de lumine, Deum verum de Deo vero». Et credimus «in Spiritum Sanctum, qui a Patre Filioque procedit». In symbolo athanasiano dicitur: «Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus: Spiritus Sanctus a Patre et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens» [1].

3) *Ratione.* «Quicumque autem intelligit, ait S. *Thomas,* ex hoc ipso quod intelligit, procedat aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei inteb lectae ex vi intellectiva proveniens et ex ejus natura procedens. Quam quidem conceptionem vox significat, et dicitur *Verbum cordis* significatum verbo vocis» [2]. Deus autem perfectissime se ipsum intelligit. Ergo.

Quando intellectus cognoscit connaturaliter suum objectum proprium, producit verbum, quod est idea expressa seu objectum cognitum, ut probatur in philosophia. Sicut enim animal prolem, quam concipit, parit, ita intellectus objectum, quod concipit, producit et spiritualiter parit. Nihil autem prohibet adscribere Deo, qui fecundissimus est, creaturarum in hoc genere perfectiones. Ergo Deus, se ipsum intelligendo, generat Verbum, quod est Filius.

Diximus *quando intellectus connaturaliter cognoscit suum objectum proprium,* quia si intellectus creatus ducatur supernaturaliter ad percipiendum immediate objectum per se intellectum, non producit verbum, ut supra dictum est [3].

Item Filius et Spiritus Sanctus, cum sese intelligunt, non producunt aliud Verbum, quia intellectio, non utcumque, sed quatenus modificatur paternitate, producit Verbum. Filius autem et Spiritus Sanctus sese intelligunt, non intellectione sic modificata et exclusive sibi propria, sed actione tribus personis communi. Praeterea processio Filii a Patre exhaurit totam fecunditatem intellectus divini in hac linea.

491. Scholion. Quamvis natura divina vere communicetur a generante et spirante personis procedentibus, non tamen potest dici naturam procedere, quia est eadem in tribus personis absque ulla reali distinctione. Ad processionem autem requiritur, ut procedens distinguatur a suo principio.

ARTICULUS II

QUOT SINT IN DEO PROCESSIONES, ET QUAE PERSONAE PROCEDANT

492. Status quaestionis. Titulus patet ex terminis.

Ratio articuli est, quia 1) dubitari posset, an Pater ab aliquo principio procedat; 2) num Spiritus Sanctus procedat a duplici principio et idcirco duplici saltem partiali processione; 3) utrum per intellectionem atque amorem Filii et Spiritus Sancti dentur in Deo aliae processiones. Hinc dubium occurrit, quot sint in Deo processiones et quae personae procedant.

1 Denz-Bannw., 39. Cfr. Concil. Lat. IV, c. *Firmiter;* Denz-Bannw., 428.
2 / />., q. 27, a. 1.
3 Cfr. supra, n. 195.

493. Thesis. **Pater in divinis non procedit; procedunt tamen Filius et Spiritus Sanctus. Unde duae sunt in Deo processiones, una per intellectum, qua Filius generatur, et altera per voluntatem, qua Spiritus Sanctus procedit.**

Pars 1.a Pater in divinis non procedit.

Arg. Pater in traditione Christiana dicitur αγέννητο , non factus, non creatus, non genitus, id est, non ortus ab alio. Unde in symbolo athanasiano dicitur: «Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus» [1]. Et Patres Concilii Toletani XI (a. 675) ajebant: «Patrem quidem non genitum, non creatum, sed ingenitum profitemur; ipse enim a milio originem ducit» [2]. Concilium Lat. IV: «Pater a nullo» est [3]. Concilium Florentinum: «Pater... est principium sine principio»[4].

Graeci vocant saepissime Patrem ἀγεννητον et ἀναρζον, principium sine principio [5]. et S. *Hilarius* docet Patrem esse «ininitiabilem» [6][7]

Pars 2.a Filius et Spiritus Sanctus procedunt in divinis.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura,* a) De Filio: Filius, ut nomen indicat, procedit a Patre. Unde dicitur: *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, seil pro nobis omnibus tradidit illum* [1]. -*Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre* [8].—*Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* [9]. b) De Spiritu Sancto: *Misit Christus Paraclitum, spiritum veritatis, qui a Patre procedit*[10][11]

2) *Ex conciliis.* Concilium Nicaeno-Cpolitanum ait: «Credo... et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula... et in Spiritum Sanctum, qui ex Patre Filioque procedit» [n].

Pars 3.a In Deo sunt duae tantum processiones, una per intellectum, qua gignitur Filius, et altera per voluntatem, qua procedit Spiritus Sanctus.

Arg. Cum fecunditas Dei *ad intra* attendatur secundum actiones immanentes, tot sunt in Deo processiones, quot sunt actiones immanentes. Sed duae sunt in Deo actiones immanentes, intelligere scilicet et velle. Ergo duae sunt tantummodo in Deo processiones, una per intellectum, qua gignitur Filius, et altera per voluntatem, qua procedit Spiritus Sanctus.

1 Denz-Bannw., 39.
2 Denz-Bannw., 275.
3 Cap. *Firmiter:* Denz-Bannw., 428.
1 Denz-Bannw., 704.
5 Cfr. S. Cyrillus hierosol., *Catech.,* 4, 4; MG 33, 458.
6 *De Trinitate,* 4, 6; ML 10, 100.
7 *Rom.,* 8, 32.
8 *Joan.,* i, 14.
9 *Joan.,* 3, 16.
10 *Joan.,* 15, 26.
11 Denz-Bannw., 86.

494. Obj. 1/ Pater et Filius sunt duo principia Spiritus Sancti. Ergo sunt duae processiones, saltern partiales, per voluntatem, quae cum generatione Filii constituunt tres processiones.

Resp.—Neg. ant. Pater et Filius sunt unicum et simplex principium Spiritus Sancti, ut inferius data opera explicabitur. Cfr. n. 538.

Obj. 2." Filius Dei intelligit et Spiritus Sanctus amat. Ergo Filius producit alium Filium et Spiritus Sanctus alium Spiritum Sanctum.

Resp. -Neg. conseq. Filius Dei intelligit quidem et Spiritus Sanctus amat, sed his actionibus non producunt alias personas. 1) Filius, ut Verbum et terminus adaequatus intellectus Patris, exhaurit omnino actionem intellectivam Dei. Hic intellectus exhaustus et habens jam terminum suae intellectionis communicatur Filio et non potest producere aliud Verbum. 2) E contra Pater producens Filium communicat ei voluntatem non habentem terminum suae fecunditatis. Unde Pater et Filius habentes hanc voluntatem inexhaustam producunt Spiritum Sanctum. 3) Attamen Spiritus Sanctus accipit intellectum et voluntatem plene exhaustos per suas infinitas actiones et habentes terminos fecunditatis, ac proinde nequit producere aliam personam.

ARTICULUS III

QUOD SIT PRINCIPIUM DIVINARUM PROCESSIONUM

495. Duplex est principium cujuslibet actionis, principium *quod* et principium *quo.* Primum est ipsum agens seu suppositum, quod agit, quia *actiones sunt suppositorum.* Alterum est id, quo mediante, suppositum operatur. Principium *quo* est duplex, remotum scilicet et proximum. *Remotum* est natura ac forma, a qua omnis actio oritur; *proximum* est facultas seu potentia, qua suppositum agit. Uno exemplo omnia clarescunt: principium *quod* intellectionis est homo; principium *quo* remotum natura humana; et principium *quo* proximum intellectus.

Videndum est quod sit principium *quod* et *quo* divinarum processionum.

496. Placita theologorum. 1) *Principium quod.* Facile conceditur ab omnibus principium *quod* divinarum processionum esse ipsas personas Patris et Filii, quia actiones sunt suppositorum.

2) *Principium quo remotum.* Item, communis est sententia, quae docet principium *quo remotum* divinarum processionum esse naturam divinam modificatam, relationibus.

3) *Principium quo proximum.* a) *Durandus* contendit principium *quo proximum* divinarum processionum esse divinam naturam, praeintellectam intellectui et voluntati, ita ut natura immediate producat Filium et Spiritum Sanctum. «Intelligere, ait, et velle non sunt productiones personarum nec principia productionum, sed, exclusis a Deo per intellectum intellectu et voluntate cum omnibus actibus suis, adhuc esset in divinis generatio Filii ct spiratio Spiritus Sancti» ’. Deinde addit Deum esse fecundum, non quia est intelligens aut volens, sed quia est infinitus.

b) S. *Bonaventura* 2 cum aliis vult principium *quo immediatum* divinarum processionum esse relationes seu proprietates personarum.

c) *Alii* censent principium *quo proximum* divinarum processionum adaequate contineri essentia divina, intellectu, et voluntate atque relationibus. Ita *Valentia 3* cum aliis.

1 *7 Sent.,* dist. 6, q. 2, n. 10.
2 */ Sent.,* dist. 7, a. 1, q. 1.
’ *In 1 p ,* disp. 2, q. 15, p. 2.

d) *Wirceburgenses* [1] distinguunt inter principium *quo productivum* et principium *quo communicativum,* et dicunt primum constitui per proprietates personarum producentium, alterum vero per naturam divinam, quatenus exigit terminos immanentes sibi identificare et se omnesque perfectiones absolutas illis communicare.

e) Communissime tenent theologi principium *quo* proximum divinarum processionum esse intellectum et voluntatem modificatos relationibus paternitatis et spirationis activae. Ita S. *Thomas* [2] et thomistae [3], quibus subscribunt *Scotus, Toletus, Vazquez, Suarez* [4] et alii.

497. THESIS I. **Principium «quod» divinarum processionum sunt proculdubio personae Patris et Filii, Pater quidem respectu generationis Filii, et Pater ac Filius respectu processionis Spiritus Sancti.**

Arg. Principium *quod* processionis et persona ab eo producta realiter distinguuntur; nihil enim se ipsum producit. Sed nihil in Deo re distinguitur a personis productis nisi personae producentes, Pater scilicet a Filio, et Pater ac Filius a Spiritu Sancto. Ergo principium *quod* divinarum processionum sunt Pater et Filius, Pater quidem respectu generationis Filii, et Pater ac Filius respectu processionis Spiritus Sancti. Unde natura non est generans, sed Pater est, qui generat, sicut Pater et Filius sunt, qui spirant.

498. Thesis **II. Essentia seu natura divina relationibus paternitatis et spirationis activae modificata est principium «quo» remotum divinarum processionum.**

Arg. 1) *Ex SS. Patribus. S. Joannes Damascenus* ait: «Generatio quidem initium non habet sempitemaque est, ut quae naturae sit opus, exque ipsius substantia prodeat» [5]. S. *Cyrillus alex,* docet generativam virtutem esse essentiam Dei [6]. Hinc Joannes theologus in Concilio Florentino ait: «Personam Patris significari ut suppositum, ut persona sit generans; naturam vero divinam esse principium per quod Pater generat Filium» [7].

2) *Ex ratione.* Omnes perfectiones Dei, ipsa etiam fecunditas et virtus producendi personas ad intra, dimanant ab essentia divina. Ergo principium *quo* remotum et radicale divinarum processionum est essentia divina.

1 *De Deo trino,* nn. 369-370.

2 *1 p.,* q. 41, a. 5.

3 Cfr Philippus a SS. Trinitate, *De SS. Trinitate,* disp. I, dub. 3: Billuart, *De SS. Trinitate,* diss. 2, a. 2, et alii.

4 Scotus, *I Sent.,* dist. 7, q. un.; Toletus, *In I p.,* q. 27, a. 5, et q. 41, a. 5, tert. concl., et ad 8: Vazquez, *In I p.,* disp. 164, c. 3: Suarez, *De Trinit.,* lib. 6, c. 5, n. 10.

6 *De fide orth.,* lib. 1, c. 8; MG 94, 813.

6 *Thesaurus,* assert. 6; MG 75, 81.

7 *Concit. Flor.,* sess. 18; Labbeus, 31, 738.

499. Thesis **III. Principium quo proximum divinarum processionum sunt intellectus et voluntas, modificati relationibus paternitatis et spirationis activae. Importat igitur directe aliquid absolutum, sed connotât in obliquo tanquam conditionem aliquid relativum.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura et SS. PP.* In plurimis S. Scripturae locis Filius vocatur *Verbum Dei*[1], et Spiritus Sanctus appellatur a SS. Patribus *Amor, Dilectio, Caritas*[2]. Sed Verbum ab intellectu et amor a voluntate immediate procedunt. Ergo principium quo proximum divinarum processionum sunt intellectus et voluntas.

2) *Ex ratione.* Natura, qua agens agit, non est immediate operativa.sed indiget etiam in divinis ad operationem aliqua potentia reali et activa, cujus actio se habeat *ad intra* vel *ad extra* secundum conditionem termini producendi. Sed nequit in Deo concipi alia potentia, qua Verbum et Spiritus Sanctus produci valeant *ad intra,* nisi intellectus et voluntas. Ergo.

Diximus *modificati relationibus paternitatis et spirationis activae^* quia intellectus et voluntas, si secundum se considerentur, cum pertineant ad essentiam, sunt communes toti Trinitati. Quare, ut intellectus producat Verbum in Patre et non in aliis personis, et similiter, ut voluntas producat Amorem in Patre et Filio et non in Spiritu Sancto, modificari debent et quodammodo appropriari personae producenti. Hoc autem fit paternitate in Patre et spiratione activa in Patre et Filio. Unde intellectus idem exsistens in tribus personis, quatenus modificatur relatione paternitatis in Patre, producit Filium; et voluntas pariter, communis tribus personis, modificata relatione spirationis activae in Patre et Filio, producit Spiritum Sanctum.

500. Corollarium. Quandoque SS. Patres rationem principii divinarum processionum tribuunt 1) personae divinae, 2) naturae divinae, 3) intellectui ac voluntati, 4) proprietati cuipiam personali. Sed eorum effata intelligi debent in 1.° casu de principio *quod:* in 2.° de principio *quo* remoto; in 3.° de principio *quo* proximo, et in 4.° de conditione modificante principium *quo.*

ARTICULUS IV

IN QUO FORMALITER REPONATUR RATIO ACTIVA DIVINARUM PROCESSIONUM

501. Status quaestionis. Processio seu origo unius ab alio considerari potest, ut est in termino a *quo,* et ut est in termino *ad quem.* Quaeritur hic. quomodo principium *quod* processionum seu suppositum agens concurrat ad processionem in divinis; clarius: an processio personarum in divinis sit simplex emanatio per modum resultantiae unius

[1] *Joan.,* i, i.
[2] Cfr. S. Hieronymus, *in ps.* i η\ MI. 26,915; et S. Gregorius M., *hom. 30 in Evang.,* n. 1: ML 76, 1220.

a suo principio non concurrente per veram actionem, ut proprietates emanant ab essentia; vel e contra sit origo per veram actionem seu productio passiva termini a suo principio active concurrente.

502. Placita theologorum, i) *Durandus*[1], Origenem fortasse sequutus [2], docuit processiones divinas non a potentia intellectiva sed a fecunditate naturae divinae ducere originem.

2) Alii contendunt processiones divinas ex parte personae agentis non habere rationem actionis seu operationis proprie dictae, sed esse simplices emanationes seu resultantias intelligibiles ad modum proprietatis a natura enascentis. Ita *Molina, Suarez* et alii [3]. Ex recentioribus *Billot* et alii docent actus notionales in Deo non esse actiones vere productivas sed solum significari «per modum actionis productivae» [4].

3) Communissima inter thomistas et extraneos sententia docet personas in Deo procedere per veram actionem intellectus et voluntatis et non per simplicem emanationem seu resultantiam [5].

503. Thesis. **Divinae processiones active sumptae sunt vere et proprie actiones seu operationes intellectus et voluntatis Dei; idcirco Filius et Spiritus Sanctus procedunt per veram actionem, non per simplicem emanationem seu resultantiam.**

Arg. 1) *Angelicus Doctor* ait: «In divinis non est processio nisi secundum actionem, quae non tendit in aliquid extrinsecum, sed manet in ipso agente. Hujusmodi autem actio in intellectuali natura est actio intellectus et actio voluntatis» [6].

2) In Deo datur ratio principii activi et potentiae activae tum ad extra tum ad intra, ut bene probat S. *Thomas* [7]. Sed principium activum et potentia activa producunt suum terminum per veram actionem. Ergo.

3) Processio personarum per veram actionem non denotat imperfectionem in Deo: a) non quidem ex parte principii producentis, quia actio ex se praescindit a ratione accidentis et substantiae et solum dicit productionem termini, adeo ut possit principium activum, quando est suum esse, sibi identificare veram actionem et per eam communicare suam naturam alteri; b) non ex parte termini, quia personae procedentes in Deo non habent rationem effectus aut potentiae passivae, sed sunt purus terminus actionum ad intra, accipientes eamdem naturam principii.

Unde opinio *Durandi* non videtur concordare cum Concilio Lat. IV. quod docet essentiam non generare in divinis [8].

1 *1 Sent.,* dist. 6, q. 2.

2 Origenes, *in Joan.,* c. 1 (MG 14, 65 sqq.): noluit Filium appellari Verbum, nisi metaphorice, quasi non esset actione intellectiva Patris productus.

2 Molina, *In 1 p.,* q. 27, disp. 1 in fine; Suarez, *De Trinitate,* lib. I, c. 8, n. 5

4 *De Deo trino,* th. 38 ad 1.

5 Cfr. Salmanticenses, *De SS. Trinitatis mysterio,* disp. 2, n. 11 r sqq.; Philippus. a SS. Trinitate, *Cursus theol.,* tr. 2, disp. I, dub. 2; Bachonus, *Quodlib.,* lib. 3, q. 11

8 *I p.,* q. 27, a. 3. Idem repetit *ibid.,* a. 5, et *De potentia,* q. 10, a. 2.

' *I p.,* q. 25, a. i.

R Cfr. Denz-Bannw., 431 et 432.

504. Dices, 1) S. *Thomas* diserte docet processionem in divinis esse secundum emanationem intelligibilem[1]; 2) terminus actionis habet semper rationem effectus, quae personis divinis competere nequit; 3) terminus actionis realiter distinguitur a potentia activa; 4) processiones in Deo sunt relationes, quae non per actionem sed per simplicem emanationem resultant.

Resp. Ad 1.um Emanatio unius rei ab alia potest esse vel per simplicem resultantiam, ut proprietates emanant ab essentia, vel per veram actionem, ut verbum emanat per intellectionem. S. *Thomas* loquitur in loco citato de emanatione per actionem.

Ad 2.um Verae actioni potest respondere non solum effectus sed etiam terminus ejusdem naturae cum agente.

Ad 3.um Terminus actionis distinguitur realiter a potentia productiva, si accipiat naturam distinctam a potentia, secus autem, si eamdem naturam potentiae activae recipiat.

Ad 4.um Relationes creaturarum, utpote entia non subsistentia, producuntur per simplicem resultantiam, sed relationes divinae, quae sunt personae subsistentes, producuntur per veram actionem.

QUAESTIO XXIII

DE PROCESSIONE FILII

S. *Th., I p., q. 33.*

ARTICULUS I

UTRUM NOMEN PRINCIPII CONVENIAT PATRI RESPECTU FILII ET SPIRITUS SANCTI

505. Status quaestionis. 1) Principium dicitur *id, a quo aliquid quocumque modo procedit.* Dupliciter in Deo accipi potest: a) *notionaliter* respectu personarum; b) *essentialiter* respectu creaturarum.

2) Certum est Deo convenire nomen principii *essentialiter,* quia Dens ex nihilo condidit multisque modis transformavit omnes creaturas. Hoc tamen sensu non est nomen proprium Patris, sed commune tribus personis, quia opera ad extra sunt communia toti Trinitati.

3) Difficultas est, an et quomodo Pater sit principium divinarum processionum.

506. Thesis. **Pater est principium sine principio divinarum processionum.**

Arg. Filius et Spiritus Sanctus procedunt a Patre per veram originem, ut jam supra dictum est. Ergo Pater est verum principium divinarum processionum. Verumtamen Pater vocatur principium sine principio, quia, ut supra probavimus, a nemine procedit.

Pater apud latinos non potest dici causa Filii, quia causa in lingua latina significat principium producens effectum, id est, aliquid diversum in essentia; personae autem procedentes non habent rationem effectus nec distinguuntur in essentia a Patre. Graeci tamen doctores

[1] I p., q. 27, a. 1.

nomine causae intelligunt id, a quo aliquid procedit, et Patrem saepe vocant causam·—αιτίαν—et Filium et Spiritum Sanctum causatum—αἰτιατον—Λ Unde attendendum est in his nominibus, quid proprietas linguae consentiat 2.

507. Scholion. Nomina, quibus prima persona designatur, sunt *Principium, Pater, Ingenitus.*

1) *Principium* est nomen personale Patris, ex quo tanquam ex fonte procedunt aliae personae. Dicitur principium sine principio seu principium fontale, ut distinguatur non solum a Spiritu Sancto, qui notionaliter non est principium, sed etiam a Filio, qui, quamvis sit simul cum Patre principium Spiritus Sancti, «non tamen est principium sine principio nec principium fontale, sed principium de principio» 3.

2) *Pater* dicitur notionaliter prima persona, quatenus ex sua substantia generat Filium. Unde Propheta ponit in ore Patris: *Filius meus es tu, ego hodie geniti te*4. Et Christus in Evangelio primam personam saepe vocavit Patrem.

Deus aliquando appellatur Pater, in quantum habet filios adoptivos, id est. quatenus sanctificat et admittit homines ad haereditatem regni caelestis atque ad possessionem ipsius Dei, juxta illud Apostoli: *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba (Pater). Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, et haeredes: haeredes quidem Dei* 5. Cum autem sanctificatio et adoptio creaturarum sint opus commune toti Trinitati, hoc sensu nomen Patris non est proprium primae personae sed tribus personis commune.

Hinc est, quod Pater, quatenus generat Filium, est nomen personale, et, quatenus sanctificat et ad haereditatem admittit creaturas, est essentiale. Quam duplicem paternitatem agnovit Christus, cum ait: *Ascendo ad Patrem meum* (naturalem) *et Patrem vestrum* (adoptivum) 6.

3) *Ingenitus,* licet sit nomen negativum, significat tamen proprietatem positivam in Patre, quae non consistit in ratione primi et fontalis principii, sed est modus subsistendi et essendi a se, in quo fundatur ratio non essendi ab alio. Unde *ingenitus* adaequate de materiali significat personam Patris, de formali vero habentem esse a se 7, implicite non esse ab alio.

Hoc sensu nomen *ingenitus* est proprium Patris, quia solus Pater est ita a se in divinis, ut non ab alio. Attamen, si *ingenitus* adhibeatur ad excludendam generationem, ut vox innuere videtur, est nomen commune Patri et Spiritui Sancto.

1 Cfr. Damascenus, *De fide orth.,* lib. i, c. io; MG 94, 837; et *Concit. Flor.,* Decret, pro graecis; Denz-Bannw., 691.

2 Filius et Spiritus Sanctus nequeunt apud nos dici *effectus* et *causati,* et non bene sonat vox *principiali.*

3 Van Noon, *De Deo trino,* n. 171.

4 *Ps. 2,* 7. Hunc psalmum esse messianicum et ex eo probari divinitatem Filii communiter docent expositores catholici. Verba tamen *ego hodie genui te* non ad generationem aeternam sed ad resurrectionem Christi referri colligitur ex *Act. Ap.,* 13. 33 sqq.

5 *Rom.,* 8, 15 sqq. 6 *Joan.,* 20, 17.

7 Cfr. Philippus a SS. Trinitate, disp. 6, dllb. 3.

ARTICULUS II

QUAESTIONES CIRCA PROCESSIONEM FILII

508. Tria sunt nomina, quibus secunda persona SS. Trinitatis designatur in SS. Scripturis et traditione, *Filius,* scilicet. *Verbum* et *Imago.* Filius quidem: *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*K Verbum: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* 2. Imago; *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae 3.*

1) *Filius* dicitur, quia a Patre genitus. 2) *Verbum* audit, quia procedit per generationem intellectualem. 3) *Imago* nuncupatur, quia est similis Patri ex vi processionis. De singulis pauca.

§ 1

Utrum processio Filii in divinis sit proprie dicta generatio.

509. Status quaestionis. Generatio sumitur dupliciter: 1) *Latius* seu *communiter,* quatenus est «mutatio de non esse ad esse» substantiale 4. 2) *Proprie,* quatenus convenit solis viventibus, et delinitur: *Origo viventis a principio vivente conjuncto in similitudinem naturae specificae ex vi ipsius processionis,* a) *Origo viventis,* quia terminus generationis proprie dictae est vivens, ut cum generatur filius, b) *A principio vivente,* quia principium efficiens generationis debet esse vivens et vitaliter influere in productionem termini. Defectu hujus conditionis sol, cum semina vel ova fecundat, non dicitur generare plantas et animalia, c) */1 principio vivente conjuncto,* quatenus principium vel emittit ex se semen, in quo virtualiter est genitum, ut accidit in rebus creatis, vel quatenus ipsa substantia generantis communicatur genito, ut fit in divinis. Quare angeli, primus homo et animalia a Deo creata, licet processerint viventia a principio vivente, non dicuntur a Deo genita. quia nihil acceperunt de substantia Dei. d) *In similitudinem naturae specificae,* quia in generatione substantia vel pars substantiae generantis communicatur genito, e) *Ex vi ipsius processionis,* quia actio vitalis generativa naturaliter ordinatur ad similitudinem producendam. Defectu hujus conditionis Eva non fuit genita nec filia Adae.

Certum est rationem generationis communiter dictae non competere processioni Filii, quia Filius in Deo non transit de non esse ad esse.

Quaerimus, an origo Verbi a Patre sit generatio proprie dicta.

510. Errores, i) *Gnostici,* mysteria nostrae religionis falso interpretantes, dixerunt *Nons, Eones,* vel *Logos,* a Deo *emanare,* nihil a Patre generari.

1 *Matth.,* 28, 19.
5 *Joan.,* i, i.
3 *Coloss..* i. 15.
* S. Thonine, / />., <|. 27, n. 2; et Arlmotolo», *Phys.,* lib. 8, text. 7.

2) *Marcionitae,* ponentes duos vel plures deos natura distinctos, negaverunt unam personam ab alia in Deo generari.

3) *Haeretici omnes,* qui in veram SS. Trinitatis doctrinam invehuntur, sive sabelliani sint sive ariani, Filii a Patre generationem rejiciunt.

511. THESis. Processio Filii a Patre est vera generatio. *(De fide.)*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* a) Secunda persona SS. Trinitatis vocatur in S. Scriptura Filius Patris in proprio sensu seu Filius naturalis. Sed filius proprie dictus procedit semper a Patre per generationem. Ergo. **Prob. maj.**

a) Verbum appellatur Filius simpliciter sine addito: *Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus* [1].—*Filius meus es tu; ego hodie genui te* [2].

β) Secunda persona vocatur a Patre Filius in oppositione ad filium adoptivum: *Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?* [3]. Porro, angeli sunt filii adoptivi, et non meruerunt audire: *Filius meus es tu.—Qui etiam proprio Filio suo non pepercit* [4], ut filios adoptivos faceret.—*Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus tanquam famulus... Christus vero tanquam Filius in domo sua* [5]. En distinctio inter filium adoptivum (Moysem) et naturalem (Christum).

b) Filius saepe in Scripturis praedicatur a Patre genitus imo et unigenitus. *Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram... ante colles ego parturiebar* [6]. Conceptus autem et partus generationem innuunt. *Ex utero ante luciferum genui te* [7].—*Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit* [8].

2) *Ex traditione,* a) In symbolo apostolorum: «Credo... in Jesum Christum, Filium ejus unicum» [9]. In symbolo nicaeno-cpolitano: «Credo... in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula... genitum, non factum» [10]. In symbolo athanasiano: «Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus» [11].

b) SS. Patres uno ore hoc docuerunt. S. *Justinus:* «Cum Verbum sit primogenitum Dei. Deus etiam est» [12]. S. *Augustinus:* «Videndum est hoc significari, cum dicitur genitus, quod significatur, cum dicitur Filius» [13]. S. *Fulgentius:* «In illa quippe nativitate vere est unigenitus, in qua sine initio de solo Deo solus natus est Deus» [14].

1 *Joan.,* 3, 35.

2 *Ps.* 2, 7. Secunda pars hujus textus refertur quidem ad glorificationem Christi in die resurrectionis, sed ideo glorificatus est in resurrectione, quia erat *Filius Dei naturalis.* Cfr. Hetzenauer, *Theol. biblica,* § 40, d).

3 *Hebr.,* 1, 5.

4 *Rom.,* 8, 32.

5 *Hebr.,* 3, 5-6.

6 *Prov.,* 8, 24-25.

7 *Ps.* 109, 3.

8 *Joan.,* i, 18.

9 Denz-Bannw., 6.

10 Denz-Bannw., 86.

11 Denz-Bannw., 39.

12 *Apol.,* I, 63; MG 6, 425.

13 *De Trinitate,* lib. 5, c. 7; ML 42, 915.

14 *Responsiones* contra arianos, obj. 3; ML 85, 211.

3) *Ex ratione.* *S. Thomas* solide argumentatur his verbis: «Procedit (Verbum) per modum intelligibilis actionis, quae est operatio vitae et a principio conjuncto, ut supra jam dictum est (art. praec.), et secundum rationem similitudinis, quia conceptio intellectus est similitudo rei intellectae, et in eadem natura exsistens, quia in Deo idem est intelligerè et esse, ut supra ostensum est (q. 3, a. 4; et q. 14, a. 4). Unde processio Verbi in divinis dicitur generatio, et ipsum Verbum procedens dicitur Filius» [1].

§ 2

Virum secunda persona SS. Trinitatis sit vere et proprie Verbum.

512. **Status quaestionis.** Vocabulum *proprie* dupliciter sumi potest, ut jam scite animadvertit *Cajetanus* [2]. Primo, quatenus distinguitur contra *metaphorice:* sic Christus non proprie sed metaphorice dicitur *agnus.* Secundo, in quantum opponitur ad *commune:* sic Filius dicitur nomen proprium secundae personae non commune toti Trinitati. Priori sensu hic Verbum sumimus, de secundo ejus sensu acturi paragraphe sequenti.

513. Errores, i) *Nonnulli haeretici* antiqui, quos S. *Epiphanias*[3] appellat *alogos.* Verbum Dei nihil esse dicebant.

2) *Arius* et quotquot cum eo voluerunt secundam personam esse Dei creaturam contenderunt Filium Dei non esse proprie Verbum sed tantum metaphorice propter excellentem sapientiam ipsi a Patre communicatam, eo fere modo quo S. Joannes dictus est *Vox clamantis in deserto.*

3) *Durandus* [4] denique negavit Filium Dei esse proprie Verbum, quia, sicut supra dictum est [5], docuit Filium non procedere per intellectum.

4) *Patres* e contra *concilii pistoriensis,* «si non pravo animo, imprudentius certe», ut ait Pius PP. VI [6,7] adseruerunt magis propriam et exactam esse appellationem Verbi quam Filii '.

514. Thesis. **Secunda persona SS. Trinitatis est Verbum proprie dictum.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* *S. Joannes* ait: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*[8]. Haec autem verba a) referuntur ad Filium, quia Verbum, de quo agit S. Joannes, *caro jactum est* (1, 14), et, ut neminem latet, solus Filius adsumpsit carnem; unde *vocatur nomen ejus* (Jesu) *Verbum Dei* [9]; b) accipienda sunt in proprio sensu, quia S. Scriptura dictionibus metaphoricis non utitur ad designandas personas, nec S. Joannes creditur Filium Dei metapho-

1 *I p.,* q. 27, a. 2.
2 *In 1 p.,* q. 34, a. 2.
3 *Adv. haereses,* 51, 3; MG 41, 891 Cfr. Funk, *Compendio de historia eclesidstica* (lüsp. vers.), § 32, n. 1.
4 *I Sent.,* dist. 2, q. 3; et dist. 27, q. 3, n. 3 sqq.
5 Supra, n. 496.
' Bulla *Auctorem fidei,* 28 Aug. 1794: Denz-Bannw., 1595.
7 Cfr. Denz-Bannw., π. 1597.
H *Joan.,* i, i.
• *Apoc.,* 19, 13.

rice designasse, cum ejus incarnationem gestaque praecipua incepit enarrare. Hinc vocabulum Verbum totius antiquitatis suffragio consecratur Filio Dei. «Ita se habet, ait S. *Gregorius nazianzenus,* ad Patrem (Filius) ut Verbum ad mentem» h

2) *Ex ratione.* Verbum, si proprie sumatur, est id, quod dicitur. Dicere autem est notitiam mentis exprimere, seu rei intellectae signum proferre. Quod, si externe fiat, *verbum oris,* si ad intra proferatur, *verbum mentis* merito nuncupatur. Porro Filius per actionem intellectualem seu ad intra a Patre procedit, ut supra ostendimus. Ergo Filius Dei est vere ac proprie Verbum.

Ex hoc facile evertitur fundamentum *Durandi.* Intellectus enim divinus, paternitate modificatus, est principium processionis, quae dicitur generatio, et Filius procedit per actum intelligendi.

§ 3

Utrum Verbum in divinis sit nomen essentiale tribus personis commune vel personale soli Filio conveniens.

515. Status quaestionis. Nomen *essentiale* dicitur in divinis, quod convenit essentiae et est tribus personis commune; nomen *personale* vocatur, quod est uni personae proprium, quatenus proprium distinguitur contra commune, adeo ut conveniat uni et non alteri.

Quaeritur, utrum Verbum sit nomen personale et proprium Filii.

516. Placita theologorum, i) *Durandus* [2] consequenter ad sua principia docuit Verbum in divinis esse nomen essentiale tantum, non personale, accommodatione quadam appropriatum secundae personae.

2) *Nonnulli veteres* putarunt Verbum in divinis esse nomen essentiale simul et personale. Imo *Suarez* [3] adserit S. *Thomam, 1 Sent.,* dist. 27, q. 2, a. 3, in hac fuisse opinione, et *Billot* [4] innuit S. Doctorem, qui primo credidit Verbum esse nomen personale tantum, postea mutasse sententiam et Verbum essentialiter et personaliter de Filio praedicasse.

517. THESIS. **Verbum, si proprie sumatur, non est in divinis nomen essentiale sed personale, Filio dumtaxat conveniens.**

Arg. Verbum proprie dictum in divinis est terminus intellectionis, seu id, quod a dicente per actionem intellectivam profertur ac producitur. Solus autem Filius hoc modo producitur in Deo, ut late ostendimus supra [5]. Ergo Verbum est nomen personale, soli Filio conveniens. Unde S. *Cyrillus alexandrinus* saepe ostendit in suo *Thesauro* Verbum esse nomen proprium Filii [6].

S. *Thomas* loco citato a *Suarez* et *De Veritate,* q. 4, a. 2, accipit

[1] *Orat, theol.,* 4, circa fin.; MG 36, 129.
[2] *1 Sent.,* dist. 27, q. 3, n. 6 sqq.
[3] *De Trinitate,* lib. 9, c. 3, n. 1.
[4] *De Deo trino,* q. 34, th. 22.
[5] Cfr. n. 511 et 547.
[e] Cfr. *Thesaurus,* assert. 4; MG 75, 56; et assert. 19; MG 75, 313.

Verbum improprie. Dicit enim Verbum dupliciter sumi posse: 1) *Improprie,* «secundum quod dicit id, quo aliquid formaliter intelligitur». 2) *Proprie,* «secundum quod species intellecta nominat aliquid realiter distinctum ab eo, cujus similitudinem gerit. Primo sensu, cum ipsa essentia per se intelligatur et manifestetur, ipsa essentia erit Verbum»; in quo, id est, in essentia divina, beati dicuntur res videre; et ita Verbum est nomen essentiale. Altero sensu, ut saepe docet *Angelicus,* Verbum dicitur personaliter et convenit soli Filio, in quo manifestatur Pater [1].

§ 4

Ex quarum rerum cognitione procedat Filius.

518. Status quaestionis. 1) Deus Pater, se ipsum intelligendo, producit Filium. Porro Pater per unicam et simplicissimam sui scientiam comprehendit omnia. Unde unico et simplicissimo intuitu videt essentiam, attributa, relationes seu personas, atque creaturas omnes possibiles et futuras, omne scilicet quod est objectum simplicis intelligentiae ac visionis. Hinc exortum est dubium, quodnam sit objectum, ex cujus cognitione *jormaliter* procedat Filius, an scilicet ex praedictorum omnium cognitione vel potius ex intellectione quorumdam.

2) Quod ut recte intelligatur animadvertendum est objectum posse dupliciter se habere ad terminum intellectionis, *formaliter* scilicet et *concomitanter. Formaliter* dicitur objectum se habere ad terminum intellectionis, quando ex sua formali ratione influit in actum, et ab antiquis vocari consuevit operari per se 4.° modo, ut homo ratiocinatur. *Concomilantcr* se habet, quando formalitas objecti, quae exprimitur, comitatur quidem actum intellectus, non tamen influit formaliter in operationem, sed appellatione quadam materiali, ut animal ratiocinatur.

3) Nemo dubitat, quin cognitio omnium rerum, sive sint essentia, attributa et relationes Dei, sive creaturae possibiles et futurae, comitetur actum intellectus divini, quo producitur Verbum, quia Deus omnia simul comprehendit.

Sed quaestio est valde intricata, an Verbum procedat formaliter ex cognitione omnium rerum, id est, an cognitio essentiae divinae, attributorum et personarum, necnon creaturarum possibilium et futurarum praecedat generationem Verbi et formaliter influat in ipsam.

519. Placita theologorum. 1) *Scotus* [2] docuit Verbum procedere cx cognitione objecti primarii divini intellectus. Cum autem arbitraretur personas non pertinere ad objectum primarium divinae intellectionis, consequenter visus est defendere Verbum procedere ex cognitione solius essentiae adaequate sumptae, seu ex cognitione essentiae et attributorum absolutorum.

Scotistae tamen suum magistrum vindicare conantur dicentes Filium

1 Eodem modo explicandi sunt Capreolus, *I Seni.,* dist. 27, q. 2, a. 1, ut ipse expresse adserit conci. 6; Ferrariensis, *Conlr. Gent.,* lib. i, c. 53; Nazarius, *De Trinitate,* q. 34, a. 1, controv. 2.

2 *In II Sent.,* dist. t, q. i, u. 2; et *Quodlib.,* q. 14, § *Hic intelligendum est.*

procedere ex cognitione essentiae divinae adaequate sumptae et paternitatis, non autem ex cognitione Filii et Spiritus Sancti ac creaturarum '.

2) *Secunda sententia* tenet Verbum divinum procedere formaliter ex cognitione essentiae, attributorum, et personarum Patris ac Filii, non vero ex cognitione Spiritus Sancti ac creaturarum. Ita *Vasques* 2.

3) *Tertia sententia* admittit Verbum formaliter et per se procedere ex cognitione divinae essentiae, attributorum ac person irum Patris et Filii et Spiritus Sancti, non tamen ex cognitione creaturarum. Sic *Arrubal, Turrianus* et alii 3,* quos suppresso nomine citat *Suarez*

4) *Quarta sententia* docet Verbum divinum procedere ex cognitione omnium omnino rerum etiam creatarum tum possibilium tum futurarum. Ita *Valentia* 5, *liuiz* ", *Arriaga* ' et novissime *Billot* 8.*

5) *Quinta* denique *sententia* defendit Verbum divinum per se et formaliter procedere ex cognitione essentiae divinae, attributorum, personarum divinarum, et rerum creatarum possibilium, non vero futurarum. Ita S. *Thomas* et *omnes thomistae,* atque ex extraneis *Suarez* ° et alii plures.

520. Thesis. **Verbum divinum procedit formaliter ex cognitione 1) essentiae divinae et attributorum, 2) personarum divinarum, 3) creaturarum possibilium, et 4) non tamen futurarum.**

Prob. 1.a, 2.a et 3.a pars.

Arg. 1) S. *Augustinus* ait: «Tanquam se ipsum dicens Pater genuit Verbum sibi aequale per omnia. Non enim se ipsum integre perfecteque dixisset, si aliquid minus aut amplius esset in ejus Verbo quam in ipso... Quidquid est in ea scientia, de qua (Verbum) genitum est, et in ipso est»10II

2) *lix auctoritate et ratione S. T/tomae.* «Deus, inquit *Angelicus,* cognoscendo se, cognoscit omnem creaturam. Verbum igitur in mente conceptum est repraesentativum omnis ejus, quod actu intelligitur. Unde in nobis sunt diversa verba secundum diversa, quae intelligimus. Sed quia Deus uno actu et se et omnia intelligit, unum Verbum ejus est expressivum non solum Patris sed etiam creaturarum» u. Et iterum clarius: «Pater enim intelligendo se, et Filium et Spiritum Sanctum et omnia alia, quae ejus scientia continentur, concipit Verbum, ut sic tota Trinitas Verbo dicatur et etiam omnis creatura» 12.

3) *Ex ratione.* Verbum procedit eadem cognitione, qua Pater se ipsum, ut est in se, cognoscit, ac essentiam divinam totaliter comprehendit. Unde procedit ea cognitione, qua Pater non solum proprias per-

1 Cfr. Henno, *De Deo trino,* disp. 1, q. 8.
2 *In I p.,* disp. 142, c. 4, et disp. 143, c. 3 sqq.
8 Arrubal, disp. 125, c. 5; Turrianus, apud Witassium, *De SS. Trinitate,* q. 9, a. 2, sect. 2..
I *De Trinitate,* lib. 9, c. 6, n. 1.
5 *In I p.,* disp. 2, q. 8, p. 2.
6 Disp. 63, sect. 4, n. 23.
7 *In I p.,* disp. 52, sect. 4.
8 *De Deo trino,* q. 34, th. 23.
° *De Trinitate,* lib. 9, cc. 4, 6 et 7.
10 *De Trinitate,,* lib. 15, c. 14, n. 23; MI, 42, 1076.
II *1 P*. q· 34. a. 3.
12 *I p.,* q. 34, a. i ad 3. Omnis creaturae nomine intelligit hic S. Doctor omnia possibilia non futura, quidquid in contrarium dicat cl. Valentia, *In I p.,* disp. 2, q. 8, p. 2, § *Caeterum,* quia agit de scientia Dei necessaria, quae solummodo versatur circa possibilia.

fectiones sed modos quoque, quibus participabilis est, et suam infinitam fecunditatem, virtutem ac omnipotentiam conspicit. Sed Pater se ipsum videns, conspicit Filium et Spiritum Sanctum, et essentiam suam comprehendens, simul divina attributa, Verbum et Spiritum Sanctum, atque creaturas omnes possibiles intelligit. Ergo ex cognitione horum omnium Verbum formaliter procedit.

Pater scientia productiva Filii novit se esse Patrem atque spiratorem tertiae personae, et consequenter videt Filium et Spiritum Sanctum.

Pars 4.a

Arg. 1) Generatio Verbi a Patre est actus intelligent!! naturalis et necessarius. Sed cognitio futurorum, quae poterant non exsistere, non est naturalis et necessaria. Ergo.

2) Fundamentum cognitionis futurorum est decretum Dei liberum, quod est ratione posterius productione Verbi. Ergo Verbum divinum non procedit ex cognitione futurorum.

Difficultates.

521. Obj. 1. Verbum procedit solum ex cognitione objecti primarii scientiae divinae. Sed non omnia in thesi enumerata pertinent ad objectum primarium scientiae Dei. Ergo. Ita *Scotus.*

Resp. Neg. maj. Non solum ex intelligcntia objecti primarii scientiae divinae, sed etiam ex intuitione omnium, quae necessario et naturaliter in Dei essentia continentur, procedit Verbum. Unde falli videtur *Scotus,* quando in *II Sent..,* dist. 1, q. i. dicit generationi Verbi solum praesupponi intelligentiam objecti primarii.

Obj. 2. Verbum nequit procedere ex cognitione sui ipsius et Spiritus Sancti ob plures rationes: i) Quia Filius et Spiritus Sanctus non exsistunt in signo generationis Verbi. 2) Quia ex hoc sequeretur Verbum esse prius se ipso, et Spiritum Sanctum esse priorem ct posteriorem Verbo. 3) Quia Verbum esset principium suae processionis, et Spiritus Sanctus similiter principium generationis Filii.

Resp.—Neg. ant. Ad 1."m dicendum est Verbum et Spiritum Sanctum in signo generationis Verbi revera exsistere in aeternitate et cognitione Patris, quia cognitio comprehensiva Patris, ex qua procedit Verbum, petit cognitionem intuitivam Filii et Spiritus Sancti. Una eademque natura infinita, ut docet *Suarez*,[*] comprehenditur in Patre cum relatione dicentis, in Filio cum relatione expressi, et in Spiritu Sancto cum relatione passivae spirationis. <Cuin ergo, prosequitur eximius Doctor, Pater producit Verbum suum ex cognitione ejusdem Verbi et Spiritus Sancti, illos intuitive cognoscit, quia videt illos ut entia simpliciter necessaria, ac proinde ut exsistentia simul in ipsa aeternitate, licet.cum habitudine originis, quae non obstat intuitivae cognitioni» [1]. Non ergo ex cognitione abstractiva, ut aliqui dixerunt ', sed ex intuitione et comprehensione personarum Verbum procedit, quia prioritas originis bene stat cum simultate cognitionis.

Ad 2.um patet solutio ex dictis. In divinis non datur prioritas nisi originis, quae non obstat omnimodae simultati objectivae. Verbum igitur est se ipso prius et Spiritus Sanctus Verbo prior ac posterior sub diversa ratione. Verbum ut cognitum est prius se ipso producto, et Spiritus Sanctus ut productus posterior Verbo. Unde Pater ex vi cognitionis sui ipsius

l *De Trinitate,* lib. 9, c. 5, n. 8.

* *De Trinitate,* lib. 9, c. 5, n. 9.

:l Cfr Vazquoz, *De Trinitate,* disp. 142, cc. 3-4

et essentiae divinae intuetur Filium et Spiritum Sanctum omnesque perfectiones divinas, necnon omnia possibilia, et ex hac cognitione producit Verbum.

Ad 3.um Neg. conseq. Ex dictis non sequitur Verbum esse principium suae processionis et Spiritum Sanctum principium processionis Filii. Ut hoc intelligatur, sedulo notandum est propositiones: *Verbum procedit ex Verbo et Spiritu Sancto;* et *Verbum procedit ex cognitione Filii et Spiritus Sancti,* esse valde diversas diversamque praeseferre significationem. Prima denotat Verbum procedere a Verbo et Spiritu Sancto ut a principio generationis, et 'est falsa; secunda vero significat Verbum et Spiritum Sanctum esse objectum terminativum cognitionis, qua Pater producit Filium, et est vera.

Obj. 3.° Verbum mentis est similitudo et imago objecti cogniti. Sed nefas est dicere Verbum divinum esse imaginem sui ipsius et Spiritus Sancti, imo et-creaturarum possibilium. Ergo.

Resp.—Dist. maj. Verbum mentis est imago objecti motivi, conc.; objecti pure terminativi, neg. Ad rationem verae imaginis requiritur inter alia, ut similitudo ortum ducat tanquam a principio ab eo, cujus dicitur imago. Verbum autem divinum, licet nascatur ex cognitione, quam Pater habet de ipso Verbo, de Spiritu Sancto, et de creaturis possibilibus, non tamen ab eis ortum ducit tanquam a principio, ut modo diximus.

§ 5

Utrum Verbum sit vere Imago, *nomenque* Imago *essentialiter vel personaliter dicatur in divinis.*

522. **Status quaestionis.** Ad rationem imaginis non sufficit quaelibet similitudo prototypi, sed requiritur similitudo in natura specifica (vel saltem in signo naturae specificae, si sermo sit de imagine artificiali) [1] orta ex vi processionis formaliter ab eo, cujus est imago, tanquam a principio.

Disputatur hic, an Verbum sit vere imago Patris seu similis Patri in natura specifica ex vi processionis, et an imago essentialiter vel personaliter de Verbo dicatur in divinis.

523. Placita theologorum, i) *Durandus* [2] negavit rationem imaginis proprie competere Verbo, quia putavit similitudinem in divinis non posse considerari nisi secundum naturam. In natura autem Filius non tantum similis sed identicus est Patri. Voluit tamen imaginem convenire Filio et Spiritui Sancto, «accipiendo imaginem et similitudinem pro summa convenientia in una forma et natura».

2) Patres graeci e contra, teste S. *Thoma,* «communiter dicunt Spiritum Sanctum esse imaginem Patris et Filii» [3].

524. Thesis. **Verbum divinum est vere «Imago» Patris, nomenque hoc dicitur personaliter de Filio.**

Arg. 1) Nomen imaginis passim tribuitur Filio in sacris litteris, non autem Spiritui Sancto. *Qui* (Filius), ait Apostolus, *est imago Dei*

1 Triplex est imaginis species, *artificialis, intentionalis* et *naturalis.* Omnes gerunt aliquam similitudinem cum prototype; *artificialis* quidem in aliquo signo speciei, ut ico est imago hominis; *intentionalis* in specie intentionaliter repraesentativa, ut verbum mentis est imago rei intellectae: et *naturalis* in specie naturali, ut filius est imago patris.

2 *I Sent.,* dist. 28, q. 3, nn. 6-7.

3 *I P*. q. 35. a. 2.

invisibilis, primogenitus omnis creaturae [1]. Rursum: *Qui, cum sit splendor gloriae et figura substantiae ejus* [2]. Unde S. *Basilius* ait de Filio: «Cur Verbum? Quia imago est genitoris, totum in se ipso genitorem ostendens» [3]. Et S. *Athanasius:* «Cum imaginem illum nominas, Filium esse indicasti»[4]. S. *Gregorius nazianzenus:* «Illud autem fuit ipsum Dei Verbum... illa perfecte similis imago, ille Patris terminus et Verbum»[5].*

2) *Ex ratione.* Filius ex vi processionis, quae est per operationem intellectualem, nascitur in similitudinem naturae, non autem Spiritus Sanctus. Ergo. «Imago, ait auctor libri *Sententiarum ad Annibaldum,* attenditur secundum speciem rei, vel secundum ea, quae speciem designant, sicut est figura. Filius autem procedit per modum naturae, per quem modum apud nos invenitur aliquid procedere in similitudinem speciei. Spiritus autem Sanctus procedit per modum voluntatis, per quem modum nihil procedit apud nos in similitudinem speciei. Et ideo Filio competit nomen imaginis, non autem Spiritui Sancto»[6].

Licet Spiritus Sanctus accipiat naturam Patris, sitque ei similis, id tamen non habet, ex vi processionis, nec propterea est imago Patris.

Patres graeci contrarium adserentes lato sensu accipiunt nomen imaginis, in quantum idem significat ac exsistens ab alio et ejus similitudinem gerens, licet id ratione et vi originis non habeat. Haec tamen acceptio est impropria [7].

525. Corollarium. Nomina propria secundae personae SS. Trinitatis sunt, ut jam dictum est, *Filius, Verbum* et *Imago.*

QUAESTIO XXIV

DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI

S *Th., I p., q. 36.*

ARTICULUS I

A QUO PROCEDAT SPIRITUS SANCTUS

526. Status quaestionis. Innuimus superius, cum de processionibus ageremus, et ex professo demonstrabimus infra, principium *quo* proximum ac immediatum processionis Spiritus Sancti esse voluntatem Dei modificatam spiratione activa.

Nunc investigandum est principium *quod* processionis Spiritus Sancti, an scilicet Spiritus Sanctus procedat a Patre et Filio simul ut a principio *quod.* Omnes concedunt Spiritum Sanctum procedere saltem a

1 *Coloss.,* i, 15.
2 *Hebr.,* 1, 3.
3 *Homil. ad cap. 1 Joannis:* MG 31, 477.
4 *Ep. de decretis nicaenae synodi;* MG 25, 444.
5 *Orat.* 38, 13: MG 86, 325.
6 *I ad Annibaldum,* dist. 28, q. 2. a. 2.
7 Cfr S. Thomas. *I p.,* q. 35, a. 2; et Janssons, *De Deo trino,* p. 515.

Patre, sed difficultas est de processione a Filio. Idcirco scopus hujus articuli est demonstrare Spiritum Sanctum non solum a Patre sed etiam a Filio procedere.

527. Errores, i) *.Iriani, inacedoniani, aliique haeretici,* qui veram trinitatem personarum in Deo aspernabantur, dixerunt Spiritum Sanctum non a Patre Filioque ad intra procedere, sed esse creaturam Filii[1].

2) *Graeci schismatici,* licet admittant Spiritus Sancti divinitatem et originem a Patre, negant tamen obstinate eum procedere a Filio [2].

528. Thesis. **Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit.**

Est dogma fidei definitum in Concilio Florentino his verbis: *Definimus... quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio aeternaliter est..., et ex utroque aeternaliter tanquam ab uno principio et unica spiratione procedit* [3][4] Et in symbolo athanasiano dicitur: «Spiritus Sanctus a Patre et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens».

Pars 1.a Spiritus Sanctus a Patre procedit.

Arg. Dominus ait per Joannem: *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobi$_a P_qtre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me* '. Et alibi vocat eum Christus *Spiritum Patris vestri* (apostolorum), *qui loquitur in vobis*[5].

Duplicem actionem habet Pater, intellectus scilicet et voluntatis, et sicut per actionem intellectus producit Filium, ita per actionem voluntatis producit Spiritum Sanctum.

Pars 2.a Spiritus Sanctus procedit a Filio.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Clarissima S. Scripturae testimonia ostendunt a) Spiritum Sanctum *audire* et *accipere* scientiam a Filio; b) Spiritum *mitti* a Filio, et c) Spiritum Sanctum *esse Spiritum Filii.* Ergo Spiritus Sanctus procedit a Filio.

a) *Spiritus Sanctus audit et accipit scientiam a Filio.* Ait Dominus apostolis: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet loquetur, et, quae ventura sunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis. Omnia, quaecwnque habet Pater, mea simt. Prqpterea dixi: quia de meo accipiet et annuntiabit vobis*[5]. lix his verbis ita licet arguere: Spiritus Sanctus audit et accipit a Filio omnem veritatem et scientiam. Sed scientia et esse non distinguuntur realiter in

1 Cfr. Franzelin, *De Deo Irino,* th. 36.

2 Quis fuerit hujus erroris auctor, non satis constat. Nonnulli nestorianis et nominatim Theodoreto errorem tribuunt, sed Iheodorctus non solum processionem verum etiam divinitatem Spiritus Sancti cum macedonianis negasse videtur. Probabiliter monothelitae saec. vn errorem excogitarunt, iconoclastae saec. vm praedicarunt, et Photius patriarcha cpolitanus cum aliis saeculo xi, consummato schismate, haeresim ut articulum ecclesiae graecae professi sunt.

3 *Decr. pro graecis;* Denz-Bannw., 691.

4 *Joan.,* 15, 26.

3 *Maith.,* 10, 2o.

e *Joan.:,* 16, 13-15·

Spiritu Sancto. Ergo Spiritus Sanctus accipit esse et procedit a Filio [1]. Unde S. *Thomas* ait: «Audire... ipsius est accipere scientiam sicut et essentiam a Patre et Filio, eo quod nos per auditum scientiam accipimus» [2].

b) *Spiritus Sanctus mittitur a Filio,* juxta illud Domini ad apostolos: *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis* [3]. *Si autem abiero, mittam eum ad vos* [4]. Sed persona divina mitti non potest, nisi procedat a mittente. Ergo. Prob. min. Persona divina mittitur, quando accipit intimationem mittentis. Sed una persona non potest accipere intimationem mittentis, nisi per originem procedat ab eo. Ergo [5].

c) *Spiritus Sanctus est Spiritus Filii et Christi.* Ita passim vocatur in Scripturis. *Misit Deus,* inquit Apostolus, *Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem: Abba, Pater* [6]. *Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* [7]. Agitur hic de Spiritu Christi, non de dono creato, quo efficimur filii Dei adoptivi, sed de ipsa persona Spiritus Sancti, de Spiritu ejus, *qui suscitavit Jesum Christum a mortuis,* de Spiritu inhabitante [8]. Sed persona Spiritus Sancti recte vocari nequit Spiritus Filii, nisi procedat ab eo, quia haec expressio importat relationem Spiritus Sancti ad Filium, relationem scilicet originis, quae idem sonat ac spirationem Filii Dei, ut dicit S. *Athanasius* [9]. Ergo Spiritus Sanctus procedit a Filio.

2) *Ex SS. Patribus.* *S. Athanasius* ait: «Quaecumque Spiritus Sanctus habet, haec a Verbo habet» [10]. «Fontem Spiritus Sancti et Filium Dei dicimus» [11]. S. *Epiphanius:* «A Patre (Spiritus Sanctus) procedens et accipiens a Filio, a Patre Filioque non alienus, verum ex eadem substantia eademque divinitate ex Patre, et Filio» [12]. Iterum: «Spiritus Sanctus ex ambobus oritur» [13]. S. *Cyrillus alexandrinus:* «Cum Spiritus Sanctus... procedat... ex Patre et Filio» [14]. S. *Augustinus:* «Iste autem Spiritus utriusque, quoniam de utroque procedit» [15].

1 Aliqui gracci dixerunt verba Christi *de meo accipiet* significare *de meo Patre accipiet:* sed haec interpretatio falsa est, quia ipse Christus explicans haec verba, statim innuit se esse cum Patre unum principium Spiritus Sancti dicens: *Omnia, quaecumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet.*

2 *Contra Gentiles,* lib. 4, c. 23, «Similiter».

3 *Joan.,* 15, 26.

4 *Joan.,* 16, 7.

6 Pater non mittitur ab alio, quia a nullo procedit: Filius mittitur a solo Patre, quia ab eo solum procedit; Spiritus Sanctus mittitur a Patre et Filio, quia procedit ab utroque. Cum *Isaiac,* 61, 1, et *Lucae,* 4, 18, Filius dicitur missus a Spiritu Sancto, intelligendus est de missione secundum naturam adsumptam.

n *Gal.,* 4, 6.

' *Jlom.,* 8, 9.

B Cfr. S. Thomas, *Contra Gentiles,* lib. 4, c. 24, n. 1.

9 *Ide Trinitate et Spirit. S.,* n. 19; MG 26, 1212.

10 *Contra arian.,* orat. 3, 24; MG 26, 376.

11 *De Trinitat. et Spirit. S.,* n. 19; MG 26, 1213.

12 *Adv. haeres.,* 62, 4; MG 41. 1053.

13 *Adv. haeres.,* 74. 7; MG 42, 489.

14 *Thesaurus,* assert. 34: MG 75, 585.

10 *Contra Max.,* lib. 2. c. 14, n. 1; MI. 42, 770.

3) *Ex antiquis documentis ecclesiasticis,* a) Concilium Seleuciae in Mesopotamia (a. 410) in confessione fidei profitetur, quod «Spiritus vivus et Sanctus, Paracletus vivus et Sanctus procedit ex Patre et Filio» [1]. b) In formula *Libellus in modum symboli* haec habentur: «Est ergo ingenitus Pater, genitus Filius, non genitus Paracletus, sed a Patre Filioque procedens» [2]. c) In Concilio Toletano III (a. 587) anathemate feriuntur, qui hanc doctrinam negaverint, his verbis: «Quicumque Spiritum Sanctum non credit aut non crediderit a Patre et Filio procedere... a. s.» [3]. d) Id ipsum docent Concilium Toletanum XI (a. 675) [4], Concilium Hedefeldense, omnium episcoporum Angliae (a. 680), Concilium Aquisgranense (a. 789), et alia plura, e) Solemniter tandem definita est processio Spiritus Sancti a Patre et Filio in Conciliis Lateranensi IV [5] et Florentino [6].

Episcopi catholici Africae septentrionalis emiserunt saeculo v et tradiderunt Hunerico regi professionem fidei, in qua legitur: «Ingenitum Patrem et de Patre genitum Filium et de Patre et Filio procedentem Spiritum Sarictum unius credimus esse substantiae vel essentiae» [7].

In symbolo athanasiano dicitur: «Spiritus Sanctus a Patre et Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens».

ARTICULUS II

UTRUM SPIRITUS SANCTUS REALITER DISTINGUERETUR A FILIO, SI AB EO NON PROCEDERET

529. Status quaestionis. 1) Quaestio non procedit, ut bene notat *Franzelin* [8], de objectiva realitate, quia notum est et fide constat Spiritum Sanctum eadem necessitate, qua in se exsistit, a Filio procedere, et, si de facto Spiritus Sanctus non procederet a Filio, tota Trinitas destrueretur. Difficultas est de modo concipiendi ac probandi processionem Spiritus Sancti a Filio ex argumento ab absurdo.

2) Constat apud theologos catholicos, ut *Banez* animadvertit [9], Spiritum Sanctum de facto realiter distingui a Filio ex vi et ratione processionis, sed quaestio est dialectica, an relatio originis sit unica ratio, qua Spiritus Sanctus realiter distinguatur a Filio, adeo ut valeat haec logica illatio: *Spiritus Sanctus distinguitur a Filio; ergo procedit ab eo* [10].

1 Cfr. Mansi, t. 3. p. 1166; et Lamy, *Le concile tenu a Seleucia-Ctesiphon,* a. 410; I.ouvaine, 1868.
2 Denz-Bannw., 19.
3 Labbeus, t. 9, p. 985.
4 Denz-Bannw., 277.
5 Denz-Bannw., 428.
° Denz-Bannw., 463.
7 Victor Vitensis, *De pers. vand.,* lib. 3, n. 1; ML 58. 219.
8 *De Deo trino,* th. 40.
9 *In I p.,* q. 36, a. 2.
10 Cfr. Biel, *In I Sent.,* dist. 11, q. 2, a. 1. nota 1

530. Placita theologorum. 1) *Graeci schismatici,* qui negant Spiritum Sanctum procedere a Filio, volunt has duas personas realiter inter se distingui per suum constitutivum et personalitatem vel etiam per relationes disparatas, nulla habita ratione originis.

2) *Scotus* 1 et post ipsum plures scotistae fatentur quidem Spiritum Sanctum de facto realiter distingui a Filio per relationem originis, sed negant hanc esse unicam rationem distinctionis, quia «etsi per impossibile Spiritus Sanctus non procederet a Filio, revera tamen ab eo distingueretur realiter» per suum constitutivum. Ita *Frassen* 2, *Henno* 3 et alii.

3) 5. *Thomas* 4 et communius theologi docent rationem realis distinctionis Spiritus Sancti a Filio esse relationem originis, ita ut, si non daretur processio, tolleretur realis distinctio 5.

531. Th iisis. Si per impossibile Spiritus Sanctus non procederet a Filio, non distingueretur realiter ab eo.

Arg. 1) *Ex SS. Patribus.* *S. Gregorius nyss.* ait: «Excepta ratione principii, S. Trinitas nulla re ad se ipsam admittit differentiam»6. .S. *Augustinus:* «Diximus alibi ea dici proprie in illa Trinitate distincte ad singulas personas pertinentia, quae relative dicuntur ad invicem» 7.

2) *Ex ratione theologica.* Personae divinae nequeunt inter se realiter distingui nisi per oppositionem relativam, quia, ut bene docet S. *Anselmus,* omnia in divinis sunt unum, «ubi non obviat aliqua relationis oppositio» 8. Sed in divinis nulla datur oppositio relativa nisi ratione originis. Ergo unica ratio distinctionis Filii et Spiritus Sancti est processio Spiritus Sancti a Filio. Etsi plures perfectiones distinguantur virtualiter in Deo, omnes tamen sunt realiter unum et idem, si non opponantur relative secundum rationem originis. Idque verum est non solum de attributis et perfectionibus absolutis, ut essentia, sapientia, potentia, misericordia, etc., sed etiam de rationibus relativis, quae non se opponunt relative, ut sunt generatio et spiratio, quae, cum non significent inter se rationem originis unius ab alio, sunt realiter idem 9.

Objectiones.

532. Obj. 1. S. *Anselmus* ait: «Habent utique a Patre esse Filius et Spiritus Sanctus, sed diverso modo, quia alter nascendo, alter procedendo... Et ideo... etsi per aliud non essent plures Filius et Spiritus, per hoc solum •essent diversi»10.11

Resp. I. *Suarez* *Vazquez* 12 et alii non pauci existimant *S. Anselmum* docuisse opinionem scotistarum, quia relationibus disparatis geniti et spi-

1 *1 Seni.,* dist. 11, q. 2.

2 *Scotus academicus,* tr. 3, disp. 3, a. 3, q. 2.

3 *De Deo trino,* disp. 1, q. 10.

4 *t p., c[.* 36, a. 2.

6 Contrariam Scoti sententiam vocat Ruiz, disp. 68, sect. 5, n. 4, «non probabilem nec in fide tutam»; sed alii melius docent eam esse ab omni censura immunem.

“ *Contra Eunom.,* lib. 1, in fine; MG 45. 464.

7 *De Trinitate,* lib. 8, n. 1; MI. 42, 946.

8 *De processione S. Spiritus,* c. 2; ML 158, 288.

8 Cfr Potavius, *De Trinitate, q,* 9, 5.

10 *De processione Spiritus Sancti,* c. 4; MI. 158, 292.

11 *De Trinitate,* lib. 10, c. 2, n. 2 et 7.

12 *In I p.,* disp. 147, nn. 18 et 31.

rati putat l'ilium et Spiritum Sanctum inter se distingui. Alii cum S. *Thoma* credunt S. *Anselmum* non esse communi sententiae contrarium.

Resp. II. Cum S. *Thoma:* «Id; quod dicit Anselmus, quod Filius et Spiritus Sanctus per hoc solum ad invicem distinguuntur, quod diverso modo· procedunt, est omnino verum. Sed, sicut ostensum est, diverso modo procedere non possent, nisi Spiritus Sanctus a Filio esset. Unde remoto, quod Spiritus Sanctus non sit a Filio, omnino distinctio Spiritus Sancti removetur a Filio. Est autem intentio Anselmi in libro *De processione Spiritus Sancti* prius ponere ea, in quibus non convenimus cum negantibus Spiritum Sanctum a Filio esse, qui tamen Spiritum Sanctum a Filio dicunt distingui. Unde verba praedicta Anselmi inducta sunt magis ut disputativa suppositio quam veritatis definitio» '.

Dicendum est ergo 5. *Anselmum* supposuisse in modo procedendi Spiritus Sancti per voluntatem necessario includi processionem a Filio, et sic voluisse dicere ex propria ratione processionis tertiae personae probari distinctionem ejus a Filio 2.

Obj. 2.° Eo distinguuntur personae ab aliis, quo in se constituuntur, quia principium constitutivum est simul distinctivum. Sed Spiritus Sanctus, si non procederet a Filio, adhuc per propriam personalitatem in se constitueretur. Ergo per propriam personalitatem distingueretur a Filio.—Imo necessario distingueretur, tum quia quaelibet personalitas ex genere suo importat entitatem ab aliis distinctam, tum quia de ratione personalitatis est incommunicatio cum alia persona. Ita *Scotus* et *scotistae.*

Resp.—Neg. min. Omnino falsum est Spiritum Sanctum posse constitui per propriam personalitatem, quae non sit relatio originis. Personae divinae constituuntur per relationes oppositas originis, ut ostendetur inferius. Unde, si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, non ei opponeretur relative, nec constitueretur in ratione personae distinctae a Filio.

Duae instantiae, quae fiunt in argumento, fundantur in falsa suppositione minoris syllogismi. Quare dicendum est in praedicto casu Spiritum Sanctum non habiturum personalitatem realein a Filio distinctam.

Obj. 3.° Si Spiritus Sanctus non procederet a Patre, nihilominus distingueretur realiter ab eo absque ulla relatione originis. Ergo a pari, si non procederet a Filio, distingueretur realiter ab eo.

Resp. Nonnulli negant majorem, putantes Spiritum Sanctum in data hypothesi non fore distinctum a Patre.

Nihilominus verius concedenda est maj. et neganda conseq. Ratio disparitatis est, quia supposito quod Spiritus Sanctus procedat a solo Filio, mediate et remote procederet etiam a Patre, a quo Filius habet esse. Unde Spiritus Sanctus, quia a solo Filio procederet, mediate opponeretur Patri, et foret realiter ab eo distinctus.

533. Corollarium. Juxta communem theologorum doctrinam Spiritus Sanctus qua terminus aspirationis per se et ratione sui, id est. secundum ea quae habet ex vi suae proprietatis personalis et connotât actus notionales distinctionemque a Patre et Filio, postulat ab utroque procedere. «Spiritus Sanctus, ait *Angelicus,* procedit a Patre et Filio, in quantum sunt plures, si habeatur respectus ad supposita spirantia. Cum enim Spiritus Sanctus sit amor mutuus et nexus duorum, oportet, quod a duobus spiretur» 3.

1 *De potentia,* q. io, a. 5 ad 2.

2 Cfr. Banez, *In I p.,* q. 36, a. 2, ad arg. 4 Scoti; et Pesch, n. 560.

3 *De potentia,* q. 10, a. 2 ad 15. Nolim tamen ex hoc concludas Patrem et Filium esse duplex principium Spiritus Sancti, quia, ut statim addit S. Doctor, «.si habeatur respectus ad id, quo spirantes spirant, sic procedit ab eis, in quantum sunt unum in natura divina». *Ibid.* Unde Pater et Filius, ut sunt agentia quaedam ct personae, spirant in quantum sunt plures, sed, ut significant principium spira

534. Scholion I. *De additamento «Filioques.* SS. Patres satis communiter docuerunt, theologi catholici praesertim in Hispania defenderunt, et fideles Ecclesiae crediderunt Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere L

Symbolum tamen nicaeno-cpolitanum sine particula *Filioque* decantari solitum est inter missarum solemnia. Quando facta fuerit additio, non certo constat. Aliqui volunt in Concilio I Toletano (a. 400) ordinatum fuisse, ut additio fieret, symbolumque cum praefata particula caneretur. Alii censent hoc esse valde dubium. Quidquid sit de data, hoc certo admittendum puto, nempe particulam *Filioque* esse originis hispanicae, et in Concilio Toletano III a. 589 editum fuisse symbolum cum hac additione [2]. Deinde Concilium Toletanum IV a. 633 particulam addidit expositioni fidei. Ex Hispania in Galliam et Germaniam sub finem saeculi vni haec innovatio permeavit, ut colligere licet ex liturgia gallicana, et ex Conciliis Forojuliensi a. 791, Francofordiensi a. 794, et Aquisgranensi a. 809. Denique Benedictus VIII ad petitionem S. Henrici regis a. 1014 permisit, ut vocabulum *Filioque* adderetur symbolo, et cum hoc additamento solemniter in Ecclesia romana caneretur. Ex hoc jam usus invaluit retinendi hanc particulam. Concilia tandem Oecumenica Lugdunense II et Florentinum solemni decreto declararunt additionem esse recte factam et consequenter retinendam.

Acriter in Concilio Florentino de hac additione disputatum est inter graecos latinosque theologos. Graeci Ecclesiam latinam insimulabant de corrupto symbolo contra vetitum Concilii Ephesini et Chalcedonensis [3]. et accusabant de data schismatis occasione, dum e contra latini viriliter et erudite defenderunt additionem esse jure factam.

Hoc additamentum justificant rationes seqjientes: 1) In Concilio Lugdunensi II a latinis graecisque Patribus solemniter decantatum est symbolum cum particula *Filwque* [4]. 2) Concilium Florentinum in decreto unionis, a Patribus utriusque ritus subscripto, ait: *Definimus insuper explicationem verborum illorum Filioque veritatis declarandae oralia et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter symbolo fuisse apposi-*

tionis, spirant in quantum sunt unum Cfr. auctor libri / *ad Annibaldum,* dist. it, q. un., a. 2.

1 Formula *Fides Damasi,* quae videtur composita a synodo caesaraugustana (a. 380) et dicitur approbata a S. Daihaso, haec habet: *Credimus... Spiritum Sanctum de Patre et Filio procedentem.* Eadem fere leguntur *in Regula fidei* scripta a Concilio Toletano I anno 400. (Cfr. Mansi, *Concit.,* t. 3, coi. 1003.) Aliqui putant hoc concilium habitum fuisse anno 447. (Hefele, *Histoire des conciles,* gall. vers, a Lcclercque, t. 2, p. 483.) Alii defendunt tale concilium nunquam exstitisse et particulam *Filioque* primo usurpatam fuisse in formula «Libellus in modum symboli» composita a Pastore, episcopo Gallaeciae versus a 433; Morin, *Revue bénédictine,* 1893, p. 385 sqq , et Künstle, *Antipriscilliana,* 1905, p. 40 sqq.; sed verius crediderim concilium celebratum fuisse et *Regulae fidei* auctorem fuisse. Cfr. Menéndez y Pelayo, *Hist de los Heterodoxos espailoles,* vol. 2, lib. 1, c. 2, § 5 (ed. 1917).

2 Cfr. Mansi, 9, 98.

3 Concilium Ephesinum, p. 3, act. 6 hoc edidit praeceptum: *Statuit sancta synodus alteram fidem nemini licere proferre, aut conscribere, aut componere, praeter definitum a SS. Patribus, qui in Nicaea cum Spiritu Sancto congregati fuerunt.* Denz-Bannw., 125.

4 Cfr. Denz-Bannw., 460.

tam x. 3) Nihil obstat, quominus a legitima auctoritate aliquod dogma vel ejus explicatio symbolo inseratur, ubi opus fuerit. Inest enim infallibili Ecclesiae magisterio jus certum proponendi fidem catholicam novis etiam formulis, ubi imminet aliqua necessitas. Sic in Concilio Nicaeno symbolum apostolorum pluribus auctum est, et in Concilio Cpolitano novis additamentis completum est. Additamentum autem *Filioque* in Hispania primo factum contra errores gothorum, arianorum et praesertim priscillianistarum, qui opinabantur Spiritum Sanctum esse creaturam Filii, ab universali Ecclesia, consentiente Romano Pontifice, admissum est atque approbatum.

Synodus ephesjna et chalcedonensis prohibuerunt quidem *alteram fidem proferre,* sed his verbis solum prohibuerunt Patres *alienam fidem* et symbolo contrariam admittere, ut ex contextu et mente decreti clarissime liquet, non autem fidem magis explicatam juxta temporum circumstantias proponere. Hoc sensu Concilium Chalcedonense, renovata lege ephesina de altera fide non proferenda, maxime laudavit commendavitque additiones a Concilio Cpolitano insertas symbclo nicaeno, data etiam ad id speciali ratione. Compertum est autem particulam *Filioque* nihil continere contrarium fidei nicaenae, sed magis explicite proponere dogma de processione Spiritus Sancti[1].

535. Scholion II. *An vere dicatur Spiritum Sanctum procedere a Patre per Filium.* Patres graeci communiter et latini non semel dixerunt Spiritum Sanctum procedere a Patre per Filium. S. *Athanasius* ait: «Impossibile esset Trinitatis gloria Spiritum glorificari, si per processionem cx Deo per Filium non esset» [3]. *Tertullianus:* «Spiritum non aliunde puto quam a Patre per Filium»[4].

Hic modus loquendi solum significat Filium habere a Patre virtutem producendi Spiritum Sanctum, id est, Filium esse principium de principio; Pater siquidem tribuens Filio virtutem spirandi Spiritum Sanctum optimo jure dicitur producere Spiritum Sanctum per Filium. Particula *per* denotat causalitatem, ut recte animadvertit S. *Thomas* [5]. Porro causalitas dupliciter se habere potest: 1) Respectu actionis, secundum quod exit ab agente, et dicitur esse causa agenti, ut agat, sicut artifex agit per artem, quia ars determinat artificem in genere causae formalis, ut agat. Hoc pacto non potest dici Spiritum Sanctum procedere a Patre

1 Denz-Bannw., 691.

2 Leo III Pontifex Maximus noluit annuere precibus synodi aquisgranensis de inserenda particula *Filioque* in symbolo, imo innovationem ab episcopis Galliae introductam sine fidei laesione tollere commendavit, non quod Romanus Pontifex a fide defecerit vel processionem Spiritus Sancti a Filio negaverit (approbavit enim doctrinam Patrum Concilii Aquisgranensis de processione Spiritus Sancti a Fjlio), aut additionem illam reprobaverit, sed quia pacem cum Ecclesia graeca servare volens putavit nondum advenisse tempus faciendi innovationem. Caeterum monachis latinis Hierosolymae, qui certam regulam de processione Spiritus Sancti ab eo petierant, misit symbolum orthodoxae fidei, in quo profitebatur «Spiritum Sanctum a Patre et Filio aequaliter procedentem». Cfr. Palmieri, *Theol. dogm. orth.,* p. 33<> sqq.

3 *Refutatio hypocrisis Meletii et Eusebii saniosatensis;* MG 28, 88.

4 *Contra Prax.,* c. 4; ML 2, 182.

5 *I p.,* q. 36, a. 3.

per Filium, quia Filius non determinat Patrem, ut spiret Spiritum Sanctum. 2) Respectu actionis, secundum quod terminatur ad factum, ut cum dicimus artifex operatur per martellum; martelhis non est causa artifici, ut operetur, sed est causa artificiato, ut ab artifice procedat. Hoc sensu, licet unica et individua virtus sit in Patre et Filio ad productionem Spiritus Sancti, ut bene notat *Suarez*[1], nihil tamen impedit, quominus inter Patrem et Filium, non solum quatenus Pater dat Filio virtutem spirandi, ut volunt *Vazquez*[2] et *Valentia*[3], sed etiam in ipso actu notionsli spirandi, qui exit a duabus personis, exsistat ordo originis *a quo alius et qui ab alio.* Pater retinet in se virtutem spirandi quam communicat Filio, et haec virtus, licet una sit et eadem, considerata in diversis personis denotat, etiam in ipso actu spirandi, ordinem originis, et significat Filium habere virtutem producendi Spiritum Sanctum[4].

ARTICULUS III

UTRUM PATER ET FILIUS SINT UNUM PRINCIPIUM SPIRITUS SANCTI

536. Status quaestionis. Duplex est principium alicujus rei, ut alias vidimus cum philosophis, principium *quo* et principium *quod.* Primum est forma seu virtus, qua agens agit. Alterum est ipsum agens seu suppositum, quod operatur.

Certum est Patrem et Filium esse unum principium *quo* Spiritus Sancti, quia una et eadem est in utroque virtus spirandi, quamvis necessario petat esse in duabus subsistentiis 5.7

Quaerimus, an Pater et Filius sint unum principium *quod* Spiritus Sancti.

537. Placita theologorum, i) *Durandus e, Gregorius ariminensis* ', et *Altisiodorensis* 8*docuerunt Patrem et Filium non esse proprie unum principium *quod* Spiritus Sancti, nec concilia docuisse eos esse unum principium, «sed Spiritum Sanctum procedere ab illis tanquam ab uno principio».

2) *Diet* 8 opinatur Patrem et Filium, si masculino genere sumantur pro personis, esse plura principia, si virtutem sermonis supponant, esse unum principium.

3) Communissime volunt theologi Patrem et Filium esse proprie unum principium *quod* Spiritus Sancti, quatenus in duabus personis est una proprietas, scilicet spiratio activa, qua producitur Spiritus Sanctus 10.

1 *De Trinit.,* lib. io, c. 5.

2 *In I p.,* disp. 148, q. 36, *notationes circa art. 3.*

3 *In I p.,* disp. 2, q. 10, p. 4.

4 Cfr. S. Joannes Chrysost., *hom. 5 in Joann.,* n. 2; MG 59, 56.

5 Cfr. Suarez, *De Trinitate,* lib. 10, cc. 5-6.

° *I Sent.,* dist. 29, q. 2, nn. 4 et 7.

7 *I Sent.,* dist. 12, q. un.

8 *Summ.,* lib. 1, c. 6. Hic auctor concedit esse unum principium proprie non propriissime.

" *I Sent.,* dist. 12, q. 1.

18 Cfr. S. Thomas, *I p.,* q. 36, a. 4; et Baohonus, *I Sent.,* dist. 12, q. 1, a. 2. Banoz. / *p.,* q 36,. a 4, $ Nihilominus, censet opinionem Durandi esse *temerariam* ot adsertionem Gregorii *periculosam in fide.*

538. Thesis. **Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti.**

Arg. 1) *Ex conciliis.* Concilium Lugdunense II (a. 1274) ait: «Fideli ac devota professione fatemur, quod Spiritus Sanctus aeternaliter ex Patre et Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit... Sacro approbante Concilio damnamus et reprobamus omnes, qui negare praesumpserint, aeternaliter Spiritum Sanctum ex Patre et Filio procedere, sive etiam temerario ausu asserere, quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio tanquam ex duobus principiis et non tanquam ex uno procedat» [1]. Et Concilium Florentinum docet latinos ita ponere processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio, ut «ex utroque aeternaliter tanquam ab uno principio et unica spiratione procedit» [2].

2) *Ex SS. Patribus.* «Fatendum est. ait S. *Augustinus,* Patrem et Filium principium esse Spiritus Sancti, non duo principia» [3].

3) *Ex ratione,* a) «Pater et Filius, inquit S. *Thomas,* in omnibus unum sunt, in quibus non distinguit inter eos relationis oppositio. Unde, cum in hoc quod est esse principium Spiritus Sancti, non opponantur relative, sequitur, quod Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti» [4].

b) Nomina substantiva nequeunt multiplicari nisi multiplicatis supposito et forma. Sic Pater et Filius nequeunt dici duo dii sed unus Deus, quia una est eorum forma seu essentia; nec artifex dicitur multiplex, quamvis habeat plures ideas in mente, quia est una persona. Principium autem Spiritus Sancti est nomen substantivum et non potest multiplicari nisi in duplici persona ct duplici natura. Porro Pater et Filius, licet sint personae realiter distinctae, sunt tamen unum in natura et virtute. Ergo Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti. A pari tres personae divinae, licet realiter distinguantur, sunt unum principium creaturarum, quia actiones ad extra sunt communes toti Trinitati[5].

539. Corollaria. I. Angelicus Doctor, *I Sent.,* dist. 11, a. 4. concessit Patrem et Filium esse duos spiratores Spiritus Sancti, sed *I P.,* q. 36, a. 4 ad 7 expresse tenuit contrarium, quia «adjectiva nomina habent numerum secundum supposita, substantiva vero a se ipsis secundum formam significatam. Idcirco, licet tres sint in Trinitate, qui creant, unus dicitur creator; ita pariter, esto duae personae respirent, sunt unus spirator. Unde S. *Hilarius* [6], quando ait: «Spiritus Sanctus Patre et Filio auctoribus confitendus est», substantivum pro adjectivo accepit.

II. Dubium hic pulsat animum, an relatio spirationis activae sit in se subsistens et constituat principium *quod* subsistens Spiritus Sancti. Nonnulli auctores *Ockamum* et *Bielem* sequuti, ut facilius se expe-

1 Denz-Bannw., 460.
2 Denz-Bannw., 691.
3 *De Trinitate,* lib. 5, 14, 15: ML 42, 921.
4 P., q. 36, a. 4. Cfr. apud Harduinum, 9, 203. quae in Concilio Florentino testatus est Joannes, latinoruin theologus.
5 Cfr S. Augustinus, *De Trinitate,* lib 5, 14, 15; Ml 42, 921
6 *De Trinitate,* lib. 2, n. 29; ML 10, 69.

dirent ab importunis graecorum instantiis, dixerunt spirationem activam, quatenus est relatio processioni opposita, esse individuum quoddam subsistens, ita tamen, ut non constituat quartam personam, quia hoc haereticum esset, sed sit unum principium *quod* spirandi, praedicans in communi de Patre et Filio. Ita *Molina, Nazarius, Becamis* [1] et alii.

Nihilominus, ut bene arguit *Suarez* [2], in hac sententia Pater et Filius non producerent immediate Spiritum Sanctum, sed mediate, et spiratio activa, ut est individuum subsistens, esset immediatum principium *quod* Spiritus Sancti, et qua tale quarta persona [3].

Rectius ergo dixerim praedictam spirationem activam non esse subsistentem seu quoddam constitutum ex essentia et relatione spirationis activae, et principium *quod* immediatum Spiritus Sancti[4].

III. *Pro quo supponat et quid designet principium quod Spiritus Sancti.* Qui contendunt spirationem activam esse per se subsistentem, communicabilem Patri et Filio, volunt principium *quod* Spiritus Sancti supponere pro illa subsistentia communi.

Sed verius puto principium *quod* processionis Spiritus Sancti designare utramque personam Patris et Filii, quatenus afficiuntur unica virtute spirativa. Pater et Filius sunt in se duae personae, quia sibi invicem relative opponuntur; at, quatenus respiciunt Spiritum Sanctum, non opponuntur, sed agunt unica virtute. Unde hoc verbum unum principium Spiritus Sancti, neque Patrem neque Filium singillatim sed ambos simul significat.

IV. Principium *quo* Spiritus Sancti seu virtus spirativa adaequate constituitur ex essentia et voluntate divina, denotat tamen in obliquo relationem spirationis activae. Hinc essentia et voluntas divina modificatae per spirationem activam sunt principium *quo* Spiritus Sancti, et distinguuntur virtualiter a termino spirato. Attamen ad hanc distinctionem necessario requiritur saltem in obliquo relatio spirationis [5].

Objectiones.

540. Obj. 1.° Spiritus Sanctus non potest procedere a Patre et Filio, ut sunt unum in personis, quia revera non sunt unum in personis; neque ut sunt unum in natura, quia sic Spiritus Sanctus procederet a se ipso, qui est unum cum aliis personis in natura. Ergo.

Resp. Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio in quantum sunt unum in virtute spirativa, quae quodammodo significat naturam cum proprietate, id est, procedit a Patre et Filio, in quantum sunt unum in essentia et voluntate modificatis per spirationem activam. Ex hoc non sequitur Spiritum Sanctum procedere a se ipso, quia essentia Dei in Spiritu Sancto non modificatur per relationem spirationis activae.

Obj. 2.° Actiones sunt suppositorum. Ergo, ubi sunt plura supposita agentia, oportet multiplicari principium *quod* operationis. Sed Pater et Fi-

1 Molina, *In 1 p.,* q. 36, a. 4, disp. 2; Nazarius, *In I p.,* q. 36, a. 4, controv. 2; Beoanus, *De Trinitate,* c. 6, q. 5.

2 *De Trinitate,* lib. 10, c. 4.

3 Cfr. Salmantioensos, *De SS. Trinitatis mysterio,* disp. 15, dub. 4.

4 Cfr. Liberius a Josu, *Controv.,* t. I, *controv.* 9, n. 179 sqq., p. 95 sqq.

5 Cfr. Liberius a Josu, *Controv.,* t. I, *controv.* 9, n. 179 sqq.

litis sunt duo supposita agentia in productione Spiritus Sancti. Ergo Pater et Filius sunt duplex principium Spiritus Sancti.

Resp.—Neg. conseq. Actiones sunt suppositorum, in quantum tribuuntur alicui supposito tanquam ultimo attributionis subjecto, non in quantum multiplicant principium *quod* operationum pro numero suppositorum, unica exsistente eorum forma. Sic Pater et Filius, duae personae distinctae, spirant, sed quia non habent nisi unam naturam et unam virtutem spirativam, non sunt nisi unum principium Spiritus Sancti. Ita etiam Pater intelligit, Filius intelligit et Spiritus Sanctus intelligit, et nihilominus non sunt tria principia intellectionis, quia non est in eis nisi una natura et unus intellectus.

ARTICULUS IV

UTRUM SPIRITUS SANCTUS PROCEDAT EX AMORE OMNIUM

541. Status quaestionis. Quaeritur hic, an Spiritus Sanctus procedat ex amore 1) eorum, quae formaliter et necessario in Deo reperiuntur; 2) creaturarum possibilium, quae nunquam erunt; 3) creaturarum, quae in aliqua temporis differentia fuerunt, sunt vel erunt.

542. Placita theologorum, i) Nonnulli cum *Valentia* [1] existimant Spiritum Sanctum procedere ex amore eorum, quae formaliter et necessario in Deo reperiuntur et ex amore «creaturarum secundum quodlibet ipsarum esse».

2) Communius tamen et verius negant theologi Spiritum Sanctum procedere ex amore creaturarum.

543. Thesis. **1) Spiritus Sanctus procedit ex amore omnium, quae sunt formaliter et necessario in Deo, ex amore scilicet essentiae divinae, attributorum et personarum Patris et Filii et Spiritus Sancti; 2) non vero ex amore creaturarum possibilium, nec 3) ex amore creaturarum exsistentium.**

Pars 1.a

Arg. Spiritus Sanctus procedit ex amore, quo Pater, et Julius, gese diligunt. Sed Pater et Filius sese diligunt amore omnium, quae formaliter et necessario sunt in Deo. Ergo Spiritus Sanctus procedit ex amore omnium, quae formaliter et necessario sunt in Deo, ex amore scilicet essentiae divinae, attributorum et personarum Patris et Filii et Spiritus Sancti. Nec est inconveniens, quod Spiritus Sanctus procedat ex amore ipsius Spiritus Sancti, quia Spiritus Sanctus cognitus et amatus a Patre et Filio est signo prior se ipso producto, sicut diximus de Filio n. 521.

Pars 2.a

Arg. Creaturae possibiles qua tales nullam habent in se bonitatem, ut possint esse objectum amoris, quia bonitas advenit rebus cum exsistentia. Ergo Spiritus Sanctus non procedit ex amore rerum possibilium.

Hinc petitur differentia quoad praesens inter processionem Verbi et Spiritus Sancti. Cum enim intellectus praescindat ab exsistentia sui ob-

[1] *In I p.*, disp. 2, q. 8, p. 2, § «Ego vero».

jecti, Verbum, quod procedit per actum intellectualem, enascitur ex intellectione rerum possibilium, sed, quia voluntas fertur in objectum exsistens, Spiritus Sanctus, procedens per actum voluntatis, nequit prodire ex amore rerum possibilium.

Pars 3.a

Arg. 1) Cum actus divinae voluntatis, quo Spiritus Sanctus procedit, sit naturalis ac necessarius, oportet Spiritum Sanctum procedere per amorem objecti necessarii. Sed nulla creatura exsistens est absolute necessaria. Ergo. 2) Futuritio rerum creatarum dependet a decreto Dei libero. Processio vero Spiritus Sancti praecedit decreta Dei Ubera. Ergo [1].

ARTICULUS V

UTRUM PROCESSIO SPIRITUS SANCTI SIT VERA GENERATIO, ET QUAE SIT DISCRIMINIS RATIO INTER GENERATIONEM FILII ET PROCESSIONEM SPIRITUS SANCTI

544. Status quaestionis. Ad generationem requiritur 1) Origo viventis; 2) a vivente conjuncto; 3) in similitudinem naturae ex vi ipsius processionis. Hic dubium oritur, an processio Spiritus Sancti sit hoc sensu vera generatio, sicut est processio Filii, et quatenus negative, quae sit ratio discriminis inter utramque.

545. Theologorum placita. I. *Quantum ad primum* facile conceditur processionem Spiritus Sancti non esse generationem.

II. *Quantum ad secundum* seu ad rationem, quod attinet, discriminis inter generationem Filii et processionem Spiritus Sancti, non una est theologorum opinio. S. *Joannes Damascenus* ait ad rem: «Generationem inter et processionem discrimen intercedere edocti sumus; caeterum, quis sit hujus distinctionis modus, prorsus nescimus»[2]. Et S. *Augustinus:* «Distinguere inter illam generationem et hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio» [3,4]

Ubi theologi hanc distinctionem explicare conantur, in diversas abeunt sententias. Novem doctorum opiniones commemorat *Petavius* decimamque ut veram propugnat. Praecipuas referamus.

1) *Nonnulli* dixerunt processionem Filii non Spiritus Sancti esse proprie generationem, quia Filius accipit naturam fecundam non autem Spiritus Sanctus. Ita *Richardus a S. Victore* [6], [7] *Alensis* [8] et alii. Sed haec ratio non valet; quia a) si per impossibile Verbum non spiraret, vere esset Filius, b) Fecunditas in Filio est consequentia non ratio generationis.

2) *Alii* voluerunt Verbum, non autem Spiritum Sanctum, procedere per generationem, quia Filius ab uno tantum, Spiritus Sanctus vero a duobus procedit. Ita *Alliacensis* apud *Vazquez* [9]. At haec ratio valde infirma est, quia a) nihil refert ad rationem generationis, an ab uno vel duobusprin-

1 Cfr. Salmanticenses, *De SS. Trinitatis mysterio,* disp. 15, dub. 6.

2 *De fide orth.,* lib. 1, c. 8; MG 94, 824.

3 *Contra Maximin.,* lib. 2, c. 14, n. 1; ML 42, 770.

4 *De Trinitate,* lib. 7, c. 13.

6 *De 'Trinitate,* lib. 6, c. 17; ML 196, 981 sq.

• */ p.,* q. 42, membr. 2; et q. 43, membr. 2.

' *In 1 p* , disp. 113. c. 3, n. t8.

cipiis procedat, ut videre est in creaturarum generationibus; et b) ipsemet Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio tanquam ab uno ct simplici principio, ut jam satis probavimus.

3) *Alii* contenderunt Filium, non autem Spiritum Sanctum esse genitum, quia processio Verbi est in ordine prima, processio vero Spiritus Sancti secunda. Ita *Francisais Maldonatus* apud *Mendivc* '.—Haec quoque ratio insufficiens est, quia secundus filius, qui a patre nascitur, tam genitus est quam primus.

4) *Alii* docuerunt rationem discriminis in eo reponendam esse, quod, licet uterque procedat similis producenti ex vi processionis, tamen Filius procedit ut imago Patris, non vero Spiritus Sanctus ut imago Patris et Filii. Sic *Vazquez* [2] et novissime cl. *Mendive* [3]. Haec ratio nondum satisfacit. Nam imago nihil aliud est quam ipsa similitudo. Si ergo Spiritus Sanctus est similis Patri ex vi processionis, erit imago et genitus.—Praeterea negandum est Spiritum Sanctum esse similem Patri ex vi suae processionis. Actio enim voluntatis, qua Spiritus Sanctus procedit, non est ex se adsimilativa.

5) *AHi* in eo reposuerunt discrimen, quod Filius naturaliter seu per modum naturae procedit, Spiritus autem libertate essentiali, id est, per voluntatem, quae non est agens naturale sed voluntarium et liberum. Ita *Henno* [4] qui hanc opinionem tribuit S. *Bonaventurae* et *Scoto* [5].—At hic modus explicandi non placet. Eadem enim est necessitas in generatione Filii ac in processione Spiritus Sancti. Uterque non coacte sed sponte, non tamen libere producitur.

6) *Alii* denique defendunt Filium esse genitum non vero Spiritum Sanctum, quia Filius procedit per intellectum, cujus actio ex ratione sua formali est adsimilativa, et Spiritus Sanctus per voluntatem, cujus actio ex propria ratione formali non est adsimilativa. Ita S. *Thomas* [6], quem sequuntur omnes thomistae [7] et ex extraneis *Zumel, Valentia, Suarez, Wirceburgenses, Kleutgen, Paquet, Billot* et alii bene multi [8].

546. Thesis **I. Processio Spiritus Sancti non est proprie generatio.**

Arg. 1) Verbum Dei in sacris scripturis passim appellatur *Filius Dei unigenitus. Filium suum unigenitum misit Deus in mundum* [9]. Si autem Filius est *unigenitus,* id est, unicus genitus, non datur alia persona genita in Trinitate.

2) *Ex ratione,* a) «Processio amoris in divinis, inquit *Angelicus,* non debet dici generatio. Ad cujus evidentiam sciendum est, quod haec est differentia inter intellectum et voluntatem, quod intellectus fit in actu per hoc, quod res intellecta est in intellectu secundum suam similitudinem. Voluntas autem fit in actu, non per hoc. quod aliqua similitudo voliti sit in voluntate, sed ex hoc, quod voluntas habet quamdam inclinationem in rem volitam. Processio igitur, quae attenditur secundum rationem intellectus, est secundum rationem similitudinis; et in tantum

1 *De Deo trino,* diss. 2, c. 1, a. 2, th. 2.

2 *In I p.,* disp. 113, c. 7.

3 *De Deo trino,* diss. 2, c. 1, a. 2, th. 2.

4 *De Deo trino,* disp. 1, q. 6, conci. 3.

5 Doctor Seraphicus, *Comp, theol.,* lib. I, c. 7 docet «proprium Filio procedendi modum esse instar naturae».

6 *I p.,* q. 27, a. 4.

7 Cfr. Salmanticonses, *De SS. Trinitatis mysterio,* disp. 3, dub. 2 sqq.; Philippus a SS. Trinitate, tr. 2, disp. I. dub. 7.

8 Zumel, *In I p.,* q. 27, a. 4, disp. 1; Valentia, *In I p.,* disp. 2, q. 2, p. 4 ad 4; Suarez, *De Trinitate,* lib. 11, cc. 5-6; Wirceburgenses, disp. (>, c. 1, a. 2. nn. 376 sqq ; Kleutgen, *De ipso Deo,* n. 1028; Paquet, disp. 7, q. I, a. 4; Billot, *De Deo trino,* th 4.

9 *I Joann.,* 4, 9.

potest habere rationem generationis, quia omne generans generat sibi simile. Processio autem, quae attenditur secundum rationem voluntatis, non consideratur secundum rationem similitudinis, sed magis secundum rationem impellentis et moventis ad aliquid. Et ideo, quod procedit in divinis per modum amoris, non procedit ut genitum vel ut filius, sed magis procedit ut spiritus. Quo nomine quaedam vitalis motio et impulsus designatur, prout aliquis ex amore dicitur moveri vel impelli ad aliquid faciendum»[1].

b) Praeterea, duplex processio ejusdem ordinis vel speciei solo numero diversa non potest in Deo reperiri, quia quaelibet processio divina, utpote habens terminum sibi adaequatum et infinite perfectum, exhaurit totam Dei fecunditatem in illa linea. Ergo processio Spiritus Sancti, quae supponit generationem Filii, nequit esse generatio.

547. Thesis **II. Ratio, cur processio Verbi, non autem processio Spiritus Sancti, sit generatio, est, quia Verbum procedit per intellectum, Spiritus Sanctus vero per voluntatem.**

Arg. Ad generationem requiritur, ut processio ex sua formali ratione et ex proprio procedendi modo terminetur ad aliquid simile generanti in natura. Hoc autem interest discrimen inter intellectum et voluntatem, quod intellectus natus est per suam actionem producere terminum similem objecto intellecto, quia intellectus intelligit, quatenus trahit ad se objectum et ejus similitudinem producit; voluntas vero non est nata producere terminum similem objecto volito, quia non amat trahendo ad se objectum, sed se ferendo ad illud. Unde processio Verbi a Patre, quae est per intellectum, est ex natura sua adsimilativa objecti et habet rationem generationis, dum processio Spiritus Sancti, quae est per voluntatem, non est adsimilativa, et non debet dici generatio.

Est quidem Spiritus Sanctus revera similis in natura Patri et Filio, a quibus procedit, sed hoc non habet ex vi processionis, sed aliunde, ut notum est.

548. Scholion. Quaeres fortasse, qua ratione processio Spiritus Sancti non sortiatur nomen speciale, sed communi vocabulo nuncupetur processio. Huic quaesito optime respondet S. *Thomas* his verbis: «Deum nominare non possumus nisi ex creaturis, ut dictum est q. 13, a. 1. Et quia in creaturis communicatio naturae non est nisi per generationem, processio in divinis non habet proprium et speciale nomen nisi generationis. Unde processio, quae non est generatio, remansit sine speciali nomine, sed potest nominari spiratio, quia est processio spiritus»[2].

ARTICULUS VI

DE NOMINIBUS SPIRITUS SANCTI

549. Ad designandam tertiam personam excogitata sunt a SS. Patribus et theologis catholicis quaedam vocabula, quae, licet aliquo sensu

1 //>.<!■ 27,'a 4.
' / *P*. ‹l 27,_a. 4 ad 3.

possint esse tribus personis communia, quoad tamen aliquam significationem, dicuntur et sunt vere personalia.

Haec nomina sunt *Spiritus Sanctus, Amor* et *Donum,* de quibus hic pauca.

1) *Spiritus Sanctus. Spiritus* πνεῦμα idem est ac spiratus, id est, spirando seu flando productus, ac proinde materiae expers. *Sanctus,* quasi sine terra, significat id, quod ordinatur in Deum. Hoc sensu *Spiritus Sanctus* est nomen essentiale, tribus personis commune. Nam quaelibet Trinitatis persona est spiritus, id est, materiae expers, et aequaliter sancta.

Attamen, si penitius examinetur significatio horum verborum et comparetur cum modo procedendi tertiae personae, *Spiritus Sanctus* potest esse quodammodo nomen personale.

Spiritus siquidem «impulsionem quamdam et motionem significare videtur. Nam flatum et ventum spiritum nominamus» J. Movere autem et impellere in spiritualibus pertinet ad voluntatem et sic dicimus voluntatem spirare suos actus, quia voluntas spirat odium, vindictam, etc., dum e contra intellectus non spirat ideas aut verbum. Unde, attento modo processionis, proprie vocatur *Spiritus* seu *spiratus* illa persona Trinitatis, quae procedit per actum voluntatis.

Item *Sanctus* peculiari modo appellatur, quia non solum ordinatur ad Deum 2, sed quia ratione suae processionis sanctitatem redolet. Processio autem tertiae personae est sancta, quia est per actum voluntatis, cui sanctitas tribuitur, et «per modum amoris, quo Deus amatur» 34 Unde tertia persona appellatur sancta, non sohfm ratione sanctitatis absolutae, ut aliae personae, sed praesertim ratione processionis sanctae.

2) *Amor.* Nomen *amoris* ex usu SS. Patrum et universali traditione impositum est tertiae personae, non tantum appropriatione nominis essentialis, sicut contingit, quando *concordiam* et alia nomina tribuimus Spiritui Sancto, sed ex peculiari et propria vocis significatione. Hinc docet S. *Thomasl* amorem posse dici de personis essentialiter, notionaliter et personaliter juxta diversas acceptiones.

Quatenus *amor* significat actum voluntatis, quo Deus se ipsum diligit, est terminus *essentialis,* et convenit tribus personis; quatenus denotat originem activam seu productionem Spiritus Sancti est *notionalis* et tribuitur Patri ac Filio; quatenus importat tertiam personam subsistentem in relatione ad suum principium seu ad spiratorem, est terminus *personalis,* proprius Spiritus Sancti.

3) *Donum.* Donum dicitur *id, quod dominus ex propriis dat alicui gratiose.* Unde ad rationem doni tria requiruntur: 1.unx quod res sit donantis; 2.um quod libere et gratiose detur; 3.um quod possideri valeat ab eo, cui donatur.

Juxta diversas considerationes potest tripliciter Deo convenire esse donum, *essentialiter* nempe, tribus personis, *notionaliter* Filio et Spiritui Sancto, et *personaliter* soli Spiritui Sancto.

1 S. Thomas, *1 p.,* q. 36, a. I.
2 S. Thomas, *1 p.,* q. 36, a. i.
3 S. Thomas, *1 p.,* q. 36, a. 1.
4 *I P>* <l· 37. a. I.

a) *Essentialiter.* Essentia divina imo et tota Trinitas communicatur animae justae per gratiam sanctificantem et gloriam juxta illud: *Si quis diligit me... Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus*[1] Cum ita Deus se ipsum tradit homini fruendum, dono se dat, quia id, quod est, gratiose communicat creaturae[2].

b) *Notionaliter.* Donum potest ad donantem pertinere ratione originis, quae notiones fundat. Quare illae tantummodo personae hoc sensu donantur, quae per originem ab alio procedunt. Hinc Filius et Spiritus Sanctus, qui ab alio oriuntur, dicuntur donum; Pater vero, qui a nullo procedit, est donans. De Filio dicitur: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*[3]; et de Spiritu Sancto: *Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis*[4].

c) *Personaliter.* Donum «importat gratuitam donationem. Ratio autem gratuitae donationis est amor... Unde manifestum est, quod amor habet rationem primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur. Unde, cum Spiritus Sanctus procedat ut amor, sicut jam dictum est (q. 37, a. 1), procedit in ratione primi doni»[5]. *Accipietis,* inquit S. Petrus, *donum Spiritus Sancti*[6]. Et Ecclesia canit in die Pentecostes: *Qui diceris Paraclitus, Altissimi donum Dei.*

Spiritus Sanctus, ut est donum ab aeterno dandum hominibus·, duplicem dicit relationem, ad donantem scilicet et ad creaturas, quibus donatur. Prima est realis ad Patrem et Filium ratione originis; secunda est rationis ad homines. *Valentia*[7] et alii defendunt contra *Cajetanum* primam relationem principalius significari nomine doni.

Nomina *Caritas, Dilectio, Osculum, Sigillum, Unguentum,* etc., passim tribuuntur Spiritui Sancto a SS. Patribus et ab Ecclesia in liturgia, quia haec vocabula innuunt sanctitatem. Sanctitas autem, ut jam diximus, peculiariter convenit Spiritui Sancto, non solum quia est Deus, sed praecipue quia procedit per operationem voluntatis seu per amorem.

QUAESTIO XXV

DE RELATIONIBUS DIVINIS

S. *Th., 1 p., q. 28.*

ARTICULUS I

UTRUM IN DEO DENTUR RELATIONES REALES

550. Status quaestionis. 1) Duo sunt in rerum natura entium genera, absoluta scilicet et relativa. *Absoluta* dicuntur, quae habent esse in ordine ad se, ut substantiae: *relativa* sunt, quae habent esse per respectum ad aliud, ut paternitas.

1 *Joan.,* 14, 23.

2 S. Augustinus ait: «Quid enim tam tuum quam tu?» *Super Joannem,* tr. 29, 11. 3; Ml. 35, 1629.

3 *Joan.,* 3, 16.

4 *Joan.,* 14, 16.

5 S. Thomas, *1 p.,* q. 38, a. 2.

6 *Act.,* 2, 38.

7 *In 1 p.,* disp. 2, q. 12, p. 2.

2) Relatio definitur in genere: *Habitudo seu respectus unius ad alterum.* Tria ad eam requiruntur; *subjectum,* quod refertur, *terminus,* ad quem ordinatur, et *ratio* seu fundamentum, cui respectus innititur.

3) *Relatio transcendentalis et praedicamentalis.* a) Quando ipsa rei absolutae entitas ex sua essentia destinatur ad aliud, puta materia ad formam, actus ad potentiam, etc., vocatur relatio *transcendentalis* sen *secundum dici,* b) Quando respectus est purus ordo ad aliud, nuncupatur relatio *praedicamentalis* seu *secundum esse,* «cujus tota ratio est ad aliud se habere». Non agimus hic de relatione transcendentali sed de praedicamentali. et quaerimus, an relatio praedicamentalis purificata ab imperfectionibus exsistat in Deo.

4) *Duplex relatio praedicamentalis: realis et logica,* a) Si ratio, propter quam unum refertur ad aliud, est realis et mutua, vocatur relatio *realis,* ut relatio patris ad filium, b) Si ratio, propter quam unum ordinatur ad aliud, continetur sola mentis consideratione, nuncupatur relatio *logica* seu *rationis,* ut est relatio, quam ramus appositus in janua dicitur habere cum venditione vini.

Plures relationes logicas Deo tribuimus, tum in ordine ad se, ut cum essentiam Dei referimus ad attributa, tum in ordine ad creaturas, ut cum Deus dicitur creator, gubernator, etc. Sed difficultas est, an in Deo dentur relationes reales, quae intra ipsum Deum ad alterum terminentur. Diximus *intra ipsum Deum,* quia Deus nullam relationem realem, sed tantum logicam, dicit ad creaturas.

551. Errores, t) *Arius* imprimis, qui Filium et Spiritum Sanctum dicebat esse creaturas, *Sabellius* deinde, qui nullam distinctionem realem inter divinas personas admittebat, et *hodierni rationalistae,* qui. antitrinitariis nomen dantes, sacratissima divinae religionis mysteria irrident, omnem relationem realem ad intra in Deo negaverunt.

2) Attamen theologi catholici non solum defenderunt in Deo esse relationes reales, quae intra ipsum Deum absolvuntur, sed unanimi consensu docuerunt totam rationem Trinitatis fundari in distinctione reali relationum [2]

552. Thesis. **Dogma catholicum est in Deo dari relationes reales ad intra 1.**

Arg. 1) *Ex conciliis. Concilium Toletanum XI* (a. 675) ait: «In relativis... personarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus Sanctus ad utrosque refertur; in eo quod, cum relative tres personae dicantur, una tamen natura vel substantia creditur... Quod enim Pater est, non ad se, sed ad Filium est, et quod Filius est, non ad se, sed ad Patrem est........In relatione enim personarum numerus cernitur» 34 *Concilium Florentinum:* «Omnia sunt unum (in Deo), ubi non obviat relationis oppositio» [4].

2) *Ex SS. Patribus. S. Gregorius naz.:* «Pater non est nomen es-

1 Cfr. Suarez, *De Trinitate,* lib. 5, c. 1.

2 Juxta Banez, / />., q. 28, a. i, haec doctrina «certissima est secundum fidem catholicam». S. Thomas, *De potentia,* q. 8, a. 1, ait: «Sententiam fidei sequentes oportet dicere in divinis relationes reales esse». Cfr. Vazquez, *In 1 p.,* disp. 1 14, c. t

3 Denz-Bannw., 278-280.

4 Denz-Bannw., 703.

sentiale, o viri acutissimi, neque actionis, sed relationem eam indicat, quam habet Pater ad Filium vel Filius ad Patrem» [1]. S. *Augustinus:* «Dicimus servum Domini et dominum servi, Filium Patris et Patrem Filii, quoniam ista relative dicuntur» [2].

3) *Ex ratione theologica.* Secundum quamplurima S. Scripturae testimonia in Deo sunt realiter Pater et Filius et Spiritus Sanctus, ac proinde dantur realiter paternitas, filiatio et spiratio. Sed Pater realiter refertur ad Filium et Filius ad Patrem, sicut paternitas naturalis petit realem filiationem et vice versa. Item spiratio activa refertur realiter ad suum terminum, sicut processio ad spirationem activam. Ergo in Deo dantur relationes reales ad intra.

4) *Ex ratione ac verbis S. Thomae.* «Cum... aliquid procedit a principio ejusdem naturae, necesse est, quod ambo, scilicet procedens et id, a quo procedit, in eodem ordine conveniant; et sic oportet, quod habeant reales respectus ad invicem. Cum igitur processiones in divinis sint in identitate naturae, ut ostensum est... nccesse est, quod relationes, quae secundum processiones divinas accipiuntur, sint relationes reales» [3].

553. Scholion. His fere rationibus probatur relationes divinas esse reales, non solum secundum quod subsistunt, sed etiam prout dicunt respectum *ad,* in quo consistit relatio. Sunt reales non solum realitate absoluta essentiae, quam transcendunt, sed etiam realitate relativa ipsis propria. Hoc enim pacto ponunt distinctionem realem in personis, et id, a quo provenit distinctio realis, oportet esse reale. Unde S. *Thomas* ait: «Alio modo potest (paternitas) considerari per comparationem ad oppositam relationem, puta ad filiationem, et sic paternitas est relatio realis, quia secundum hoc importat ordinem naturae, quem Pater dat Filio per aeternam generationem, qui quidem ordo est in Deo secundum rei veritatem» [4].

Difficultatibus satisfit.

554. Obj. 1. Relatio denotat semper aliquam imperfectionem, quia 1) est quid debilissimum in entibus, et 2) dependet ab alio, id est, a suo correlativo. Ergo non dantur relationes reales in Deo.

Resp.—Neg. ant. Ad 1.am probationem dicendum est relationes creatas, utpote accidentia innixa alicui fundamento, esse quidem debilissimas, non ita relationes increatas, quae aliud esse non habent, quam esse substantiae divinae [5].

Ad 2.am probationem rectissime respondet *Angelicus* his verbis: «Quamvis autem in Deo ponatur esse relatio, non tamen sequitur, quod in Deo sit aliquid habens esse dependens. In nobis enim relationes habent esse dependens, quia earum esse est aliud ab esse substantiae... Propter quod et relatio realiter substantiae adveniens et postremum et imperfectissimum esse-

1 *Oratio* 29. n. 16; MG 36, 95.

2 *De Trinit.,* 5, 12, 13; ML 42, 919.

3 S. Thomas, *I p.,* q. 28, a. I.

4 Sect. 4 in c. 16 *Joannis.* Cfr. S. Thomas, Z *Sent.,* dist. 25, q. 1, a. 4 ad 3; et *De potentia,* q. 9, a. 5 ad 14.

5 S. Thomas, *De potentia,* q. 8, a. 1 ad 4. Cfr. Salmanticenses, *De SS. Trinitatis mysterio,* disp. 4, n. 17 sqq , et Pesoh, *De Deo trino,* n. 592.

habet. *Postremum* quidem, quia non solum praeexigit esse substantiae sed etiam esse aliorum accidentium, ex quibus causatur relatio... *Imperfectissimum* autem, quia propria relationis ratio consistit in eo, quod est ad alterum; unde esse ejus proprium, quod substantiae superaddit, non solum dependet ab esse substantiae sed etiam ab esse alicujus exterioris. Hoc autem in divinis locum non habet, quia non est in Deo aliquid aliud esse quam substantiae. Quidquid enim in Deo est, substantia est. Sicut igitur esse sapientiae in Deo non est esse dependens a substantia, quia esse sapientiae est esse substantiae, ita nec esse relationis est esse dependens neque a substantia neque ab aliquo exteriori, quia etiam esse relationis est esse substantiae» ’.

Obj. 2.° Correlativa sunt simul natura et intellectu. Sed personae divinae non sunt simul natura et intellectu. Ergo. Prob. min. Pater est principium Filii et uterque principium Spiritus Sancti. Principium autem et procedens non sunt simul natura et intellectu. Ergo personae divinae non sunt simul natura et intellectu.

Resp.—Neg. min. Ad probationem Dist. min.: Principium et procedens non sunt simul natura et intellectu, si habeant essentiam saltem numero distinctam, conc.: si habeant eamdem numero naturam, ut accidit in divinis, neg. Pater enim principium, et Filius ab eo genitus, ac Spiritus Sanctus ab utroque procedens, habent eamdem numero naturam, et ideo, licet relative sese opponant, sunt omnino simul natura et intellectu cum ordine quodam relativo originis inter se.

ARTICULUS II

QUOT SINT IN DEO RELATIONES REALES

555. Status quaestionis. Ad intelligentiam tituli animadvertendum est non hic agi de reali distinctione relationum, sed de earum numero, praescindendo a quaestione, an omnes inter se realiter distinguantur; sicut, cum dicimus misericordiam et justitiam esse in Deo duas virtutes reales, praescindimus a reali earum distinctione, et adserimus eas esse quid reale.

556. Placita theologorum, i) Theologi catholici communiter ponunt in Deo quatuor relationes reales, *paternitatem* scilicet, *filiationem, spirationem activam* et *spirationem passivam* juxta binos respectus oppositos geminae processionis.

2) At hic non sistunt scotistae, qui contra omnes aliarum scholarum theologos docent ultra numeratas quatuor relationes, quibusdam personis proprias, admittendas esse alias relationes reales omnibus personis communes, *identitatem* scilicet, *aequalitatem* et *similitudinem.* Vide *Henno* [1] et *Frassen* [3].

557. Thesis. **In Deo dantur quatuor dumtaxat relationes reales, paternitas scilicet, filiatio, spiratio activa et spiratio passiva seu processio.**

Arg. *Ex ratione S. Thomae.* «Secundum Philosophum (lib. 5, *Metaph.*. text. 20) relatio omnis fundatur vel supra quantitatem, ut duplum et dimidium, vel supra actionem et passionem, ut faciens et factum, pater et filius, dominus et servus, et hujusmodi. Cum autem

1 *Contra Gent.,* lib. 4, c. 14, n. 9.

2 *De Deo trino,* disp. 2, q. 2.

3 *De SS. Trinitatis mysterio,* disp. 2, a. 2, q. 1, conci. 3.

•quantitas non sit in Deo, est enim sine quantitate nhagnus, ut dicit *Augustinus, De Trinitate,* lib. 1, c. 1 circa finem... relinquitur, quod realis relatio in Deo esse non possit nisi super actionem fundata. Non autem super actiones, secundum quas procedit aliquid extrinsecum a Deo, quia relationes Dei ad creaturas non sunt realiter in ipso... Unde relinquitur, quod relationes reales in Deo non possunt accipi nisi secundum actiones, secundum quas est processio in Deo non extra, sed intra. Hujusmodi autem processiones sunt duae tantum... quarum una accipitur secundum actionem intellectus, quae est processio Verbi, alia secundum actionem voluntatis, quae est processio amoris. Secundum quamlibet autem processionem oportet duas accipere relationes oppositas, quarum una sit procedentis a principio et alia ipsius principii» I. Ratione processionis per actionem intellectus, quae vocatur generatio, est *paternitas* in generante et *jiliatio* in genito; ratione processionis per amorem est *spiratio activa* in principio et *spiratio passiva* seu *processio* in termino.

Relationes, quas scotistae fingunt in Deo, cum non fundentur supra actionem et passionem, carent fundamento reali.—Praeterea, relationes non possunt multiplicari in Deo nisi per oppositionem originis; *identitas* autem, *aequalitas* et *similitudo* non important oppositionem originis.

Solvuntur objectiones.

558. Obj. 1. Intellectus et voluntas realiter referuntur ad suum objectum, ut docemur in philosophia 3. Ergo praeter enumeratas dantur in Deo relationes intellectus et voluntatis ad suum objectum, id est, ad se ipsum.

Resp.—Dist. ant. Intellectus et voluntas realiter referuntur ad suum objectum, in rebus creatis, conc.; in Deo, neg. In rebus creatis, quia intellectus et voluntas non sunt idem ac suum objectum, est relatio realis scientiae ad rem scitam et volentis ad rem volitam. Sed intellectus et voluntas in Deo non distinguuntur a suo objecto, quia Deus, se ipsum intelligcndo et amando, intelligit et vult omnia. Nemo autem potest habere relationem realem ad se ipsum, quia in relatione reali terminus *a quo* realiter distinguitur a termino *ad quem.'.* Quare non potest in Deo dari relatio realis intellectus et voluntatis ad suum objectum, neque Pater, cum se intelligit, dicit relationem realem ad se ipsum, sed ad Filium, qui per intellectionem procedit.

Obj. 2.° Pater, Filius et Spiritus Sanctus sunt aequales, similes et idem independenter ab intellectu: Ergo praeter relationes enumeratas dantur in Deo relationes *aequalitatis, similitudinis* et *identitatis.*

Resp.—Neg. conseq. Pater enim per fundamentum aequalitatis, quod in se habet, dicitur et est realiter aequalis Filio et Spiritui Sancto, sicut Deus dicitur et est vere Dominus, per fundamentum, quod in se habet, dominii. Ex hoc tamen non sequitur in Deo esse relationem realem aequalitatis, sicut non est relatio realis dominii ad creaturas.

1 */ p.,* q. 28, a. 4.
3 CTr. Complutonses, *De anima,* disp. 7, q. 1.

ARTICULUS III

AN. ET QUOMODO RELATIONES DIVINAE AB INVICEM DISTINGUANTUR

559. **Status quaestionis.** 1) Actum est superius n. 66 de natura distinctionis in genere et de distinctione relationum divinarum ab· essentia in particulari, ubi statutum est relationes divinas non realiter sed virtualiter tantum, per modum includentis et inclusi, ab essentia divina distingui. Ne eadem repetamus, illuc lectorem remittimus.

2) Hic solummodo agimus de distinctione relationum divinarum ab invicem, et quaerimus, an realiter vel virtualiter inter se distinguantur.

3) Ad quaestionis pleniorem intelligentiam observandum est non omnes relationes divinas eodem modo inter se comparari. Paternitas enim et filiatio, atque spiratio activa et spiratio passiva relative opponuntur, sed spiratio activa non opponitur paternitati ac filiationi. Undo diversimode de eis loquendum est.

560. Placita theologorum, i) Communiter docent theologi relationes divinas, quae sibi invicem opponuntur, id est, paternitatem, filiationem et spirationem passivam realiter inter se distingui.

2) Communissime etiam tenent doctores spirationem activam nonnisi virtualiter distingui a paternitate et filiatione; sed *Scotus* [1] posuit inter eas distinctionem *actualem formalem a parte rei;* et nonnulli apud *Durandum* - dixerunt spirationem activam a paternitate et filiatione realiter distingui.

561. Thesis. **1) Paternitas, filiatio et spiratio passiva inter se,. 2) necnon spiratio activa a spiratione passiva, realiter distinguuntur; 3) spiratio vero activa a paternitate et filiatione non distinguitur nisi virtualiter.**

Pars 1.a Est de fide.

Arg. 1) Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt tres personae realiter distinctae. Nequeunt autem realiter distingui nisi ratione distinctarum relationum. Ergo.

2) Paternitas, filiatio et spiratio passiva dicunt inter se mutuum, respectum realemque oppositionem. Sed realis oppositio importat realem distinctionem, quia talis est distinctio qualis oppositio. Ergo.

Pars 2.a

Arg. Spiratio activa et spiratio passiva sibi invicem opponuntur. Ergo realiter inter se distinguuntur.

Pars 3.a

Arg. In divinis omnia sunt realiter idem, ubi non obviat relationis oppositio. Sed spiratio activa non importat relationis oppositionem ad paternitatem et filiationem. Ergo. «Sic igitur, ait *Angelicus,* communis.2

1 *In I Sent.,* dist. 2, «Sed hic restat», et «Breviter igitur dico·.
2 *I Sent.,* dist. 13, q. 2, n. 14.

spiratio est idem cum persona Patris et cum persona Filii. Non quod sit una persona per se subsistens, sed sicut una essentia est in duabus personis, ita et una proprietas» [1].

Oportet tamen eas virtualiter distingui, quia, licet spiratio activa non opponatur relative paternitati et filiationi, est tamen terminus *quo* processionis, et qua talis virtualiter distinguitur a paternitate et filiatione.

ARTICULUS IV

UTRUM RELATIONES DIVINAE, PROUT SUNT AB ESSENTIA VIRTUALITER DISTINCTAE ET EXPRIMUNT SUUM «ESSE AD», AFFERANT ALIQUAM PERFECTIONEM SIBI PROPRIAM

562. Status quaestionis. 1) In relationibus duo munia seu conceptus considerari debent, conceptus *in* et conceptus *ad.* In relationibus creatis conceptus *in* importat inhaerentiam subjecto, in relationibus vero divinis significat subsistentiam, complectiturque totam essentiam divinam omnimode perfectam. Conceptus *ad,* qui est ratio formalis relationis, significat respectum ad suum correlativum.

2) Relationes divinae sub conceptu *in,* et prout identificantur cum natura divina, importat totam perfectionem essentiae, sunt enim ipsa divina essentia. Sicut ergo dicitur «relatio est essentia», ita pariter potest dici «relatio est perfectio».

3) Relationes divinae, sub respectu *ad,* per modum includentis et inclusi dicunt pariter perfectionem infinitam, ipsam scilicet perfectionem absolutam essentiae. Ita communiter theologi contra *Scotum* [2] et *Durandum* [3]. Ratio est, quia relationes, cum non distinguantur ab essentia divina nisi per modum includentis et inclusi, ipsam essentiam divinam transcendentaliter et implicite includunt, et perfectionem Dei infinitam complectuntur. Unde potest eis tribui cultus latriae, ut docet S. *Thomas.*

4) Quaestio est, an relationes divinae, ut distinctae virtualiter ab essentia et reduplicative sub conceptu *ad,* secundum id, quod explicite dicunt et exprimunt de ratione relativi, afferant aliquam perfectionem distinctam virtualiter a perfectione essentiae.

563. Placita theologorum, i) Affirmant *Suarez, Vazquez, Ruiz, Joannes a S. Thoma, Contenson* [4] et alii non pauci. Hi tamen doctores non conveniunt in explicanda sua sententia. *Vazquez* enim, *Joannes a S. Thoma* et *Contenson* tenent perfectiones relativas non multiplicari in divinis relationibus, sed unicam perfectionem indivisam dari in omnibus, dum alii contendunt singulas relationes habere perfectionem sibi peculiarem.

1 *I p.,* q. 40, a. t ad I.

2 */ Sent.,* dist. 8, q. 4.

3 *III Sent.,* dist. 1, q. 3, n. 13.

4 Suarez, *De Trinitate,* lib. 5, c. 2, n. 5; Vazquez, *In I p.,* disp. 12e, c. 6; Ruiz, *De Trinitate,* disp. 29, sect. 2; Joannes aS. Thoma, *In I p.,* q. 28, a. 3: disp. 13. a 3; Contenson, *Theol. mentis et cordis,* lib. 3. diss. I, specul. 3.

2) Negativam sententiam defendunt *Capreolus, Ferrariensis, Cajetanus, Molina, Becanus, Salmanticenses, Philippus a SS. Trinitate, Gonet, Billuart*[1] et alii[2].

564. Thesis. **Relationes divinae, quatenus exprimunt formaliter suum «esse ad», non important perfectionem sibi propriam, superadditam virtualiter perfectioni absolutae essentiae.**

Arg. 1) Omnis perfectio est absoluta, ut patet ex inductione. Est enim vel substantialis, quae absolvitur ratione sui, vel accidentalis, quae perficitur in ordine ad subjectum, cui inhaeret. Potentiae quoque et actus, qui respiciunt objectum et ab ipso specificantur, sunt formae quaedam absolutae, quae perficiuntur in ordine ad subjectum, quamvis transcendentaliter ordinentur ad objectum tanquam subjecti perfectivum [3][4] Ergo.

2) *Ex ratione theologica.* Deus et quaelibet Trinitatis persona est id, quo nihil majus et melius cogitari potest juxta definitionem S. *Anselmii,* et una persona Trinitatis est omnino aequalis reliquis personis simul sumptis, juxta illud S. *Augustini:* «Tantus est solus Pater vel solus Filius vel solus Spiritus Sanctus, quantus est simul Pater et Filius et Spiritus Sanctus... quia non est, quo crescat illa perfectio»[5]. Sed, si singulae personae haberent perfectionem relativam sibi propriam et a perfectione essentiae virtualiter distinctam, personae essent quid majus et perfectius quam essentia divina. Ergo. «Est in Deo, ait apposite ad rem *cl. Berti,* una tantum perfectio, uti una substantia, una essentia, una res summa; propterca dixi divinas relationes esse perfectionem, non, ut alii complures theologi, perfectiones»[6].

565. Corollarium. Quod autem dicunt *Vazquez* et *Joannes a S. Thoma,* perfectiones scilicet relativas non multiplicari in diversis personis, sed unicam et indivisam perfectionem relativam esse in tribus personis, non videtur admittendum. Perfectio siquidem illa unica, quam ipsi fingunt, vel pertinet ad lineam relativam vel non. Si primum, cum omnia relativa realiter distinguantur a suis correlativis, pon potest unica et indivisa manere in tribus personis; si secundum, erit perfectio absoluta essentiae, quae imbibitur in personis.

1 Capreolus, Z *Seni.,* dist. 7, q. 1, a. 2, B § 1 ad 3; Ferrariensis, *Contra Gentiles,* lib. 2, c. 9; Cajetanus, *1 p.,* q. 28, a. 2 ad 3; Molina, Z *p.,* q. 42, a. 6, disp. 2; Becanus, *Summa theol. schol.,* tr. 2, c. 2, q. 6; Saiinanticenses, *De SS. Trinitatis mysterio,* disp. 6, dub. 2; Philippus a SS. Trinitate. *De SS. Trinitate,* disp. 2, dub. 7; Gonet, *De Deo trino,* disp. 3, a. 5; Billuart, *De Trinitate,* '*diss.* 3, a. 5.

2 Cfr. ex recentioribus Bulsano, p. 1, sect. 2, c: 3, a. 3; Franzelin, *De Deo trino,* th. 22; Billot, *De Deo trino,* th. 9, quaestionis conclusio.

3 Potentiae perficiuntur juxta Salmanticenses, *De SS. Trinitatis mysterio,* disp. 6, dub. 2, § 3, n. 29, «quatenus habent suam rationem formalem suumque essendi modum sibi debitum et consonum».

4 *Proslog.,* c. 2; ML 158, 227.

5 *De Trinitate,* lib. 6, c. 8; ML 42, 929.

6 *De disciplinis theol.,* lib. 9, c. 5, prop. 3.

Enodantur difficultates.

566. Obj. 1. Concilium Cpolitanum IV, sess. i8, ait: (Credimus unam substantiam in tribus subsistentiis, unitatem quidem propter naturalem unionem, Trinitatem vero propter subsistentiarum perfectionem».

Resp. Concilium loquitur de perfectione absoluta essentiae, quam important ipsae relationes et subsistentiae, uti diximus in statu quaestionis. Hoc clarissime innuere videtur ipsum Concilium, quando loquitur in singulari «propter subsistentiarum perfectionem», quasi diceret unicam esse eamque absolutam in subsistentiis divinis perfectionem.

Notatu dignum. Ratione hujus perfectionis absolutae, quae transcendentaliter ct implicite imbibitur in relationibus divinis etiam sub respectu *ad,* bene dicitur personalitatem Verbi sanctificare humanam naturam Christi, mysterium Trinitatis esse perfectionem in divinis, etc.

Obj. 2.° Relationes divinae ex suo praecise conceptu *ad,* reduplicative ut tales, habent veram realitatem seu formalitatem relativam virtualiter distinctam a realitate essentiae, imo et dicuntur entia quaedam. Realitas autem, ens, bonum et perfectum convertuntur. Ergo relationes divinae modo superius explicato afferunt perfectionem virtualiter distinctam a perfectione absoluta essentiae.

Resp.—Dist. min. Realitas, ens, bonum et perfectum convertuntur, si habeant propriam exsistentiam, conc.; si propria exsistentia careant, neg. Relationes autem divinae secundum *esse ad,* licet habeant realitatem relativam, carent tamen exsistentia propria ac relativa, et exsistunt exsistentia absoluta substantiae, ut articulo sequenti dicetur [1].

ARTICULUS V

AN DENTUR IN DIVINIS TRES EXSISTENTIAE RELATIVAE AB EXSISTENTIA ABSOLUTA SUBSTANTIAE VIRTUALITER DISTINCTAE, QUIBUS SINGULAE RELATIONES EXSISTANT

567. Status quaestionis. 1) Supponimus in titulo essentiam divinam, praeintellectam nostro modo concipiendi relationibus ac personis, exsistere per exsistentiam propriam ét absolutam, ut innuunt quamplurima S. Scripturae et SS. Patrum testimonia. Praemonuit Do-

1 Placet haec breviter explicare. Licet comparatio perfecta fieri nequeat inter creata et increata, nihilominus certum est nos ex rebus creatis ad divina mysteria contemplanda et explicanda saepe saepius adsurgere. Manuducimur enim ex rebus creatis ad creatorem. In rebus autem creatis, in quibus essentia et exsistentia realiter distinguuntur, una est actualitas essentiae, ct altera valde diversa actualitas exsistentiae. Actualitas essentiae importat rationes formales ac reales, quibus essentia constituitur, dum exsistentia est actus, quo res extra causas ponitur. Ita pariter, seclusis imperfectionibus, relationes divinae, quatenus dicunt *esse ad,* et significant suas rationes formales in proptia linea, habent realitatem correspondentem primae actualitati essentiae rerum creatarum. Sed ad rationem bonitatis et perfectionis hoc non sufficit, sed ulterius requiritur exsistentia. Quis enim negaverit entia mathematicalia esse entia? Et nihilominus nullam dicunt pro appetitu convenientiam vel bonitatem, sed subjacent purae abstraction! intellectus. Itaque relationes divinae secundum *esse ad* habent realitatem relativam, sed quia carent exsistentia propria seu relativa, non habent perfectionem relativam. Perfectum dicitur, cui nihil deest in ordine essentiae ct exsistentiae, sicut bonum est id, quod exsistit in rerum natura.

minus Moysem, ut diceret filiis Israel: *Qui est, misit me ad vos* [1]. *Qui est,* dicitur de Deo in Apocalypsi, *et qui erat, et qui venturus est* [2]. Hinc Deus praeintellectus relationibus agit operatione intellectus et voluntatis.

2) Sed sicut in praecedenti articulo quaesivimus, num relationes divinae habeant aliquam perfectionem relativam superadditam perfectioni absolutae essentiae, ita pariter in praesenti dubium excitamus, an singulae personae divinae habeant praeter exsistentiam absolutam, quae eis competit ratione essentiae, alias exsistentias relativas realiter inter se et virtualiter ab exsistentia absoluta essentiae distinctas.

568. Placita theologorum, 1) Sententiam affirmativam tuentur *Zumel, Suarez, Arrubal, Medina, Pallavicinus* et alii [3]. Ratio principalis in qua ii auctores fundant suam opinionem, videtur esse, quia putant exsistentiam non distingui realiter a subsistentia, et consequenter defendunt, ubicumque fuerint subsistentiae relativae, necessario esse exsistentias relativas; atque ita volunt personas divinas non tantum exsistere per exsistentiam absolutam essentiae, a qua nonnisi virtualiter distinguuntur, sed etiam per exsistentias personales singulis peculiares [4].

2) Sententiam negativam tenent omnes thomistae, uno vel altero excepto [5], et ex extraneis *Vazquez, Jiecanus, Ruiz* et alii bene multi [6].

569. Thesis. **Relationes divinae non habent exsistentias relativas ac personales realiter inter se et virtualiter ab exsistentia Dei absoluta distinctas, sed exsistunt unica exsistentia essentiae divinae.**

Arg. 1) *Ex S. Thoma.* Diserte docet *Angelicus,* «quod in Deo non est aliud esse relationis et essentiae, sed unum et idem» [7]. Hic manifeste loquitur S. Doctor de *esse exsistentiae* et non de *esse essentiae,* quia ridiculum esset adserere «essentiam esse essentiam». Rursus: «Quamvis autem in divinis ponantur plures personae vel proprietates, non tamen ibi ponitur nisi unum esse: quia esse in divinis nonnisi essentialiter dicitur» [8].

Rationem profundissimam hujus doctrinae adducit S. *Doctor* dicens: «Veritas fidei habet, quod in divinis solum est distinctio, quae est secundum relationes oppositas. Relatio autem, sicut et quaelibet forma, habet esse ex comparatione ad illud, cui inest. Relatio autem in divinis non distinguitur ab eo, cui inest, vel in quo est; quia est ipsa res, quae refertur; sed distinguitur solum ex parte ejus, cui opponitur; et ex hac

1 *Ex.,* 3, 14.
2 *Apoc.,* 1, 4.
3 Zumel, *I p.,* q. 28, a. 2, disp, 4; Suarez, *De Trinitate,* lib. 3, c. 5: Arrubal, disp. 104; Medina, *In III p.,* q. 17, a. 2; Pallavicinus, *De universa theologia,* lib. I, n. 69.
4 Suarez conatur confirmare suam sententiam cum auctoritate Alensis, *I p.,* q. 44, et Richardi a S. Victore, *De Trinitate,* lib. 4, C. 12 sqq. (ML 196, 937), quamvis fateatur hunc auctorem aliquando sensu diverso loqui, accipiendo concretum pro abstracto et exsistentiam pro toto exsistente.
5 Cfr. Philippus a SS. Trinitate, *De SS. Trinitatis mysterio,* disp. 3, dub. 7.
6 Vazquez, *In I p.,* disp. 126, c. 2; Becanus, *Summa theol. schol.,* tr. 2, c. 3, q. 8, concl. 3: Ruiz, *De Trinitate,* disp 25, sect. 3.
7 *I p.,* q 28, a. 2.
8 *De veritate,* q. 1. a. 5 ad 19.

parte non consideratur esse relationis, sed distinctio et oppositio ejus. Et ideo est in Deo unum tantum esse, scilicet, essentiale» E

2) *Ex ratione theologica.* Tres exsistentiae relativae arguerent in Deo tres aeternitates, quia aeternitas non est nisi duratio continuata et immutabilis exsistentiae Dei. Sed nequeunt admitti in Deo tres aeternitates juxta illud symboli S. *Athanasii:* «Non tres aeterni, sed unus aeternus, sicut non tres increati... sed unus increatus». Ergo.

570. Corollaria. I. SS. Patres usurpant aliquando nomen exsistentiae pro subsistentia, ut ex contextu conjicere licet. Sic S. *Cyrillus alex.,* loquendo de Patre et Filio, ait: «Cum sit ac subsistat uterque propriamque habere dicatur exsistentiam» 2. Hoc et alia effata SS. Patrum intelligenda sunt de subsistentia relativa, quae singulis personis competit.

II. In divinis relationibus datur, sicut diximus, actualitas seu realitas quaedam rationibus formalibus debita et nostro modo concipiendi essentiis rerum creatarum correspondons 3. Haec autem actualitas non exsistit in personis exsistentia relativa sibi peculiari sed exsistentia absoluta substantiae.

III. Subsistentiae in Deo sunt formalitates virtualiter distinctae ab exsistentia. Quare, cum multiplicantur subsistentiae relativae in personis, non est necesse, ut multiplicetur exsistentia, quia subsistentiae relativae accipiunt suam ultimam actualitatem ab una exsistentia absoluta.

QUAESTIO XXVI

DE RELATIONIBUS DIVINIS COMPARATE AD PERSONAS

ARTICULUS I

UTRUM PERSONA SIGNIFICET RELATIONEM IN DIVINIS

571. Status quaestionis. 1) Ratio hujus articuli obvia est. *Ex una parte* videtur persona, utpote nomen absolutum, etiam in divinis significare naturam. «Ad se quippe dicitur persona, ait S. *Augustinus,* non ad Filium vel ad Spiritum Sanctum, sicut ad se dicitur Deus, et magnus, et bonus, et justus, et si quid aliud hujusmodi»4. *Ex altera parte* hoc est inconveniens, quia, si persona significat naturam, sicut in Deo ponuntur tres personae, ita pariter dici poterunt tres naturae contra fidem catholicam.

2) Determinanda est ergo significatio personae, quatenus ad divina refertur".

1 *Quodlib.* 12, a. i.
2 *Dial, de Trinit.,* dial, i; MG 75, 697.
3 Cfr. Philippus a SS. Trinitate, *De Deo trino,* disp. 4, dub. 4.
4 *De Trinitate,* lib. 8, c. 6; ML 42, 943.
6 Salniantioenses, *De SS. Trinitatis mysterio,* disp. 9, dub. 3, n. 37 sqq.: Gonet, *De Deo trino,* disp 4, a 2, et alii, non paucos philosophos sequuti, profundissime

a) Duplex est nominis significatum, *directum* et *indirectum.* Primum est, quod nomen in recto exprimit; alterum quod in obliquo significat. Sic persona in recto significat suppositum seu individuam substantiam, in obliquo naturam rationalem.

b) In relationibus duo conceptus distinguendi sunt; *conceptus in,* secundum quem relatio convenit cum aliis accidentibus et sistit in genere entis absoluti; et *conceptus ad,* quo relatio formaliter ordinatur ad suum correlativum.

3) Hic in dubium vertitur, quodnam sit significatum formale et directum personae, quando ad divina refertur.

Placita theologorum, i) *Durandus* docet personam divinam directe et formaliter significare «conditiones rei ex opposito correspondentes intentionibus universalibus proprie dictis, ut sunt singularitas, individuatio, etc.» [1]

2) *A lii* tenent personam divinam directe significare negationem communicabilitatis et connotare exsistentiam in natura intellectuali. Ita *Scotiis* [2] et *Molina* [3].

3) *Nonnulli* apud Magistrum Sententiarum [4] opinati sunt personam divinam formaliter significare naturam divinam. Huic opinioni favere visus est ipse Magister, cum adserit personam in divinis vi suae significationis denotare essentiam, sed ob haereticorum instantias Patres ita eam accommodasse, ut cum termino numerali aut partitivo (tres personae, alia est persona Patris, alia Filii, etc.) ad hypostasim subsistentem significandam traduxerint.

4) *Communissima sententia* defendit personam divinam in recto significare relationem secundum *esse in,* et in obliquo naturam divinam.

572. Thesis. **«Persona divina» 1) directe et formaliter significat relationem, non quidem sub conceptu «ad», sed secundum «esse in», quatenus est substantialiter subsistens; 2) indirecte et in obliquo denotat naturam divinam.**

Arg. Integram thesim probat *Angelicus* his verbis: «Considerandum est, quod aliquid est de significatione minus communis, quod tamen non est de significatione magis communis. Rationale enim includitur in significatione hominis, quod tamen non est de significatione animalis. Unde aliud est quaerere de significatione animalis, et aliud est quaerere de significatione animalis, quod est homo. Similiter aliud est quaerere de significatione hujus nominis *persona* in communi, et aliud de significatione *personae divinae.* Persona enim in communi significat substantiam individuam rationalis naturae... Individuum autem est, quod est in se indistinctum, ab aliis vero distinctum. Persona igitur in quacumque natura significat id, quod est distinctum in natura illa, sicut in humana natura significat has carnes, haec ossa, et hanc animam, quae sunt principia individuantia hominem. Quae quidem, licet non sint de

dixerunt duplex esse nominis significatum, *directum* scilicet et *indirectum,* atque directum posse esse *jormale* et *materiale.* Exinde juxta diversitatem harum acceptionum diversas conclusiones circa significationem personae in divinis deduxere.

1 *I Seni.,* dist. 23, q. 1.
2 *I Sent.,* dist. 23, q. un.
3 *In I p.,* q. 29, a. I, disp. 2.
4 *I Sent.,* dist. 25, n. 4.

significatione personae in communi, sunt tamen de significatione personae humanae. Distinctio autem in divinis non fit nisi per relationes originis... Relatio autem in divinis non est sicut accidens inhaerens subjecto, sed est ipsa divina essentia: unde est subsistens, sicut essentia divina subsistit. Sicut ergo deitas est Deus, ita paternitas divina est Deus Pater, qui est persona divina. Persona igitur divina significat relationem ut subsistentem. Et hoc est significare relationem per modum substantiae, quae est hypostasis subsistens in natura divina, licet subsistens in natura divina non sit aliud quam natura divina. Et secundum hoc verum est, quod nomen *persona, significat relationem in recto et essentiam in obliquo,* non tamen relationem, in quantum est relatio, sed in quantum significatur per modum hypostasis» 1.

Addit tamen S. *Doctor,* quod, si essentia sumatur pro hypostasi et relatio ut purus respectus *ad,* persona divina significat essentiam in recto et relationem in obliquo.

ARTICULUS II

UTRUM PERSONAE DIVINAE CONSTITUANTUR RELATIONIBUS

573. Status quaestionis. 1) Persona addit naturae incommunicabilitatem perfectam, ut supra n. 461 diximus. Unde id, quod naturae tribuit incommunicabilitatem, dicitur personam constituere.

Dari in Deo aliquas proprietates reales, quibus personae incommunicabiles fiant ac proinde constituantur in se 2 et distinguantur ab aliis, veritas est adeo manifesta, ut contrarium dicere cum Praepositivo 3 et Ariminensi4 sit temerarium juxta quosdam, erroneum juxta alios. Ecclesia canit in praefatione: *In personis proprietas et in essentia unitas.* Et Concilium Lat. IV ait: *Sancta Trinitas* (est) *secundum communem essentiam individua et secundum personales proprietates discreta* 5.

Ratio est, quia personae divinae conveniunt inter se et communicant in ratione communi essentiae, at incommunicabiles fiunt ac distinguuntur in ratione personae. Nequeunt autem incommunicabiles fieri nec inter se distingui, quin prius constituantur in se ipsis per suam formam vel quasi formam, quia unumquodque distinguitur ab aliis per id, quo in se constituitur. Id autem, quo personae divinae incommunicabiles fiunt, appellatur in theologia *proprietas personalis* et dicitur constitutivum personarum.

2) De hoc constitutivo duplex occurrit quaestio solvenda, a) An proprietates constitutivae divinarum personarum sint absolutae vel relativae, b) Supposito quod sint relativae, sintne relationes sub conceptu *in* vel sub conceptu *ad.*

1 *I -p.,* q. 29,'a. 4.

2 Constituuntur personae divinae, non quidem per realem compositionem ex pluribus realiter distinctis, quae obstat divinae simplicitati, sed ratione quadam simpliciori, ut modo videbimus.

3 Cfr. S. Thomas, */ p.,* q. 32, a. 2; et Sootus, *I Sent.,* dist. 26, q. I.

4 */ Sent.,* dist. 26, q. 1, prop. x.

6 Denz-Bannw., 428.

3) Constitutivum personarum videtur ex una parte non esse absolutum, quia omne absolutum est in Deo commune, et nequit constituere ac distinguere personas: ex altera parte videtur non esse relativum, quia cum prius sit esse quam operari, oportet prius personas constitui quam ad aliud ordinari.

Ut solutio utriusque quaestionis sit facilior, notanda sunt sequentia:

a) Relationes divinae, ut diximus superius, spectari possunt secundum *esse in,* quatenus sunt subsistentes per modum substantiae, et secundum *esse ad,* quatenus dicunt respectum ad suum correlativum [1].

b) Ipsae personae divinae possunt considerari dupliciter: a) prout sunt in se et videntur a beatis in patria; β) prout a nobis concipiuntur in via secundum conceptus imperfectos et confusos per quamdam analogiam ad creaturas, demptis tamen a divinis personis imperfectionibus ac limitatione, quae creaturis sunt propriae.

574. Placita theologorum, i) *Aliqui* docuerunt personas divinas constitui ac distingui proprietatibus absolutis. Ita nonnulli apud *Scotum* [2].

2) *Alii* dixerunt personas divinas constitui per rationes originum et non per relationes. Sic S. *Bonaventura* et *Richardus a S. Victore* [3]*

3) *Alii* contendunt Patrem, antequam intelligatur actu generare, constitui per innascibilitatem et per fecunditatem, Filium vero et Spiritum Sanctum per proprietates personales. Ita *Vazquez* '.

4) *Nonnulli* putant personas divinas aeque constitui ac distingui per origines et per relationes. Tta *Valentia* et *Kleutgen*

5) *Thomistae* fere communiter cum Angelico Doctore volunt personas divinas constitui ac distingui relationibus, sed inter se non conveniunt in explicanda sententia.

a) *Nonnulli* textum S. *Thomae* ad litteram intelligentes dicunt personas divinas constitui ac distingui relationibus, non quidem prout exprimunt suum conceptum relativum *ad,* sed prout nostro modo intelligendi respiciunt subjectum et important munus inadaequatum *in,* seu sub ratione incommunicabilis naturae intellectualis. Ita *Capreolus, Ferrariensis, Gonet* et alii [6].

b) *Quidam* dupliciter considerant relationem, ut relatio est, *in actu* scilicet *signato* per modum formae afficientis subjectum, et *in actu exercito* per modum formae referentis ad aliud; putant autem relationem priori modo consideratam praecedere originem et constituere personas. Sic *Cajetanus, Joannes a* S. *Thoma, Billuart* ct alii non pauci [7].

c) *Alii* denique distinguunt inter constitutionem personae, prout a nobis confuse per analogiam ad personas creatas concipitur, et constitutionem personae, prout est in se, et a beatis in patria distincte cernitur. Dicunt au-

1 Ipse conceptus *ad* dupliciter considerari potest juxta Cajetanum et alios: 1) prout est relativus in actu signato, formaliter afficiens subjectum; 2) prout in actu exercito refertur ad suum terminum. Nihilominus haec subdivisio videtur superflua pluribus theologis, etiam thomistis, et minus apta ad solvendas difficultates, quae occurrunt.

2 */ Sent.,* dist. 26, q. un.

3 S. Bonaventura, *I Seni.,* dist. 27, q. 1 et 2; Richardus a S. Victore, *De Trinitate,* lib. 4, c. 15; ML 196, 939.

1 *In I p.,* disp. 159, c. 5.

s Valentia, *In I p.,* disp. 2, q. 14, p. 2; Kleutgen, *De ipso Deo,* n. 1056 sqq Addit tamen Kleutgen verius esse dicendum personas constitui per relationes.

6 Capreolus, *I Sent.,* dist. 26; Ferrariensis, *Contra Gent.,* lib 4, c. 26; Gonet, *De Trinitate,* disp. II, a. 3.

7 Cajetanus, *I p.,* q. 40. a. 2 et 4; Joannes a S. Thoma, disp 16, a. I; Billuart. *De Deo trino,* diss. 4, a. 2.

tern personas *primo modo* constitui per relationes, prout important munus inadaequatum formae subsistentis, et *altero modo* per relationes exprimentes conceptum *ad.* Adduntque S. *Thomam,* quando dicit [1] personas divinas constitui relationibus, in quantum considerantur per modum subsistentis, loqui de constitutione personarum primo modo accepta. Ita *Suarez, Nazaritis, Salmanticenses* et alii [2].

575. Thesis **I. Personae divinae constituuntur ac distinguuntur proprietatibus non absolutis sed relativis.**

Haec doctrina est adeo certa juxta Banez, *I p.,* q. 40, a. 2, «ut oppositum sit manifesta haeresis».

Arg. 1) *Ex conciliis.* Concilium Toletanum XI (a. 675) ait: «In relatione enim personarum numerus cernitur... In hoc solum numerum insinuant, quod ad invicem sunt; et in hoc numero carent, quod ad se sunt» [3]. In Concilio Florentino, sess. 18, *Joannes* theologus ajebat: «Ipsa substantia cum personis communicat, proprietates vero nequaquam communicabiles sunt. Quod quidem ex relationis vi creditur evenire».

2) *Ex SS. Patribus. S. Cyrillus alexandrinus:* «Est Pater in sua proprietate et est Filius in peculiari sua proprietate... hac sola differentia (relationis proprietate) a Patre distinctus»[4]. Idem autem est constitutivum et distinctivum personarum. Ergo.

3) *Ex ratione,* a) Proprietates absolutae non conferunt personis incommunicabilitatem. Ergo.

b) Praeterea, personae, si constituerentur et distinguerentur per proprietates absolutas, non essent aequalis perfectionis, quia proprietates absolutae constituentes singulas personas afferrent ipsis speciales et absolutas perfectiones. Hoc autem admitti nequit. Ergo[5].

576. Thesis II. 1) **Si personae divinae considerentur confuse per analogiam ad personas creatas, constituuntur ac distinguuntur relationibus secundum quod important munus subsistendi; 2) si vero concipiantur distincte, prout sunt in se et videntur a beatis in caelo, constituuntur per relationes secundum «esse ad», seu ut formaliter respiciunt terminum.**

Prob. 1.° in genere.

Arg. *Angelicus Doctor* explicans illud Magistri Sententiarum: «Pater semper est, quia semper genuit Filium» ait: «Accipitur nomen Patris secundum quod designat relationem tantum, non autem secundum quod significat personam subsistentem; sic enim oportet e converso dicere, quod, quia Pater est, generat»[6]. Hic proculdubio docet *Angelicus* Patrem duplici modo constitui per relationem. Si consideretur Pater con-

1 *I p.,* q. 40, a. 4.
2 Suarez, *De Trinitate,* lib. 7, c. 7; Nazarius, *I p.,* q. 40, a. 4, controv. un.: Salmanticenses, *De SS. Trinitatis mysterio,* disp. 18, dub. 4.
3 *Symbol, fidei,* c. I; Denz-Bannw., 280.
4 *Thesaur.,* assert. 7; MG 75, 100.
5 Cfr S. Thomas, *De potentia,* q. 8, a. 3; et Banez, *In I p.,* q. 40, a. 2.
6 *I p.,* q. 40, a. 4 ad 1.

stitutus per relationem, ut relatio est, vere dicitur, quod *Pater est, quia genuit Filium.* Si e converso concipiatur Pater constitutus per relationem, secundum quod relatio significat personam subsistentem, vere dicitur, quod, *quia Pater est, generat.* Ergo quodammodo Pater constituitur per relationem secundum *esse ad,* scilicet, prout est in caelo et videtur a beatis; et quodammodo per relationem secundum *esse in,* nempe, prout cognoscitur a nobis per analogiam ad personas creatas.

Prob. 2.° per partes.

Pars 1.a

Arg. Nostra in terris cognitio de constitutione Dei et personarum est imperfecta, quatenus per analogiam ad creaturas colligimus conceptus inadaequatos et confusos eorum, quae Deo conveniunt. In creaturis autem persona constituitur per rationem incommunicabiliter subsistendi in propria natura. Ergo a pari personae divinae, prout a nobis confuse et per analogiam ad creaturas concipiuntur, constituuntur per relationes secundum *esse in.* Sicut igitur in creaturis conspicimus patrem prius esse personam quam generet, ita per conceptus inadaequatos concipimus Patrem esse personam priusquam ad alterum referatur.

Pars 2.a

Arg. Personae divinae in se constituuntur et distinguuntur per oppositionem relativam juxta illud axioma: *In divinis omnia sunt unum et idem, ubi non obviat relationis oppositio* [1]. Oppositio autem relationum non attenditur secundum earum munus subsistendi, ut patet, sed secundum earum *esse ad.* Ergo personae divinae, prout sunt in se et manifestantur beatis in patria, constituuntur relationibus secundum *esse ad.*

Difficultatibus satisfit.

577. Obj. 1.° S. *Thomas* diserte ait: «Melius dicitur, quod personae seu hypostases distinguantur relationibus quam per originem. Licet enim distinguantur utroque modo, tamen prius et principalius per relationes secundum modum intelligendi» [2]. Ergo bene dicitur personas divinas constitui ac distingui per origines.

Resp. S. *Thomas,* cum admittit personas divinas constitui per origines, loquitur de constitutivo viali seu initiali non formali, in quantum origo est via ad constitutivum formale, sicut etiam conceptio dicitur constitutivum viale hominis [3].

Obj. 2.° Pater ante generationem constituitur in ratione personae, quia generatio est operatio Patris, et, cum actiones sint suppositorum, oportet Patrem ante generationem esse personam. Sed paternitas seu relatio personalis Patris subsequitur generationem. Ergo persona Patris non constituitur per relationem paternitatis.

Resp.—Dist. min. Paternitas subsequitur generationem quantum ad aliquid, conc.; quantum ad omnia munia, neg. Paternitas et generatio ha-

1 Cfr. S. Thomas, *I Sent.,* dist. 26, q. 1, a. 2.
- *I p.,* q. 40, a. 2.
3 Cfr. Janssens, *De Deo trino,* p. 697.

bent in Patre plura munia, quae inter se debitum ordinem servant. Habetur i.° in Patre *munus incommunicabiliter subsistendi* seu *velatio sub conceptu in.* Sequitur 2.° *generatio Filii absolute considerati,* quatenus solum est persona producta per processionem et subsistens in natura divina, quin tamen formaliter et relative respiciat Patrem. In his duobus sistit jam constitutio Patris et Filii (idem dic de Spiritu Sancto per spirationem) quoad conceptus imperfectos et inadaequatos per analogiam ad creaturas. Sicut enim Petrus constituitur persona ratione muneris subsistendi in natura rationali, et ejus filius constituitur item persona, quatenus eodem modo explicat munus subsistendi in natura humana accepta per generationem a patre, quin formaliter se referat ad patrem, ita etiam Pater et Filius quoad conceptus inadaequatos per analogiam ad creaturas constituuntur per relationes secundum *esse in.* Hoc sensu relatio secundum *esse in* praecedit generationem. Sequitur 3.° *relatio paternitatis,* quatenus importat et explicat munus se referendi ad Filium, et dicit modum incommunicabiliter subsistendi relativum per oppositionem ad Filium; quo completur constitutio peculiaris ac propria personae Patris. Sequitur 4.0 *generatio propria et adaequata Filii,* non solum quatenus est persona divina incommunicabiliter subsistens, sed etiam quatenus est Filius et refertur ad Patrem. Hoc respectu seu relatione opposita constituitur perfecte et complete in ratione personae Filii.

Unde, si loquamur de constitutione per conceptus inadaequatos, Pater aeternus constituitur in ratione personae per relationem sub conceptu *in* ante omnem generationem. Si loquamur de constitutione adaequata et completa, Pater constituitur per relationem *ad,* post generationem quidem inadacquatam, quae exprimitur per secundum munus, sed ante generationem adaequatam et peculiarem Filii, quae exprimitur per quartum munus.

Scholion. Nolim tamen ex hoc deducas personas divinas non constitui realiter per conceptus inadaequatos, sed solum ad nostrum modum concipiendi. Quando enim dicimus personas divinas, si confuse et per analogiam ad creaturas concipiamus, constitui per relationes sub conceptu *in,* sensus est conceptus inadaequatos rêvera esse de constitutione personarum, sed non omnia, quae ad constitutionem earum formaliter requiruntur, clare et adaequate exprimere, sed quaedam solummodo, quae in divinis personis revera sunt.

QUAESTIO XXVII

DE SUBSISTENTIIS DIVINIS

ARTICULUS I

UTRUM IN DEO DENTUR TRES SUBSISTENTIAE RELATIVAE, QUIBUS SINGULAE PERSONAE SUBSISTANT

578. Status quaestionis. Subsistentia, ut ex supra dictis apparet, est modus substantialis, quo essentia redditur perfecte subsistens, sui juris et alteri incommunicabilis. In divinis autem nulla potest esse incommunicabilitas nisi per oppositionem relativam, ut cum S. *Thoma* diximus superius. Unde cum in Deo sint tres personae realiter distinctae, quaeri oportet, sintne etiam tres subsistentiae relativae.

Placita theologorum, 1) *Aliqui* negant in Deo esse tres subsistentias relativas; et dicunt personas divinas subsistere unica Dei subsistentia absoluta. Ita *Capreolus, Durandus, Billot* et alii[1]

2) *Communior sententia* docet in Deo dari tres subsistentias relativas, singulasque personas subsistere subsistentia relativa sibi propria[2].

579. Thesis. **In Deo dantur tres subsistentiae relativae.**

Arg. 1) *Ex conciliis.* Concilium Cpolitanum IV (a. 869-870) art. 11, ait: «Sanctissima Trinitas numerabilis facta est personalibus subsistentiis». Concilium Nicaenum I (a. 325): «Una est divinitas Sanctae Trinitatis, quae in tribus subsistentiis perfectis et aequalibus consideratur». Unde Concilium Cpolitanum III (a. 680-681) et Lateranense II (particulare a. 649 a Martino I approbatum) canone 1.° anathemate ferit eos, qui unum Deum in tribus subsistentiis consubstantialibus non confitentur[3].

2) *Ex SS. Patribus. S. Athanasius:* «Tres hypostases confiteor, tres personas, tria propria»[4]. Alibi docet esse «unum Deum in tribus proprietatibus»[5].

3) *Ex ratione,* a) In Deo sunt tres personae realiter distinctae. Sed non possunt esse tres personae sine tribus subsistentiis relativis, quia subsistentia est actus, quo persona constituitur incommunicabilis et fit principium *quod* operationum. Ergo in Deo sunt tres subsistentiae relativae seu tres personalitates singulis personis propriae.

b) Dantur in Deo non solum operationes toti Trinitati communes, ut creatio, sanctificatio, etc., sed etiam propriae cuilibet personae, cujusmodi sunt actus notionales seu relationes per modum productionis tam active quam passive, ut generare in Patre, spirare in Filio, spirari in Spiritu Sancto. Porro unumquodque constituitur in ratione principii *quod* operandi per subsistentiam sibi propriam. Ergo tres sunt in Deo subsistentiae relativae.

c) Natura humana in Christo terminata est per subsistentiam Verbi, non autem per subsistentiam Patris aut Spiritus Sancti, alioquin tres simul personae adsumpsissent naturam humanam, contra doctrinam catholicam. Ergo Verbum habet subsistentiam relativam distinctam a subsistentia Patris et Spiritus. Sancti.

1 Capreolus, *I Sent.,* dist. 26, q. I, a. un.; Durandus, *III Sent.,* dist. 1, q. 2; Billot, *De Deo trino,* th. 11, coroll.

2 Cfr. Banez. *In I p.,* q. 40, a. 4; Suarez, *De SS. Trinitate,* lib. 3, c. 4 et *III p.,* t. i, disp. 11, sect. 3, 4 et 5; S. Bellarminus, t. 1, controv. 2, lib. 2; Philippus a SS. Trinitate, *De Deo trino,* disp. 3, dub. 4; Ruiz, *De Trinitate,* disp 34, sect. 2.

3 Denz-Bannw., 254.

4 *Quaestiones aliae,* q. 7; MG 28, 784.

5 *Sermo in Annuntiationem Deiparae,* n. 2; MG 28, 920.

ARTICULUS II

UTRUM NATURA DIVINA, PRAEINTELLECTA RELATIONIBUS AC PERSONIS, IMPORTET ALIQUAM SUBSISTENTIAM ABSOLUTAM

580. Status quaestionis. 1) Subsistentia in sensu proprio accepta [1] plura importat, ut ex ejus definitione constat. Dicitur enim id, quo res fit perfecte subsistens, sui juris et alteri incommunicabilis. Unde 1.um munus subsistentiae est reddere naturam perfecte subsistentem independenter ab alio; 2.um constituere illam principium *quod* operationum; et 3.um facere illam incommunicabilem alteri [2].

2) Compertum est naturam divinam praeintellectam relationibus non afferre tertium munus subsistentiae, quo natura redditur incommunicabilis alteri termino, quia natura divina communicatur de facto personis in Trinitate.

3) Dubium ergo vertitur, an in natura divina, praeintellecta relationibus ac personis, detur subsistentia aliqua absoluta, quae naturam reddat sui juris et principium *quod*, operandi.

581. Placita theologorum. 1) *Nonnulli* putantes omnem subsistentiam arguere personalitatem, et videntes naturam divinam praeintellectam relationibus non esse personam, dixerunt in Deo non dari subsistentiam absolutam. Ita *Vazquez, Valentia, Ruiz, Wirceburgenses* et alii [3].

2) *Alii* communius tenent naturam divinam praeintellectam relationibus esse subsistentem, id est, sui juris et principium *quod* operationum.

582. Thesis. **Natura divina, praeintellecta relationibus ac personis, est sui juris et principium «quod» operandi per subsistentiam quamdam absolutam, quae tamen non confert incommunicabilitatem.**

Arg. 1) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus:* «Omnis enim res ad se ipsam subsistit; quanto magis Deus» [4].

2) *Ex auctoritate S. Thomae:* «Sunt igitur, inquit *Angelicus,* plures res subsistentes, si relationes considerentur; est autem una res subsistens, si consideretur essentia. Et propter hoc dicimus unum Deum esse, quia est una essentia subsistens; et plures personas propter distinctionem subsistentium relationum» [5].

3) *Ex ratione.* Essentia divina praeintellecta relationibus et personis, est Deus, imo et operatur cum intelligit ac vult. Ergo est sui juris et principium *quod* operandi.

1 Cl. Tiphanus, in suo opere *De hypostasi et persona,* c. 2, n. 7, septem enumerat acceptiones subsistentiae, quarum plures naturae divinae convenire compertum est.

2 Cfr. supra, n. 462.

3 Vazquez. *In I p.,* disp. 125, c. 3 sqq.; Valentia, *In I p.,* q. 13, p. 3; et *Controv.,* lib. 3 de Trinit., c. 6; Ruiz, disp. 34, sect. 5; Wirceburgenses, *De Deo trino,* n. 387.

4 *De Trinitate,* lib. 7, c. 4; ML 42, 942.

5 *Contra Gentiles,* lib. 4, c. 14. cfr. *De potentia,* q. 9, a. 5 ad 13; et *III Sent.,* dist. 6, q. 2, a. 1 ad 2.

Si dicas incommunicabilitatem esse de ratione subsistentiae, respondendum est incommunicabilitatem ad alienum suppositum esse quidem de ratione subsistentiae, non vero incommunicabilitatem ad propria supposita, si plura contingat in eadem natura inveniri. Natura autem divina, subsistens subsistentia absoluta, communicatur ad propria supposita non ad aliena.

Solvuntur objectiones.

583. Obj. 1.° S. *Cyrillus alex,* ait: «Si voluntas Dei substantia sit et per se subsistat, quomodo Filius unigenitus erit, cum sit tertius a Patre? Praecedit enim eum voluntas talis secundum vos» b S. *Joannes Damascenus* expresse docet non esse trium personarum communem unam hypostasim; deitatem autem communiter esse trium hypostasium unam exsistentem s.

Resp. *S. Cyrillus* et S. *Joannes Damascenus* rationem personae a subsistentia absoluta Dei excludere voluerunt, ut ex ipsis verbis conjicere licet. Subsistentia eniin absoluta, de qua loquimur, non est persona. Unde S. *Daniascenus,* accipiendo nomen hypostasim pro persona, jure adserit trium personarum non esse communem unam hypostasim, id est, personam.

Obj. 2.° -Quidquid est subsistens in natura intellectuali, est persona. Sed natura divina praeintellecta relationibus non est persona. Ergo nec subsistens. Ad rem S. *Thomas:* «Quidquid eorum, quae attribuuntur Deo in abstracto, si secundum se consideretur, aliis circumscriptis, erit aliquid subsistens, et per consequens persona, cum sit in natura intellectuali. Sicut igitur nunc, positis proprietatibus personalibus in Deo, dicimus tres personas, ita, exclusis per intellectum proprietatibus personalibus, remanebit in consideratione nostra natura divina ut subsistens et ut persona» 3.

Resp.—Dist. maj. Quidquid est subsistens in natura intellectuali, est persona, si sit omnimode incommunicabilis alteri supposito, conc.; si sit communicabilis alteri supposito in eadem natura, neg. S. *Thomas* loquitur de casu, quo excludantur a Deo omnino subsistentiae relativae ct consideretur unica subsistentia absoluta, «exclusis per intellectum proprietatibus personalibus». At in praesenti non excludimus a Deo subsistentias relativas, sed consideramus naturam divinam, praeintellectam quidem relationibus, sed communicabilem tribus personis.

QUAESTIO XXVIII

DE NOTIONIBUS DIVINIS

S. *Th.. 1 p.. q. 32.*

ARTICULUS I

UTRUM ADMITTENDAE SINT NOTIONES IN DEO

584. Status quaestionis. 1) *Descriptio notionis minus exacta. S. Bellarminus* docet notionem esse nomen, quo una persona cognoscitur distincta ab aliis4.

1 *Thes.,* assertio 8; MG 75, ioi.
2 *De hymno trisagio epistola;* MG 95. 28.
3 *III p.,* q. 3, a. 3 ad 1.
1 *De Christo,* lib. 2, c. 5.

Molina inquit: Notio «est forma aut quasi forma qua una persona ■cognoscitur distingui ab alia aut aliis» [1].

Pesch definit notionem: «Id, quo res nobis ut distincta ab omni alia innotescit»[2].

Franzelin: «Formalis ratio, qua nobis innotescit una persona ut distincta ab aliis» [3].

Hae notionis definitiones non videntur omnino exactae. Per notionem enim non solum cognoscitur una persona ut distincta ab aliis, verum etiam ut est in se secundum propriam rationem nobis innotescit.

2) *Vera notionis definitio.* Melius ergo definitur notio cum S. *Thoma: Propria ratio cognoscendi divinam personam* [4].* Qua in re valde notanda sunt haec ejusdem *Angelici* verba: «Essentia in divinis significatur ut *res quaedam,* et similiter personae significantur ut *res quaedam;* sed notiones significantur ut *rationes notificantes personas.* Et ideo, licet dicatur Deus unus propter unitatem essentiae et trinus propter trinitatem personarum, non tamen dicitur quinus propter quinque notiones» [s].

Ad notionem proprie dictam tria requiruntur: a) Ut ad originem pertineat, quia personae non innotescunt nisi per originem, b) Ut aliquam perfectionem denotet, quia est ratio notificans personas, c) Ut aliquo modo sit propria unius vel saltem duarum personarum, quia, si esset tribus personis communis, jam non esset ratio cognoscendi personas.

585. Placita theologorum, i) *Praepositivus* apud S. *Thomain* [6,7] et *Gregorius ariminensis* apud *Capreolum* putantes distinctionem abstracti a •concreto non posse cum omnimoda Dei simplicitate conciliari, dixerunt nullam esse notionem in Deo [8].

2) Communiter theologi admittunt notiones in divinis, et nonnulli putant hanc veritatem esse adeo certam, ut citra temeritatis notam negari non possit.

586. Thesis. **Admittendae sunt aliquae notiones in Deo.**

Arg. 1) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus* ait: «Alia notio est, qua intelligitur genitor, alia qua ingenitus» [9].

2) *Ex ratione.* Maxime necessarium est nobis proprietates ac notas characteristicas, quibus personae divinae in se sunt et ad alias referuntur, innotescere, ut non solum possimus personas in se constitutas cognoscere, verum etiam haereticorum instantiis et interrogationibus satisfacere. Fide autem docemur Patrem a nullo procedere et aliter referri ad Filium aliter ad Spiritum Sanctum. Idcirco, ut haec singula rite dignoscantur et explicentur, admittendae sunt rationes personarum cognoscendarum, quae sunt notiones.

1 *In I p.,* q. 32, a. 2, disp. i.
2 *De Deo trino,* n. 637.
3 *De Deo trino,* th. 25, scholion.
4 *I p.,* q. 32, a. 3.
* *Ip.,* q. 32, a. 3 ad 2.
6 *I p.,* q. 32, a. 2.
7 *In I Seni.,* dist. 29, q. 1, a. 2.
8 Cfr. Banoz, *In I p.,* q. 32, a. 3.
s *De Trinitate,* lib. 5, c. 6; ML 42, 915.

ARTICULUS II

QUOT SINT NOTIONES DIVINARUM PERSONARUM

587. Quinque notiones communiter theologi admittunt in Deo, sed *Scotus* 1 autumavit sextam, scilicet inspirabilitatem, addi posse.

588. THESIS. **Quinque sunt, non plures nec pauciores, notiones divinarum personarum, scilicet, «innascibilitas, paternitas, filiatio, spiratio activa» et «spiratio passiva».**

Arg. *Ex ratione S. Thomae.* «Notio dicitur, ait *Angelicus,* id quod est propria ratio cognoscendi divinam personam. Divinae autem personae multiplicantur secundum originem. Ad originem autem pertinet *a quo alius* et *qui ab alio;* et secundum hos duos modos potest innotescere persona. Igitur persona Patris non potest innotescere per hoc, quod sit ab alio, sed per hoc, quod a nullo est; et sic ex hac parte ejus notio est *innascibilitas.* Sed in quantum aliquis est ab eo, innotescit dupliciter; quia in quantum Filius est ab eo, innotescit notione *paternitatis;* in quantum autem Spiritus Sanctus est ab eo, innotescit notione *communis spirationis.* Filius autem potest innotescere per hoc, quod est ab alio nascendo, et sic innotescit per *filiationem,* et per hoc, quod est alius ab eo, scilicet Spiritus Sanctus, et per hoc innotescit eodem modo sicut et Pater, scilicet communi spiratione. Spiritus Sanctus autem innotescere potest per hoc, quod est ab alio vel ab aliis, et sic innotescit *processione;* non autem per hoc, quod alius sit ab eo, quia nulla divina persona procedit ab eo. Sunt igitur quinque notiones in divinis, scilicet, *innascibilitas, paternitas, filiatio, communis spiratio et processio».*

«Harum autem tantum quatuor sunt relationes. Nam innascibilitas non est relatio nisi per reductionem... Quatuor autem tantum proprietates sunt. Nam communis spiratio non est proprietas, quia convenit duabus personis. Tres autem sunt notiones personales, id est, constituentes personas, scilicet, *paternitas, filiatio* et *processio.* Nam communis spiratio et innascibilitas dicuntur notiones personarum, non autem personales» 2.

589. Corollaria. I. Spiratio activa, ut vides, est communis duabus personis, sed dicitur proprie notio, quia duae personae possunt sub uno conceptu nobis innotescere, in quantum sunt unicum principium Spiritus Sancti.

II. Ingenerabilitas, inspirabilitas, et alia hujusmodi, non sunt proprie notiones, quia vel nullam denotant dignitatem vel non distinguuntur ab aliis notionibus. Ingenerabilitas includitur in innascibilitate, quia solum significat Patrem non produci modo quodam particulari, et inspirabilitas non est ratio cognoscendi tertiam personam alio modo quam per processionem 3. *Innascibilitas* exprimitur quidem negative, sed ac-

1 *In I Sent.,* dist. 28, q. 2, circa med.
2 *I p.,* q. 32, a. 3.
3 Cfr. Banez, *In I p.,* q, 32, a. 3 ad 2.

•censetur notionibus, quia significat Patrem nullatenus produci, non habere principium, et esse a se, quod proculdubio denotat perfectionem, sed ingenerabilitas excludit solummodo a Patre unum determinatum modum processionis, quod nullam dicit perfectionem [1].

III. Nomen *innascibile* vel *ingenitum* — ἀγεννητον—triplici significatione usurpari potest, ut cl. *Franzelin* admonuit [2]. a) Quatenus opponitur *creato,* et significat *increatum.* Hoc sensu est attributum absolutum tribus personis commune, et scribendum foret αγενητον. b) In quantum opponitur *genito,* et est proprium Patris et Spiritus Sancti, c) Prout excludit omnem processionem ab alio. Hoc pacto αγέννητο·, est notio Patris et significat aliquid negativum, prout idem valet ac nullatenus procedens; connotât tamen (non directe significat, ut minus recte dixit *Vazquez* [3]) rationem positivam et dignitatem Patris.

590. Scholion I. *De proprietatibus. Proprietas* — ιδίωμα — recte dicitur *ratio formalis, quae uni tantum personae convenit.* Sunt quatuor proprietates, scilicet, *innascibilitas, paternitas, filiatio* et *processio* [4].*

Innascibilitas directe significans negationem et indirecte tantum connotans rationem positivam, non dicit relationem nec constituit personam Patris, et ideo dicitur *proprietas personae:* Aliae constituunt, ut jam diximus, personas Trinitatis, et vocantur *proprietates personales.*

591. Scholion II. *De actibus notionalibus.* 1) Dupliciter Deus exercet suos actus, a) *Ad extra,* cum in rerum productione et gubernatione ad extra se manifestat, et vocantur *actus essentiales,* toti Trinitati communes, b) *Ad intra,* cum, se ipsum intelligendo et amando, producit Filium et Spiritum Sanctum, et vocantur *actus notionales.*

Actus ergo notionales nihil aliud sunt, quam ipsae relationes divinae, quatenus exprimuntur per modum actionis et passionis, et numerantur duo activi et totidem termini quasi passivi, scilicet generare et generari, spirare et spirari. Intelligere Patris producit Filium, et velle Patris et Filii producit Spiritum Sanctum.

2) Cum *intelligere* et *velle* non solum conveniant Patri et Filio sed sint tribus personis communia, aliqui, ut *Scotus* [5], *Molina* [6] et alii opinati sunt *intelligere* et *velle* essentialia ac tribus personis communia distingui a *dictione* et *spiratione* notionalibus, quasi essent duo actus paralleli aeque distincti, ita ut intelligere verum et dicere Verbum fiat duplici actu, sicut etiam diligere bonum divinum et spirare Spiritum Sanctum alio duplici actu.

Nihilominus dicendum est cum communissima sententia theologorum ipsum *intelligere* et *velle* primordialia et essentialia esse formaliter actus notionales producentes Verbum et Spiritum Sanctum, in quantum intelligere connotât in Patre relationem Paternitatis, atque velle in

1 Cfr. S. Thomas, *I Sent.,* dist. 28, q. 1, a. I ad 4.

3 *De Deo trino,* th. 25, 2, 1.

3 *In I p.,* disp. 140, c. 3.

4 Spiratio activa non est rigorosc proprietas, quia convenit Patri et Filio, dicitur tamen aliquando proprietas lato sensu, in quantum non est communis omnibus personis.

3 *I Sent,,* dist. 2, q. 7, nn. 22, 26.

* *t" t P .* ‹l 37. a 2·

Patre et Filio spirationem activam. Unde ipsum intelligere primordiale modificatum a paternitate, et velle connotans spirationem activam sunt actus notionales, quia sicut intellectus, tribus personis communis, modificatus paternitate, constituitur in ratione potentiae generativae Verbi, ita pariter intelligere et velle in Deo, licet sint essentialia et personis communia, tamen modificata per paternitatem et spirationem activam, fecundantur et producunt Verbum ac Spiritum Sanctum.

3) Omnes fere theologi docent notiones divinarum personarum et actus notionales distingui virtualiter tantum a relationibus et personis, quia rationes formales significatae per relationes et actus notionales non se opponunt relative sed sunt diversae et petunt proculdubio distinctionem virtualem [1].

Parergon.

592. Memoriae juvandae causa lubet hic ea, quae latius dixi, breviter repetere. In Déo sunt *una* natura divina, *duae* processiones, generatio et processio; *tres* personae, Pater, Filius et Spiritus Sanctus; *tres* proprietates personales, paternitas, filiatio et spiratio passiva; *quatuor* relationes, paternitas, filiatio, spiratio activa et spiratio passiva; *quatuor* actus notionales, generare, generari, spirare et spirari; *quatuor* proprietates personarum, innascibilitas, paternitas, filiatio et processio; *quinque* notiones, innascibilitas, paternitas, filiatio, spiratio activa et spiratio passiva.

QUAESTIO XXIX

DE AEQUALITATE DIVINARUM PERSONARUM

S. *Th., I p., q. 42.*

ARTICULUS I

UTRUM TRES DIVINAE PERSONAE SINT SIBI INVICEM COAEQUALES

593. Status quaestionis. 1) Unum in substantia dicitur *idem,* unum in quantitate *aequale,* unum in qualitate *simile.* Hinc veniunt quaestiones de *consubstantialitate, aequalitate* et *similitudine* divinarum personarum. De consubstantialitate actum est supra; similitudo patebit ex dicendis in hoc articulo; de aequalitate habenda est hic plenior tractatio.

2) Quantitas, ex qua petitur aequalitas, una est *molis* alia *virtutis.* Prima attenditur penes extensionem rei in partes, altera penes perfectionem. Sic liber est magnus vel parvus quantitate molis, intelligentia dicitur major vel minor quantitate virtutis.

1 Aureolus, apud Satolli, *De Trinitate,* q. 15, a. I, docuit «actus notionales habere potius modum actionis ct passionis, quam relationis, ac distingui formaliter ex natura rei ab ipsis relationibus». Suarez, e contra, *De Trinitate,* lib. 6, c. 1, n. 2, et alii putarunt actus notionales esse formalissime ipsas relationes.

Cum in Deo non sit quantitas molis, aequalitas divinarum personarum non potest'attendi nisi penes perfectionem, juxta illud S. *Augustini:* «In his enim, quae non mole magna sunt, hoc est majus esse, quod est melius esse» x.

3) Quaerimus hic, an personae divinae sint aequalis omnino perfectionis.

594. Errores quorumdam et placita theologorum.

r) *Haeretici non pauci,* putantes Filium et Spiritum Sanctum esse puras creaturas, negaverunt obstinate personas divinas esse aequales. Sic Arius et omnes antitrinitarii, sive monarchiani fuerint sive subordinatiani.

2) *Catholici omnes* autumant aequalitatem divinarum personarum citra haeresim negari non posse. At in modo explicandi discordant.

a) *Plurimi theologi,* sicut retulimus superius 1, ad omnes difficultates praecavendas statuerunt relationibus divinis, in quantum formaliter exprimunt suum *esse ad,* nullam inesse perfectionem relativam a perfectione absoluta essentiae virtualiter distinctam. In hac theoria, quam defendimus, facile salvatur aequalitas omnimoda divinarum personarum.

b) At *iwnnulli magni nominis theologi,* ut ibidem notatum est, hunc dicendi modum inficiati sunt, et perfectiones relativas, a perfectione absoluta essentiae virtualiter distinctas, personis divinis adseripserunt. Ut a difficultatibus se expediant, dicunt cum *Suarez* 3, duplicem esse perfectionem, *simpliciter simplicem* et *simplicem* sine addito. *Simpliciter simplex* est, quam melius est habere quam non habere, et haec convenit Deo formaliter ratione essentiae. *Simplex* potest esse ex duplici capite, vel quia includit in se aliquam imperfectionem, et hoc pacto nullatenus Deo convenit, vel quia opponitur alteri perfectioni relativae aequali, et haec potest in una persona reperiri et non in altera, quin obsit aequalitati omnimodae personarum, quia aequalitas in divinis personis attendenda est solum penes perfectiones simpliciter simplices 4.

595. Thesis. **Personae divinae sunt sibi invicem coaequales.**

Arg. 1) *Ex conciliis.* *S. Damasus Papa* in synodo romana (a. 380) ait: «Si quis tres personas non .dixerit veras Patris et Filii et Spiritus Sancti aequales... a. s.»5.* *Symbolum athanasianum:* «In hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus: sed totae tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales». Idem docet Concilium Toletanum XI (a. 675) 6.

2) *Ex SS. Patribus.* *S. Fulgentius:* «Nemo (illorum) alium aut praecedit aeternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate»7. S. *Augustinus:* «Tantus est solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus Sanctus, quantus est simul Pater et Filius et Spiritus Sanctus» 8.

3) *Ex ratione.* Aequalitas in divinis solum attenditur secundum perfectionem. Sed eadem est perfectio in Patre et Filio et Spiritu Sancto. Ergo personae divinae sunt sibi invicem omnino aequales. «Neque omnes

1 *De Trinitate,* lib. 6, c. 8; ML 42, 929.
2 Supra, nn. 563 et 564.
3 *De Trinitate,* lib. 3, c. 10, n. 4.
4 Cfr. Billot, q. 28, th. 6 ad 2.
5 Denz-Bannw., 79.
6 *In symbolo fidei;* Denz-Bannw., 279.
7 *De fide ad Petrum,* c. i, n. 4; ML 65, 674.
8 *De Trinitate,* lib. 6, c. 8; ML 42. 920.

relationes, inquit *Angelicus,* sunt majus aliquid quam una tantum, nec omnes personae majus aliquid quam una tantum, quia tota perfectio divinae naturae est in qualibet personarum»[1]. Haec aequalitas divinarum personarum nihil aliud est quam *identitas earum in eadem natura.*

ARTICULUS II

UTRUM ADMITTENDA SIT CIRCUMINSESSIO DIVINARUM PERSONARUM

596. Status quaestionis. 1) Quod graeci περιχώρηση/ vocant, apud veteres latinos est *circuminsessio* vel *circumincessio* [2], et definitur: *Mutua immanentia seu intima inexsistentia divinarum personarum inter se sine confusione;·* adeo ut Pater sit in Filio et Spiritu Sancto, Filius item in Patre et Spiritu Sancto, et Spiritus Sanctus in utroque.

2) Consubstantialitas divinarum personarum, quam contra arianos supra defendimus, demonstrat proculdubio personas divinas sibi mutuo coexsistere ac quasi circumeare, sed distinctio realis earum, quam Ecclesia contra sabellianos profitetur, contrarium suadere videtur. Quare, operae pretium est investigare, an revera detur circuminsessio divinarum personarum, et quae sit ejus formalis ratio.

597. Theologorum placita. Conveniunt theologi in admittenda veritate circuminsessionis divinarum personarum, sed quoad ejus extensionem et rationem formalem non una est doctorum opinio.

I. *Quoad extensionem,* i) Nonnulli dicunt duobus modis posse aliquid esse in alio. *Uno modo* secundum se totum, ut totum corpus dicitur esse in loco adaequato. *Alio modo* secundum aliquam partem, ut homo est ubi habet pedem, etsi totus non sit in eo praecise loco. Contendunt autem unam personam esse in alia, non secundum se totam, sed secundum partem, id est, secundum naturam tantum et non secundum proprietates ac relationes. Secus putant personas confusum iri, et Patrem fore Filium ac viceversa. Ita *Durandus* [3].

2) Alii communiter docent personas divinas coexsistere sibi invicem secundum se totum, id est, secundum naturam, proprietates ac relationes, quin ex hoc sequatur aliqua in personis confusio.

II. *Quoad rationem formalem* hujus totalis circuminsessionis divisi sunt catholici.

1) Rationem formalem hujus inexsistentiae fundant nonnulli non solum in unitate naturae, sed etiam in immensitate personarum, adeo ut immensitas sit de conceptu formali circuminsessionis, et per illam sint personae sibi invicem immanentes. Ita *Suarez* et *Ruiz* [4].

2) Alii docent rationem formalem et unicam circuminsessionis esse, non immensitatem divinam, sed consubstantialitatem personarum realiter distinctarum per relationes. Sic *Petavius, Franzelin* et alii [5].

1 *I p.,* q. 42, a. 4 ad 3.

2 Si vim facias in verbo, *circuminsessio* significat inexsistentiam personarum inter se in quiete, et *circumincessio* denotat circumpermeationcm, id est, immanentium personarum per modum actus et vitae, quasi esset inter eas commeatus et vitae exercitium.

3 *In I Sent.,* dist. 19, q. 3.

4 Suarez, *De Trinitate,* lib. 4, c. 16, n 11; Ruiz, disp 107, sect, 7.

5 Petavius. *Dogm. theol.,* lib. 4, C. 16, n. 5 sqq ; Franzelin, *De Deo trino,* th. 14.

598. Thesis **I. Admittenda est in divinis circuminsessio, qua divinae personae secundum totum earum esse sibi mutuo coexsistunt.** *(Est de fide.)*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* a) De se ipso ait Christus: *Ego el Pater unum sumus... Pater in me est et ego in Patre* [1]. *Qui videt me, videt et Patrem meum... Pater autem in me manens ipse facit opera. Non creditis, quia ego in Patre et Pater in me est?* [2]. b) Immanentia quoque Spiritus Sancti in aliis personis satis colligitur ex verbis Apostoli, qui dicit Spiritum Sanctum esse in Deo sicut spiritus hominis est in homine [3].

2) *Ex conciliis.* Concilium Florentinum diserte hoc declaravit dicens: «Propter hanc unitatem (naturae) Pater est totus in Filio, totus in Spiritu Sancto; Filius totus est in Patre, totus in Spiritu Sancto; Spiritus Sanctus totus est in Patre, totus in Filio»[4].

3) *Ex SS. Patribus. S. Joannes Damascenus* ait: «Sunt enim personae aliae in aliis, non ut inter se confundantur, sed ut cohaereant juxta eam Domini sententiam: *Ego in Patre et Pater in me est* [5]. S. *Fulgentius:* «Nullus horum extra quemlibet est» [6].

Corollarium. Hanc personarum circuminsessionem esse totalem quoad naturam, relationes et proprietates facile deducitur contra Durandum ex modo loquendi Ecclesiae et SS. Patrum, qui diserte dicunt totum Patrem esse in Filio et Spiritu Sancto, totum Filium in Patre et Spiritu Sancto, et totum Spiritum Sanctum in Patre et Filio [7].

599. Thesis **II. Circuminsessio divinarum personarum non recte explicatur per immensitatem divinam.**

Arg. Si praesentia personarum per immensitatem Dei sufficeret ad rationem formalem circuminsessionis, omnes creaturae, quibus Deus est praesens per immensitatem, inexsisterent Deo et Deus creaturis, quod est inauditum [8].

600. Thesis **III. Ratio formalis circuminsessionis divinarum personarum est unitas naturae in personis realiter distinctis per relationes et origines.**

Arg. «In Patre et Filio, inquit *Angelicus,* tria est considerare, scilicet, *essentiam,* et *relationem,* et *originem,* et secundum quodlibet istorum Filius est in Patre et e converso».

1) *«Secundum essentiam* Pater est in Filio, quia Pater est sua essentia, et communicat suam essentiam Filio, non per aliquam suam transmutationem. Unde sequitur, quod, cum essentia Patris sit in Filio,

1 *Joan.,* io, 30-38.
2 *Joan.,* 14, 9-11.
3 */ Cor.,* 2, ii.
4 Denz-Bannw., 704.
5 De *fido orth.,* 1, 8; MG 94, 829.
6 *De fide ad Petrum,* 1, 4; ML 65. 674.
7 Cfr S. Fulgontlu», De *fide ad Petrum,* c 1. n 4; ML 65, 673
8 Cfr. Potuviu·, De *Trinitate,* lib. 4. c. 10, n. 5.

in Filio sit Pater; et similiter, cum Filius sit sua essentia, sequitur, quod sit in Patre, in quo est ejus essentia»[1]. Hoc expresse docuit S. *Athanasius* dicens: «Cum forma et deitas Patris sit esse (essentia) Filii, consequenter Filius in Patre est et Pater in Filio»[2].

Haec tamen unitas essentiae nequit fundare, ut patet, inexsistentiam unius in alio sine distinctione personarum, quia per hoc solum non esset unus- et alius.

2) *«Secundum etiam relationes,* prosequitur S. *Thomas,* manifestum est, quod unum oppositorum relative est in altero secundum intellectum» [3], quia *relativa sunt simul cognitione.* In Deo enim, cum cognitio et res non distinguantur realiter, ea, quae sunt simul cognitione, sunt simul in essentia. Ergo relativa mutuo sibi coexsistunt. Recte ad casum Patres Concilii Toletani XI: «Nec enim Pater absque Filio cognoscitur nec sine Patre Filius invenitur»[4]

3) *«Secundum originem,* concludit S. *Doctor,* etiam manifestum est, quod processio Verbi intelligibilis non est aliquid extra, sed manet in dicente; id etiam, quod Verbo dicitur, in Verbo continetur, et eadem ratio est de Spiritu Sancto»[5]. Hoc est: Filius a Patre et Spiritus Sanctus a Patre et Filio originem ducunt per actum immanentem. Terminus autem actus immanentis manet in ipso agente. Unde necesse est, ut tres personae divinae sibi mutuo coexsistant.

601. Objicies. *Aristoteles (Physic.,* lib. 4, c. 3) enumerat omnes modos, quibus una res possit esse in alia, nempe: 1) Ut pars in toto; 2) ut totum in partibus; 3) ut species in genere; 4) ut genus in specie; 5) ut forma in materia; 6) ut motus in movente; 7) ut appetitus in fine; 8) ut res in loco. Nullus autem eorum congruit circuminsessioni personarum. Ergo non datur in Deo circuminsessio personarum.

Respondeo cum S. *Thoma,* «quod ea, quae in creaturis sunt, non sufficienter repraesentant ea, quae Dei sunt. Et ideo, secundum nullum eorum modorum, quos Philosophus enumerat, Filius est in Patre aut e converso. Accedit tamen magis ad hoc modus ille, secundum quem aliquid dicitur esse in principio originante, nisi quod deest unitas essentiae in rebus creatis inter principium et id, quod est a principio» [6].

ARTICULUS III

UTRUM OPERA DEI AD EXTRA SINT COMMUNIA TOTI TRINITATI

602. Status quaestionis. Quaeritur hic, an operationes Dei ad extra, ut creatio, gubernatio et sanctificatio, sint toti Trinitati ita communes, ut tres personae semper eas exerceant actione, re et numero una.

603. Errores. 1) *Omnes tritheitae,* qui tres essentias ponunt in Deo, negant actiones Dei ad extra esse communes toti Trinitati.

1 *I p.,* q. 42. a. 5.
2 *Orat. 3 contra arianos,* n. 3; MG 26, 328.
3 *I p.,* q. 42, a. 5.
4 Denz-Bannw., 281.
5 *I p.,* q. 42, a. 5.
6 *I p.,* q. 42, a. 5 ad 1.

2) *Veteres quidam scriptores* dixerunt operationes Dei ad extra, quae fiunt per attributa quibusdam personis appropriata, ut per potentiam, sapientiam et bonitatem, aequiparari actibus notionalibus; et sicut actus notionales pertinent ad determinatas personas, ita praedictas operationes adscripserunt exclusive personis, quibus appropriantur.

3) *Paschasius,* diaconus, apud *Petavium* ', docuit operationes Dei ad extra esse quandoque singulis personis proprias, sed dici toti Trinitati communes, propterea quod tres personae communi consilio et proposito omnia operantur.

4) *A ntonius Günther,* in suis libris *De theologia speculativa,* et ejus impugnator *Oischinger,* in opere, quod inscripsit *Speculative Théologie des heisigen Thomas von Aquin* [2], nimis favere visi sunt tritheismo, et consequenter docuerunt operationes Dei ad extra non esse communes toti Trinitati [3].

604. Thesis. **Operationes Dei ad extra sunt toti Trinitati communes, adeo ut tres personae simul eas operentur actione, re et numero una.** *(Est de jide.)*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Dominus noster ait in Evangelio: *Pater meus usque modo operatur et ego operor... Non potest Filius a se (acere quidquam, nisi quod viderit Patrem jacientem; quaecumque enim ille jecerit, haec et Filius similiter jacit*[4].

2) S. *Augustinus:* «Cum dicimus et Patrem principium et Filium principium, non duo principia creaturae dicimus, quia et Pater et Filius simul ad creaturam unum principium est, sicut unus creator, sicut unus Deus» [5]. «Ad creaturam vero Pater et Filius et Spiritus Sanctus unum principium, sicut unus creator et imus Dominus»[6].

3) *Ex ratione.* Per generationem et spirationem activam ita una et eadem essentia communicatur Filio et Spiritui Sancto, ut idem sint et faciant non solum specifice sed etiam numerice, ubi non obviat relationis oppositio. Sed actiones Dei ad extra nullam significant oppositionem, sed potius important maximam conformitatem et naturalem connexionem in principio. Ergo actiones Dei *ad extra* sunt toti Trinitati communes.

Solvuntur objectiones.

605. Obj. 1.° Juxta sacras litteras in opere redemptionis Pater praeftpit, Filius exsequitur. Spiritus Sanctus perficit. Sed redemptio est opus *ad extra.* Ergo.

Resp.— Dist. maj. In opere redemptionis Pater praecipit, etc., per quamdam accommodationem vel appropriationem, cone.; per actionem exclusive singulis personis propriam, neg. Opus redemptionis est externum et consequenter commune toti Trinitati, sed in eo appropriantur Patri praeceptum.

1 *De Trinitate,* lib. 4, c. 15, n. 7.
2 Landshut, 1858.
3 Cfr. Katschthalor, *De Deo trino,* p. 1, sect. 2, c. 1, a. 2, n. 238, nota 2.
4 *Joan., 5,* 17-19. Cfr. S. Augustinus, in *Joan.,* tr. 20, n. 9; ML 35, 1561.
6 *De Trinitate,* 5, 13, 14; ML 42, 920.
° *De Trinitate,* 5, 14, 15; ML 42, 921. Solemnis hujus doctrinae definitio parata erat in Concilio Vaticano, *schema const, dogm.,* de doctrina cath., canone 4 de SS. Trinitate: «Si quis relationem aut quamvis aliam operationem *ad extra* uni personae divinae ita propriam esse dixerit, ut non sit omnibus communis, una et indivisa, a s.». Concilium Toletanum XI dicit personas SS. Trinitatis esse «inseparabiles in eo, quod sunt et in eo, quod faciunt», Donz-Bannw., 281.

Filio exsecutio et Spiritui Sancto perfectio, sicut in regimine mundi appropriantur eis omnipotentia, sapientia et amor [1].

Obj. 2. Solus Filius adsumpsit naturam humanam; solus Pater de nube dixit: *Hic est Filius meus dilectus* (Matth., 3, 17); solus Spiritus Sanctus in columbae specie apparuit. Ergo.

Resp. Ad 1.um In incarnatione Filii duo distingui debent: *actio* scilicet ex parte agentis, qua efficitur incarnatio, et *effectus* hujus actionis, qui est unio naturae divinae et humanae in una Verbi persona. Actio est communis toti Trinitati, unio vero propria Filii. Unde Concilium Toletanum XI ait: «Incarnationem... Filii Dei tota Trinitas operasse credenda est; quia inseparabilia sunt opera Trinitatis. Solus tamen Filius formam servi accepit in singularitate personae» [2]. Incarnatio igitur *efficienter* est Trinitatis, *terminative* Filii propria.

Ad 2.um et 3.um Prolatio verborum: *Hic est Filius meus dilectus,* et apparitio Spiritus Sancti in specie columbae sunt proculdubio operationes communes toti Trinitati sed applicantur Patri et Spiritui Sancto ad manifestandum eorum proprietates in externa operum executione [3].

606. Scholion. *De appropriationibus.* «Appropriare, ait S. *Thomas,* nihil est aliud quam commune trahere ad proprium» [4].

Quoad praesens attinet, appropriatio definiri potest: *Praedicatio alicujus attributi communis vel operationis ad extra de una persona divina prae aliis.* Ratio appropriationis est similitudo, quam proprietates unius personae habent cum attributis vel operationibus ipsi appropriatis. Scopus autem ejus est facilitas cognoscendi divinas personas. Cum enim essentialia magis cognoscamus quam propria personarum [5], essentialibus per appropriationem utimur ad cognoscendum melius divinas personas.

Quatuor classes appropriationum collegit S. *Thomas* [6] ex sacris Doctoribus et mira claritate exposuit dicens: «Intellectus noster, qui ex creaturis in Dei cognitionem manuducitur, oportet, quod Deum consideret secundum modum, quem ex creaturis assumit. In consideratione autem alicujus creaturae quatuor per ordinem nobis occurrunt. Nam *primo* consideratur res ipsa absolute, in quantum est ens quoddam. *Secunda* autem consideratio rei est, in quantum est una. *Tertia* consideratio rei est, secundum quod inest ei virtus ad operandum et ad causandum. *Quarta* autem consideratio rei est secundum habitudinem, (piam habet ad causata. Unde haec etiam quadruplex consideratio circa Deum nobis occurrit».

1.° *«Secundum igitur primam considerationem,* qua consideratur absolute Deus secundum esse suum, sic sumitur appropriatio *Hilarii* [7], secundum quam *aeternitas* appropriate Patri, *species* Filio, *usus* Spiri-

1 Actiones tamen theandricae sunt propriae Filii in opere redemptionis, quia a supposito divino in natura humana exercentur.

2 *Symbol, fidei;* Denz-Bannw., 284.

3 Huic triplici objectioni optime respondet auctor libri, *De Trinitate et unitate Dei* (ML 42, 1x94), his verbis: «Illam carnem solius Filii, et illam vocem solius Patris, et illam speciem columbae solius Spiritus Sancti universa Trinitas operata est».

4 *De veritate,* q. 7, a. 3.

5 S. Thomas, *I p.,* q. 39, a. 7.

6 *I p.,* q. 39, a. 8.

7 *De Trinitate,* lib. 2, n. 1; ML 10, 51.

tui Sancto. *Aeternitas* enim, in quantum significat esse non principiatum, similitudinem habet cum proprio Patris, qui est principium non de principio. *Species* autem sive pulchritudo habet similitudinem cum propriis Filii», in quantum Filio convenit proportio cum claritate, quia habet naturam perfectam a Patre, cujus est imago, et est splendor intellectus. «*Usus* autem habet similitudinem cum propriis Spiritus Sancti, largo modo accipiendo usum, in quantum uti comprehendit sub se etiam frui... Usus ergo, quo Pater et Filius se invicem fruuntur, convenit cum proprio Spiritus Sancti, in quantum est amor...»

2.° «*Secunda vero consideratio Dei esi,* in quantum consideratur ut unus. Et sic *Augustinus (De doctr. Christiana,* lib. 1, c. 5; ML 34, 21) Patri appropriât *unitatem,* Filio *aequalitatem,* Spiritui Sancto *concordiam* sive *connexionem.* Quae quidem tria unitatem importare manifestum est, sed differenter. Nam *unitas* dicitur absolute, non praesupponens aliquid aliud; et ideo appropriatur Patri, qui non praesupponit aliquam personam, cum sit principium non de principio. *Aequalitas* autem importat unitatem in respectu ad alterum; nam aequale est, quod habet unam quantitatem cum alio. Et ideo aequalitas appropriatur Filio, qui est principium de principio. *Connexio* autem importat unitatem aliquorum duorum. Unde appropriatur Spiritui Sancto, in quantum est a duobus...»

3.° «*Secundum vero tertiam considerationem,* qua in Deo sufficiens virtus consideratur ad causandum, dicitur sumi tertia appropriatio, scilicet *potentiae, sapientiae* et *bonitatis... Potentia* enim habet rationem principii; unde habet similitudinem cum Patre caelesti, qui est principium totius divinitatis... *Sapientia* vero similitudinem habet cum Filio caelesti, in quantum est Verbum, quod nihil aliud est, quam conceptus sapientiae... *Bonitas* autem, cum sit ratio et objectum amoris, habet similitudinem cum Spiritu divino, qui est amor...»

4.° «*Secundum vero quartam considerationem,* prout consideratur Deus in habitudine ad suos effectus, sumitur illa appropriatio *ex quo, per quem* et *in quo»,* juxta illud Apostoli: *Ex ipso* (Patre), *et per ipsum* (Filium), *et in ipso* (Spiritu Sancto) *sunt omnia* [1]. *Ex* denotat potentiam activam, quae appropriatur Patri; *per* significat causam exemplarem, quae convenit Filio; *in* denotat habitudinem continentis, et appropriatur Spiritui Sancto, qui sua bonitate conservat res in esse.

1 *Rom.,* 11, 36.

QUAESTIO XXX

DE MISSIONE DIVINARUM PERSONARUM

S. *Th.. I p., q. 43-*

ARTICULUS I

QUID ET QUOTUPEEX SIT MISSIO, ET AN DETUR IN DIVINIS

607. I. *Notio missionis.* 1) *Nonnulli* dixerunt missionem divinarum personarum consistere in aeterna earum processione ab alia persona, ita ut, si Deus non creasset rerum naturam, nihilominus exsisteret personarum missio. Missio igitur Filii juxta hanc opinionem est aeterna ejus a Patre generatio, et missio Spiritus Sancti aeterna ejus ex Patre Filioque processio. Sicut arbor dicitur flores *mittere,* illos germinando, ita dicunt Patrem mittere Filium, illum generando. Ita aliqui apud *Magistrum Sententiarum*[1] et *Petavium*[2].

2) *Alii* e contra dixerunt missionem personarum nihil aliud esse quam novum modum essendi earum in rebus creatis. Quia, cum haec missio sit temporalis, putant eam reponendam esse in modo essendi temporali personarum. Sic *Magister Sententiarum, S. Bonaventura* et *Scotus*[3].

3) Melius tamen ab aliis communiter requiritur ad missionem personarum, *origo missi a principio mittente et novus modus essendi ejus in creaturis.*

«In ratione missionis, inquit *Angelicus,* duo importantur, quorum unum est habitudo missi ad eum, a quo mittitur; aliud est habitudo missi ad terminum, ad quem mittitur, a) Per hoc autem, quod aliquis mittitur, ostenditur processio quaedam missi a mittente, vel secundum imperium, sicut dominus mittit servum; vel secundum consilium, ut si consiliarius mittere dicatur regem ad bellandum; vel secundum originem, ut si dicatur, quod flos emittitur ab arbore, b) Ostenditur etiam habitudo, ad terminum, ad quem mittitur, ut aliquo modo ibi esse incipiat, vel quia prius ibi omnino non erat, quo mittitur, vel quia incipit ibi aliquo modo esse, quo prius non erat».

«Missio igitur divinae personae convenire potest secundum quod importat ex una parte processionem originis a mittente, et secundum quod importat ex alia parte novum modum exsistendi in alio; sicut Filius dicitur esse missus a Patre in mundum, secundum quod incepit in mundo esse per' carnem adsumptam, et tamen ante in mundo erat, ut dicitur *Joannis I*»[4].

His praenotatis, missio definiri potest: *Processio unius personae ab alia per originem cum novo modo exsistendi in creatura.*

[1] *I Seni.,* dist. 15, n. 10; ML 192, 56t.
[2] *De Trinitate,* lib. 8, c. 1.
[3] Magister, *I Sent.,* dist. 15; S. Bonaventura, *I Sent.,* dist. 15: Scotus, *I Sent.,* dist. H.
[4] *I P.*. q 43. a. t

a) In missione divinarum personarum habitudo mittentis ad missum semper est per originem, quatenus mittens communicat esse personae missae per generationem vel spirationem. In missionibus creaturarum mittens potest exercere suum influxum in missum vel secundum imperium, ut dominus in servum, vel secundum consilium, ut consiliarius in regem, qui pergit ad bellandum, vel secundum originem, ut arbor in florem; sed in divinis nequit exercere nisi per solam originem. Quare, ex parte termini *a quo,* missio divina significat processionem unius ab alio. Hinc Pater, qui a nullo procedit, nunquam mittitur, ut dicetur infra.

b) Persona missa in creaturis potest dupliciter respicere terminum *ad quem,* vel quia prius ibi omnino non erat, ut servus, qui a domino mittitur in longinquas terras, vel quia incipit novo modo esse ubi erat, ut cum minister regis accipit novum mandatum exequendum, ubi prius erat. Sed personae divinae nequeunt omnino incipere esse alicubi, quia ratione immensitatis sunt ubique, possunt tamen incipere esse novo modo, quia non sunt ubique omni modo. Quare ex parte termini *ad quem,* missio divina importat novum modum exsistendi personae missae ad creaturas.

c) Fundamentum missionis personarum, quod est processio, et, ut ita dicam, exitus a mittente, est aeternum, sicut aeterna est processio divinarum personarum. Sed quia missio non completur nisi per habitudinem ad creaturas, in quibus personae missae incipiunt novo modo esse, missio divina, absolute loquendo, est temporalis [1].

d) Probe distinguenda est *datio* divinarum personarum a missione. Datio enim non importat habitudinem ad terminum *a quo,* sed solum significat actum alicujus donandi. Quare, non solum dantur personae missae, quatenus donantur termino *ad quem,* ubi incipiunt noviter esse, sed etiam datur Pater, ut dicemus inferius.

608. II. *Divisio.* 1) Missio potest esse a) *visibilis,* quando novus modus essendi personae missae manifestatur signo aliquo sensibili, ut cum Filius in carne humana et Spiritus Sanctus in columbae speepe apparuerunt; b) *invisibilis,* quando novus modus essendi personae missae non manifestatur signo sensibili, ut cum Spiritus Sanctus mittitur in animam justi per donum gratiae sanctificantis.

2) Missio visibilis potest esse iterum duplex: a) *substantialis* (ita theologi vocant) [2], quando persona missa apparet in natura sensibili sibi hypostatice adsumpta; hujus unicum exemplum est missio Filii Dei in carne humana; b) *repraesentativa,* quando persona missa non adsumit sibi naturam extraneam, sed adhibet aliqu.Qd..^ymbolum visibile repraesentans ejus, praesentiam, ut missio Spiritus Sancti in specie columbae vel ignis.

3) *Differentiae* inter missionem substantialem et repraesentativam sunt plures: a) in missione substantiali adsumpta est natura humana ad unitatem personae, in repraesentativa adhibentur signa visibilia, qua instrumentum, ad significandam praesentiam personae missae;

1 Cfr Snlinanticonsea, *T)c SS. Trinitatis mysterio,* disp. 19, dub. 3, § 3.
3 Cfr. Suarez, *De Trinitate,* lib. 12, c. 4, n. 17.

b) in prima adsumpta est natura humana in perpetuum, in secunda adhibita sunt signa ad tempus; c) in una adsumpta est natura rationalis, in altera adhibita sunt signa irrationalia; d) missio substantialis fuit tanquam primaria, missiones repraesentativae factae sunt ad ejus instar V

4) Ut apposite observat cl. *Van Noort* 1, missio divinae personae semper fit ad aliquam personam. Nec enim Filius missus est ad naturam humanam adsumptam, sed ad nos in natura adsumpta; nec Spiritus Sanctus missus est ad columbam aut ad ignem, sed in symbolo columbae et ignis ad Christum et apostolos.

5) Natura creata, in qua Filius per missionem substantialem apparuit, fuit revera natura humana, ut fides nos docet; sednon opus est, ut signa visibilia, quae apparent in missione repraesentativa personae divinae, sint de facto res naturales, sub quarum specie percipiuntur. Ita columba descendens super Christum in Jordane 3, et dispertitae linguae tanquam ignis apparentes super discipulos in die Pentecostes 4, non fuerunt vera columba et verus ignis, sed «ad haec tantum significanda repente exstiterunt»5.

6) Missio visibilis personae semper ordinatur ad efficiendam vel significandam missionem invisibilem. Dixi ad *efficiendam* vel *significandam,* quia missio visibilis aliquando *efficit* sanctificationem eorum, ad quos fit missio, ut Filius Dei missus in came humana effecit nostram sanctitatem; aliquando *significat* sanctitatem, vel antea exsistentem, ut missio Spiritus Sancti in Christum, vel eodem tempore collatam, ut missio Spiritus Sancti in apostolos.

609. III. *Pater nunquam mittitur.* Pater, cum sit principium sine principio, a nullo procedit. Ergo nec mittitur. Unde S. *Augustinus* ait: «Solus Pater legitur non missus, quia solus non habet auctorem, quo genitus sit, vel a quo procedat» ®.

610. IV. *Filio et Spiritui Sancto competit mitti.* 1) Sacrae litterae hoc nos docent: *Filium suum unigenitum misit Deus in mundum* 1. *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum*6 *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo*6. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre* 10.

2) Ratio idem suadet. Missio enim duo importat, processionem nimirum personae missae a mittente et novum modum essendi in creaturis. Sed Filius et Spiritus Sanctus pjocedunt a principio et incipiunt novo modo esse in creaturis. Ergo.

1 Cfr. Pesoh, *De Deo trino,* n. 656.
2 *De Deo trino,* n. 227.
3 *Maith.,* 3, 16.
4 *Act..* 2, 3.
5 S. Thomas, *I p.,* q. 43, a. 7 ad 2.
• *Sermo contra arianos,* c. 4; MI. 42, 686.
7 *1 Joan.,* 4, 9.
8 *Joan.,* 5, 23.
9 *Joan.,* 14, 26.
10 *Joan ,* 15, 26.

Objicies. *Pseudo-Dionysius* [1] docet angelos superiores non mitti, quia hoc derogaret eorum dignitati. Ergo a fortiori dicendum est personas divinas non mitti.

Resp.—Neg. conseq. et paritatem. Angeli enim superiores nihil agunt circa creata nisi mediantibus angelis inferioribus, et eorum dignitati certe derogaret, ut mitterentur ad ministerium exercendum mediantibus inferioribus. Sed personae divinae operantur immediate circa nos, et possunt mitti sine detrimento dignitatis [2].

611. V. *Filius a solo Patre, et Spiritus Sanctus a Patre Filioque mittuntur.* Ratio est, quia Filius a solo Patre per generationem, et Spiritus Sanctus a Patre Filioque per spirationem procedunt, et uterque multiplici modo, visibili et invisibili, incipiunt esse in creaturis. Ergo Filius a solo Patre [3], et Spiritus Sanctus a Patre Filioque mittuntur.

612. Objicies. Concilium Toletanum XI, innixum illis verbis Isaiae (48, 16) *Dominus Deus misit me et Spiritum ejus,* docet Filium non a solo Patre sed etiam a Spiritu Sancto mitti [4]. Et in libro Isaiae dicitur: *Spiritus Domini super me... ad annuntiandum mansuetis misit me* [5]. Ergo.

Resp. I. Nonnulli dicunt haec testimonia intelligenda esse de missione Filii in carne nostra mortali. Filius enim, qua homo, non solum a Patre, sed etiam a se et a Spiritu Sancto mittitur, ut expresse docet *S. Augustinus* [6][7] Sic revera intelligendi sunt Patres toletani, quibus in praefato loco sermo erat de Verbo incarnato. Textum pariter Isaiae (48, 16) eodem sensu explicat S. *Hieronymus* '. Locus autem Isaiae (61, 1) explicandus est ex textu hebraico, in quo *misit me* refertur ad Jahve.

Resp. II. Persona mittens dupliciter potest considerari: 1) quatenus est principium personae missae et producit effectum in termino *ad quem;* 2) quatenus est solummodo principium effectus, qui producitur in missione. «Si igitur mittens, inquit ad rem *Angelicus,* designetur ut principium personae, quae mittitur, sic non quaelibet persona mittit, sed solum illa, cui convenit esse principium illius personae; et sic Filius mittitur tantum a Patre, Spiritus Sanctus autem a Patre et Filio. Si vero persona mittens intelligatur esse principium effectus, secundum quem attenditur missio, sic tota Trinitas mittit personam missam» [8]. Recte tamen monet *Petatius* * hoc intelligendum esse de personis, quibus aliunde procedere contingit, non de Patre, qui a nullo procedit. Unde solus Filius a se ipso et Spiritu Sancto, et Spiritus Sanctus a semetipso hoc modo dicuntur mitti.

613. VI. *Quaelibet ex Trinitate persona datur vel donatur.* Vocabula *datio, donatio* et *adventus,* quae idem sonant, cum ad divina referuntur, nihil aliud significant nisi communicationem personarum in animam justi. Tota autem Trinitas se communicat in animam justi illamque inhabitat per gratiam gratum facientem juxta illud: *Si quis*

1 *De caelesti hierarchia,* c. 13; MG 3, 300.

2 Cfr. Auctor *libri Sent, ail Annibaldum, In I Sent.,* dist. 15, q. un., a. 1 ad 3.

3 Loquimur de missione Filii secundum naturam divinam. Potest autem dici Christum secundum humanam naturam mitti ab omnibus personis divinis, in quantum personae divinae dant consilium vel intimant imperium humanae naturae Christi.

4 Denz-Bannw., 285.

5 *Is.,* 61, I.

4 *De Trinitate,* lib. 2, c. 5, nn. 8-9: ML 42, 850.

7 *In Is.,* 48; ML 24, 480. Alii volunt Isaiam de se ipso loqui.

" *I P*. ◁ 43. « 8·

• *De Trinitate,* lib. 8, c. 1, n. 14.

diligit me... Pater meus diliget eum, et ad eum véniemus, et mansionem apud eum laciemus x.

614. VII. *Ex personis, quae mittuntur, una nunquam mittitur sine altera.* Ratio est. quia, ut apposite dicunt *Salmanticenses* 1, missiones Filii et Spiritus Sancti quoad utrumque terminum, quem important, sunt necessario inter se connexae et simul. Generatio siquidem Filii et processio Spiritus Sancti ne concipi quidem possunt nisi simul, et effectus, secundum quem attenditur missio, semper ab utroque producitur; id est, eadem gratia gratum faciens, quatenus movet animam ad intelligendum perfecte in ordine supernatural! ea, quae sunt Dei, producitur a Filio, et quatenus movet ad amorem Dei, efficitur a Spiritu Sancto 3.

Adverte tamen naturam *in qua* et symbolum *sub quo* personae missae apparent, effici a tota Trinitate, quamvis natura soli Filio hypostatice uniatur et symbolum manifestet praesentiam solius personae missae.

ARTICULUS II

UTRUM MISSIO INVISIBILIS DIVINARUM PERSONARUM SIT SOLUM SECUNDUM DONUM GRATIAE GRATUM FACIENTIS

615. Status quaestionis. 1) Missio invisibilis, ad quam visibilis ordinatur, nobilior est atque praestantior omnibus externis repraesentationibus, et ideo paulo latius enucleanda.

2) *Habitudo ad terminum a quo,* tam in missione visibili quam invisibili, est generatio Filii a Patre et spiratio Spiritus Sancti a Patre Filioque, de quibus satis in superioribus. *Habitudo ad terminum ad quem* est novus modus essendi personae missae in creaturis, superadditus modo generali, quo Deus adest omnibus rebus per essentiam, praesentiam et potentiam.

Investigandum hic venit, quid sit novus modus essendi vel nova praesentia personae missae in missione invisibili, an scilicet perficiatur per aliqua dona naturalia sive supernaturalia non informata gratia sanctificante, ut sunt gratiae gratis datae, gratiae actuales, et habitus informes fidei ac'spei, vel necessario fiat per donum gratiae sanctificantis.

616. Placita theologorum, i) *Aliqui* dixerunt missionem invisibilem divinarum personarum fieri quidem de facto per donum gratiae sanctificantis, posse tamen fieri absque gratia sanctificante, quia opinabantur homines justificari posse absque interiori gratia per extrinsëcam Dei benevolentiam. Ita *Ariminensis, Lessius* et *Petavius* '.

1 *Joan.,* 14, 23.

2 *De SS. Trinitatis mysterio,* disp. 19, n. 19.

3 Cfr. Auctor *ad Annibaldum, I Sent.,* dist. 15. q. un., a. 5; et / *Sent.,* dist. 15, q. 4> a. 2.

F Ariminensis, *I Sent.,* dist. 14, q. I, concl. 3; Lessius, *De perfect, div.,* 12, 11, 78, sed fortasse Lessius loquitur de suppositione impossibili, quasi diceret: «Si per impossibile nulla qualitas creata interveniret», ut saepe loquuntur scriptores; Petavius, *De Trinitate,* lib. 8, c. 6, n. 3.

2) *Arriaga* [1] existimat missionem invisibilem personarum fieri posse per dona supernaturalia non informata gratia sanctificante, ut per inspirationes, auxilia transeuntia, etc.

3) *Alii theologi* communiter docent praefatam missionem invisibilem fieri non posse nisi per dona gratiae sanctificantis.

617. Thesis. **Personae divinae non mittuntur nec mitti possunt invisibiliter nisi per dona gratiae sanctificantis.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus ait: *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* [2]. Nemo autem fit sanctus nisi per gratiam sanctificantem. Ergo Deus inhabitat in nobis per gratiam sanctificantem. Huic congruit illud Joannis: *Si quis diligit me... ad eum veniemus, et mansionem apud eum jaciemus* [3].

2) *Ex ratione S. Thomae.* Haec ad rem habet *Angelicus:* «Divinae personae convenit *mitti,* secundum quod novo modo exsistit in aliquo, *dari* autem, secundum quod habetur ab aliquo. Neutrum autem horum est nisi secundum gratiam gratum facientem. Est enim communis modus, quo Deus est in omnibus rebus per essentiam, potentiam et praesentiam, sicut causa in effectibus participantibus bonitatem ipsius. Super istum modum autem communem est unus specialis, qui convenit naturae rationali, in qua Deus dicitur esse *sicut cognitum in cognoscente et amatum in amante.* Et quia cognoscendo et amando creatura rationalis sua operatione attingit ad ipsum Deum, secundum istum specialem modum Deus non solum dicitur esse in creatura rationali sed etiam habitare in ea sicut in templo suo. Sic igitur nullus alius effectus potest esse ratio, quod divina persona sit novo modo in rationali creatura nisi gratia gratum faciens. Unde secundum solam gratiam gratum facientem mittitur et procedit temporaliter persona divina».

«Similiter, illud solum habere dicimur, quo libere possumus uti vel frui. Habere autem potestatem fruendi divina persona est solum secundum gratiam gratum facientem» [4].

Hic modus essendi Dei in creatura rationali *sicut cognitum est in cognoscente et amatum in amanle,* de quo loquitur *Angelicus,* non fit cognitione et amore naturali, sed cognitione supernatural! et amore amicitiae, quatenus anima elevatur ad familiarem Dei societatem. Anima justi, cum dirigitur in cognoscendo et amando per simplicem gratiam sanctificantem, quatenus haec operatur secundum exigentias gratiae et modo humano, possidet Deum sicut cognitum est in cognoscente et amatum in amante per modum omnibus justis communem; cum vero dirigitur per gratiam sanctificantem supra exigentias gratiae et modo super humano, habere dicitur Deum sicut cognitum est in cognoscente et amatum in amante speciali modo, proprio unioni mysticae [5].

618. **Corollarium.** Ex his colligere licet tribus modis esse Deum in creatura rationali. 1) *Per actum causalitatis et conservationis in esse,*

1 Disp. 55, sect, 4, 6.° dico.
2 *I Cor.,* 3, 17.
’ ,/wi»., 14, 23.
‘ / /> . <|· 43. a. 3.
• Clr. P. Cliry»oKonu>, *Comfr de AscMca* y *hflslica,* p. 156.

et sic Dens est in anima, sicut in omnibus rebus, per essentiam, praesentiam et potentiam. 2) *Per unionem hypostaticam,* et hoc pacto Verbum est in humana natura sibi adsumpta. 3) *Per gratiam sanctificantem et dona ipsam consequentia,* sicut cognitum est in cognoscente et amatum in amante.

Porro missio invisibilis personarum non attenditur secundum modum generalem essendi Dei per essentiam, praesentiam et potentiam, quia hoc modo Deus est in omnibus creaturis, et missio invisibilis personarum fit per modum essendi specialem superadditum generali. Modus essendi Dei in creatura rationali per unionem hypostaticam seu per gratiam substantialem est specialissimus in missione Filii Dei, qui humanam naturam adsumpsit in unam Verbi personam et substantialiter sanctificavit. Restat igitur missionem invisibilem fieri per tertium modum essendi, quo personae divinae incipiunt esse invisibiliter in creatura rationali per gratiam sanctificantem et dona consequentia.

Dixi *per gratiam sanctificantem et dona consequentia,* quia personae divinae mittuntur invisibiliter in animam rationalem non solum per gratiam habitualem sed etiam per dona supernaturalia informata gratia. Cum enim hujusmodi dona procedant ex gratia habituali, sicut proprietates procedunt ex essentia, secum ferunt gratiam sanctificantem et ineunt novam amicabilem societatem inter personas et animam justi. Ad hoc refertur illud Apostoli: *Quoniam autem estis filii, misit Detis Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater* [1].

Satisfit difficultatibus.

619. Obj. 1. Spiritus Sanctus missus est invisibiliter in B. Virginem, ut cx ea formaretur corpus Christi, juxta illud: *Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Allissimi obumbrabit tibi* [2]. Poterat autem haec missio fieri absque gratia sanctificante. Ergo. Prob. min. Poterat Christus absolute loquendo, formari, et quidem virtute Spiritus Sancti, in utero matris peccato foedatae et ex ea nasci. Ergo.

Resp.—Neg. min. Ad probationem neg. conseq. Spiritus Sanctus de facto missus est ad beatam Virginem eamque donis gratiae superabundanter implevit, ut condignam Dei Matrem efficeret; sed si voluisset formare corpus Christi in utero Virginis peccato foedatae, praesens quidem adfuisset ad illam formationem per modum generalem, quo adest omnibus rebus, sed non per missionem invisibilem, quia nullum specialem effectum in ea produxisset.

Obj. 2. Personae divinae dicuntur in creaturas rationales invisibiliter mitti, in quantum incipiunt speciali modo in eis esse, sicut cognitum est in cognoscente et amatum in amante. Sed naturali lumine sine gratia sanctificante possunt personae divinae cognosci et amari. Ergo. Hoc confirmat *S. Augustinus dicens:* «Tunc unicuique Verbum mittitur, cum a quoquam cognoscitur atque percipitur, quantum cognosci et percipi potest pro captu vel proficientis in Deum, vel perfectae in Deo animae rationalis» [3].

Resp.—Neg. min. 1) Viribus naturae sine auxilio fidei ne adumbrare quidem possumus exsistentiam trium personarum in unitate naturae, et idcirco naturalis unius Dei cognitio, quam colligimus ex creaturis, non suf-

1 *Gal.,* 4, 6.
2 *Luc.,* i, 35.
3 *De Trinitate,* lib. 4, c. 20, n. 28; MI, 42, 907.

licit, ut personae divinae dicantur esse in nobis sicut cognitum est in cognoscente et amatum in amante.

2) Neque cognitio distincta divinarum personarum, quam plures habent per fidem informem, sufficit ad missionem invisibilem personarum, -quia in missione invisibili donantur nobis personae fruendae, et ad hanc fruitionem necessario requiritur cognitio conjuncta cum amore benevolo.

3) S. *Augustinus* loquitur de cognitione Verbi, quae habetur per gratiam sanctificantem, proficientem quidem in via et consummatam in patria.

Dices. Per naturalem cognitionem et amorem Deus est saltem in mente philosophi ethnici distincto modo ac in reliquis creaturis. Ergo.

Resp.—Dist. ant. Est distincto modo ac in reliquis creaturis irrationalibus, transeat; distincto modo ac in mente aliorum hominum, neg. In instanti creationis concessit Deus facultatem cognoscitivam homini in eaquc incepit esse modo generali sicut in aliis rebus. Cum autem facultas cognoscitiva hominis concipit ideam Dei ex creaturis, non incipit Deus esse in intellectu aliter quam erat antea. Ideo hic modus essendi Dei in intellectu hominis per cognitionem naturalem reducitur ad modum generalem, quo Deus est in creaturis per essentiam, praesentiam et potentiam.

Obj. 3. In collatione cujuslibet doni etiam naturalis manifestatur liberalitas et amor Dei ad creaturas, et vicissim creaturae, quibus haec dona conceduntur, incipiunt esse novo modo respectu Dei. Ergo.

Resp.—Neg. conseq. Ad missionem invisibilem personarum proprie dictam non sufficit manifestatio liberalitatis et amoris imperfecti Dei ad creaturas, neque quilibet respectus creaturarum ad Deum, quales sunt donorum naturalium collatio ex parte Dei et acceptio ex parte creaturarum, sed requiruntur liberalitas perfecta, quae immediate nos ordinet ad ultimum finem, et amor benevolus, qui nos conjungat cum Deo. Personis siquidem divinis non fruimur in via nisi per donum gratiae et amorem amicitiae.

Obj. 4.° Cum conferuntur homini aliqua dona supernaturalia, ut illustrationes, inspirationes, motiones interiores, fides informata, etc., Deus incipit esse in anima modo speciali, quo prius non erat. Ergo per dona supernaturalia absque gratia sanctificante fieri potest missio invisibilis divinarum personarum.

Resp.—Neg. ant. Per dona supernaturalia non informata caritate, ut sunt fides et spes informes, illustrationes, inspirationes, motiones interiores, etc., non mittuntur nec dantur simpliciter personae, quia effectus necessarius missionis invisibilis est gratia sanctificans. Quia tamen his donis supernaturalibus disponitur quodammodo anima ad gratiam sanctificantem, potest dici personas divinas per ea mitti et donari *secundum quid* seu *inilialiter* eo modo, quo in Concilio Tridentino [1] elicitur fidem esse humanae salutis initium et fundamentum ac radicem omnis justificationis, et attritio nuncupatur impulsus Spiritus Sancti *non adhuc quidem inhabitantis sed lanium moventis* [2].

ARTICULUS III

UTRUM IN MISSIONE INVISIBILI PERSONAE IPSAE REALITER MITTANTUR ET INCIPIANT INHABITARE ANIMAM JUSTI

620. Status quaestionis. Quaeritur hic, an missio invisibilis divinarum personarum, de qua saepe loquuntur sacrae litterae, fiat per solam infusionem gratiae sanctificantis et charismatum subsequentium, vel etiam per realem missionem Filii et Spiritus Sancti, adeo ut, si per impossibile Deus non esset per essentiam, praesentiam et potentiam

1 Stfs.v 6, c. 8. Donz-Bannw., 8oi.
2 .S't'A.v i.;, c. .|; Denz-Bannw., 898.

animae praesens, per hanc invisibilem missionem forent Filius et Spiritus Sanctus realiter et intime praesentes animae justi.

621. Errores et theologorum placita. 1) Nonnulli apud Magistrum Sententiarum [1] docuerunt per missionem invisibilem non dari realiter ac substantialiter personas divinas, sed tantummodo dona creata Spiritus Sancti, gratiam scilicet et charismata caelestia.

2) Theologi communiter, uno vel altero excepto, docent in missione invisibili Filium et Spiritum Sanctum substantialiter nobis donari [2].

622. Thesis. **In missione invisibili divinarum personarum, non solum gratia sanctificans et dona creata ipsam concomitantia, sed etiam Filius et Spiritus Sanctus secundum substantiam nobis donantur.**

Haec doctrina est adeo certa, ut contrarium sit *minus securum* juxta S. *Bonaventuram* [3] et *error* juxta *Banez* [4].

Arg. 1) *Ex S. Scriptura,* a) Apostolus ait: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis* [5]. Iterum Apostolus: *Nescitis quia templum Dei estis et Spiritus Dei habitat in vobis?* [6].—*An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri?* [7].

b) *Ego rogabo Patrem,* inquit Christus, *et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere* [8]. Mittitur nobis Spiritus Sanctus et manet nobiscum eo modo, quo mundus non potest eum accipere, amicabili scilicet et familiari consortio.

2) *Ex ratione.* Personae divinae, cum invisibiliter mittuntur, fiunt praesentes animae justi, sicut cognitum est in cognoscente et amatum in amante, non quidem per praesentiam objectivam, ut verba innuere videntur, sed per cognitionem et affectum, qui producunt amorem amicitiae intimum, mutuum et perfectissimum inter amantem et amatum. Amor autem amicitiae, quando est perfectus, natus est efficere unionem inter amicos, non solum per affectuum conformitatem, sed etiam per conjunctionem realem et personalem, ubi fieri potest. Unde anima justi petit se intime conjungere Deo eoque frui, quantum possibile est in statu viae. Unio autem divinarum personarum cum anima justi possibilis est in hac vita. Ergo personae divinae donantur nobis in missione invisibili et inhabitant animam sicut templum suum.

1 *I Sent.,* dist. 14.

2 Pro hac sententia videri possunt Magister Sententiarum, *I Sent.,* dist. 14; S. Thomas, *I p.,* q. 43, a. 3: S. Bonaventura, *II Sent.,* dist. 26, a. 1, q. 2; Alexander Alensis, *I p.,* q. 73, n. 4; Banez, *In I p.,* q. 43, a. 3; Lessius, *De perf. div.,* 12, 11; Salmanticenses, *De SS. Trinitatis mysterio,* disp. 19, dub. 5, § 1; Petavius, *De Trinitate,* lib. 8, cc. 4, 5; Franzelin, *De Deo trino,* th. 43.

3 *II Sent.,* dist. 26, a. 1, q. 2.

4 *In I p.,* q. 43, a. 3.

5 *Rom.,* 5, 5. «In ipso dono gratiae gratum facientis, ait ad rem Angelicus, *I p.,* q. 43, a. 3, Spiritus Sanctus habetur et inhabitat hominem: unde ipsemet Spiritus Sanctus datur et mittitur». Cfr. Sylvius, *In I p.,* q 43, a. 3.

6 *I Cor.,* 3, 16.

7 *I Cor.,* 6, 19.

8 *Joan.,* 14, 16-17.

623. Corollaria. 1) Ex dictis facile colliges personas divinas ita nobis mitti et donari in missione invisibili, ut, si per impossibile non esset Dens omnibus rebus modo generali praesens, per hanc solam missionem invisibilem inciperent esse realiter et substantialiter animae justi praesentes, illamque inhabitarent sicut templum [1].

2) Ex parte recipientis prius natura recipitur gratia creata in anima quam Spiritus Sanctus, et ex parte agentis prius natura datur Spiritus Sanctus quam gratia. «Ordo aliquorum secundum naturam, ait S. *Thomas,* potest dupliciter considerari. Aut ex parte recipientis vel materiae, et sic dispositio est prior quam id, ad quod disponit; et sic per prius recipimus dona Spiritus Sancti quam ipsum Spiritum, quia per ipsa dona recepta Spiritui Sancto adsimilamur. Aut ex parte agentis et finis, et sic, quod propinquius erit fini et agenti, dicitur, esse prius, et ita per prius recipimus Spiritum Sanctum quam dona ejus... Et hoc est simpliciter esse prius» [2].

3) Inhabitare animam justi est actio communis toti Trinitati, sed appropriatur Spiritui Sancto, a) *Est communis toti Trinitati,* tum quia, ubi est una persona, ibi sunt aliae per circuminsessionem, tum quia inhabitare animam est operatio ad extra. «Per quem (Spiritum Sanctum), ait S. *Augustinus,* diffunditur in cordibus nostris Dei caritas, per quam nos tota inhabitat Trinitas» [3] [4] Hinc, ubi Filius et Spiritus Sanctus mittuntur invisibiliter, Pater etiam se dat cum ipsis animae justi, b) *Appropriatur Spiritui Sancto,* quia personae divinae per inhabitationem sanctificant animam. Sanctificatio autem, utpote effectus amoris, habet specialem similitudinem cum Spiritu Sancto, qui est amor.

4) *Petavius*[1] et alii voluerunt Spiritum Sanctum non inhabitasse sanctos Veteris Testamenti, et hoc videtur primo aspectu innuere S. *Joannes* his verbis: *Nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorijicatus* [5]. Nihilominus, contrarium videtur nobis esse certum, quia sancti Veteris Testamenti acceperunt gratiam sanctificantem. Animam autem sanctam Spiritus Sanctus semper inhabitat et adoptat in filium. Unde sancti Veteris Testamenti fuerunt filii amicique Dei, et non semel habuerunt intimas communicationes cum Deo.—Textus autem allatus S. *Joannis* intelligitur de missione solemni Spiritus Sancti in die Pentecostes[6]. Adest tamen quantum ad hoc differentia non parva inter Vetus et Novum Testamentum, quia a) in Novo Testamento abundantius confertur gratia quam in Antiquo; b) in Veteri Testamento conferebatur gratia propter merita Christi venturi, in Novo autem propter merita Christi praesentis; c) antiquitus non erant instituta sacramenta, quae producerent gratiam ex opere operato, nunc autem sacramenta significant et conferunt gratiam sanctificantem.

1 Cfr. Suarez, *De Trinitate,* 12, 5, 13.
2 *I Sent.,* dist. 14, q. 2, a. 1, sol. 2.
3 *De Trinitate,* lib. 15. c. 18; ML 42, 1083.
4 *De Trinitate,* lib. 8, c. 7, nn. 4-8.
6 *Joan.,* 7, 39.
° Cfr. S. Augustinus, *De Trinitate,* lib. 4, n. 29: ML 42, 908.

QUAESTIO XXXI

DE MYSTERIO SS. TRINITATIS RELATE AD RATIONEM HUMANAM

ARTICULUS I

UTRUM MYSTERIUM SS. TRINITATIS SIT INVENTUM RATIONIS HUMANAE

624. Status quaestionis. 1) Investigandum hic venit, an mysterium SS. Trinitatis, in quo profitemur unam esse in Deo naturam et tres personas realiter distinctas, fuerit inventum vel figmentum rationis humanae.

2) Agimus, ut patet, de vera Trinitate catholicorum, non de superstitione gentilium, quorum multi, ingenio naturali nimis fisi, vel etiam revelationi primitivae aut revelationi mosaicae partim innixi, Trinitatem suo modo finxerunt. Videamus breviter praecipuas Trinitates paganorum.

a) *Persae* posuerunt primo triplex principium rerum, caelum scilicet, mare et terram; deinde admiserunt quamdam triadem, compositam ex *Ormuzd* (Aura-Mazda), *Mithras* et *Sraosha.* Haec tamen utraque Trinitas, cum admittat pluralitatem naturae, nullam habet similitudinem cum nostro mysterio [1].

b) *Aegyptii* constituerunt Trinitatem ex *Amon, Ptah* et *Osiris.* Sed, juxta criticos, haec vocabula non videntur esse nisi diversa nomina localia unius summae deitatis, quam aegyptii dicebantur superstitiose coluisse. Acceperunt quidem notionem unius supremi Dei, quem saepe tribus nominibus vocarunt, sed veram Trinitatem personarum in una natura penitus ignorarunt [2].

c) *Indi* excogitarunt aliam Trinitatem, quam Trimurti vocant, et constat ex *Brahma, Vishnu* et *Çiva.*

In hac superstitione vel conservatur distinctio realis in natura trium deorum, qui in diversis regionibus adorabantur, ut constat ex indorum sacris libris [3], vel conceptus Dei est omnino pantheisticus, et Trinitas personarum resolvitur in modalem distinctionem ad instar explicationis modalistarum. *Brahma* siquidem, unum totum Deus, est essentialiter ipse mundus[4], et quatenus producit res per emanationem, dicitur *Brahma,* quatenus conservat eas in esse, vocatur *Vishnu,* et quatenus eas destruit, appellatur *Çiva.*

d) *Trinitas sinensium* dicitur inventa a *Lao-tse* circa a. 600 ante Christum, et exprimitur *I-hi-wei.* Trinitas autem *cabbalistica,* a rabbinis

1 Cfr. *Stimmen aus Maria-Laach,* 1907, p. 43. Hanc persarum trinitatem nonnulli tribuunt Zoroastro, sed verius existimant alii eam fuisse inventam post adventum Christi.

2 Cfr Sohanz, *Apologia,* II, c. 8, n. 5, 6.

3 Cfr. Jaugoy, *Dictionnaire apolog.,* v «Trinité».

4 Cfr Hettinger, *Teol. fund.,* p. 1. § 49, B.

judaeorum excogitata, vocatur *Adam-Kadmon,* et est *Filius primogenitus creator,* complectens in se triplex principium, *coronam* scilicet, *sapientiam, prudentiam.*

Hae theoriae vel non exprimunt conceptum unius trini, ut ad mysterium Trinitatis requiritur, vel exhibent ideam omnino pantheisticam, quia 1) tria principia suprema a *Lao-tse* nominata non sunt personae distinctae, sed evolutiones unius principii *Tao,* quae exprimuntur nomine composito *I-hi-wei* [1]; et 2) cabbalistarum *Adam-Kadmon* est ipse mundus per emanationem productus, in quo fiunt aliae emanationes, scilicet, *corona, sapientia* et *prudentia.*

e) *Trinitas Pythagorica* collecta est a quibusdam philosophis ex numero ternario, quem tanti fecerunt pythagorici, sed non videtur referri ad tres personas [2].

f) S. *Augustinus* adserit in libris platonicorum multis rationibus suaderi principium Evangelii S. Joannis: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* [3].

S. *Thomas* optime respondet ad hoc dicens: «In libris platonicorum invenitur *In principio erat Verbum,* non secundum quod Verbum significat personam genitam in divinis, sed secundum quod per Verbum intelligitur ratio idealis, per quam Deus omnia condidit, quae Filio appropriatur. Et licet appropriata tribus personis cognoscerent, dicuntur tamen in tertio signo defecisse, id est, in cognitione tertiae personae; quia a bonitate, quae Spiritui Sancto appropriatur, deviaverunt... Vel quia ponebant platonici unum primum ens, quod etiam dicebant esse patrem totius universitatis rerum, consequenter ponebant aliam substantiam sub eo, quam vocabant mentem vel paternum intellectum... Non autem ponebant aliquam substantiam tertiam separatam, quae videretur Spiritui Sancto respondere» [4].

Ratio igitur humana sibi relicta non potuit invenire mysterium SS. Trinitatis, sed omnes ejus conatus detenti sunt in pravis superstitionibus, quae nullam habuerunt similitudinem cum dogmate catholico nec influxerunt in formationem mysterii Trinitatis.

g) Post adventum Domini nostri Jesu Christi et praedicationem Evangelii, etiam judaei et gentiles acceperunt proculdubio influxum doctrinae catholicae, et propius accesserunt ad notionem SS. Trinitatis. Unde.

a) *Philo,* judaeus alexandrinus (30 a. C.—50 p. C.) docuit Λόγον, qui est vis primordialis Dei, sapientia Dei, et Filius, a Deo procedere. Nondum tamen tetigit veram notionem nostri dogmatis, quia nunquam potuit supponere Λόγον esse personam et quidem suo principio consubstantialem [5]. De Spiritu Sancto autem seu tertia persona omnino siluit.

1 Ut merito notat Van Noort, *De Deo trino,* n. 237, hoc nomen *i—hi—wei* non significat personas, sed «est *i*—absque colore; est *hi*—absque sonitu; est *wei*—a.bsque corpore». Cfr. Schanz, *Apologia,* II, c. 7, n. n.

2 Cfr. Honoratus dei Val, *De SS. Trinitate,* c. 3, n. 86; et Balmes, *Hist, de la l'ilosofia,* § 8, nn. 34-35.

3 *Confess* , lib. 7, c. 9; ML 32, 740. 4 *1 p.,* q. 32, a. 1 ad 1.

6 Cfr. Wulf, *Histoire de la Philosophia médiévale,* n. 76 (1912).

β) *Neopiatonici,* id est, *Ammonias Saccas* (f 243), *Plotinus* (f 270), *Porphyrias* ('r 304), *Jamblichus* (f 330), et alii docuerunt dogmata Christiana nihil continere, quod non fuerit in antiquis academiis, praesertim a Platone, traditum [2] Dicebant quippe dari in Deo triplex principium, *supremum,* scilicet, *ens in se immutabile* (το εν vel πρώτου) et duo intermediaria emanantia unum ex altero, *intelligentiam* (νοϋο λογον) viribus instructam, et *animam mundi,* naturam intelligentem et activam[1].

In hac theoria facile comperitur influxus doctrinae Christianae, in qua educatus fuisse dicitur Ammonius Saccas, non tamen attingitur vera notio mysterii Trinitatis. Neoplatonici siquidem, falsa cum veris admiscentes, profitentur *tritheismum,* dum ponunt tria principia, principium supremum, intelligentiam et animam mundi; admittunt *subordinatianismum,* dum dicunt principia intermediaria esse principio supremo inferiora; et amplectuntur *pantheismum,* dum volunt unum principium esse animam mundi.

625. *Epilogus.* Hucusque vidimus mysterium SS. Trinitatis, prout nos revelatione accepimus et fide credimus, non potuisse esse inventum humanum; nec systemata naturaliter excogitata potuisse influere in formationem ideae SS. Trinitatis, quia theoriae philosophorum essentialiter differunt a conceptu christiano nostri mysterii.

Quod si plures ex philosophis locuti sunt de ente quodam absoluto sub conceptu trino, ad modum nostrae Trinitatis, explicandi sunt. *Nonnulli* putant has theorias ex eo ortas esse, quod plerique antiquitatis philosophi in suis investigationibus adhibuerint ideas ex revelatione primitiva vel mosaica in contactu judaeorum acceptas[3]. *Alii* volunt philosophos ratione naturali investigasse unitatem entis supremi, et conceptum trinum ipsi tribuisse, non quod crederent in una natura esse tres personas, sed quia tria attributa distinguebant in singulis rebus, et numerum ternarium considerabant ut numerum perfectionis. «Propter quod, ait *Aristoteles,* a natura accipientes tanquam leges illius, et ad sanctificationes deorum, hoc utimur numero» [4]. Et S. *Thomas:* «Utimur enim numero hoc, scilicet ternario, ad sanctificationes deorum, id est, in sacrificiis et laudibus ipsorum, ac si acceperimus a natura leges et regulas ipsius, ut scilicet sicut natura perficit omnia ternario numero, ita illi, qui instituerunt cultum divinum, volentes Deo attribuere omne, quod perfectum est, attribuunt ei ternarium numerum»[5]. Potest etiam adjungi cum *Angelico:* «Philosophi non cognoverunt mysterium Trinitatis divinarum personarum per propria, quae sunt paternitas, filiatio et processio... Cognoverunt tamen quaedam essentialia attributa, quae appropriantur personis, sicut potentia Patri, sapientia Filio, bonitas Spiritui Sancto»[6].

1 Cfr. Balmes, *Hist, de la Filosofia,* n. 171 sqq.
2 Cfr. Wulf, *Hist, de la Philosophie médiévale,* n. "S.
3 Cfr. Philippus a SS. Trinitate, *De Deo trino,* disp. 5, dub. 2.
4 *De caelo et mundo,* lib. I, c. 1, text. 2.
5 *In lib. De caelo et mundo,* lib. 1, lect. 2, n. 5. Cfr. Van Noort, *De Deo trino,* n. 239.
6 *I p.,* q. 32, a. I ad 1.

ARTICULUS II

UTRUM DOCTRINA DE SS. TRINITATE SIT MYSTERIUM PROPRIE DICTUM

626. Status quaestionis. Mysterium proprie dictum, sicut alibi diximus [1] est veritas, quae per se superat vires intellectus humani, seu quae a ratione naturali nec ante revelationem inveniri nec post revelationem positive cognosci potest [2]. Hoc non obstat, quominus mysteria, per revelationem accepta, conceptibus analogicis intelligamus, et argumentis probabilibus suadeamus.

Quaerimus hic, num dogma SS. Trinitatis, in quo profitemur unam naturam in tribus personis realiter distinctis subsistere, sit adeo occultum, ut neque per revelationem acceptum possimus naturali ratione intelligere nec argumentis rationis positive demonstrare.

627. Theologorum placita, 1) *Quidam theologi* et *historiographi* tribuerunt Claudiano Mamerto *(lib. de Statu animae);* S. Anselmo *(Monol.,* praef.; ML 158, 143); Richardo a S. Victore *(De Trinit.,* lib. 1, c. 4; ML 196, 892; Hugoni a S. Victore *(De sacram.,* lib. 1, p. 3, c. 19; ML 176, 224); Scoto *(1 Sent.,* dist. 3, q. 5); et Henrico gandavensi *(Summa,* a. 53, q. 9) opinionem, quae dicit mysterium SS. Trinitatis posse ratione naturali saltem post revelationem demonstrari. Existimo tamen cum aliis eos loqui de demonstratione persuasiva seu congruentiae [3].

2) *Raymundus Lullius* (f 1315) dixit mysterium SS. Trinitatis posse per rationes adeo evidentes et claras demonstrari, ut nequeant mahumedani vi argumentorum resistere. Plures theologi, ut Salmanticenses *(De gratia* disp. 3, n. 7), *Lullium* de gravi errore accusant et vehementer impugnant [4], dum alii celeberrimum virum ab omni errore vindicant [5].

3) *«Marcus Mastrofini* (f 1834), verba sunt Hurter, in sua mctaphysica sublimiori nisus est solo rationis lumine mysterium SS. Trinitatis comprobare» [6]. Ad hoc triplici ductus est ratione, scilicet, quia Deus necessario exsistit, Deus habet infinitam vim creatricem, et Deus manifestare debet suam gloriam [7].

4) *Rosmini* ajebat: «Revelato mysterio SS. Trinitatis, potest ipsius exsistentia demonstrari argumentis mere speculativis, negativis quidem et indirectis, hujusmodi tamen ut per ipsa veritas illa ad philosophicas disciplinas revocetur, atque fiat propositio scientifica sicut caeterae» [8]. Argumentum ejus est, quia «tres supremae formae *esse,* nempe subjectivitas, objectivitas, et sanctitas, seu realitas, idealitas, moralitas, si transferantur ad esse absolutum, non possunt aliter concipi nisi ut personae subsistentes et viventes».

Hoc argumentum evertitur omnino, advertendo solummodo in tribus formis *esse,* quas enumerat Rosmini, non dari relationes originis, ut tres per-

1 *Theol. fundam.,* n. 90.

2 Cfr. Suarez, *De Incarnatione,* q. 53, a. I, disp. 44, sect. 8.

3 Cfr. Janssens, *De Deo trino,* q. 32, a. 1, app. I.

4 *Cienda tomista* (ephem.), tom. 6, pag. 430 sqq.; et tom. 8, p. 481.

6 Cfr. Bové, *Sistenia cientf/ico luliano,* p. 582. Menéndez y Pelayo, *Historia de los Hetcrodoxos espaholes* (ed. 2.a), t. 3, lib. 3, c. 5, § 2, pag. 272, haec habet: «No pretendfa éste (Lulio) que la razôn humana pudiera alcanzar a descubrir por si las verdades reveladas, sino que era capaz de *confirmarlas* y *probarlas*».

" *Nomenclator lilt.* (ed. 1911), vol. 5, p. 1188.

7 Cfr. Franzelin, *De Deo trino,* th. 18.

* Prop 25 damnata; Denz-Bannw., 1915.

sonae distinctae constituantur. Tres illae formae respondent totidem aliis proprietatibus entis, quae inter se non opponuntur sed potius convertuntur [1].

5) *Günther* (f 1863) autumavit Trinitatem posse demonstrari «ex momentis conscientiae sui ipsius». Argumentum ejus est peregrinum. Cum Deus se cognoscit, se ipsum, qua objectum, sibi opponit, id est, duplicat suam substantiam, et simul concipit hoc objectum oppositum esse se ipsum. Unde tria sunt in Deo conscientiam sui habentia, *subjectum* intelligens, *objectum* cognitum et *identitas* inter utrumque. Subjectum autem, objectum et identitas sunt Trinitas [2].

Gratis adserit *Günther* Deum secundum rationem philosophicam non posse se cognoscere nisi producendo terminum sibi oppositum. Hoc, quamvis sit verum, non pertinet ad provinciam philosophiae et rationis naturalis, et non constituit nisi ad summum argumentum congruentiae. Quod autem ad tertiam personam spectat, falsum est cognitionem identitatis cognoscentis et cogniti constituere Spiritum Sanctum.

6) *Hennannus Schell* [3] admittit doctrinam de Trinitate esse mysterium fidei, sed arbitratur posse nos, supposita dogmatis revelatione, pervenire ratione naturali ad demonstrationem philosophicam exsistentiae Trinitatis. Procedit ex aseitate Dei et sic argumentatur. Cum nihil possit exsistere sine causa sufficienti, Deus ita est a se, ut semetipsum positive producat. Unde Deus est causa sui. Nequit autem se ipsum producere nisi per intellectum et voluntatem. Hinc duplici via producitur Deus a se ipso, in quantum scilicet est verum et bonum. Porro Deus active se ipsum producens est Pater; qua veritas producta est Filius; qua bonitas producta est Spiritus Sanctus.

In hac argumentatione conatur auctor ratione probare fundamentum demonstrationis, positivam scilicet Dei aseitatem, et ratione pariter ex hac aseitate colligere vult productionem personarum. Sed a) vehementer fallitur in adserendo Deum esse causam sui ipsius, ut jam alibi notavi; et b) gratis affirmat non posse a philosopho concipi Deum exsistentem, prius quam agat. Humana enim ratio semper considerat Deum sicut et quamlibet rem prius exsistentem quam agentem.

628. Thesis. **Doctrina catholica de SS. Trinitate est mysterium proprie dictum.**

Juxta aliquos propositio est de fide, juxta alios theologice certa.

Arg. 1) *Ex traditione,* a) S. *Fulgentius:* «Sola, quantum arbitror, immutabilis illa sempiternitas Trinitatis reperietur incomprehensibilitatis digna miraculo, quae sic excedit omne, quod cogitare vel sapere possumus, sicut superat omne, quod sumus» [4]. S. *Hieronymus:* «De mysterio Trinitatis... recta confessio est ignoratio scientiae» [5].

b) S. *Thomas:* «Qui autem probare nititur Trinitatem personarum naturali ratione, fidei... derogat» [6]. *Banez:* «Impossibile est ratione naturali veritatem hujus mysterii ostendere. Haec conclusio tenenda est certa secundum fidem» [7]. *Toletus:* «Impossibile est ratione naturali cognoscere et invenire posse mysterium Trinitatis» [8].

1 Cfr. *Rosminian. propos, trutina theologica,* n. 190.
2 *Vorschule,* I, 108 sq.
3 *Cathol. Dogm.,* Zweit. 3, B. Eftcs Thema, § 7.
4 *Ad Trasimundum,* II, 1; ML 65, 245.
5 *In Is.,* lib. 18, prooem.; ML 24, 651.
6 *I p.,* q. 32, a. i.
7 *In I p.,* q. 32, a. 1, conci. 1
8 *I p.,* q. 32, a. 1, conci. 1.

2) Ex delinitionibus Ecclesiae. Concilium Vaticanum ait: «Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quandiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino» x. Deinde definit: «Si quis dixerit in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari, a. s.» 2. Porro nemo dubitat inter omnia Ecclesiae dogmata profundissimum et magis absconditum esse mysterium SS. Trinitatis.

3) *Ex ratione.* Patres Concilii Coloniensis, a. 1860, rationem profundissimam hujus doctrinae attulerunt his verbis: «Quum Dei invisibilia per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciantur, e rebus creatis ad personarum Trinitatem pertingendum nobis esset. Id autem fieri nequit, quum actus ille, quo Deus creavit mundum, utpote tribus personis communis, unitatem quidem essentiae, non vero personarum Trinitatem, manifestet»3.

629. Corollarium. «Qui autem, ait *Angelicus,* probare nititur Trinitatem personarum naturali ratione, fidei dupliciter derogat. *Primo* quidem quantum ad dignitatem ipsius fidei, quae est ut sit de rebus invisibilibus, quae rationem humanam excedunt... *Secundo* quantum ad utilitatem trahendi alios ad fidem. Cum enim aliquis ad probandum fidem inducit rationes, quae non sunt cogentes, cedit in irrisionem infidelium. Credunt enim, quod hujusmodi rationibus innitamur, et propter eas credamus» 4.*

630. Scholion. *Mysterium SS. Trinitatis non est contra rationem.* Clamant undique rationalistae et odia contra Ecclesiam excitant dicentes dogmata catholica, praesertim mysterium SS. Trinitatis, esse contra rationem. Juxta Strauss, «qui admittit symbolum *Quicumque,* obrenuntiat legibus intelligentiae» s.

Nihilominus certe tenendum est fideque profitendum mysterium SS. Trinitatis nullatenus adversari rationi.

1) Doctrina de SS. Trinitate est mysterium a Deo revelatum, sicut ratio est facultas a Deo condita. Deus autem, falli vel fallere nescius, nequit errorem docere nec derogare veritatibus rationalibus, verum vero opponendo. Ergo 6.

2) Viri sapientissimi, qui rationis ac philosophiae jura totis viribus vindicare curarunt, non solum acceptarunt doctrinam de Trinitate, verum etiam expresse declararunt eam esse rationi naturali et philosophiae omnino consonam 7.

1 3, C. 4; Denz-Bannw., 1796.

2 *Sess.* 3, c. 4; *De /ide et ratione,* can. 1; Denz-Bannw., 1816.

s Part. I, t. 2, c. 9. Cfr. S. Thomas, *I p.,* q. 32, a. I.

4 *I p.,* q. 32, a. i.

6 *Die christl. Glaubenslehere,* I, 460.

• Cfr. Concilium Vat., ses.». 3, c. 4; Denz-Bannw., 1797; et S. Thomas, *Contra Gent ,* lib. 1, c. 7.

7 Inter alios unum Leibnitzium nominabo, qui in *Dissertatione de confirmitate fidei non ratione,* nn. 23-27, ·!>·,« rtc defendit, quod catholici tenemus.

3) Contradictio, quam incredulus dicit nos incurrere in admittenda exsistentia trium personarum in una natura, illico evanescit, si serio consideretur specialis modus essendi Dei, in quo attributa absoluta et relativa ita subsistunt, ut absoluta sint unum et idem, relativa vero per oppositionem multiplicentur. Ratio humana non potest Deum naturaliter cognoscere, prout est in se, et hac de causa credit mysterium Trinitatis, sed optime noscit argumenta, quae a philosophia petuntur, non adversari conceptui de unitate naturae et Trinitate personarum in Deo.

ARTICULUS III

QUID POSSIT RATIO HUMANA FIDE ILLUSTRATA ATTINGERE CIRCA SS. TRINITATEM

631. Status quaestionis. Ratio dupliciter potest procedere in veritatis investigatione: 1) adjuta solis viribus naturae, innixaque principiis naturalibus; 2) illustrata lumine fidei supernatural! innixaque principiis a Deo revelatis. Ratio sine fide vel saltem sine aliqua fidei participatione non potest cognoscere hoc mysterium. Quid possit ratio fide illustrata breviter declarabo.

632. I. *Humana ratio fide illustrata potest mysterium SS. Trinitatis concipere, aliisque proponere ac explicare.*

1) *Potest mysterium SS. Trinitatis concipere.*

a) Hoc expresse docet Concilium Vaticanum dicens: «Ratio quidem fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam, eamque fructuosissimam adsequitur, tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo» [1].

b) Fundamentum hujus doctrinae est, quia nihil impedit, quominus ratio humana, semel illustrata per revelationem circa mysterium Trinitatis, apprehendat et intelligat sensum legitimum propositionis: *In Deo sunt lres personae realiter distinctae in una simplicissima essentia.* Distinguendo enim conceptum personae a conceptu essentiae, possumus sensum doctrinae revelatae intelligere.

2) *Potest conceptum mysterium SS. Trinitatis aliis proponere ac explicare.*

Qui per revelationem cognoscit in Deo esse unam essentiam et tres personas realiter distinctas, Filiumque a Patre et Spiritum Sanctum ab utroque procedere, potest conceptus philosophicos, quos habet de natura, persona et processione, applicare divinis, et, hos conceptus aliis manifestando, mysterium SS. Trinitatis proponere ac explicare. Nihil enim prohibet, quominus sensum mysterii, per revelationem conceptum, verbis exprimamus aliisque manifestemus, adeo ut nostris explicationibus auditores acquiescant.

633. II. *Supposita per jidem exsistentia Trinitatis, potest humana ratio adducere argumenta et analogias, quae possibilitatem et convenientiam hujus mysterii philosophice suadeant.*

Sess. 3, C. 4; Denz-Bannw., 1796.

Hujusmodi argumenta et analogiae petuntur ab ipso Deo, ab homine, a creaturis irrationalibus.

1) *Ab ipso Deo.* Ad perfectissimum bonum competit perfectissime se communicare; ad jucundam beatitudinem requiritur aliquod consortium habere; ad infinitam caritatem opus est objecto adaequato frui. Sed Deus est perfectissimum bonum, gaudet jucunda et infinita beatitudine, ac tandem amore flagrat infinito. Ergo in Deo est Trinitas personarum [1].

2) *Ab homine* [2]. «In creaturis igitur rationalibus, ait S. *Thomas,* in quibus est intellectus et voluntas, invenitur repraesentatio Trinitatis *per modum imaginis,* in quantum invenitur in eis verbum conceptum et amor procedens» [3]. S. *Bonaventura:* «Habet creatura intellectualis memoriam, intelligentiam et voluntatem, seu mentem, notitiam et amorem; mentem ad modum parentis, notitiam ad modum prolis, amorem ad modum nexus ab utroque procedentis et utrumque connectentis» [4]

3) *A creaturis irrationalibus* [5]. In omnibus creaturis cernitur numerus, pondus et mensura; omne bonum consistit in modo, specie et ordine; uno verbo: in omnibus conspiciuntur esse, forma et ordo; quatenus habent esse, repraesentant principium seu Patrem; in quantum habent formam, repraesentant Verbum; et, secundum quod dicunt ordinem, repraesentant Spiritum Sanctum [6].

634. III. *Ratio humana per jidem illustrata potest solvere omnes objectiones, quae jiunt contra mysterium SS. Trinitatis.*

1) «Cum enim fides, inquit *Angelicus,* infallibili veritati innitatur, impossibile autem sit de vero demonstrari contrarium, manifestum est probationes, quae contra fidem inducuntur, non esse demonstrationes sed solubilia argumenta» [7]. Rursum: «Si quid autem in dictis philosophorum inveniatur contrarium fidei, hoc non est philosophiae, sed magis philosophiae abusus ex defectu rationis: et ideo possibile est ex principiis philosophiae hujusmodi errorem refellere, vel ostendendo omnino esse impossibile vel non esse necessarium» [8].

2) Ratio idem suadet, quia, cum mysterium SS. Trinitatis, utpote a Deo edoctum, sit omnino verum, id, quod ipsi opponitur, erit necessario falsum in aliqua scientia. Quae autem sunt falsa in scientiis, naturali ratione detegi possunt, et argumenta, quibus innituntur, solvi. Ergo.

635. IV. *Valde utilis est nobis cognitio mysterii SS. Trinitatis.*

1 Adverte cum S. Thoma, *I p.,* q. 32, a. I ad 2: «Trinitate posita, congruunt hujusmodi rationes; non tamen ita, quod per has rationes sufficienter probetur Trinitas personarum».

2 Analogiae depromptae ab homine vocantur *imago Trinitatis.*

3 *I P.,* q. 45. a. 7.

4 *Qq. de mysterio Trinitatis,* I, 2. Haec pariter similitudo illustrat Trinitatem, sed «non sufficienter probat aliquid de Deo, propter hoc, quod intellectus non univoce invenitur in Deo et in nobis». S. Thomas, *I p.,* q. 32, a. I ad 2.

5 Hujusmodi similitudines vocantur *vestigium Trinitatis.*

6 S. Thomas, *I p.,* q. 45, a. 7.—Hae analogiae caute admodum adhibendae sunt, praesertim in disputationibus cum gentilibus et haereticis, ne comparationibus inadaequatis in irrisionem vertatur sacrosanctum mysterium, quod credimus.

7 *I p.,* q. 1, a. 8.

8 *In Hoet.,* q. 2, a. 3.

«Cognitio divinarum personarum, inquit S. *Thomas,* fuit necessaria nobis dupliciter. *Uno modo,* ad recte sentiendum de creatione rerum. Per hoc enim, quod dicimus Deum omnia fecisse Verbo suo, excluditur error ponentium Deum produxisse res ex necessitate naturae. Per hoc autem, quod ponimus in eo processionem amoris, ostenditur quod Deus non propter aliquam indigentiam creaturas produxit, neque propter aliquam aliam causam extrinsecam, sed propter amorem suae bonitatis. Unde et Moyses, postquam dixerat *(Gen.* 1, 1): *In principio creavit Dens caelum et terram,* subdit: *Dixit Deus: Fiat lux,* ad manifestationem divini Verbi; et postea dixit: *Vidit Deus lucem, quod esset bona,* ad ostendendum probationem divini amoris. Et similiter in aliis operibus. *Alio modo,* et principalius, ad recte sentiendum de salute generis humani, quae perficitur per Filium incarnatum et per donum Spiritus Sancti» [1].

ARTICULUS IV

QUIBUS TERMINIS UTI DEBEAMUS, CUM LOQUIMUR DE SS. TRINITATE

636. Status quaestionis. 1) «Ex verbis inordinate prolatis haeresis incurritur», ait S. *Hieronymus,* citatus a Magistro Sententiarum [2]: «nec periculosius (quam in materia de Trinitate), juxta S. *Augustinum,* alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quaeritur, nec fructuosius aliquid invenitur»[3]. Idcirco monemur a SS. Patribus, ut magna cautela procedamus, cum de SS. Trinitate sermonem instituimus [4].

Hinc determinatos loquendi modos vel regulas statuere oportet, ut revelatio sarta tecta servetur et termini in propria significatione usurpentur.

2) Ex nominibus, quae Deo ejusque personis tribuimus, alia sunt *substantiva,* alia *adjectiva. Substantiva* sunt, quae aliquid de Deo significant per modum substantiae, ut Deus est creator. *Adjectiva* exprimunt qualitatem, quae in Deo non denotat accidens subjecto inhaerens, sed aliquam modificationem substantiae, ut Deus est aeternus, sapiens, etc.

Nomina substantiva possunt esse *absoluta,* quae essentiam vel aliquod attributum absolutum significant, ut Deus, vel *relativa,* quae respectum quemdam important, ut paternitas.

Nomina substantiva, sive absoluta sint sive relativa, possunt esse *abstracta,* quae formalitatem sine subjecto exprimunt, ut deitas, paternitas, etc., vel *concreta,* quae subjectum cum forma denotant, ut Deus, Pater, etc.

3) Scopus hujus articuli est regulas statuere, ut diversa nomina circa SS. Trinitatem recte usurpentur, et oppositi errores Arii et Sabellii accurate vitentur.

1 *I p.,* q. 32, a. i ad 3.
2 *IV Sent.,* dist. 13 injine; et apud S. Thomam, *I p.,* q. 31, a. 2.
3 *De Trinitate,* lib. 1, c. 3; ML· 41, 822.
4 Ratio hujus cautelae est, quia, ut ait S. Thomas, *I p.,* q. 39, a. 8, «intellectus noster, qui ex creaturis in Dei cognitionem manuducitur, oportet, quod Deum consideret secundum modum, quem ex creaturis adsumit»,

637. *Regulae.* I. *Cave ne recedas sine gravi fundamento ab usu loquendi Ecclesiae, SS. Patrum et theologorum.* Ecclesia siquidem, Sancti Patres et theologi sunt organa, quibus vera traditio circa mysteria nobis transmittitur, et termini, quibus exprimunt SS. Trinitatem, nonnisi post maturam considerationem admissi sunt in usum.

II. *Vitanda sunt vocabula, quibus in Deo unitas naturae vel Trinitas personarum offenditur.* Ratio est, quia, cum mysterium Trinitatis consistat in imitate naturae et Trinitate personarum, vitandae sunt expressiones, quae quoquomodo huic duplici veritati adversantur. Quare falsa est synodi pistoriensis propositio: «Deus est in tribus personis distinctus». Catholice dici deberet: «Unus Deus est in tribus personis distinctis».

III. *Abstinendum est a vocibus, quae negant personarum ab invicem distinctionem vel cum essentia identitatem.* Personae siquidem inter se realiter distinctae, cum essentia sunt realiter unum et idem. Quamobrem non potest dici: «Paternitas est filiatio, vel Pater est Filius»: falsa quoque est propositio: «Filius est diversus a Patre».

IV. 1) *Nomina substantiva absoluta, quae Dei essentiam, attributa «absoluta» vel actuosa ad extra significant, nequeunt de Deo aut divinis personis in numero plurali proferri;* 2) *«relativa» vero, quae pluralitatem denotant, recte in plurali enuntiantur.*

1) Ratio primae partis est, quia praefata nomina absoluta in plurali enuntiata, multiplicant essentiam divinam, quod omnino nefas est. Unde ex hoc capite, nomina substantialia absoluta, sive ad essentiam Dei referantur, sive attributa absoluta aut actuosa Dei ad extra significent, nullatenus in plurali usurpari debent. Sic acatholicum est dicere: «Pater. Filius et Spiritus Sanctus sunt tres dii aut tres domini»[1], sed dicendi sunt unus Deus et unus Dominus. Item Pater, Filius et Spiritus Sanctus nequeunt dici tres sapientiae, tres misericordiae, tres creatores, tres gubernatores, sed una sapientia, una misericordia, unus creator et unus gubernator.

2) Ratio secundae partis est, quia, cum in Deo sint tres personae relationibus constitutae, nihil obstat, quominus relativa multiplicentur. Ex hoc capite vere dicitur: «In Deo sunt duae processiones, tres personae, tres hypostases, tres subsistentiae, quatuor relationes, quinque notiones»[2].

V. 1) *Nomina substantiva absoluta, quae in concreto enuntiantur, quandoque pro essentia, quandoque pro persona supponunt.* 2) *Nomina vero absoluta abstracta semper pro essentia, nunquam pro persona, supponunt.*

1) Nomina concreta significant subjectum habens formam. Haec autem forma potest trahere subjectum ad significandam essentiam vel proprietates personales. Unde praedicta nomina possunt supponere pro essentia vel proprietatibus personalibus, secundum diversam applicationem subjecti ad rationem essentiae vel proprietatis personalis. Ex

1 Cfr. Suarez, *De Trimtale,* lib. 4. c. 12: Kleutgen, *De ipso Deo,* n. 884.

2 Ex hac regula merito deducunt plerique theologi, aliis reclamantibus, posse catholice dici in Deo esse *tres res, tria entia,* etc., dummodo horum sensus termino relativo ad personas significandas referatur, adeo ut dicatur: *Tres res relativae aut tria entia relativa sunt in Deo.* Cfr. Salmanticenses, *De SS. Trinitatis mysterio,* disp. ›‹›, n. 11; Perrone, n |11.

hoc capite dicitur: «Deus creat, Deus generat». In prima propositione «Deus» supponit pro essentia, in altera pro persona.

2) Nomina absoluta abstracta significant essentiam ut formam abstractam, quae multiplicari nequit. Hinc falsa est propositio: «Essentia in Deo generat». Non enim essentia sed Pater generat.

VI. *Nomina adjectiva, si ad personas referantur, in plurali possunt enuntiari, secus vero, si naturam afficiant.*

Ratio semper eadem. Cum in divinis sint tres personae realiter distinctae, quidquid ratione earum convenit Deo adjective, multiplicari potest et pluraliter praedicari. Sic personaliter seu adjective, ut ait *S. Thomas,* dicuntur *tres omnipotentes, tres aeterni, tres immensi.* E contra, essentia Dei est unica, et quae ratione ejus Deo tribuuntur, singulariter oportet enuntiari. Unde substantive Deus dicitur *unus omnipotens, unus aeternus* et *unus immensus.*

Ex hac regula plura sequuntur:

1) Deus bene dicitur *trinus,* non *triplex* [1], quia «*trinum,* ut ait cl. *Berti,* solum significat numerum trium, *triplex,* multiplicatam in tribus rationem» [2]. Porro numerum trium recte profitemur in personis, non tamen multiplicatam in eis rationem. Similiter in officio SS. Trinitatis canit Ecclesia: *Una Trinitas, trina unitas, trina deitas,* etc. *Una* dicitur ratione substantiae, *trina* vero ratione personarum.

2) «Ad evitandum errorem Arii, inquit S. *Thomas,* vitare debemus in divinis nomen *diversitatis* et *differentiae,* ne tollatur unitas essentiae; possumus autem uti nomine *distinctionis,* propter oppositionem relativam... Ne autem tollatur simplicitas divinae essentiae, vitandum est nomen *separationis* et *divisionis,* quae est totius in partes; ne autem tollatur aequalitas, vitandum est nomen *disparitatis;* ne vero tollatur similitudo, vitandum est nomen *alieni* et *discrepantis»* [3]. Unde potest dici: «Pater est distinctus a Filio»; sed vocabula *diversus, differens, divisus, dispar, alienus, discrepans, separatus* et similia vitanda sunt, quia unitatem naturae laedunt.

3) Vocabula *alius* et *alter* in genere masculino et feminino significant personam, et recte usurpantur de personis; at *aliud* in genere neutro importat naturam et personis applicari nequit. Sic catholice dicimus: *Pater est alius a Filio,* sed haereticum est dicere: *Pater est aliud a Filio.* «Licet igitur, ait Concilium Lat. IV, alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud» [4].

4) Voces *unus, idem, unicus, singularis, solitarius, solus,* etc., quae multiplicitatem excludunt, cum cautela usurpandae sunt. Nam:

a) *Unum* et *idem* in genere neutro catholice de personis dicuntur, non vero *unus* et *idem* in masculino, nisi ferant secum nomen substantiae absolutum. Hinc verae sunt propositiones: «Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus sunt unum et idem». «Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus sunt unus Deus». Ratio est clara, quia haec vocabula in genere neutro unitatem essentiae, in masculino unitatem personae significant.

1 Cfr. *Condi Tolet. XI,* a. 675; Denz-Bannw., 278.

2 *De Deo trino,* c. I, n. 12.

3 *1 P.* 9- 31» a. 2.

4 Denz-Bannw., 432. Cfr. S. Aug., *tr. 36 in Joan.,* n 9; ML 35, 1668.

b) Vocabula *unicus* et *singularis* nonnisi magna cautione Deo applicari debent, quia haec expressio, *Deus unicus,* pluralitatem personarum offendere videtur. Si tamen, ex circumstantiis, ad essentiam significandam contrahantur, possunt sine periculo adhiberi.

c) Vox *solitarius* nullatenus Deo aut personis applicanda est. Unde nefas est dicere: «Pater est solitarius», quia pluralitatem personarum tollit. Quantum ad particulam *solus* distinguendum est: a) Si sumatur categorematice, ita ut solitudinem subjecto tribuat et idem significet ac *solitarius,* non dicitur de Deo aut personis divinis. Hinc falso diceretur: «Deus est solus», «Pater est solus»; quia in Deo est consortium personarum. β) Si sumatur sincategorematice, ita ut solummodo innuat ordinem praedicati ad subjectum, et significet praedicatum soli subjecto convenire, potest Deo applicari. Ex hoc capite catholice dicimus: «Solus Deus est omnipotens, aeternus, etc.», quia soli Deo convenit omnipotentia et aeternitas, γ) Potest etiam cuilibet personae applicari cum praedicato significante aliquam proprietatem relativam ejusdem personae. Sic catholicum est dicere: «Solus Pater generat»: «Solus Filius est genitus».

TRACTATUS III

DE DEO CREATORE

638. Auctores consulendi. 1) Cosmogoniae populorum paganorum, praesertim chaldaeorum, aegyptiorum, phaenicum, persarum, braVhmanorum, budhistarum, sinensium, graecorum, romanorum, etc., quae apud auctores passim exponuntur, licet excludant notionem Dei creatoris et contineant errores crassissimos, consuli possunt utiliter ad eruditionem L

2) Libri sacri, praesertim Genesis.

3) Veteres philosophi et classici, tum graeci tum latini, licet a veritate in multis aberraverint, pulchra tamen aliquando dixerunt. Videndi sunt Parmenides, *Carminum reliquiae,* ed. Didot, *Fragmenta philosoph, graec.,* vol. 1, p. 114; Anaximander, ed. Didot, *ibid.,* p. 237; Anaximenes, ed. Didot, *ibid.,* 241; Anaxagoras, ed. Didot, *ibid.,* 248; Heraclitus, ed. Didot, p. 314; Ocellus Lucanus, *De univers, natura libellus,* ed. Didot. *ibid.,* p. 388; Plato, *Timaeus,* ed. Didot *(Platonis opera,* vol. 2, p. 196 sqq.); Aristoteles, *De natura auscidt.,* lib. 8, c. 1, ed. Didot *(Aristotelis opera,* vol. 2, p. 342 sqq.); *De caelo,* lib. 1, cc. 10-42, ed. Didot, *ibid.,* vol. 2, p. 383 sqq.; *Metaphysic.,* lib. 11, c. 7, ed. Didot, vol 2, p. 605 sqq.; *De mundo,* ed. Didot. vol. 3, p. 627 sqq.: Homerus, *Iliadis,* eant. 19, ed. Didot *(Homeri Carmina,* p. 224); Hesiodus, *Theogonia,* ed. Didot *(Hesiodi Carmina,* vers. 1. 6 sqq., p. 3 sqq.); *Opera et dies,* vers. 90 sqq., ed. Didot, p. 32; Cicero, *De fine,* lib. 1, c. 6, ed. Lemaire, vol. 15, p. 48 sqq.; et *De nat. deor.,* lib. 1, c. 24, ed. Lem., vol. 17, p. 56 sqq.; Ovidius, *Metamorph.,* 1. ed. Lem., vol. 44, p. 43 sqq.; Virgilius, *Géorgie.,* lib. 1, ed. Lem., vol. 126, p. 246 sqq.; Sallustius, *De diis et mundo liber,* c. 5 sqq., ed. Didot. *(Philosoph. graec. jragm.,* vol. 3, p. 34 sqq.).

4) Symbola fidei, a) Apostolorum, Denz-Bannw., 6; b) Nicaeno Cpolitanum, Denz-Bannw., 86; c) Formula «Libellus in modum symboli; Denz-Bannw., 19; d) Concilium Lat. IV (1215). Denz-Bannw., 428.

5) SS. Patres. S. Clemens Romanus, *ep. ad Cor. I,* MG 1, 268 sqq. Hermas, *Pastor,* Mand. 1, 1, MG 2, 913; Aristides, *Apologia,* apud Rouot et Journel, *Enchiridion Patrist.,* 110 sqq., et MG 96, 1108 sqq.: S. Justinus, *Apologia* 1, MG 6, 327; *Apologia* 2, MG 6, 441; *Dialogus cum I'riphone,* MG 6, 471: Theophilus antioch., *Ad Autolycum,* lib. 1, n. 4 sqq.,

1 Vide eas, si vis, apud Lonormant, *Histoire ancienne de ['Orient;* Mir, *I.η creacuin,* c 2; Arintoro, *Z.7 Hexdmeron* (Introducciôn); F. Valbuena, *Hgipto y Asiria resucitados,* lib 1 y 2; Murillo, *lit Genesis,* Exigeais dei texto, § 2, ι.

MG 6, 1029; Tertullianus, *Adv. Marcionem,* **ML 2, 267 sqq.'; S. Basilius,** *Homiliae g in Hexameron,* **MG 29, 3 sqq.; S. Gregorius naz.,** *Poemata dogmatica,* **MG 41, 13 sqq.; S. Gregorius nyss.,** *In Hexameron explicatio apologetica,* **MG 44, 61;** *De hominis opificio,* **MG 44, 124; S. Ambrosius,** *Hexameron,* **ML 14, 133;** *De paradiso,* **ML 14, 191; S. Augustinus,** *De civ. Dei,* **ML 41, 13 sqq.;** *De Genesi contra manichaeos. De Genesi ad litteram imperfectus, De Genesi ad litteram,* **ML 34, 173 sqq.; Zacharias mitylenus,** *De mundi opificio,* **MG 85,1012; S. Anselmus,** *Monologium,* **ML 158,141.**

6) Theologi. Petrus Lombardus, *II Sent.,* **ML 192, 651 sqq.; S. Albertus M., O. P.,** *In II Sent.;* **Alensis, O. M.,** *Summa theol., Il p.,* **q. 1 sqq.; S. Thomas, O. P.,** *I p.,* **q. 45 sqq.;** *Contra Gentiles,* **lib. 2, c. 15 sqq.;** *in II Sent.,* **etc.; S. Bonaventura, O. M., Scotus, O. M., Ockam, O. M., Bachonus, O. C., Durandus, O. P.. Biel, O. M., Ariminensis, Capreolus, O. P., etc..** *in II Sent.;* **Suarez et Petavius, S. J.,** *De opere sex dierum;* **Thomas Waldensis, O. C.,** *Doctrinale antiquitatum fidei,* **lib. 1; Perrone, S. J., Knoll, O. M. C., Hurter, S. J., et Van Noort,** *De Deo creatore;* **Sanseverino,** *Cosmologia;* **Urraburu, S. J.,** *Cosmologia;* **Mazzella, S. J.,** *De Deo creante;* **Palmieri, S. J., Janssens, O. S. B., et Ezechiel a S. C. Jesu, O. C. Ex.,** *De Deo creante et elevante;* **Martinez Vigil, O. P.,** *La creaciôn;* **Mir, S. J.,** *La creaciôn;* **Faye,** *Sur l'origine du monde;* **Meignan,** *Le monde et l'homme primitive;* **J. Guibert,** *Les origines;* **Lepicier,** *L'opera dei sei giorni;* **Willems,** *Cosmologia; Diet, de Theol.,* **v. Creation; Lahousse, S. J.,** *De Deo creante et devante;* **Hummelauer, S. J.,** *Commentarius in Genesim;* **Hetzenauer, O. M. C.,** *Commentarius in Genesim;* **Honoratus del Val, O. S. A.,** *De Deo creante et devante;* **Pesch, S. J.,** *De Deo creante;* **Basilius a S. Anna, O. C. Ex.,** *De Deo creante;* **Tanquerey, S. S.,** *De Deo creante et devante;* **Murillo, S. J.,** *El Génesis;* **Ildefonso Rodriguez,** *Prehistoria.*

SECTIO I

DE CREATIONE, CONSERVATIONE ET GUBERNATIONE RERUM IN GENERE

QUAESTIO XXXII

DE RERUM CREATIONE

ARTICULUS I

QUID SIT CREATIO

639. I. Supponimus contra plures materialistas, pantheistas et rationalistas, creationem non esse vocem superfluam ac sensu vacuam, sed significare aliquid, esseque actum quemdam Dei positivum [1].

II. *Falsae notiones creationis,* i) *Victor Cousin* docuit creationem nihil aliud esse nisi productionem alicujus rei ex substantia agentis. In hac sententia homo creat, quando generat, et Deus creat mundum, ex se ipso illum educendo [2].

Plures errores docuit hic *Cousin* paucis verbis: a) Falso concedit homini facultatem creandi, b) Confundit creationem cum eductione. c) Emisit conceptum omnino pantheisticum de creatione.

2) *Pantheistae idealistae, Fichte, Scheling, Hegel, Hartmann,* et alii, arbitrantur ens quoddam absolutum impersonate vel *ideam ens* per progressivam sui evolutionem fieri omnia, ac idcirco creationem esse *transitum praefati entis* metaphysici ad realitatem physicam [3].

Haec theoria in philosophia est absurda et in theologia denegat interventum Dei in creatione; quia a) *idea ens* seu ordo idealis non est idem ac realis, nec exsistit extra mentem; b) dato quod ordo idealis sit realis extra Deum, nequit per progressivam evolutionem transire ad omnes entitates physicas in maxima varietate exsistentes; essentiae enim sunt immutabiles;

1 Creationis nomen esse inutile nullique objectivae veritati respondere dixerunt aliqui eum Spenzer, *First principies,* c. 2. «Ex nihilo nihil fit», ajebat Bayle; «Dal nulla non si ha chc nulla», addebat Schopenhauer, *Parerga und Paralipomena* (italice versa), 2, § 417.

2 «Dieu... en créant l'univers, il ne le tire pas du néant, il le tire de lui même». *Introd. à l'histoire de la philosophie,* leçon 5.

Haeckel, systematis monistarum defensor acerrimus, usurpat saepe verbum *creatio* pro evolutione materiae aeternae in diversas species. Cfr. *Histoire de la création,* leçon 1.

* Cfr. Bulinoi, *Historia de la l iloso/la,* §§ 56-58.

c) conceptus creationis in hac theoria est omnino pantheisticus; d) pantheistae idealistae negant actionem Dei in creatione.

3) *Juxta Rosminium* concurrunt tres operationes Dei ad creationem: a) divina abstractio, qua producitur *esse initiale,* primum finitum entium elementum (videtur esse ideale); b) divina imaginatio (forte cogitatio), qua producitur *reale finitum* seu realitates omnes, quibus constat mundus (nescio quid sit hoc finitum, et quare per hanc operationem non absolvatur creatio); c) «divina syntesis, id est, unio duorum elementorum, quae sunt *esse initiale...* atque reale finitum (seu potius diversa realia finita, termini diversi ejusdem esse initialis)» qua syntesi seu unione absolvitur creatio[1].

Contra hanc theoriam militant rationes sequentes, a) Esse initiale in prima Dei operatione abstractione productum vel est ideale vel reale; nequit esse ideale, quia purum esse ideale non producitur extra mentem; neque est reale, quia omne ens reale productum extra mentem est quid creatum seu terminus creationis. β) Intelligi nequit quomodo per secundam operationem Dei producantur omnes mundi realitates, quin absolvatur creatio, γ) Per solam syntesim seu unionem elementorum, quae jam sunt producta, non resultat aliquid creatum, quia unio partium non est creatio.

640. III. *Vera notio creationis.* Verbum *creare* multiplici sensu passim usurpatur. 1) Quandoque sumitur pro qualibet generatione tum mentali tum carnali, ut artifex *creat* imaginem. Sapientia dicitur creata ante saecula[2,3] et pater procreat filios. 2) Interdum accipitur pro electione ad aliquod officium, ut consules, episcopi et cardinales dicuntur *creari.* 3) Saepe adhibetur stricte pro significanda actione Dei, qua res producuntur ex nihilo.

Definitio. Hoc ultimo sensu accipitur hic creatio, et definitur: *Productio totius rei ex nihilo sui et subjecti.*

Dicitur 1) *Productio,* et significat actionem Dei, qua res fiunt. 2) *Totius rei,* id est, effectio rei secundum totam suam substantiam. In actibus causarum secundarum supponitur semper subjectum mutationis jam productum, ut in generatione supponitur materia prima, in alteratione substantia, in augmentatione quantitas, etc., sed in creatione nihil praesupponitur nisi agens, et producitur tota substantia s. 3) *Ex nihilo.* «Cum dicitur aliquid ex nihilo fieri, haec praepositio *ex* non designat causam materialem, sed ordinem tantum, sicut, cum dicitur *ex mane fit meridies,* id est, post mane fit meridies» 45 Hic tamen ordo inter nihil et rem non est realis, adeo ut nihilum influat in rem, quae creatur, vel convertatur in realitatem, sed est ordo secundum nostrum modum intelligendi, quatenus concipimus nihil praecedere productionem rei, resque effici non ex aliquos. 4) *Ex nihilo sui et subjecti.* Dupliciter potest in productione fieri aliquid, quod prius non erat, a) *Ex nihilo sui;* id est, quando ad productionem supponitur tantummodo subjectum, ex. gr., materia prima, et ex eo fit aliquid, quod non erat, novam formam introducendo, dicitur res fieri ex nihilo sui, sicut «homo fit ex non homine.

1 Propositiones 14, 15 et 16 damnatae a S. R. U. I. die 14 Decembris 1887. Denz-Bannw., 1904, sqq. Cfr. Rosmini, *Teosofia,* vol. I, n. 463 sq.

2 *Eccli.,* 24, 14.

3 Cfr. *Concil. Vat., sess.* 3. c. 1 Denz-Bannw., n. 1783.

* S. Thomas, *I p.,* q. 45, a 1 ad 3

5 Cfr. Valentia, *In I p.,* disp. 3, q. 2, p. 1. § *Ex qua descriptione*

et album ex non albo»[1] Nam ante generationem hominis, quamvis exsisteret aliquid hominis, scilicet materia, *totus* tamen *homo,* qua terminus generationis, non erat; et hoc sensu quidquid fit, efficitur *ex nihilo sui,* quia quando introducitur forma in materia praeexsistente, aliquid fit, quod non erat, b) *Ex nihilo subjecti,* quando ad productionem non supponitur subjectum seu materia, unde res fiant, sed producitur totum ens, scilicet principium materiale et formale, et dicitur res fieri *ex nihilo sui et subjecti* (ex nihilo materiae et formae), ac est proprie creatio [2][3]

Corollaria. I. Creationem semper praecedit absoluta negatio materiae et formae rei producendae, supposito dumtaxat agente seu causa efficiente cum virtute activa ad productionem rei totius.

II. In creatione producitur totum esse substantiale, quia efficitur res quantum ad principium materiale et formale, quin aliquid ejus praecesserit.

III. Creatio non est proprie mutatio nec conversio, quia «de ratione mutationis est, ait S. *Thomas* [8], quod aliquid idem se habeat aliter nunc et prius»; in conversione vero aliquid praeexsistens transfertur in novam substantiam, ut .substantia panis et vini in corpus et sanguinem Domini N. J. C. in eucharistia. In creatione autem nihil praesupponitur nec dantur duo termini positivi, sed de novo fit tota substantia.

IV. Creatio est semper *instantanea,* quia, ut ait S. *Thomas,* «successio propria est motui. Creatio autem neque est motus, neque terminus motus sicut generatio. Igitur nulla est in ipsa successio»[4]*

641. IV. *Creare est proprium Dei.* 1) Creare auctoritate propria est proculdubio solius Dei, ut probant sequentia:

a) Prima actio non potest convenire nisi primo agenti. Creatio autem, cum fiat ex nihilo, est prima actio. Ergo [6].

b) Per creationem producitur ens ut sic seu esse absolute, non in quantum est hoc vel illud. Unde creatio definitur a pluribus: *Productio entis in quantum est ens.* Sed ens, utpote universalissimum inter omnes effectus, nequit produci nisi a causa universalissima. Ergo creatio est actus solius Dei.

c) Causae secundae nihil possunt agere nisi in rem jam exsistentem. Ergo causae secundae nihil possunt creare.

2) *Causae secundae non possunt creare ministerialiter.*

Quidam antiqui philosophi «opinati sunt, quod, licet creatio sit propria actio universalis causae, tamen aliqua inferiorum causarum, in quantum agit in virtute primae causae (instrumentaliter), potest creare. Et sic posuit Avicenna (9 *Metaphys.),* quod prima substantia creata a Deo creat aliam post se, et substantiam orbis et animam ejus; et quod substantia orbis creat materiam inferiorum corporum» [6]. *Petrus Lombardus* putavit Deum posse «per aliquem creare aliqua, non per eum

1 S. Thomas, *1 p.,* q. 45, a. 1.
2 Cfr. Hot'zenauer, *Theologia biblica,* § 43, n. 1, b).
3 *1 p.,* q. 45, a. 2 ad 2.
4 *Contra Gentiles,* lib. 2, c. 19.
4 Cfr. Ferrerions!·, *Contra Gentiles,* lib. 2, c. 21. «Nam successio».
° S. Thomas, */ p.,* q 45, a *f.*

tanquam auctorem, sed ministrum, cum quo et in quo operaretur»[1]. Sed verius negatur.

a) Instrumentum· «non participat actionem causae superioris nisi in quantum per aliquid sibi proprium dispositive operatur ad effectum principalis agentis... Sic... securis scindendo lignum, quod habet ex proprietate suae formae, producit scamni formam, quae est effectus proprius principalis agentis» [2]. Porro effectus proprius principalis agentis in creatione est esse absolute seu totum esse. Sed nihil potest operari dispositive et instrumentaliter ad esse absolute seu ad totum esse, quod nihil praesupponit. Ergo causae secundae nequeunt aliquid creare instrumentaliter.

b) Creare est producere ens per se, id est, facere ens ex non ente, seu ens, quod nihil erat. Sed causae secundae nequeunt producere instrumentaliter ens per se, quia non possunt agere nisi in rem praeexsistentem. Ergo [3].

642. V. *Creatio est actio communis tribus personis.* Opera Dei ad extra sunt communia toti Trinitati, ut probatum est n. 604. Sed creatio est opus Dei ad extra, ut patet. Ergo. Unde Concilium Florentinum in decreto pro jacobitis ait: «Pater et Filius et Spiritus Sanctus non (sunt) tria principia creaturae sed unum principium» [4].

643. VI. *Non creantur nisi res subsistentes.* «Creari est quoddam fieri... inquit S. *Thomas.* Fieri autem ordinatur ad esse rei. Unde illis proprie convenit fieri et creari, quibus convenit esse; quod quidem convenit proprie subsistentibus, sive sint simplicia, sicut substantiae separatae, sive sint composita, sicut substantiae materiales»[5]. Ea autem, quae non subsistunt, sed quibus aliquid fit vel modificatur, ut forma et accidentia, potius dicuntur concreari, id est, fieri ad productionem totius compositi.

Anima tamen humana, quamvis sit pars formalis compositi, revera creatur, quia non educitur ex potentia materiae, sed fit ex nihilo et est per se subsistens.

Item, si Deus per miraculum produceret accidentia absoluta sine subjecto, vere dicerentur creari, quia, licet in se essent accidentia, revera tamen exsisterent per modum subsistentis[6].

Disputatur inter theologos, an dona supernaturalia, ut gratia, fides, spes, caritas, aliique habitus supernaturales proprie creentur. Affirmant S. *Bonaventura*[7], *Scotus*[8], *Capreolus*[9], *Ferrariensis*[10] aliique multi. *Cajetanus* [11] putat ea concreari ad modum accidentium. Verius tamen

1 *IV Sent.,* dist. 5, n. 3.
2 S. Thomas, *I p.,* q. 45, a. 5.
3 Cfr. Ferrarionsis, *Contra Gentiles,* lib. 2, c. 21, *Nona prob.;* et Blasius a Conceptione, *Metaph.,* disp. 17, q. 3.
4 Denz-Bannw., 704.
5 *I P.,* q· 45. a. 4.
6 Cfr. Molina, *I p.,* q. 45, a. I.
7 *In II Sent.,* dist. 26, a. I, q. 4.
8 *In IV Sent.,* dist. 1, q. 5, § *Contra istam opinionem.*
9 *In IV Sent.,* dist. I, q. 1, a. 3.
10 *Contra Gentiles,* lib. 4, c. 57.
11 *I-II,* q. 110, a. i, circa sol. 3.

dicitur cum *Molina* [1], *Vazquez* [2] et *Salmanticensibus* [3], ea non creari neque concreari, sed educi e potentia obedicntiali animae [4].*

644. VII. Creatio activa et passiva. Juxta *Angelicum Doctorem* creatio potest considerari *active* vel *-passive.* «Creatio active significata, ait S. *Thomas,* significat actionem divinam, quae est ejus essentia cum relatione (rationis) ad creaturam» [6]. Creatio *passiva* «est quoddam accidens in creatura, et sic significat quamdam rem... quae est in genere relationis, et est quaedam habitudo habentis esse ab alio consequens operationem divinam»[6]. De utroque membro divisionis est quaestio inter scholasticos.

1) *Creatio activa,* a) *Nonnulli antiqui,* ut *Durandus* [7] et *Vazquez* [8] dixerunt creationem, ut actio est, esse in Deo virtualiter tantum, quatenus Deo competit virtus creandi, sed *formaliter* esse operationem transeuntem, nihilque aliud esse quam relationem ipsam creaturae pendentis a creatore, sola ratione a creatura distinctam; quia actiones transeuntes secundum Philosophum *(De anima,* lib. 3, c. 2) non sunt in agente sed in passo.

Haec theoria a) est contra S. *Thomam,* qui docet creationem activam significare «actionem divinam, quae est ejus essentia cum relatione ad creaturas»; et β) pantheismum sapit, quia creatio est quaedam Dei actio. Actio autem Dei est ipse Deus. Ergo creatio activa nequit esse creatura.

b) *Alii* docent creationem activam esse actionem formaliter transeuntem, non tamen ipsam rem creatam vel relationem ejus, ut vult prima opinio, sed esse influxum quemdam realem et absolutum, medium inter Deum et terminum creationis, ex natura rei et formaliter a creatura distinctum tanquam modum ejus, non tanquam habentem propriam entitatem. Ita *Molina* [9], *Suarez* [10] et alii.

Haec explicatio non satisfacit. Ille siquidem influxus, realis et absolutus, medius inter Deum et creaturam, vel est in se creatura, vel modalis aliqua entitas. a) Nequit esse creatura, quia ipsa indigeret aha creatione, et sic in infinitum, β) Neque potest esse modalis entitas, quia, ut bene arguit *Urraburu* [11], non datur subjectum, cui ille modus inhaereat. Non inhaeret Deo, quia cum hic modus sit, juxta ejus patronos, quaedam operatio formaliter transiens, erit quoddam accidens; actio enim, quae non est substantia agentis, inest ei sicut accidens subjecto [12]. Repugnat autem Deum esse subjectum accidentium. Neque inhaeret termino creationis, quia creatio activa est quodammodo prior creatura.

1 *In I p.,* q. 45, a. i.
2 *In I p.,* disp. 174, c. 3.
3 *De gratia,* disp. 8, dub. 2.
4 Cfr. S. Thomas, *De virtutibus,* q. un., a. 10 ad 13.
6 *I p.,* q. 45, a. 3 ad 1 èt 2.
“ S. Thomas, *II Sent.,* dist. 1, q. 1, a. 2 ad 4.
’ *In II Sent.,* dist. I, q. 2, n. 19.
8 *In I p.,* disp. 173, cc. 2-4.
ü *In I p.,* q. 45, a. 3, § *Juxta hanc ergo.*
10 *Metaphys.,* disp. 20, sect. 5.
11 *Cnsmologia,* n. 67. Cfr. Mazzslla, *De Deo creante,* n. 28.
12 S. Thomas, *I p*, q 45, u 3; *De potentia,* q 3, aa. 3 et 4.

c) *Alii* communissime cum S. *Thoma* [1] docent creationem activam esse actionem Dei formaliter immanentem et virtualiter transeuntem, ac proinde esse ipsam essentiam divinam cum relajjone rationis ad creaturas. Hanc S. Doctoris sententiam tenent communiter *thomistae* [2] et *plures extranei* [3].

Haec sententia, quae est longe probabilior, potest illustrari per analogiam ad actum Dei liberum. Sicut enim unus idemque actus dicitur in Deo necessarius in quantum respicit ipsum Deum, et liber in quantum terminatur ad creaturas, ita pariter creatio activa respectu Dei est ipsamet essentia Dei infinita, quae, quatenus est principium operandi, dicitur omnipotentia, et, quatenus res e nihilo producit, vocatur creatio.

Creatio tamen propter hoc non potest dici aeterna [4], quia, quamvis actio Dei, utpote identificata cum essentia divina, sit aeterna et necessaria, quatenus tamen refertur ad creaturas, est temporalis ac libera, quia non producit res nisi in tempore et ad beneplacitum divinae voluntatis [5]. Unde actio creativa est completa ab aeterno ex parte Dei, sed ex parte termini completur modo et tempore disposito a divina voluntate [6][7]

2) *Creatio passiva* non est aliud nisi relatio realis dependentiae creaturarum ad Deum Non est passio vel mutatio, ut jam explicui superius, quia ad passionem et mutationem requiritur aliquod subjectum praecedens, quod in creatione non datur.

a) *Scotiis* [8] cum quibusdam vult hanc relationem esse transcendentalem ab ipsa creatura minime distinctam, b) *Banez* [9] defendit creaturas omnes utraque relatione, transcendental! et praedicamentali, referri ad Deum, quia omnes effectus duplici hac relatione ordinantur ad Deum, c) Verius ego crediderim cum S. *Thoma* [10], *Cajetano* [11], *Ferrariensi* [12] et aliis, creationem passivam, prout est relatio, realiter distingui a creatura, et Deum respicere ad modum relationis praedicamentalis.

1 *I p.,* q. 45, a. 3; *De potentia,* q. 3, a. 3.

2 Cfr. Cajetanus, *In I p.,* q. 45, a. 3; Capreolus, *II Sent.,* dist. I, q. 2; Banez, *In I p.,* q. 45, a. 3, concl. 3.

3 Cfr. Valentia, *In I p.,* disp. 3, q. 2, p. 1, § *Si autem creatio;* Mazzella, *De Deo creante,* n. 26 sqq.; Urraburu, *Cosmologia,* n. 68; Honoratus dei Val, *De Deo creante et elevante,* n. 4.

4 S. Albertus M., *in Dionysium, De caelesti hierarchia,* c. 4, 1, dub. 1, docuit Deum ab aeterno res creare, sed creaturas non exsistere ab aeterno.

5 Cfr. Banez, *In I p.,* q. 45, a. 3.

6 Thomistae communiter docent creationem esse operationem intellectus practici, quae dicitur imperium; plures extranei volunt esse actum voluntatis; alii actum specialis attributi, quod dicitur potentia.

7 «Relinquitur, inquit S. Thomas, *I p.,* q. 45, a. 3, quod creatio in creatura non sit nisi relatio quaedam ad Creatorem, ut ad principium sui esse». Et *Contra Gentiles,* lib. 2, c. 18, n. 2. «Creatio... est ipsa dependentia esse creati ad principium a quo instituitur».

8 *II Sent.,* dist. 1, q. 4.

9 *In I p.,* q. 45, a. 3, *Circa primam conclusionem.*

10 *In II Sent.,* dist. 1, q. 1, a. 2 ad 4.

11 *In I p.,* q. 45, a. 3.

12 *Contra Gentiles,* lib. 2, c. 18.

ARTICULUS II

UTRUM MUNDUS FUERIT A DEO CREATUS EX NIHILO

645. Status quaestionis. 1) Universus constat rebus materialibus et spiritualibus, et oportet determinare, an omnes procedant a Deo per creationem.

2) Mundus materialis potest considerari a) *quoad materiam informem* seu cosmicam, et b) *quoad ordinem* et pulchritudinem, in qua nunc versatur. In praesenti articulo non loquimur de productione ordinis et status, quem nunc mundus habet, sed de origine materiae informis, e qua formatae sunt naturae corporeae exsistentes.

3) Nomine materiae informis vel cosmicae non intelligimus hic, ut quidam veteres voluerunt, materiam primam omni forma destitutam, neque materiam sola forma communi corporeitatis et quantitate actuatam, ut aliis placuit [1] neque terram et aquam tantum sine aliis elementis, ut sumit *Petavius* [2], sed materiam seu massam quamdam cum formis imperfectis, sive constituta fuerit corpusculis atomistarum, sive elementis simplicibus dynamistarum, sive fuerit, ut aliis placet, massa aëriformis seu *nebulosa* hypothesis Laplace totum spatium replens; et quaeritur, an haec materia, ex qua per successivas modificationes et phases efformatus est hodiernus mundus, fuerit a Deo creata ex nihilo.

646. Errores, i) *Materialistae* docent ab aeterno dari principium aliquod materiale increatum—aquam, ignem, aerem, etc.,—quod tractu temporis in corpora naturalia, etiam organica, coaluit. Hoc principium, ut in corpora hodierna transformaretur, modificatum est juxta aliquos viribus quibusdam internis, gravitatione, scilicet, attractione, calore, etc, [3]; juxta alios fortuito atomorum concursu [4]; juxta alios evolutione perpetua ac successiva per gradus infinitos, quousque formarentur omnia anorganica et organica, ipsa quoque vita rationalis seu genus humanum [5].

2) *Dualistae* negant omnia esse a Deo creata; sed diversi diversimode exponunt suum systema, a) *Anaxagoras* posuit duo principia increata, materiam, scilicet, et intellectum eam ordinantem. Hanc sententiam videntur moderasse *Plato* et *Aristoteles,* quorum primus dixit praefatum intellectum esse Deum, qui materiam aeternam varie versando formavit mundum [6], et alter defendit Deum esse primum et aeternum motorem mundi [7]. b) *Manichaei,* quibus accensentur priscillianistae saec. iv in Hispania et albigenses saec. xti in Gallia, posuerunt duo principia aeterna inter se dissidentia,

1 Cfr. Suarez, *De opere sex dierum,* lib. i, c. 8, nn. 5-6.

2 *De opificio sex dierum,* lib. 1, c. 4, n. 1.

3 Gustavus Le Bon, *L'évolution de la matière,* liv. 6, ch. 8 et alibi passim.

4 Ita Democritus et Epicurus, quorum theoriam excitarunt recentius Diderot, Voltaire, Holbach et alii.

5 Sic Haëckel, *Histoire de la création,* i.ère leçon: Büchner, *Kraft und Stoff,* 1898, pag. 247 sqq.; Moleschott, *Kreislauf des Lebens,* 1852, p. 81; Strauss, *Der alte und der neue Glaube,* 1872, p. 111, 238, etc.; Feuerbach, *Grundsdtze der Philosophie der Zuhunft,* 1843; *Ges. Werke,* 2, p. 288.

6 Platonem alii aliter interpretantur.

7 *Phys*., 8, 1 sq. Plures non sine fundamento existimant Aristotelem tribuisse Deo creationem mundi ab aeterno. Cfr. Suarez, *Metaphysica,* 20, sect. 1, n. 24 sqq.

unum bonum—Deum—et alterum malum—materiam aeternam—, et docuerunt utrumque ad mundi formationem concurrisse, Deum, scilicet, ad formationem boni et materiam aeternam ad formationem mali. *Stuard Mill* et alii recentius figmenta manichaeorum sub nomine dualismi restaurare conati sunt.

3) *Pantheistae* e contra negantes distinctionem inter Deum et mundum, creationem mundi inficiati sunt. Pantheismus *formalisticus* docet Deum esse animam mundi; *materialisticus,* Deum esse realiter omnia; *emanaiisticus,* omnia emanasse a substantia Dei; et *idealisticus,* Deum, ideali evolutione sese determinando, constituere genera, species et singularia

647. Thesis. **Fide catholica tenentium est universum mundum fuisse a Deo creatum ex nihilo.**

Arg. 1. *Ex S. Scriptura.* Testimonium classicum hujus veritatis exprimitur in Genesi his verbis: *In principio creavit Deus caelum et terram. Terra autem erat inanis et vacua, et tenebrae erant super faciem abyssi, et spiritus Dei ferebatur super aquas* [2].

Particula *in principio* potest significare vel primum momentum temporis absolute, ante quod nihil erat, vel primum punctum temporis relative, id est, in genere suo, ut principium anni. Verbum creavit v iπ (bara) in formis pi'el et hiph'il significat actiones hominum: in formis kal et niph'al denotat actiones Dei ex nihilo vel ex materia praejacente secundum circumstantias[3]* Vocabulum crrra, quamvis aliquando denotet falsos deos, hic tamen juxta omnes, verum Deum significat. Phrasis caelum et terram, juxta alios, comprehendit informem materiam elementariam juxta alios, universitatem rerum [5].

Ex hac terminorum varia significatione exsurgit duplex praesertim interpretatio memorati textus.

1) *Plures* volunt ex primis versiculis *Geneseos* non posse probari creationem omnium rerum ex nihilo, quia existimant hagiographum ibi agere de efformatione mundi ex materia praeexsistente. Quod ut probent, dicunt versiculum primum esse prologum seu compendium exhibens summarie id, quod dein in toto capite per partes evolvitur ®. Quod, licet diversi diversimode intellexerint, plures recehtiores ita intelligendum esse volunt, ut versus 1 contineat propositionem antecedentem, versus 2 parenthesim per modum declarationis, et versus 3 propositionem consequentem, hoc fere ordine: 1. «In principio, cum Deus crearet (efformaret) caelum et terram. 2. (Terra autem erat inanis et vacua, et tenebrae erant super faciem abyssi, et spiritus Dei ferebatur super aquas). 3. Tunc dixit Deus: Fiat lux...» Haec versio sequentem refert sensum: «Cum Deus inciperet ornare caelum et terram, terra erat inanis

1 Cfr. supra *De Deo uno,* n. 82. Pantheismus est proscriptus in Concilio Vaticano, *sess.* 3, can. 3; Denz-Bannw., n. 1803.

2 *Gen.,* 1,1 sqq.

s Cfr. Palmieri, *De Deo creante,* th. 2, 1.

1 Hetzenauer, *Comment, in Genesim,* 1, I.

6 Hummelauer, *Genesis,* I, I, p. 88; Dillmann, *Genesis,* 16; Hetzenauer, *Theol. biblica,* § 43. Cherubinus a S. Joseph, *Summa criticae sacrae,* diss. 2, disp. 1, a. 2, collegit circa hoc decem et octo auctorum opiniones, sed fere omnes innuunt universitatem rerum.

e Cfr. S. Thomas, *1 p.,* q. 68, a. I ad 1.

et vacua (chaos), et dixit Deus: Fiat lux». Ita protestantes *Gunkel*[1] et *Holzinger*[2], modernistae *Minocchi*[3] et *Loisy*[4], et ex catholicis *Hummelauer*[5], et alii.

Haec sententia non negat creationem materiae informis a Deo, sed praescindit ab origine materiae et sistit in interpretatione *Geneseos,* dicens in primis versiculis non agi de creatione sed de efformatione, atque ideo supponi materiam informem sub nomine terrae inanis et vacuae jam pridem exsistentem. Unde haec interpretatio possibilis est et non offendit fidem, dummodo admittat materiam, quam ornandam in principio supponit, esse prius a Deo productam.

Nihilominus longe probabilius crediderim hanc constructionem grammaticalem et consequentem interpretationem esse arbitrariam, sine solido fundamento excogitatam[6,7]. Rationes dabuntur in probatione sequentis opinionis.

2) **Alii multo communius et verius putant** in primo capite *Geneseos* agi de origine et ornatu mundi, ac proinde de creatione ex nihilo. Unde multo probabilius in 1.° versiculo continetur vera narratio de origine mundi per creationem ex nihilo; in 2.° describitur status chaoticus materiae ante efformationem; in versu 3.° ac deinde proponitur ornatus universi. Ita *Palmieri*[7], *Pairizi*[8], *Lahousse*[9], *Hetzenauer*[10] et alii bene multi.

His praenotatis, expenditur argumentum.

Si in primo et secundo versu *Geneseos* sermo est narrative de eadem materia informi et chaotica, certissime ibi agitur de creatione mundi ex nihilo, non de efformatione seu ornatu. Sed in praefatis versiculis habetur vera narratio, et eadem materia, quae in primo versu dicitur creata, in secundo describitur inanis et vacua. Ergo.

Major patet et facile conceditur ab omnibus. Si enim in primo versu sermo est narrative de materia informi et chaotica (inanitas, vacuitas), sicut est in secundo, pronum est ibi non agi de ornatu et efformatione mundi, sed de productione ex nihilo. Ridiculum quippe est Deum in primo versu adsumere materiam informem ad ornandum, et in secundo eam relinquere informem ac chaoticam.

Minor probatur per partes.

Pars 1.a In 1.° et 2.° versu Geneseos habetur vera narratio.

1) *Extrinsece.* a) Praecipuae versiones S. Scripturae, ut *Septuaginta Interpretes, Aquila, Theodotion, Onkelos,* etc., vertunt locum *Ge-*

1 *Genesis,* 93.

2 *Genesis,* 1-2.

3 *La Genesi,* 1 sq.

4 *Les mythes babyloniens,* Paris, 1901, 16.

5 *Genesis,* 90.

6 Wellhausen (*Prolegomena* 6, 385) censet hanc constructionem esse desperatam.

7 *De Deo creante,* th. 2.

8 *De interpretatione Scripturarum,* 2, 2, 13.

9 *De Deo creante,* p. 1, c. 1, n. 1, § 4, th. 3.

10 *Theologia biblicu,* 43; et *Commentarius in Genesim,* 1, 1.

neseos eodem fere modo ac Vulgata, b) Praecipui interpretes judaei, ut *Flavius Josephus* [1], *Maimonides* [2] et alii, diserte testantur in primo versu *Geneseos* referri creationem ex nihilo, c) Patres Ecclesiae [3] ac plerique interpretes, tum catholici [4] tum protestantes [5], tum rationalistae [6], et theologi generatim [7], existimant in praefato textu veram narrationem contineri.

2) *Intrinsece,* a) Versiculi 1.us et 2.us capitis primi *Geneseos,* si habeatur ratio expressionis et contextus tum in editione hebraica, tum in graeca, tum in latina, et si praesertim verba accipiantur in sensu obvio, continent proculdubio narrationem originis mundi et descriptionem status chaotici ejusdem; ut ipsi etiam adversarii fatentur. Sed a sensu obvio Scripturae nefas est recedere, ubi non occurrit specialis ratio. Ergo, b) *Scopus* principalis Moysis in primis versiculis *Geneseos* fuit edocere israelitas unum esse Deum, eumque esse rerum omnium dominum. Hunc autem scopum nequibat obtinere nisi adserendo mundum fuisse a Deo creatum. Ergo, c) Vocabulum viς in forma kal semper significat actionem Dei, et si referatur ad universitatem rerum, id est, ad caelum, terram, mare, et omnia, quae in eis sunt, ut hic refertur, non potest significare nisi actionem creativam, quia denotat omnimodam dependentiam creaturarum a Deo, quae fit per creationem [8]. d) Dictio in principio sine ullo addito melius significat principium temporis absolute, quam initium alicujus temporis relative, e) Authentica interpretatio hujus doctrinae videtur inveniri in Evangelio S. Joannis, qui, ut multi dicunt [9], ad initium *Geneseos* se retulit, quando ait; *In principio erat Verbum... Omnia per ipsum jacta sunt*[10].

Pars 2.a Eadem materia, quae in primo versu dicitur creata, in secundo describitur inanis et vacua.

Characteres hujus identitatis satis perspicue colliguntur ex ipso sacro textu: a) Primus et secundus versiculus sunt orationes absolutae, et nulla ratione possunt reddi in obliquas seu secundarias, subordinatas tertio versiculo, b) De ornatu terrae incipit auctor loqui a tertio versiculo. Ordo autem naturalis postulat, ut ante ornatum narretur origo et describatur status ejusdem terrae, c) Sensus obvius Scripturae hic est: In principio creavit Deus caelum et terram. Haec autem terra (subintelligitur a *Deo creata) erat inanis et vacua.*

1 *Antiquil. jud.,* lib. i, i.

2 *Moreh Nebuhim,* p. 2, cc. 14-17.

3 Cfr. S. Basilius, Horn. 2 in Hexaëm., n. 2; MG 29, 32: S. Joannes Chrysost., Horn. 2 in c. 1 *Gen.,* nn. 2-3; MG 53, 28; S. Athanasius, *Orat, de hum. nat. a Verbo assumpta,* nn. 2-8: MG 25, 97.

4 *Comment. in Genesim,* c. 1.

5 Cfr. Melanchthon, *Comment, in Genesim,* c. i; *Enarratio Symboli;* et *De Creatione;* Operum parte 2, pag. 231 (Witebergae, 1601).

6 Gesenius, *Thesaurus linguae hebr. et cald.,* ad. v. N'I2: Rosenmüller, *Scholia in V. T.,* et alii.

7 Cfr. Lahousse, *De Deo creante,* n. 8 sqq.

8 Cfr. Gesenius, *Thesaurus linguae hebr. et chald.,* ad. v. X'i2.

9 Cfr. Hetzenauer, *Theol. biblica,* § 43, 1.

10 *Joan.,* I, I sqq.

2. Mater fratrum Machabaeorum, cum conspexisset suos filios duci ad supplicium, ajebat ad ultimum: *Peto, nate, ut aspidas ad caelum et terram, et ad omnia, quae in eis sunt: et intelligas, quia ex nihilo fecit ea Deus et hominum genus* [1]. Haec verba ex ore alieno relata sunt ab hagiographo, ac idcirco nequeunt dici verba inspirata. Vi tamen probationis non carent, quia continent testimonium traditionis Israel, et quodammodo approbata sunt ab hagiographo, qui adserit ea prolata esse a matre *repleta sapientia.*

3. *Ex traditione.* SS. Patres non solum docuerunt mundum universum esse a Deo creatum, sed et ethnicos ac haereticos contrarium sentientes acerrime impugnarunt.

a) *Docuerunt mundum esse a Deo creatum.* «Primum omnium crede, ait *Hermas,* quod unus est Deus, qui omnia creavit et consummavit et ex nihilo omnia fecit»[2]. *Tertullianus:* «Deus unus est, qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum... de nihilo expressit in ornatum majestatis suae» [3].

b) *Materialistarum errorem* de principio materiali increato damnat S. *Joannes Chrysostomus* his verbis: «Si manichaeus ad te accesserit dicens materiam praeexstitisse, si *Mardon,* si *Valentinus,* si gentiles, dic illis: *In principio creavit Deus caelum et terram*» [4].

c) *Dualismum* impugnat S. *Augustinus* dicens: «Cum enim dicunt (quidam) esse naturam, quam Deus omnipotens non creaverit, de qua tamen istum mundum fabricaverit... ita omnipotentem Deum negant, ut non eum credant mundum potuisse facere, nisi ad eum fabricandum alia natura, quae jam fuerat et quam ipse non fecerat, uteretur» [5].

d) *Pantheismum monisticum* rejicit *Lactantius* his verbis: «Si Deus est mundus, et partes ejus utique immortales sunt; ergo et homo Deus est, quia pars est, ut dicitis, mundi. Si homo ergo et jumenta, et pecudes, et caetera genera bestiarum, et avium, et piscium, quoniam et illa eodem modo sentiunt, et mundi partes sunt» [6].

e) *Pantheismum emanatisticum* refutat S. *Augustinus:* «Haec facta sunt; nec ea genuit de se ipso, ut hoc essent, quod ipse est, sed fecit de nihilo» [7].

Corollarium. Adversarii saepe provocant ad auctoritatem *Justini* [8], *Athenagorae* [9], *Methodii* [10], *Eusebii Caesariensis* [11], etc., quorum mentem ut intelligas et verba explices haec animadverte: a) Patres aliquando negaverunt mundum esse factum ex nihilo, volentes negare aliquid esse

1 *II Machab.,* 7, 28.
2 *Past., Mand.,* 1, 1; MG 2, 914.
3 *Apol.,* n. 17; MI. 1, 431; cfr. S. Augustinus, *De Gen. ad litt.,* lib. 1, c. 1; MI. 34, 246; S. Fulgentius, *De fide ad Petrum,* cc. 3 et 8; MI. 65, 683 et 695. S. Athanasius, *De hum. nat. a Verbo assumpta,* nn. 2-3; MG 25, 98, et alii.
4 *In cap. I Gen.,* hom. 2, n. 3; MG 53, 29.
5 *De fide et symbolo,* c. 2; ML 40, 181.
6 *De Inst.,* lib. 2, c. 6; ML 6, 282.
7 *De Gen. cont. manich.,* lib. 1, c. 2, n. 4; ML 34, 175.
8 *Apol. I.* nn. 10 et 67; MG 6, 341.
9 *Legatio pro Christianis,* n. 19; ML 6, 929.
10 *De libero arbitrio;* MG 18, 245 sqq.
11 *Demonstratio evang.,* lib. 4, c. 1; MG 22, 252.

factum ex nulla causa efficiente, b) Quandoque improbarunt dictionem «res fieri ex nihilo», ut indicarent nihilum non esse causam materialem, ex qua res fiant, c) Cum locuti sunt de materia praeexsistente ad creationem, egerunt de secunda creatione, id est, de efformatione seu ornatu mundi, ad quem supponebant'materiam praeexsistere, d) Interdum loca SS. Patrum adulterata sunt ab haereticis, ut illa *Clementis alexandrini,* in quibus adseritur materiam esse aeternam, animam ab uno ad alium transmigrare, etc.

4. *Ex definitionibus Ecclesiae.* Hanc doctrinam Ecclesia saepe declaravit:

a) *Symbolum apostolorum:* «Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem caeli et terrae» [1]. In symbolo Nic-Constantinop.: «Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium» [2]

b) Formula *Libellus in modum symboli:* «Si quis dixerit, aut crediderit, a Deo omnipotente mundum hunc factum non fuisse atque ejus omnia instrumenta, a. s.» [3].

c) *Concilium Lal. IV:* «Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus... unum universorum principium, creator omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam, videlicet, et mundanam, ac deinde humanam»[4].

d) *Concilium Vaticanum,* sess. 3, can. 2, proscripsit materialismum, canone 3 pantheismum monisticum, canone 4 pantheismum emanatisticum et evolutionismum, ac tandem canone 5 adjunxit: «Si quis non confiteatur mundum resque omnes, quae in eo continentur, et spirituales et materiales, secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas... a. s.» [5].

648. Scholion. Theologi fere communiter docent cum *S. Thoma* [6] et *Scoto* [7], doctrinam de creatione nedum testimoniis S. Scripturae et auctoritate Ecclesiae, verum etiam rationibus philosophicis certissime demonstrari. Nam

1) si mundus non esset a Deo creatus, esset ens a se. Repugnat autem mundum esse ens a se, quia ens a se est ipsum esse, totum esse, ac esse infinitum, nullam habens limitationem. Unde theologi ex nomine *Iahve* (esse ipsum et esse totum), quo Deus se nominat *(Ex.,* 3, 13-15), legitime probant eum esse causam efficientem omnium rerum, quia Deus non esset ipsum esse, actus purus ac plenitudo essendi, si quid esset in mundo ab ipso independens.

2) Omnia sunt in mundo entia participata. Ens autem participatum accipit esse ab alio, quod si sit participatum, iterum ab alio, usque

1 Denz-Bannw., n. 6.
2 Denz-Bannw., n. 86.
3 Denz-Bannw., 21.
4 Denz-Bannw., 428.
5 Denz-Bannw., 1783 et 1805.
6 *In II Sent.,* dist. 1, q. 1, a. 2; et 1 *p.,* q. 45, a 2.
7 *In II Sent.,* dist. 1, q. 2.

dum veniamus ad unum ens per se. Hoc autem est Deus. Ergo omnia sunt in mundo a Deo creata [1].

ARTICULUS III

UTRUM DEUS LIBERE CREAVERIT MUNDUM

649. Status quaestionis. Investigandum est hic, an Deus in creandis rebus hujus mundi fuerit liber 1) libertate a coactione, et 2) libertate indifferentiae, tum contradictionis seu exercitii, qua posset creare vel non creare mundum, tum contrarietatis seu specificationis, qua posset hunc vel alium mundum creare.

650. Errores, i) Imprimis *philosophi gentiles* [2], [3] deinde *Abaelardus* [a], *Wicleff* [4] et *Ekard* [5],* ac tandem *Giintherus* [°], *Hermes* [7] et *Rosminius* [8],* diversis fulti rationibus negaverunt Deum omnino libere mundum creasse”.

2) *Optimistae, ut Leibnitzius* [10] et alii, dixerunt Deum libere decrevisse creationem mundi, sed, supposito decreto, nonnisi optimum mundum creare potuisse.

651. Thesis. Dogma catholicum est Deum omnia libere creasse, et potuisse hunc vel alium mundum ad libitum condere.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus ait: *Operatur (Deus) omnia secundum consilium voluntatis suae* [u]. Sed quae fiunt secundum consilium voluntatis, libere fiunt. Ergo. Unde S. *Irenaeus* inquit: «Ipse omnia fecit libere et quemadmodum voluit» [12].

2) *Ex definitionibus Ecclesiae,* a) Concilium Vat.: «Deus bonitate sua et omnipotenti virtute... *liberrimo consilio* simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corpora-

1 Haec argumenta Maimonides admisit; *Moreh,* 2, p. 203 sq. Ipsi philosophi ethnici, qui plerumque siluerunt de productione rerum ex nihilo, saepe tradiderunt principia, ex quibus per legitimam consequentiam fluit haec doctrina. Cfr. Pesch, *De Deo creante,* n. 23. Si qui autem hanc veritatem vel ignorarunt vel negarunt, hoc certe «fuit praevaricatio a norma rectae rationis», ut bene ait Palmieri, *De Deo creante,* th. 4.

2 Cfr. S. Ambrosius, *Hexaëm.,* lib. I, C. 5, n. 18; ML 14, 131.

3 *Introductio ad theologiam,* lib. 3, § 5; ML 178, 1093 sqq. Item prop. 7; Denz-Bannw., 374.

4 Cfr. Denz-Bannw., n. 607.

5 Cfr. Denifle, Archiv. f. Litt. u. KG 2, (1886) 638 sqq.

8 Breve «Eximiam tuam» Pii PP. IX ad Card, de Geissel, 15 Junii 1857. Denz-Bannw., 1655

7 Cfr. Breve Gregorii XVI *Dum acerbissimas.* 26 Septembris 1835. Denz-Bannw., 1620.

8 Prop. 18 damnata a S. C. S. O. 14 Decembris 1887: Denz-Bannw., 1908

° Victor Cousin *(Introd. à l'histoire de la philosophie,* leçon 5), docuit mundum esse effectum Dei necessarium, sed in posterioribus ejusdem operis editionibus apposuit notam et addidit appendicem *Eclaircissement 2,* in qua defendit mundum esse effectum Dei non physice sed moraliter necessarium.

10 *Tentamina Theodiccac,* n. 248.

11 *Ephes ,* i, ii.

12 *Adv. haer.,* lib. 3. c. 8, n 3; MG 7, 808,

lem»[1] Rursum: «Si quis... Deum dixerit *non voluntate ab omni necessitate libera,* sed tam necessario creasse quam necessario amat se ipsum,, a. s.»[2].

b) Ecclesia damnavit errores *Abaelardi*[3] *Wicletf*[4] *Guntheri*[6], *Hermesii*[5], et *Rosminii*[7].

3) *Ratione,* a) Universae res creatae sunt contingentes. At si Deus necessario mundum creasset, res non essent contingentes sed necessariae. Ergo.

b) Voluntas Dei, cum sit infinite perfecta, non necessitatur nisi objecto infinite perfecto. Sed creaturae, utpote limitatae, carent perfectione infinita. Ergo Deus non necessitatur ad efficiendum creaturas.

Nec refert, si dicas «bonum esse communicativum sui» ac idcirco Deum debuisse necessario se communicare creaturis. Nam a) bonitas Dei satis se communicat personis in processionibus divinis, et b) sensus axiomatis est bonum, quatenus est finis, esse omnibus appetibile.

Corollarium. Creatio, active considerata, est quidem formaliter actus necessarius, quia est ipse Deus, sed, quatenus connotât creaturas contingentes, dicitur et est actio libera. Quapropter dixi superius[8] actum Dei liberum esse ipsum actum necessarium, quatenus terminatur ad objectum contingens.

ARTICULUS IV

AN MUNDUS FUERIT IN TEMPORE PRODUCTUS

652. Errores, r) *Plures antiqui philosophi,* ut *Anaxagoras, Empedocles, Plato,* et ex recentioribus plures materialistae cum *Robinet*[9], dixerunt mundum esse aeternum quoad materiam, et successu temporis fuisse formatum quoad ornatum.

2) *Alii,* ut *Aristoteles*[10], *Avicenna*[11], et *Averroës*[12], docuerunt mundum esse aeternum etiam quoad statum et ordinem, quem nunc habet.

3) *Veteres stoici* et recentissime *E. v. Hartmann* censuerunt plures mundos ab aeterno sibi successisse.

653. Thesis. **Mundus est in tempore conditus.** *(Est de fide.)*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura. Dominus possedit me,* inquit Sapientia, *in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio... Nondum erant abyssi...»*[13] Rursum: *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita*

J Sess. 3, c. i; Denz-Bannw., n. 1783.
2 Sess. 3, can. 5; Denz-Bannw., n. 1805.
3 Denz-Bannw., 374.
1 Denz-Bannw., 607.
5 Denz-Bannw., 1655.
° Denz-Bannw., 1620.
7 Denz-Bannw., 1908.
8 *De Deo uno,* n. 350.
9 *De la nature,* vol. 3, part. 6, c. 28.
10 *Physic.* 8, I sq.
11 *Metaphys.,* lib. 6.
12 *Destructio destructionum,* disp. I et 2.
13 *Prov.,* 8, 22 sqq.

■*ante omnem creaturam* 1. Psalmista: *Priusquam montes fierent aut formaretur terra et orbis, a saeculo et usque in saeculum tu es, Deus* 2. Christus: *Nunc clarifica me, tu, Pater, apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te* 3. Apostolus: *Elegit nos in ipso* (in Christo) *ante mundi constitutionem* 4.

2) *Ex traditione.* Traditio communis circa hoc continetur in unanimi consensu SS. Patrum, theologorum, philosophorum ac populorum, quorum vel seriem texere nimis longum esset. Unde S. *Augustinus* erroris arguit eos, qui putant mundum esse «a Deo quidem factum, non tamen eum volunt initium temporis habere, sed suae creationis initium ut modo quodam vix intelligibili semper sit factus» 5.

3) *Ex Ecclesiae definitionibus.* Concilium Lat. IV 6 et Concilium Vat. 7 solemniter declararunt Deum *ab initio temporis utramque de nihilo* condidisse creaturam. Et Joannes XXII, die 27 Martii 1329, damnavit sequentes Ekardi propositiones: 1. «Quam cito Deus fuit, tam cito mundum creavit. 2. Item concedi potest mundum fuisse ab aeterno. 3. Item simul et semel, quando Deus fuit, quando Filium sibr coaeternum per ■omnia coaequalem Deum genuit, etiam mundum creavit» 8.

4) *Ex ratione,* a) Motus universalis, quem hodie experimur in mundo, tendit per entropiae legem ad aequilibrium omnium virium, quia omnes energiae tendunt ad calorem, sed non omnis calor convertitur in vires, proveniendo ex hoc diminutio energiarum 9. Quando pervenerit hoc aequilibrium, cessabit omnis motus, sol et sidera frigescent, ac vita desinet esse in mundo. Si autem mundus esset aeternus, jam olim hoc aequilibrium advenisset, motusque cessasset. Duratio enim sine termino a quo satis longa fuit ut consumerentur omnes vires. Sed adhuc exsistunt motus et energiae in mundo. Ergo mundus non est aeternus.

b) Ex stratis telluris, quae frequenter examinant geologi, et ex fossilibus, quae invenerunt palaeontologi in terrae visceribus, certe deducitur terram fuisse progressive efformatam, et in ea successive vegetalia, animalia et hominis opera apparuisse, adeo ut animalia et homo, utpote posteriora vegetalibus, nullatenus fuerint aeterna. Animalibus autem et homine ab aeterno non exsistentibus, ad quid fuerit creatio aeterna materiae? Mundus materialis conditus est, ut viventibus, praesertim homini, deserviret, et sufficiebat ut viventia praecederet tempore non aeternitate.

1 *Eccli.,* 24, 5.
* *Ps.* 89, 2.
3 *Joan.,* 17, 5.
1 *Ephes.,* i, 4.
5 *De civit. Dei,* 11, 4; ML 41, 319.
8 Denz-Bannw., 428.
7 Denz-Bannw., 1783.
8 Denz-Bannw., 501 sqq.
* Cfr Degenhardt, *Los cuatro arcanos del mundo,* ed. 2.s, cap. 5; et Rodriguez. *Compendio de Apologetica,* c. 5, 2.—Concepto de energética.

ARTICULUS V

AN MUNDÜS POTUERIT AB AETERNO CREARI

654. **Status quaestionis.** Non loquimur hic de aeternitate proprie dicta, quae est interminabilis vitae tota simul et aeterna possessio, quaeque huic mundo, enti mobili, potential! et imperfecto, nequit convenire, sed de aeternitate secundum quid seu de duratione sine limite ex parte ante; et quaerimus, an mundus potuerit creari a tota aeternitate, adeo ut ejus duratio ex parte ante careret limite, quamvis ex parte post continuo augeatur.

655. Auctorum placita. Tres sunt praecipuae in hac materia auctorum opiniones.

1) *Plures* negant potuisse mundum ab aeterno creari, quia putant creationem ab aeterno implicare contradictionem vel ex parte Dei, vel ex parte creaturae, vel ex parte creationis [1].

2) *Alii* docent entia permanentia potuisse creari ab aeterno, non ita entia successiva, qualia sunt tempus, motus et generationes. Tempori siquidem et motui essentiale est prius et posterius in duratione, et series generationum ab aeterno supponeret infinitum in actu, ut si homines gignerentur ab aeterno, tot essent animae immortales, quot homines geniti, id est, sine fine; vel si culices gignerentur ab aeterno, numerus generationum esset infinitus [2].

3) *Alii* censent entia tam permanentia quam successiva potuisse creari ab aeterno, excepta generatione humana [3].

4) *Vazquez*[4] existimat omnia potuisse produci ab aeterno, exceptis generationibus formarum substantialium et accidentium. Excipit generationes formarum substantialium et accidentium, quia vel omnes formae hujusmodi a Deo immediate producuntur ab aeterno vel non. Si primum, non sunt generationes, ad quas requiritur unum ab alio procedere; si secundum, non sunt ab aeterno, cum omnia ab uno non genito enascantur. In generationum serie deveniendum est ad aliquod ens a solo Deo productum, a quo caetera deriventur.

1 Hanc sententiam vocant Hontheim, *Theodicea,* n. 934. et Honoratus dei Val, *De Deo creante,* n. 27, communem Patrum doctrinam, et sequuntur Alex, alenxis, *Summa theol.,* I, q. 12, membr. 8;.S. Bonaventura,*// Sent.,* dist. 1, p. 1, a. 1, q. 2; Henricus Gandavensis, *Quodl.,* I, q. 7; Toletus, *Physic.,* lib. 8, q. 2; Petavius, *Dogm. Theol.,* torn. 1, lib. 3, c. 6; et ex recenticribus Hontheim, *Theodicea,* p. 934; T. Pesch, *Phil. nat.,* n. 533; Willems, *Cosmologia,* th. 36, aliique plures.

2 Ita Durandus, *// Sent.,* dist. 1, q. 2; Bachonus, *// Sent.,* dist. I, q. 6; Dominicus Soto, *Physic.,* lib. 8, q. 2; Suarez, *Metaphys.,* disp. 20, sect. 5; Goudin, *Physica,* 2.a parte; Zigliara, *Cosmologia,* 10; Urraburu, *Cosmologia,* nn. 83-84; Farges, *Cosmologia,* n. 25.

3 Ita S. Thomas, */ p.,* q. 46, a. 2; *Opusculo* 14 (al. 23); *De aeternitate mundi; // Seni.,* dist. 1, q. 1, a. 2 sqq.; Complutenses, *Physica,* disp. 29, nn. 71 et 73; Complutenses abbreviati, *Physica,* disp. 27, n. 25. Excipiunt generationem humanam, quia cum «anima rationalis suae naturae relicta sit immortalis, si infinitae hominum generationes modo naturali factae praecessissent, necessario sequeretur dari infinitas animas in actu, quod repugnat».

4 *In I p.,* disp. 177, c. 5.

656. Thesis **I. Probabilius videtur entia successiva, qualia sunt tempus, motus et generationes, non potuisse creari ab aeterno.**

Arg. 1) Ens successivum essentialiter importat prius et posterius in duratione, adeo ut nunquam possit esse totum simul. Sed id, quod supponit aliquid sui prius duratione, non est aeternum. Ergo.

2) a) *De tempore.* Tempus dicitur nunc fluens secundum prius et posterius, et est quasi medium inter id, quod transiit, et quod statim veniet. Hoc autem medium, cum sit posterius eo, quod transiit, non potest esse aeternum. Ergo. Illud punctum durationis, quod fingunt aliqui potuisse creari ab aeterno, nequit esse tempus,-quia non importat prius et posterius, sed ad summum potest esse instans, a quo incipit tempus, sicut terminus, a quo incipit transitus alicujus rei, non est motus.

b) *De motu.* Motus est transitus rei ab uno statu ad alium, vel strictius, transitus rei ab uno loco in alium. In hoc transitu, terminus *a quo* praecedit duratione terminum *ad quem,* adeo ut uterque simul esse non possit. Sed aeterna sunt ab initio. Ergo motus non potuit produci ab aeterno.

c) *De generatione.* Si possibilis esset series generationum ab aeterno, daretur numerus actu infinitus, quia generationes multiplicarentur in infinitum. Numerus autem actu infinitus repugnat in philosophia. Ergo [1].

Praeterea, ut bene arguit *Vazquez*[2], generationes ita fiunt a causis secundis, ut omne ens referatur ad Deum ut ad primam causam. Unde necesse est in generationibus devenire ad aliquod ens a solo Deo creatum, ex quo caetera deriventur. Illud autem primum ens, a quo incipiunt generationes, oportet praecedere omnes res genitas, et sic generationes non possunt esse ab aeterno. Ad summum potuit Deus creare aliquid ab aeterno, quod esset causa secunda primae generationis; sed hoc non sufficit ad rationem aeternae generationis.

657. Thesis **II. Probabile videtur entia permanentia potuisse creari ab aeterno.**

Arg. Creatio aeterna entium permanentium videtur possibilis ex parte Dei, ex parte creaturae, et ex parte creationis. Ergo.

1 Complutenses, *Physica,* disp. 29, n. 25, innixi Angelico Doctori *(I p.,* q. 46, a. 2 ad 8), docent solam generationem humanam fuisse impossibilem ab aeterno, quia cum anima humana sit immortalis, si singulis instantibus ab aeterno generarentur animae, exsisteret numerus animarum infinitus, quod repugnat. Verum, ut animadvertit Suarez, *De opere sex dierum,* lib. 1, c. 2, n. 10, vis hujus distinctionis inter humanam et alias generationes non clare videtur. Inconveniens de infinito in actu currit eodem modo in generationibus hominum et aliarum rerum; quia a) licet res irrationales genitae transierint, numerus tamen actuum erit infinitus; b) res genitas, non minus quam animas rationales, poterat Deus in aeternum conservare; c) in singulis casibus, in quibus supponuntur res generari, poterat Deus animam humanam vel angelum creare, et dato quod fuerint generationes ab aeterno, angeli vel animae humanae essent infinitae in actu. Ad auctoritatem S. Thomae potest dici exceptionem de generatione humana loco citato afferri instar exempli, quin Angelicus approbet possibilitatem aliarum generationum ab aeterno. Fundamentum hujus interpretationis praebet ipse S. Doctor, cum ibidem ait: «Non autem intendimus universaliter, an aliqua creatura fuerit ab aeterno».

2 *In I p.,* disp. 177, c. 5.

1) *Ex parte Dei.* Deus est ab aeterno omnipotens. Sed Deus, ex quo erat omnipotens, poterat actionem creativam exercere. Ergo poterat Deus ab aeterno creare.

2) *Ex parte creaturae.* Creaturae permanentes erant ab aeterno possibiles. Possibile autem dicitur, quod ex se non repugnat. Ergo creaturae permanentes poterant ab aeterno esse seu ab aeterno creari. Ad rationem creaturae sufficit, ut sit effectus subsequens creatorem posterioritate naturae.

3) *Ex parte creationis.* Creatio est actus instantaneus. Videtur autem non repugnare actum instantaneum effici a Deo a tota aeternitate.

Scholion. Huic doctrinae opponuntur ab adversariis validissima argumenta, quae certe contrariam sententiam reddunt probabilem. Juvat ea breviter hic expendere, ut tyrones per se ipsos examinent utriusque sententiae fundamenta.

658. Obj. 1. *Ex parte Dei.* i) Causa est prior effectu. Ergo entia creata permanentia nequeunt esse aeterna.

2) Oportet Deum esse perfectiorem creatura in genere durationis. Sed creatura aeterna esset aequalis Deo in duratione. Ergo creatura nequit esse aeterna.

Resp.—Ad 1."″l Dist. ant. Causa est prior effectu quantum ad prioritatem naturae, conc.; quantum ad prioritatem durationis, neg.

Ad 2.“"' Neg. min. Supponendo creaturam esse aeternam, Deus esset perfectior creatura in genere durationis, quia Deus esset aeternus fier essentiam, et creatura per participationem.

Obj. 2. *Ex parte creaturae,* i) Omnis creatura est essentialiter mutabilis. Mutabile autem non potest esse aeternum, quia infinitas jam inde subiisset mutationes, quod est impossibile. Ergo.

2) Creaturis essentialiter convenit non esse. Sed aeterno non convenit non esse. Ergo.

3) Ens ab aeterno esset infinitum in duratione. Sed repugnat ens creatum esse infinitum in duratione, quia infinitas in duratione arguit infinitatem in perfectione. Ergo.

Resp.—Ad 1.“'" Aliqui docent creaturam aeternam, si daretur, fore sine motu et sine successione dierum, ac proinde metiri aeternitate non tempore [1]. Posset tamen defendi ens permanens, quamvis mutabile, potuisse creari ab aeterno, dummodo conservet invariabiliter per totam aeternitatem idem omnino esse, quod accepit a Deo, id est, eamdem essentiam et exsistentiam substantialem, quamvis accidentaliter mutetur vel se moveat.

Itaque ad argumentum responderi potest: neg. min. Ad ejus probationem dicendum est entia creata permanentia, si exsistant ab aeterno, posse subire infinitas mutationes ex parte ante. Motus non potest esse ab aeterno quia cum importet prius et posterius, non est simul, sed ens mobile est totum simul et potest produci ab aeterno. Imo quantum ad esse, quod accepit ab aeterno et inviolabiliter retinet, est in potentia ad non esse [2].

Ad 2.um Dist. maj. Creaturis essentialiter convenit non esse, in quantum non habent ex se rationem essendi et indigent sustentari ab alio, conc.; in quantum necessario debent aliquando non esse, neg. Potest creatura, si a Deo sustentetur, ab aeterno et in aeternum durare [3].

Ad 3.™ Neg. min. Ad probationem dist. sequelam. Infinitas in duratione per essentiam et ex propriis meritis arguit infinitam perfectionem, **conc.**; infinitas in duratione per creationem et sustentationem a causa prima, **neg.**

1 Ita Farges, *Cosmologia.* n. 25.

2 Cfr. Andreas Lao, *In I p.,* disp. 247, a 1. dub 2.

3 Cfr. Complutenses, *Phys.,* disp. 29, 11. ti sqq.

Obj. 3.° *Ex parte creationis.* 1) In creatione nihilum praecedit necessario esse creaturarum, adeo ut entia accipiant esse post non esse. Ergo creatio nequit esse aeterna.

2) Quidquid fit, necessario debet habere principium. Quod autem habet principium non est aeternum. Ergo.

Resp.—Ad 1.um Dist. ant. In creatione nihilum praecedit necessario esse creaturarum, prioritate naturae, conc.; prioritate durationis, neg. Explicatio patet ex saepe repetitis principiis [1].

Ad 2.um Dist. maj. Quidquid fit, habet principium originis et causalitatis, conc.; principium durationis, subdist.; si fiat actione successiva, conc.; si fiat actione instantanea, neg. Entia permanentia, si producta fuissent ab aeterno, habuissent profecto causam et principium originis, et idcirco dicerentur creata. Attamen, cum supponantur fieri actione instantanea, non haberent principium durationis [2].

ARTICULUS VI

AN DEUS SIT CAUSA EXEMPLARIS MUNDI

659. Status quaestionis. 1) Causa exemplaris in genere est *forma quaedam ad cujus imitationem aliquid fit per se et ex intentione agentis.* Duplex est causa exemplaris, *remota* et *proxima. Remota* est forma seu objectum externum, quod artifex imitari contendit, ut Petrus est exemplar remotum imaginis ejusdem. *Proxima* est idea, quam artifex mente concipit et opere imitari contendit, ut idea pulchrae regionis in mente pictoris est causa exemplaris proxima topiae.

2) Exemplar habet rationem causae, dummodo aliquid fiat a) *ad ejus imitationem,* ut imago fit a pictore ad similitudinem Petri et ad imitationem ideae praeconceptae, et b) *ex intentione agentis* determinantis sibi finem, ut in eodem exemplo pictor, volens exprimere suam ideam, pingit imaginem Petri. Si praeter intentionem aliquid fiat, idea non est causa exemplaris, ut si quis, volens canem imitari, felem depingat.

3) Exemplar, quamvis influat in effectum per modum causae efficientis, formalis et finalis, proprie tamen est causa formalis extrinseca, ut bene defendunt *Complutenses* [3] contra *Scotum* [4], *Suarez* [5], et alios; quia exemplar per se primo influit in opus per modum similitudinis determinantis ex parte termini.

4) Quaeritur hic, an Deus sit causa exemplaris creaturarum, adeo ut habuerit in se ideas omnium rerum et ad earum imitationem ex intentione mundum creaverit.

660. Errores. 1) *Materialistae, pantheistae,* et adversarii libertatis divinae in opere creationis negaverunt Deum esse causam exemplarem mundi.

2) «*Quidam* dixerunt, quod Deus creavit primum creatum tantum, quod creatum creavit secundum creatum, et sic inde, quousque producta est

1 Cfr. Roselli, *Physic,* (comp.), n. 402.
2 Cfr. Sansovorino, *Cosmologia,* n. 482.
3 Complutenses abbrev., *Phys* , lib. 2, disp. 9, n. to.
4 *In I Sent.,* dist 2, <|. 2
5 *Metaphys.,* disp. 25, sect. 2, n. 8,

tanta rerum multitudo. Secundum quam opinionem Deus non haberet nisi ideam primi creati» [1], et esset solummodo causa exemplaris ejusdem.

3) *Plato* dicitur admisisse tantum ideas specierum et substantiarum, non autem singularum rerum neque accidentium [2].

661. Thesis. **Datur in Deo causa exemplaris omnium omnino rerum; estque ipse Deus, ratione quidem essentiae causa remota, ratione vero idearum causa proxima exemplaris.**

1) *Datur in Deo causa exemplaris omnium omnino rerum.*

In his, quae libero consilio et determinato scopo fiunt, artifex indiget exemplari, ut determinatam formam operi inducat. «Artifex enim producit determinatam formam in materia propter exemplar, ad quod inspicit, sive illud sit exemplar, ad quod extra intuetur, sive sit exemplar interius mente conceptum» [3]. Deus autem libero consilio voluntatis suae, praestituto sibi fine, creavit mundum. Ergo datur in Deo causa exemplaris omnium rerum.

Dixi, *omnium omnino rerum,* ut innuerem nihil effugere posse intellectum divinum, qui est artifex universalis omnium operum. «Si ipse ordo universi, ait *Angelicus,* est per se creatus ab eo et intentus ab ipso, necesse est, quod habeat ideam ordinis universi. Ratio autem alicujus totius haberi non potest, nisi habeantur propriae rationes eorum, ex quibus totum constituitur; sicut aedificator speciem domus concipere non posset, nisi apud ipsum esset propria ratio cujuslibet partium ejus» [4].

Unde consequitur Deum Jiabere ideas non solum generum et specierum, sed etiam singularium et accidentium, quia ea immediate secundum totum suum esse producit.

2) *Causa exemplaris rerum esi ipse Deus.*

Exemplar necessario praecedit apographum, sicut quaelibet causa praecedit suum effectum. Sed, antequam mundus moliretur, nihil erat nisi Deus. Ergo causa exemplaris rerum est ipse Deus.

3)_ *Deus ratione suae essentiae est causa exemplaris remota mundi.*

Causa exemplaris remota effectuum est forma, e qua artifex sumit ideas pro opere conficiendo. Sed Deus, contemplando suam essentiam, efformat ideas, quae sunt similitudo proxima operis exequendi. Ergo Deus ratione suae essentiae, quatenus habet aliquam similitudinem creandorum, est causa exemplaris remota mundi.

4) *Deus ratione idearum est causa exemplaris proxima mundi.*

Causa exemplaris proxima rerum est forma praeconcepta, quam artifex imitatur in operis exeeutione. Sed Deus ratione idearum est forma seu similitudo imitanda in creatione mundi. Ergo.

662. Scholion I. Essentia et idea non distinguuntur, nisi virtualiter in Deo. Ipsamet essentia divina, quatenus est objectum cognitionis, dicitur exemplar remotum mundi; quatenus est cognita et imitabilis seu participabilis ab aliis, vocatur idea. Et quia multipliciter potest

1 S. Thomas, *I p.,* q. 15, a. 2.
2 s. Thomas, *I p.,* q. 15, a. 3 ad 4; *De veritate,* q. 3, aa. 7-8.
3 S. Thomas, *I p.,* q. 44, a. 3.
4 *I p.,* q. 15, a. 2.

Deus imitari a creatura, ideo in quantum Deus cognoscit suam essentiam hoc vel illo modo imitabilem a creaturis, dicuntur esse plures ideae in Deo [1].

Scholion II. Ex hac doctrina facile eruitur in omnibus creaturis esse aliquam Dei similitudinem. Omnia enim facta sunt juxta essentiam et ideas Dei. Haec similitudo eo est major vel minor, quo entia mundana participant majorem vel minorem perfectionem; sic homo perfectius imitatur Deum quam irrationalia[2].

ARTICULUS VII

QUEM OB FINEM CREAVERIT DEUS MUNDUM

663. Status quaestionis. 1) Finis in genere definitur: *id cujus gratia aliquid fit.* Sic finis poenitentiae est beatitudo aeterna, quia beafitudinis consequendae gratia facimus poenitentiam.

a) Potest esse *finis operis* vel *finis operantis.* Finis *operis* est id, ad quod ipsum opus ex natura sua ordinatur, ut eleemosyna ordinatur ad levandum pauperem. Finis *operantis* est id, quod agens in operando intendit, ut dives eleemosynam faciens intendit levamen pauperis, inanem gloriam, etc.

Bonum, quod in nostris actionibus intendimus, est finis *qui:* subjectum, cui bonum volumus, appellatur finis *cui:* et possessio seu usus boni dicitur finis *quo.*

b) Finis operantis est *principalis,* si primario et directe ab agente intenditur, *secundarius,* si secundario et concomitanter appetitur; sic finis principalis militis est patriae defensio, secundarius non semel inanis gloria.

c) Iterum finis potest esse *proximus, intermedius* vel *ultimus.* Finis *proximus* est, qui ipse ad alios et ad ipsum nihil ordinatur. *Intermedius* est bonum, ad quod aliquid et ipsum ad aliud refertur. *Ultimus* est bonum, ad quod omnia bona referuntur. Sic agricola, cum semina serit vel agros colit, proxime intendit fructus colligere, deinde familiam alere, et ultimo felicitatem adipisci.

2) Quamvis omne agens agat propter finem, in quantum bonitas objecti praeconcepta et appetitui placens est ratio operandi et causa effectuum, probe tamen distinguenda est ratio finis ex parte volitionis Dei et ex parte effectus seu voliti: a) *Ex parte volitionis Dei* bonitas finis non est causa actuum divinae voluntatis, quia voluntas Dei non dependet a bonitate finis allicientis ac moventis ad amandum; bonitas tamen infinita Dei est nostro modo intelligendi cum fundamento in re ratio volitionis divinae, quia adest distinctio virtualis inter bonitatem et voluntatem divinam, b) *Ex parte voliti* bonitas Dei est, tum in ordine efficienti tum in ordine morali, causa effectuum, qui producuntur, quia, ut bene ait *Suarez,* «Deus intuitu et amore suae bonitatis effectus extra

[1] Cfr. S. Thoma·, *I p.,* q. 15, a. 2.

[2] *De Deo uno,* nn. 94-97.

se producit»[1]. Praeclare hoc expressit *Angelicus* dicens: «Velle finem non est ei (Deo) causa volendi ea, quae sunt ad finem; sed tamen vult ea, quae sunt ad finem, ordinari in finem. Vult ergo hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc» [2].

3) Duplex igitur quaestio potest hic proponi: a) an et qualis sit finis creationis ex parte volitionis divinae, seu quae fuerit ratio quasi inducens Deum ad creandum mundum; b) ad quem finem ordinaverit Deus mundum [3]. Utrumque sub uno titulo expediam.

664. Errores, i) *Pantheistae,* existimantes Deum in omnibus operari voluntate quadam absoluta et inconscia, negaverunt Deum intendere aliquem finem in suis operationibus. Pantheistis subscribunt fatalistae.

2) Ex protestantibus *Wegscheider* [4], *Kant* [5], et alii dixerunt scopum Dei in mundo condendo fuisse solummodo hominis felicitatem.

3) *Hermes* haec scripsit: «Deus creavit hominem propter hominem et quidem ad ejus felicitatem... hoc est, non ad sensibilem felicitatem... sed ad felicitatem, quae oritur ex convenientia moraliter acquisita. Caetera omnia super terram non possumus admittere nisi propter hominem facta esse. Homo igitur erit inter omnes creaturas unicum ens, propter quod Deus hunc mundum condidit» [6].

4) *Hegel* irridet S. Scripturam, quod Deum nobis exhibuerit amore proprio et ambitione plenum, cum affirmavit Deum creasse mundum ad gloriam suam.

665. THESIS I. Deus mundum creavit propter aliquem finem praeconceptum.

Arg. 1) Omne agens agit propter finem cum hac differentia, quod agentia naturalia tendunt in finem per inclinationem natura sibi inditam, agentia vero intellectualia operantur propter finem mente praeconceptum. Deus autem est agens intellectuale, et sapienti consilio condidit mundum, ut superius demonstratum est. Ergo.

2) In rebus creatis conspicimus omnia mirabili et harmonico ordine tendere in aliquem finem excedentem vires creaturarum. Sed hic ordo nequit produci a Deo nisi agendo propter finem praeconceptum. Ergo.

Prob. min. Omne agens operatur propter finem vel ab ipso praeconceptum vel praeconceptum et impressum sibi ab alio. Sed nemo poterat ordinem mundi Deo imprimere, ut patet. Ergo. Res anorganicae et plantae, quae tendunt in finem ex necessitate intrinseca; corpora caelestia, quae circumeunt mundum inclinatione naturali; animalia, quae provident sibi necessaria et quaerunt suos fines ex cognitione et appetitu sensitivo; ac praesertim homines, qui concipiunt, meditantur et appetunt fines excedentes totius naturae vires, arguunt Deum opificem sapientissimum agere semper in condendo et ordinando creaturas propter aliquem finem praeconceptum.

1 *Metaphys.,* 23, sect. 9, n. 9.
2 *I p.,* q. 19, a. 5.
3 Cfr. Mazzella, *De Deo creante,* n. 168.
Instil, theol., § 96.
5 *Critique de la raison pure,* tom. 2, méthodologie transcend., ch. 2, 2.™« sect.
6 *Introd, in Theol.. christ, cathol.* (p. 1 phil., q. 2, § 71).

666. THESIS II. Finis qui proximus creationis fuit perfectio mundi.

Arg. *Finis qui* proximus creationis fuit illud, quod Deus proxime contulit rebus creatis. Sed Deus per creationem proxime contulit omnibus perfectiones tum individuas tum specificas ipsis convenientes. Ergo.

667. Thesis III. Finis intermedius creationis rerum visibilium est bonum hominis.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Deus condidit hominem ad imaginem et similitudinem suam, ut praeesset *piscibus maris, et volatilibus caeli, et bestiis, universaeque terrae* [1]; *et constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subjecisti sub pedibus ejus* [2]. Unde in particulari: a) Omnem herbam afferentem semen super terram dedit Deus hominibus in escam [3]. b) *Omnia animalia,* id est, *omne quod movetur et vivit, erit vobis* (hominibus) *in cibum* [4]. c) *Luminaria* in caelo facta sunt, «ut dividant diem ac noctem, et *sint in signa et tempora, et dies et annos»* [5].

2) Fundamentum hujus doctrinae egregie expendit *Magister Sententiarum* dicens: «Sicut factus est homo propter Deum, id est, ut ei serviret, ita mundus factus est propter hominem, scilicet, ut ei serviret. Positus est ergo homo in medio, ut et ei serviretur et ipse serviret; ut acciperet utrumque et reflueret totum ad bonum hominis, et quod accepit obsequium, et quod impendit. Ita enim voluit Deus ab homine serviri, ut ea servitute non Deus sed homo serviens juvaretur; et voluit, ut mundus serviret homini, et exinde similiter juvaretur homo» [6]. Et *Angelicus* docet omnia corporalia dupliciter homini servire: «uno modo ad sustentationem vitae corporalis; alio modo ad profectum divinae cognitionis, in quantum homo per ea, quae facta sunt, invisibilia Dei conspicit, ut dicitur Rom. 1» [7].

668. Thesis IV. Finis primarius et simpliciter ultimus creationis est bonitas Dei communicanda et glorificanda.

Praenotamina. 1) Agere propter finem contingit dupliciter: *Uno modo,* propter finem acquirendum, ut famulus laborat propter mercedem accipiendam: *alio modo,* propter finem communicandum, ut magister explicat lectiones propter scientiam communicandam. Porro, dicitur in thesi Deum creasse mundum propter bonitatem suam, non quidem acquirendam vel augendam, quam perfecte ab aeterno possidet et amat, sed propter bonitatem suam manifestandam et communicandam.

1 *Gen.,* 1. 26, et 28.
2 *Ps.* 8,.7-8.
3 *Gen.,* i, 29-30.
4 *Gen..* 9. 3.
5 *Gen.,* 1, 14.
6 *II Sent.,* diet. 1.
7 *In IV Sent.,* dist. 48, q 2, a. 1

2) Ex manifestatione divinae bonitatis sequitur gloria Dei. Gloria, juxta S. *Augustinum* [1] est *clara cum laude notitia.* Dicitur *clara notitia,* quatenus vel multitudini pervulgatur, vel paucis manifestatur, vel uni soli innotescit [2]. *Cum laude,* id est, cum aestimatione et gaudio de bono possesso.

Gloria Dei dividitur post *Lessium* [3] in *internam et externam,* et utraque in *objectivam* (fundamentalem) et *formalem:* a) Gloria Dei *interna objectiva* (fundamentalis) est ipsa divinitas seu bonitas et splendor divinitatis; b) *interna formalis* est cognitio, amor et gaudium Dei de se ipso; c) *externa objectiva* est bonitas et splendor creaturarum manifestantium perfectiones Dei; d) *externa formalis* est cognitio, amor et gaudium creaturarum de bonitate et excellentia Dei.

Per creationem mundi non augetur gloria Dei interna, quia Deus eamdem bonitatem infinitam in se habet a tota aeternitate, et eodem modo semper se cognoscit et amat. Idcirco gloria Dei interna nequit esse finis ultimus creationis. At in creaturis apparet ac relucet bonitas Dei (gloria Dei externa objectiva), et ex ea ascendunt creaturae intellectuales ad cognoscendum, amandum et laudandum bonitatem divinam (gloria Dei externa formalis). Haec gloria Dei externa dicitur finis ultimus creationis.

Prob. 1.a pars. Finis primarius creationis est bonitas Dei.

Arg. 1) S. Scriptura diserte ait: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum* [4].

2) Finis non potest esse causa et motivum, ut Deus moveatur ad agendum, sed potest esse et est ratio operationis divinae, ut dixi superius [5]. Sed ratio prima operationis divinae nihil potest esse nisi bonitas ejus infinita. Ergo finis primarius creationis est bonitas divina.

Pars 2.a Bonitas Dei communicanda.

Arg. 1) Concilium Vaticanum diserte adserit Deum liberrimo consilio condidisse mundum «non ad augendam suam beatitudinem, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quae creaturis impertitur» [6].

2) Finis primarius agentis in suis operibus est communicare quodammodo effectui suam similitudinem. Ergo finis primarius creationis est bonitas Dei communicanda. «Agens dicitur, ait ad rem S. *Thomas,* esse finis effectus, in quantum effectus tendit in similitudinem agentis: unde forma generati est finis generationis. Sed Deus ita est finis rerum,

1 *Contra Maximinum arian.,* lib. 2, c. 13, n. 2; ML 42, 770.
2 Cfr. S. Thomas, *De malo,* q. 9, a. I.
3 *De perfeci, moribusque div*., lib. 14, c. 1, n. 7.
4 *Prov.,* 16, 4.
5 Cfr. supra, n. 663.
6 *Sess.* 3, c. 1; Denz-Bannw., 1783. «Respondeo, ajebat Leibnitz. *Tentamina Theodiceae,* n. 228, Deum sua bonitate moveri ad creandum, ut se communicet».

quod est etiam primum agens earum. Omnia igitur tendunt, sicut ad ultimum finem, Deo adsimilari»[1].

Pars 3.a Est etiam bonitas Dei glorificanda.

Arg. 1) Concilium Vaticanum hanc definitionem edidit: *Si quis... mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit, a. s.* [2].

2) *Theophilus ant.* ait: «Omnia Deus fecit ex non exstantibus ad esse, ut per opera cognosceretur et innotesceret magnitudo ejus» [3].

3) Ratio idem suadet, a) In omnibus creaturis relucent perfectiones Dei, scilicet, omnipotentia, sapientia, sanctitas, bonitas, providentia, etc., adeo ut omnes creaturae adsimilentur quodammodo divinae bonitati. Unde *caeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum* Et naturae intellectuales propius adhuc imitantur majestatem et sanctitatem divinam in ordine naturae et gratiae. En *gloria Dei externa objectiva* seu *fundamentalis*[5]. Creatura rationalis splendorem Dei in mundo conspiciens adsurgit ad cognitionem auctoris, et miratur sapientiam, reveretur majestatem, amat bonitatem, imitatur sanctitatem et canit gloriam Dei. En *gloria Dei externa formalis.*

669. Scholion. *De perfectione mundi.* Hic mundus est perfectus ac pulcher in suo genere, quidquid in contrarium obstinate dixerint gnostici, manichaei, cathari, et alii. Nam Dominus in *Genesi* non solum de singulis generibus per ordinem dixit esse bona, sed etiam in fine, creatis et formatis omnibus rebus, *vidit Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona* [6]. Haec mundi perfectio patet:

1) *Ex partibus quibus constat.* Sive in caelum adspicias, sive maria circumeas, sive terram perambules, ubique invenies entia perfecta, corpora nempe perlucida, prataque virentia, animalia pulcherrima, hominesque venustissimos laudantes atque benedicentes Dominum.

2) *Ex genere, specie et numero partium.* Exsistunt in mundo omnia rerum genera, quae nobis concipere licet. Horum aliquibus competit tantummodo *esse,* aliis *esse* et *vivere:* aliis *esse, vivere* et *sentire:* atque aliis *esse, vivere, sentire* et *intelligere.* Singula continent innumeras species vel individua, quibus enumerandis nemo sufficere valet.

3) *Ex ordine partium mirabili.* Non solum singula individua in suis quaeque locis disposita manent, et propria implent officia, verum etiam omnia universali quasi condicto et pactione ad se invivem et ad ultimum finem ordinantur [7].

1 . *Contra Gentiles,* lib. 3, c. 19.

2 Sess. 3, *De Deo rerum omnium creatore,* can. 5: Denz-Bannw., 1805.

3 *Ad Autol.,* lib. 1, c. 6; MG 6, 1030.

' *Ps.* 18, i.

6 Hanc gloriam Dei externam fundamentalem egregie exponit cl. Donoso Cortés, in suo *Ensayo sobre el Catolicismo,* lib. 2, c. 7 dicens: «Los cielos cantan su omnipotencia, su grandeza los mares, la tierra su fecundidad, las nubes con sus altisimos promontorios figurait la peana en que descansa su pie. El relâmpago es su voluntad, cl trueno es su voz, el rayo es su palabra».

" *Gen.,* i, 31.

' «Cogita, ait ad rem Willems, *Cosmologia,* th. 45, diametrum terrae esse 12.755 klm , solis autem 1 383.600 Idin : terram a sole distare fere 150.000.000 klm.; et quovis momento (Sekunde) velocitate 460 metrorum circa se ipsam volvi, circa

670. *Quaestio.* Supposita hac mundi perfectione in suo genere optima, restat quaestio solvenda, num mundus sit adeo perfectus, ut dici debeat omnium possibilium optimus, quo melior fieri non possit.

Opiniones variae. Jani antiquitus docuit *Seneca* Deum fecisse mundum «quam optimum potuit» [1] Stoici, teste *Cicerone* [2], existimabant «ne cogitari quidem quidquam» posse melius mundo. Hunc errorem recentius suscitavit *Leibnitzius* [3], quem sequuti sunt *Malebranchius* [4], *Rosminius* [5,7] et alii dicentes hunc mundum esse omnium possibilium optimum, nec a Deo fieri posse alium meliorem [6]. Ratio eorum videtur esse, quia «suprema sapientia, bonitati non minus infinitae adjuncta, non potuit non eligere optimum. Nam sicut minus malum est quoddam boni genus, ita minus bonum est species quaedam mali, si bono majori ponat obicem; essetque in Dei actionibus corrigendum aliquid, si melius agendi locus foret» vel, ut alii volunt, quia mundus habet infinitum pretium, ut Deus Unigenitum suum pro eo daret [8].

Communis tamen catholicorum sententia docet hunc mundum non esse absolute optimum, ac consequenter potuisse et posse a Deo effici alios perfectiores. Consulendi sunt S. *Thomas* [9], *Valentia* [10], *Sanseverino* [11], et alii.

I. *Sane mundus omnium possibilium optimus repugnat.*

1) Cum enim finis primarius et exemplar, ad cujus similitudinem effectus est mundus, sit bonitas Dei infinita; tot possunt excogitari mundi perfecti, alii aliis perfectiores, quot sunt modi, quibus bonitas Dei est imitabilis. Sed bonitas Dei est infinitis modis imitabilis. Ergo mundus est in infinitum perfectibilis.

2) Mundus, quantumvis perfectus, est semper bonum finitum. Bono autem finito aliae perfectiones addi possunt. Ergo mundus omnium possibilium optimus repugnat. «Quolibet bono creato, ait ad rem S. *Thomas,* eo quod finitum est, potest aliquid melius esse» [12].

a) *Non refert,* si cum *Leibnitzio* dicas supremam Dei sapientiam, bonitati infinitae unitam, teneri ad optimum. Quia, ut bene docet *Angelicus* [13], Deus necessario amat finem naturalem suae divinae voluntatis, bonitatem, scilicet, propriam, sed non ea, quae sunt ad finem. Unde

solem autem 30 klm.; stellam nobis proximam distare 40 fere billiones klm., alias autem eo distare, ut lux, momento 300.000 klm. percurrens, per mille annos vix ad nos perveniat». Cfr. Degenhardt, *Los cuatro arcanos dei mundo* (2.ª ed.), c. 8; et Rodriguez, *Apologetica,* c. 5, *varia.*

1 *Epist.* 65, n. 10.

2 *De natura deorum,* lib. 2, n. 7.

3 *Princip. Philosoph.,* paragr. 55; et in *Theodicea* passim. «Ex quo, ajebat (*Tentamina Theodiceae,* n. 226), necessario sequitur id, quod electum fuit..., possibilium omnium fuisse optimum. Porro id, quod est optimum, bonitate superari nequit». Hanc tamen optimam perfectionem non singulis creaturis, sed toti mundo tribuebat egregius philosophus (*Tentam. Theod.,* n. 195).

4 *Entretiens sur la Métaph.,* 9.

5 *Theod.,* n. 651.

6 Optimismum mundi indirecte defendunt omnes pantheistae et generatim omnes creationis necessariae fautores.

7 Leibnitz, *Tentamina Theod.,* n. 8.

8 Malebranche, *Entret. mét.,* 9.

9 *In I Sent.,* dist. 14, q. 1, aa. 2 et 3; *I p.,* q. 25, a. 6 ad 3, etc.

10 *In I p.,* disp. 1, q. 25, p. 3.

11 *Cosmologia,* n. 506 sqq.

12 *I Sent.,* dist. 44, q. 1, a. 3.

13 *I p.,* q. 19, a. 3.

liberrime mundum condidit ad similitudinem suae bonitati?, et «absque praejudicio bonitatis, justitiae et sapientiae, potest se extendere ad alia, quam quae facit». Nec derogat sapientiae divinae, quod Deus effecerit mundum non absolute optimum, quia in operationibus Dei ad extra sufficit, ut fiat opus relative optimum, et ad finem, qui intenditur, aptum.

b) Neque sequitur, ut contendit Malebranchius, mundum habere infinitum valorem ex eo, quod Verbum infiniti valoris datum fuerit mundo, qua pretium redemptionis, quia Verbum, ut dicetur in tractatu de incarnatione, non solum fuit pretium condignum sed etiam superabundans, infinita Dei liberalitate, pro redemptione generis humani oblatum. Incarnatio Verbi fuit quidem necessaria ex suppositione ad satisfaciendum divinae justitiae, non propter valorem hominis, sed propter offensam quodammodo infinitam illatam divinae bonitati.

II. *Mundus tamen est relative optimus.* Huic siquidem mundo adspectabili nihil deest perfectionis in suo genere ad obtinendum finem a Deo intentum. «Universum, inquit *Angelicus,* suppositis istis rebus, non potest esse melius propter decentissimum ordinem his rebus attributum a Deo, in quo bonum universi consistit. Quorum si unum aliquod esset melius, corrumperetur proportio ordinis; sicut si una chorda plus debito intenderetur, corrumperetur citharae melodia» L

QUAESTIO XXXIII

DE MUNDI CONSERVATIONE ET GUBERNATIONE

ARTICULUS I

UTRUM DEUS OMNIA CREATA IN ESSE CONSERVET

671. Status quaestionis. Conservatio est influxus agentis, quo res aliqua in exsistentia perseverat. Dupliciter potest agens conservare rem in esse. Uno modo *indirecte* et *negative,* quatenus removet influxum aliorum elementorum corrumpentium; sic sal conservat carnes et lagena clausa vinum; alio modo *directe* et *positive,* in quantum actione propria rem sustentat seu manutenet; sic homo actibus repetitis conservat habitum acquisitum.

Quaestio in praesenti est, an Deus actione directa et positiva conservet seu sustentet res creatas in esse.

672. Thesis. **Deus omnia entia creata directe et positive in esse conservat.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Legitur in sacris litteris: *Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? A ut, quod a te vocatum*

* *1 p.,* q. 25, a. 6 ad 3.

non dsset, conservaretur? 1. In Novo Testamento Filius Dei dicitur *portans omnia verbo virhitis suae* 2.

2) *Ex SS. Patribus. S. Joannes Chrysostomus:* «Non solum creaturam protulit (Deus), sed etiam prolatam tuetur et fovet» 3. S. *Augustinus:* «Virtus (Creatoris) ab eis, quae creata sunt, regendis si aliquando cessaret, simul et illorum cessaret species, omnisque natura concideret» 4. S. *Anseltnus:* «Cuncta, quae lacta sunt, eodem ipso sustinente vigent et perseverant esse, quandiu sunt, quo faciente de nihilo habent esse, quod sunt» 5.

3) *Ex ratione,* a) Dupliciter possunt effectus dependere a causa: uno modo quantum *ad jieri;* alio modo quantum *ad esse,* a) Ea dependent a causa quantum *ad jieri* tantum, quae supponunt materiam aptam ad recipiendum et sustinendum esse, ita producuntur ab una causa ut potuerint produci ab alia, et postquam fiant, possunt subsistere cessante influxu talis causae, ut imago Caesaris in marmore, filius genitus a patre, et omnia, quae fiunt per informationem, β) Ea vero dependent a causa quantum ad totum esse, quae nihil supponunt et indigent produci quantum ad totam substantiam, id est, quantum ad subjectum et formam, ac idcirco nequeunt produci nisi ab eo, qui possit totum esse e nihilo educere, ut anima rationalis pendet a Deo. Porro, cum omnis effectus dependeat a causa quantum ad id, quod efficit causa, ea, quae accipiunt tantummodo *jieri* ab alio, tamdiu pendent ab eo, quamdiu durat ipsum fieri, ut filius pendet a patre durante generatione, qua transacta conservatur sine influxu patris; ea vero, quae accipiunt totum esse ab alio, tamdiu pendent ab eo, quamdiu durat eorum esse, ut anima, quamdiu durat, pendet a suo Creatore. Sed omnes res creatae dependent a Deo quantum ad suum esse, quia Deus sua actione ex nihilo produxit et aptavit materiam ad omnes generationes. Ergo Deus omnia entia creata directe et positive in esse conservat e.

b) Potest Deus in nihilum redigere omnia entia a se creata. Sed annihilatio rerum, cujus terminus est nihil, nequit esse nisi suspensio actionis Dei, quae res in esse conservat. Ergo Deus positive conservat omnia creata. Minor ex eo patet, quod terminus annihilationis, scilicet nihilum, nequit terminare actionem Dei positivam sed solum ejus suspensionem.

Scholion I. Conservatio dicitur *continuata rei creatio,* quod non ita intelligendum est, ut conservatio sit quaedam quasi continua reproductio rerum distincta a prima creatione, ut voluit *Henricus gandavensis* 7 cum aliis, vel repetita creatio singulis instantibus, ut adseruit *Bertaud* 8, sed in quantum «illa actio, ut ait *Ferrariensis,* quae in primo in-

1 *Sap.,* ii, 26.
2 *Hebr.,* i, 3.
3 *'Contr. anom.,* hom. 12, 11. 4; MG 48, 810.
4 *De Genesi ad lilt.,* lib. 4, c. 12; ML 34, 304.
5 *Monolog.,* c. 12; ML 158, 161.
° Cfr. Suarez, *Metaphys.,* disp. 2, sect. I, nn. 9-14; Philippus a SS. Trinitate, *Summa phil.,* p. 3, q. 25, a. 3; et De Maria, *Theol. nat.,* p. 2, q. 4, a. 2, arg. 3.
7 *Quodlib.* i, q. 7.
3 *Critiques des preuves de l'existence de Dieu,* t. 2, p. 239.

stanti esse creaturae habet rationem creationis, in toto tempore sequenti illud instans habet rationem conservationis, quia est actio continuans esse rei» [1].

Attamen creatio et conservatio distinguuntur quantum ad formales rationes et connotationem in termino, quia creatio importat novitatem et inceptionem essendi, id est, effectionem rei, postquam nihil erat; conservatio vero significat continuationem in dando esse, id est, eamdem effectionem rei, postquam jam exsistit. Propter hanc diversitatem rationum formalium in creatione et conservatione, non potest dici res mundanas creari toto tempore, quo conservantur [2].

Scholion II. *De modo conservationis rerum.* 1) Ut jam diximus superius, Deus conservat res in esse actione positiva et immediata, quia omnibus operibus, etiam illis, quae fiunt a causis secundis, concurrit immediate actione positiva.

2) Nulla creatura potest se ipsam directe, ne partialiter quidem, conservare, quia sicut esse uniuscujusque non dependet a se ipso in creatione, ita nec dependet a se ipso in conservatione. Unde oportet, ut esse creaturarum dependeat totaliter et semper ab alio [3].

3) Plures tamen creaturae conservantur tam directe quam indirecte ab aliis creaturis ut a causis secundis; vel potius Deus conservat plures creaturas directe et indirecte mediantibus causis secundis. «Utroque autem modo (directe et indirecte), inquit *Angelicus,* aliqua res creata invenitur esse alterius conservativa» [4]. a) *Directe:* «Invenitur... quod ab aliqua creatura dependet aliquis effectus *secundum suum esse»,* ut lumen et species intentionales sensuum conservantur, etiam quoad suum esse, a sole et objectis externis, ut a causa secunda, b) *Indirecte:* «Etiam in rebus corporalibus multa sunt, quae impediunt actiones corrumpentium, et per hoc dicuntur rerum conservativa, sicut sal impedit carnes a putrefactione» [5].

Scholion III. 1) *Potest Deus omnia creata in nihilum redigere,* quidquid in contrarium dicant adsertores creationis necessariae [6], et praesertim materialista *Aemilius Ferriere* [7]. Rationem fundamentalem

[1] *Contra Gentiles,* lib. 3, c. 65.

[2] Cfr. Banez, *In 1 p.,* q. 45, a. 3, «Circa tertiam conclusionem».

[3] Cfr. S. Thomas, *1 p.,* q. 104, a. 2 ad 2.

[4] *1 p.,* q. 104, a. 2.

[5] Ex hoc facile compcrimus cansas secundas saepe agere directe et positive in conservationem accidentium, ut exempla allata de lumine et specierum intentionalium satis demonstrant. Λη causae secundae influant directe in conservationem substantiae corporalis, quaestio est sub judice: a) *Plerique veteres et aliqui recentiores* docuerunt agentia universalia, ut sunt sol, calor, etc., directe et immediate agere in conservationem substantiarum corporalium, adeo ut ipsam substantiam corporalem immediate attingant, b) *Alii plures antiqui,* quibus non pauci moderni subscribunt, dixerunt agentia universalia non posse agere immediate in conservationem substantiarum, sed mediate tantum (directe quidem), quatenus suo calore, etc., conservant organismum corporum, c) *Alii* contendunt actionem causarum secundarum universalium influere solum indirecte in conservationem substantiarum corporalium, quia calor, temperies, etc., non agunt in substantiam, nisi in quantum removent impedimenta frigoris, etc.

[6] Cfr. S. Thomas, *1 p.,* q. 104, a. 3.

[7] *La matière et l'énergie,* p. 80 sq.

hujus doctrinae exponit *Angelicus* dicens: «Hoc igitur, quod Deus creaturae esse communicat, ex Dei voluntate dependet; nec aliter res in esse conservat, nisi in quantum eis continue influit esse... Sicut ergo, antequam res essent, potuit non communicare esse et sic eas non facere, ita postquam jam factae sunt, potest eis non influere esse, et sic esse desinerent, quod est eas in nihilum redigere» [1].

2) *Nunquam tamen Deus creaturas in nihilum redigit.* Permittit quidem, ut, novis in mundo factis generationibus et productionibus, formae rerum amittantur, sed nunquam patitur substantias completas in nihilum abire [2]. «Creaturarum autem naturae, ait S. *Thomas,* hoc demonstrant, ut nulla earum in nihilum redigatur; quia vel sunt immateriales, et sic in eis non est potentia ad non esse; vel sunt materiales, et sic saltem remanent semper secundum materiam, quae incorruptibilis est, utpote subjectum exsistens generationis et corruptionis» [3]. Hoc videtur confirmare S. Scriptura, cum dicit: *Didici, quod omnia opera, quae fecit Deus, perseverent in perpetuum* [4].

ARTICULUS II

UTRUM OMNIA GUBERNENTUR A DEO IMMEDIATE

673. Status quaestionis. Gubernatio definiri potest: *Directio seu ordinatio omnium rerum in fines proprios et in bonitatem Dei.* Est executio providentiae seu ordinis rerum in mente divina exsistentis.

Quamvis ex superioribus certe constet Deum omnia et singula creata in suos fines et praesertim in ultimum finem dirigere, ordo materiae postulat, ut aliquid dicamus de gubernatione rerum.

674. Errores, 1) *«Quidam antiqui philosophi* gubernationem mundo subtraxerunt dicentes omnia fortuito agi» [5]. Hujusmodi fuerunt et sunt materialistae, pantheistae et fatalistae.

2) *Hodierni rationalistae et increduli* irrident theologos catholicos, quod admittant gubernationem rerum in Deo [6].

3) *Plato,* dividens providentiam in tria, negavit Deum *immediate* omnia gubernare.

1 7 />., q. 104, a. 3.

2 Annihilatio, quae creationi opponitur, significat interitum totalem substantiae completae seu termini creationis, adeo ut nihil de illa remaneat. Idcirco versari deberet circa substantias completas seu subsistentes. Totaliter tamen saepe pereunt 1) *accidentia,* quae inhaerent substantiae, ad cujus actionem vel passionem desinunt esse: et 2) *substantiae incompletae* in ratione substantiae, ut animae brutorum pereunt per corruptionem substantiae. *Anima rationalis,* quae est substantia completa in ratione substantiae et habet operationes proprias independenter a. subjecto, est objectum directum creationis et conservatur a Deo in perpetuum

3 *I p.,* q. 104, a. 4.

4 *Eccl.,* 3, 14.

6 S. Thomas, 7 *p.,* q. 103, a. I.

° Cfr. Moleschott, *La circulation et ta vie,* lettre 17

675. Thesis. **De fide certum est Deum immediate omnia gubernare.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Traditur haec doctrina in libro *Sapientiae* his verbis: *Tua autem. Pater, providentia gubernat*[1]. Certius in Concilio Vaticano: *Universa vero, quae condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter*[2].

2) *Ex ratione,* a) Concipi nequit Deum immediate omnia creare ac conservare voluisse, quin ea immediate gubernet ac dirigat in respectives fines, quia gubernatio rerum in Deo consequitur rationem Creatoris et Conservatoris. Sed Deus creavit atque conservat immediate omnia. Ergo Deus immediate omnia gubernat[3].

b) Gubernatio non est aliud nisi directio, qua res moventur ad finem. Sed omnis motus provenit immediate a Deo ut a primo motore. Ergo Deus immediate gubernat omnia.

Animadversio. Hoc tamen non impedit causarum secundarum actionem in gubernatione mundi. Deus enim non solum ipse agit, sed etiam rebus a se creatis activitatem tribuit. Unde Deus ita omnia gubernat, ut quaedam solus, quaedam simul cum causis secundis dirigat in fines, semper tamen operando immediate qua causa prima.

Corollaria. I. Ex hoc sequitur in rerum natura non dari *casum* aut *fortunam* respectu Dei, quamvis contrarium probare nitantur aliqui positivistae. *Casus* enim dicitur *id. quod contingit praeter ordinem et intentionem causae efficientis necessariae. Fortuna* vero est *id, quod evenit inopinate praeter intentionem causae liberae.* Nihil autem contingit in mundo praeter ordinem et intentionem Dei, qui ratione causae primae et gubernatoris universalis omnia perscrutatur atque dirigit in suos fines.

II. 1) Neque datur *fatum* respectu Dei (nec respectu hominis) in sensu fatalistarum, quatenus est necessitas ineluctabilis agendi determinatos effectus[4]. Deus enim, sicut libere cuncta creavit, ita liberrime omnia conservat atque gubernat. 2) Sensu tamen catholicorum datur revera *fatum,* quatenus significat ordinationem et dispositionem occultam causis secundis a Deo impressam, ut juxta modum suae naturae, libere, scilicet, vel necessario, operentur ad effectus divinitus provisos. Haec enim dispositio recepta in causis secundis dicitur fatum.

ARTICULUS III

UTRUM DEUS COOPERETUR PHYSICE ET IMMEDIATE OMNIBUS CAUSARUM SECUNDARUM ACTIONIBUS

676. Status quaestionis. Concursus divinus definiri potest: *Actus divinae potentiae efficienter influens in actiones naturales creaturarum;*

* *Sap.,* 14, 3.

2 3, c. 1. Denz-Bannw., 1784.

3 Cfr Philippus a SS. Trinitate, *Summa phil.,* part. 3, q. 25, a. 4.

1 Triplex fatum hoc sensu introductum est a philosophis: 1) *Pantheistarum.* qui volunt omnia in mundo necessitate absoluta et intrinseca contingere. 2) *Ma-*

id est: 1) *Acius intellectus divini imperantis* cum connotatione actus voluntatis. 2) *Efficienter seu physice influens,* ut jam omnes, etiam molinistae, concedunt. 3) *In actiones creaturarum,* adjuvans, scilicet, et movens creaturas ad operandum [1]. 4) *In actiones naturales,* quo distinguitur ab auxilio gratiae, quod influit ad actiones supematurales creaturarum intellectualium.

Divisio. Concursus divinus potest esse:

1) *Physicus* vel *moralis. Physicus* est influxus, quo Deus active et efficienter applicat et adjuvat vires physicas causae secundae ad agendum. *Moralis* est influxus objectivus, qui exercetur alliciendo, suadendo, jubendo, minando, etc.

2) *Mediatus* vel *immediatus. Mediatus,* quod ad praesens attinet, est actio, qua Deus largitur causis secundis vires naturales ad operandum. *Immediatus* est influxus, quo Deus proxime movet causas secundas et cum ipsis agens producit eumdem effectum.

3) *Praevius* et *simultaneus,* de quibus philosophi in ordine naturali, et nos cum agemus de gratia, in ordine supernaturali.

677. Theologorum placita, i) Juxta S. *Augustinum,* aliqui arbitrati sunt (tantummodo mundum ipsum factum a Deo, caetera jam fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinavit et jussit, Deum autem ipsum nihil operari» [2].

2) *Durandus* existimavit Deum nonnisi mediate concurrere ad actiones causarum secundarum, quatenus, scilicet, creaturis confert et in eis jugiter conservat virtutem operandi [3].

678. Thesis. **Deus physice et immediate concurrit ad omnes creaturarum actiones.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Per Isaiam dicitur: *Domine, dabis pacem nobis; omnia enim opera nostra operatus es nobis* [4]. Et Apostolus ait: *In ipso enim* (Deo) *vivimus, et movemur, et sumus* [5]* Rursum: *Idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus* [°]. Filius autem Dei dicitur *portans omnia verbo virtutis suae* [7].

2) *Ex magisterio Ecclesiae.* Pius PP. IX damnavit in *Syllabo* hanc propositionem: «Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum» [8].

3) *Ex SS. Patribus. S. Theophilus:* Dei est «operari, et nutrire, et providere, et gubernare, et vivificare omnia» [®]. S. *Hieronymus* conce-

humedanorum. Manichaeorum et *calvimstarum,* qui dicunt Deum ita decrevisse omnia, ut in se necessario fiant. 3) *Astrologorum* et *cabbalistarum,* qui contendunt omnia in mundo a necessaria corporum caelestium actione dependere. Cfr. Willems, *Theol. nat.,* th. 37.

1 Concursus divinus distinguitur virtualiter a creatione et conservatione, quia, ut bene ait Farges, *Theodicea,* n. 116 «per creationem res *accipiunt* esse, per conservationem in esse suo *pergunt,* per concursum in actionibus suis *adjuvantur*·.

2 *De Genesi ad litt.,* lib. 5, cc. 20, 40; MI. 34, 335.

3 *11 Sent.,* dist. 1, q. 5, et dist. 37, q. 1, n. 11.

4 *Is.,* 26, 12.

6 *Act.,* 17, 28.

° *1 Cor.,* 12, 6.

7 *Hebr.,* 1, 3.

8 *Syllab.,* prop. 2; Denz-Bannw., 1702.

8 *Ad Autolycum,* lib. r, n. 4; MG 8, 1030.

debat pelagianis nos, nisi Deus juverit, non posse «calamum temperare ad scribendum et temperatum punice terere, manumque aptare litteris, tacere, loqui, sedere, stare, ambulare, currere, comedere, jejunare, flere, ridere, et caetera hujusmodi» \

4) *Ex ratione,* a) Omnia entia participata accipiunt suum esse a Deo ut a causa prima. Sed omnes actiones creaturarum sunt entia participata. Ergo.

b) Creaturae omnes sunt instrumenta quaedam respectu Dei, ut saepe repetit S. *Thomas*[2]. Sed instrumentum nihil potest agere nisi sit motum a causa principali. Ergo.

679. Corollaria. Ex hac doctrina sequuntur quaedam notatu digna. *t*

1) Actiones et effectus, qui procedunt a causis secundis, sunt totaliter a Deo et totaliter a causa secunda in diverso genere causarum, ita ut eadem actio et idem effectus indivisibiliter tribuantur Deo et causae secundae. «Patet autem, inquit *Angelicus,* quod non sic idem effectus causae naturali et divinae virtuti attribuitur, quasi partim a Deo partim a naturali agente fiat, sed totus ab utroque secundum alium modum, sicut idem effectus totus attribuitur instrumento, et principali agenti etiam totus» 34

2) Quantum ad munus et activitatem causarum secundarum sub influxu Dei duo extrema vitanda sunt, nempe: a) *Occasionalistarum,* Cartesii, Malebranchii, et aliorum, qui docent causas secundas non agere, sed occasionem praebere, ut Deus agat, b) *Recentiorum incredulorum,* qui contendunt causas secundas esse omnino independentes in agendo. Causae secundae habent quidem activitatem propriam et producunt totaliter effectum, indigent tamen motione causae primae ad agendum. Quare influxus causae primae in effectum est longe efficacior ac praestantior actione causarum secundarum.

' 3) Cum ex una parte virtus Dei attingat intime et efficaciter omnia, et ex altera parte, ubi est Dei virtus, ibi sit ipse immediatione suppositi, concedendum videtur Deum agere in omnibus rebus immediate immediationc suppositi, ut docent *Molina* *Suarez* 5, *Cajetanus*6 et alii contra *Ferrariensem* 7 et alios.

Scholion. Quaestio celebris hic agitatur inter thomistas et molinistas circa modum divini concursus ad actionfes creaturarum, an scilicet concursus Dei sit talis, ut praemoveat, determinet, et applicet causas secundas ad operandum, et applicatas, immediate, physice et efficaciter adjuvet in operando, vel, e contra, sufficiat concursus Dei immediatus et physicus, non natura praevius, sed simultaneus, determinandus a Deo post praevisam cooperationem causae secundae.

1 *Dial, contra pelag.,* lib. 1, n. 3; ML 23, 500. Vide *Catechisrnum romanum,* p. i, c. 2, nn. 22-23.

2 *II Seni.,* dist. 1, q. 1, a. 4: *De veritate,* q. 24, a. I ad 5.

3 *Contra Gentiles,* lib. 3, c. 70 in fine. Cfr. Joannes a S. Thoma, *Cursus phil., Phys.,* q. 25, a. 1.

4 *In I p.,* q. 14, a. 13, disp. 6.

5 *Metaphys.,* disp. 22, sect. 1, n. 17.

* *In l p.,* q. 8, a. 1.

’ *Contra Gentiles,* lib. 3. cc, 68-70.

1) *Thomistae docent* concursum, de quo loquimur, esse influxum causae primae receptum immediate in causis secundis, «quo Deus actualem efficacitatem inspirat, quo eas movet et applicat, non solum objective ac moraliter, alliciendo et suadendo, sed etiam physice et active, interius inclinando, applicando, determinando, ac ultimam illam activitatem, ad quam statim sequitur actio, influendo», unde dicitur motio physica. «Sed, quia motio et applicatio virtutis activae ad agendum est prius natura, quam ipsa actio, sicut omnis via est prior suo termino et omnis causa suo effectu, ideo motio illa dicitur *praevia motio* seu *praemotio...* Per istum influxum Deus active et proprie facit, ut creatura faciat, redditque illam a se dependentem non ut concausam concausae, sed ut secundum agens primo agenti, et ut causam subditam ac inferiorem superiori, a qua completur et applicatur, cui proinde non solum effectum suum debet, sed etiam propriam suam in productione effectus cooperationem». Haec clarissimus *Goudin*[1].

2) *Juxta molinistas,* concursus Dei est influxus physicus et immediatus in causas secundas, non tamen prior tempore nec natura, quam influxus causae creatae «prioritate, quae importet causalitatem aliquam aut praeviam motionem in ipsa causa secunda receptam, qua illa applicetur ad agendum, vel constituatur actu profundens operationem»[2]; sed est influxus simultaneus, qui in eamdem actionem confluit cum influxü creaturae «per aeternum decretum, quo Deus, praelucente scientia media, applicat omnipotentiam suam ad agendum eo praecise temporis instanti, in quo videt causam creatam operaturam esse, si sibi esset in promptu concursus divinus, quo absolute et essentialiter indiget ad quidpiam agendum»[3].

Non vacat in praesenti hanc celeberrimam quaestionem tractare, quia, si in ordine naturali spectetur, pertinet ad philosophiam, si in ordine supernatural! consideretur, spectat ad tractatum de gratia[4].

Juxta superius dicta censeo solutionem thomistarum magis esse probandam, sed probabilitatem tum extrinsecam tum intrinsecam solutionis molinistarum negare non licet. Molinistae habent pro se sapientissimos ac sanctissimos viros, qui omni genere argumentorum suam sententiam confirmare nituntur. Quare, dum unum systema in hac materia defendendum suscipitur, cavendum est omnino ab acri censura opinionis contrariae.

1 *Philosophia,* p. 4, disp. 2, q. 3, a. 2 (ed. Urbeveteri, i860).

2 Urraburu, *Theodicea,* disp. 7, c. 3 in principio.

3 Urraburu, *Theodicea,* disp. 7, c. 3, a. 1.

4 In hac quaestione consuli possunt, 1) ex thomistis: Complutenses, *Cursus abbreviates, Physic.,* lib. 2, disp. 11, q. 2; Goudin, *Philosophia,* p. 4, disp. 2, q. 3; Gonet, *Clypeus thom.,* tr. 4, disp. 9; Roselli, *Summa philosophica, Metaph.,* q. 28; Joannes a S. Thoma, *Cursus philosoph., Philosoph. nat.,* p. 1, q. ,25; Dummermuth, S. *Thomas et doctrina praemotionis physicae,* et *De/ensio S. Thomae de praemolione physica;* Norbertus dei Prado, *De gratia et libero arbitrio,* part. 2 et 3; Gayrod, *Thomisme et Molinisme;* Ude, *Doctrina Capreoli de influxu Dei in actus voluntatis humanae,* et alii multi. 2) Ex Molinistis: Molina, *Concordia;* Suarez, *Metaphysica,* disp. 22; Hontheim, *Theodicea,* n. 966 sqq.; Stentrup, *De Deo uno,* 676 sqq.: Schneemann. *Controversiarum de divina gratia;* Rognon, *Pagnes et Molina;* Urraburu, *Theodicea,* disp. 7, et alii.

SECTIO II

DE CREATIONE MUNDI MATERIALIS

QUAESTIO XXXIV

DE OPIFICIO MUNDI MATERIALIS

680. Brevissime narratur creatio rerum in principio libri *Geneseos.* Occasionem inde arripuerunt increduli et plures scientiarum naturalium cultores ad acriter impugnandam revelationem divinam, et triumphum cecinere contra Ecclesiam Christi; dum e contra catholici acerrime defenderunt perfectissimam harmoniam exsistere inter revelationem et scientias naturales. Imo plures hodie theologi adsumunt ex theoriis scientiarum naturalium valida argumenta ad probandam confirmandamque cosmogoniam mosaicam, adeo ut argumenta adversariorum versa fuerint in favorem veritatis revelatae.

Theologi et commentatores catholici diversas theorias in explicanda cosmogonia mosaica excogitarunt, quas placet in hac quaestione exponere.

ARTICULUS I

STATUUNTUR QUAEDAM PRINCIPIA CERTO TENENDA CIRCA COSMOGONIAM MOSAICAM

681. I. *Primi versiculi* Geneseos, *in quibus creatio rerum describitur, sicut et quaelibet pars S. Scripturae, divinitus inspirati sunt.* Cfr. nostram theologiam fundamentalem, n. 597.

II. *In primo capite* Geneseos *nullus error, nequidem astronomie-us, historicus vel geologicus, quantumvis minimus, continetur.* Hoc expresse tradiderunt Leo XIII in encyclica *Providentissimus,* Pius X decreto *Lamentabili,* prop. 11. et *Commissio de re biblica,* 30 Junii 1909 *(Acta Ap. Sedis,* vol. 1, p. 567, sq.). Possunt quidem diversa systemata excogitari, sicut de facto excogitata sunt, ad investigandum sensum S. Scripturae, sed omnia ita componi debent, ut veritas sacri textus inconcusse salvetur.

III. *Indoles et forma libri* Geneseos *est historica,* ac idcirco caput primum hujus libri non continet fabulas ex veterum populorum mythologiis et cosmogoniis depromptas, nec allegorias et symbola fundamento objectivac realitatis destituta, nec legendas fictitias ad animo-

rum instructionem et aedificationem compositas\ nec formulas apparentes et traditiones populares historicae veritati oppositas, sed narrationem vere historicam.

IV. *Scopus sacri scriptoris in componendo libro* Geneseos *non fuit intimam adspectabilium rerum constitutionem explicare, aut tractatum de scientiis naturalibus instituere,* sed intendit potius, res a Deo gestas historice narrando et quaestiones scientificas leviter tangendo, altiora nobis tradere, scilicet, cuncta esse a Deo creata[1]. Duplex igitur fuit scopus hagiographi in conscribenda cosmogonia; *primarius* adserere factum creationis temporalis a Deo, *secundarius* tradere historiam et modum hujus creationis. Uterque finis est a Deo intentus, et consequenter factum creationis et ejus historia ac ordo sunt veritates a Deo nobis traditae, cum hoc tamen discrimine, quod factum creationis est *per se revelatum,* historia vero creationis est *revelata per accidens* ad altiora docenda [3].

Porro haec est differentia inter ea, quae revelantur *per se* et ea, quae revelantur *per accidens,* ut revelata *per se* strictiorem plerumque interpretationem admittant, dum revelata *per accidens* ampliorem expositionem facilius patiantur. Unde fas est cosmogoniam mosaicam seu hexaemeron biblicum latius exponere [4].

V. Certo constat ex *Genesi* mundum materialem et omnia, quae in eo sunt, a solo Deo esse creata et ornata in tempore, eaque esse bona et ordinata ad aliquem finem [5][6]

ARICULUS II

COSMOGONIA ET HEXAEMERON MOSAICUM

§ i

Origo Cosmogoniae et hexaemeron Moysis.

682. In principio *Geneseos* diserte adseritur caelum et terram fuisse a Deo creata, terramque fuisse obscuram et chaoticam (Cosmo-

1 Cfr. Responsa Commissionis de re biblica, 30 Junii 1909; *Acta Ap. S.,* vol. i, 567.

2 Cfr. *Theol. fund.,* n. 602.

3 Cfr. S. Thomas, *II-II,* q. 1, a. 6 ad I; et q. 2, a. 5.

4 Angelicus expresse confirmat hanc doctrinam dicens: «Quae ad fidem pertinent, dupliciter distinguuntur. Quaedam enim sunt *per se* substantia fidei, ut Deum esse trinum et unum, et hujusmodi, in quibus nulli licet aliter opinari... Quaedam vero *per accidens* tantum, in quantum scilicet in Scriptura traduntur, quam fides supponit Spiritu Sancto dictante promulgatam esse, quae quidem ignorari sine periculo possunt ab his, qui Scripturas scire non tenentur, sicut multa historialia, et in his etiam sancti diversa senserunt, Scripturam divinam diversimode exponentes. Sic ergo, circa mundi principium aliquid est, quod ad substantiam fidei pertinet, scilicet, mundum incepisse creatum, et hoc omnes sancti concorditer dicunt. Quo autem modo et ordine factus sit, non pertinet ad fidem nisi per accidens, in quantum in Scriptura traditur, cujus veritatem diversa expositione sancti salvantes diversa tradiderunt». *II Sent.,* dist. 12, q. 1, a. 2.

6 Vide J. Guibert, *La fe y las ciendas naturales* (hispan. vers.), c. 8, 3, 2.°.

gonia) 1; deinde referuntur distinctio et ornatus mundi per sex dies hoc ordine: lux, firmamentum dividens aquas superiores et inferiores, maria, aridum, plantae in terra, luminaria in caelo, pisces, volatilia, animalia et homo *(Hexaemeron)* 2. Cosmogonia et hexaemeron Moysis celeberrima sunt in scientiis naturalibus, in theologia et in excgesi biblica, ac idcirco paulo accuratius tractanda.

In omnibus fere populis antiquis conservantur traditiones circa originem mundi, quas cosmogonias gentium appellamus. Sic chaldaei, assyrii, aegyptii, phoenices, pcrsae, indi, sinenses, japonenses, mexicani, graeci, romani, germani, etc., habent suas cosmogonias, et referunt innumeras fabulas circa originem et evolutionem mundi 3.

Negari nequit inter cosmogonias gentium et narrationem mosaicam plures inveniri analogias et affinitates. In omnibus admittuntur chaos, tenebrae, separatio caeli et terrae, aquae primordiales, fecunditas, etc., imo et sex epochae ponuntur ab etruscis, persis et aliis in formatione mundi45

1 Λ vocibus graecis ζοιι,ο mundus, et γονο origo.

2 De Ξ sex, et ημέρα dies, opus sex dierum.

3 Cfr. Josephus, *Contra Apionem,* lib. i, 2; Lenormant, *Essai de commentaire de Berose,* pag. 11 sqq.; Mgr. Meignan, *Le monde et l'homme primitif,* p. 11; Mir (Juan), *La creaciôn,* c. 2, aa. 1-3; Hetzenauer, *Theologia biblica,* t. 1, § 43; et *Comment. in lib. Genesis,* Exord. Excurs. 1.

En in compendio praecipuae populorum cosmogoniae.

1) *Assyrio-chaldaica.* Priusquam caelum et terra exsisterent, erant *Apsii* (abyssus illimitata) et *Tidmat* (confusio-oceanus). Hi autem genuerunt deos *Lahmu* et *Lahamu, Ansar* et *Kisar, Anu, lilii (Bel), Ea* et alios. Inter hos deos, aliis alios destruere conantibus, varia praelia inita sunt, in quibus Tiâmat (oceanus), quae undecim monstrorum species produxerat, cum deo Kingu, duce exercitus, fere semper victrix exstitit. Attamen et ipsa in fine victa est a deo Marduk et divisa in duas partes, ex quarum una prodiit caelum et ex altera terra. Marduk posuit in caelo astra, in terra homines cum munere colendi deos. Cfr. *fragmentum Berosi* sacerdotis Bel in Babyl., saec. III ante Christum, apud *Eusebium, Chronicon,* lib. 1, c. 2; MG 19, no; fragmentum cunaeiformc, tempore Assurbanipale, 668-626 a. Chr. compositum, et a Gcorgio Smith in palatio Ninive Kujundschik anno 1872 inventum; Sayoe, *La lumière nouvelle* (gallice versum), ch. 3 (Paris, 1888); Valbuena, *Egipto y Asiria resucitados,* t. 1, p. 128 sqq.

2) *Aegyptii* posuerunt primo originales tenebris obductas *(Nun),* quibus immiscebatur spiritus originalis. Hic autem spiritus fecit, ut aquae producerent quoddam ovum. Ex ovo prodiit *lia,* deus lucis, qui Osirim reliquosque deos creavit, mundum et viventia condidit ac in statum actualem perduxit.

3) *Phoenices* docuerunt in principio fuisse aërem tenebrosum (chaos) et spiritum. Influxu spiritus conceptum est in aëre chaotico ovum immensum *(Mwt),* quod continebat semina vitalia. In duas partes divisum est ovum; una pars fecit caelum, quod corporibus paulatim ornatum est, altera constituit terram, ex qua nata sunt omnia viventia. Cfr. Eusebius, *Praep. evang.,* lib. 1, c. 10; MG 2.1, 76 et 1471; et Lenormant, *Les orig. de l'hist.,* ch. I.

4) *Indi* pariter posuerunt in principio chaos tenebrosum et spiritum originalem. Volens spiritus producere creaturas formavit et fecundavit aquam. Ex hac aqua fecunda ortura est ovum pulcherrimum, elucens sicut sol, et in eo natus ac clausus est Brahma, pater omnium gentium. Postquam hic mansit in ovo per annum, id est, per 4.320 milliones annorum actualium, sola cogitatione scindit ovum in duas partes, quarum una caelum, altera formavit terram.

5) Aliarum gentium cosmogoniae sunt omnino similes praecedentibus. Legenda de ovo fecundo invenitur apud sinenses, japonenses, persas, etc. Cfr. Meignan, *Le monde et l'homme primitif.*

4 Cfr. Meignan, Le *monde et l'homme primitif,* p. 10.

Ratio analogiae. Non conveniunt doctores in explicandis rationibus hujus analogiae seu affinitatis.

1) *'Nonnulli* putant cosmogonias gentium depromptas esse ex S. Scriptura. Sed haec opinio, licet probabilis sit quoad aliquam narrationem, de cujus aetate non constat, quoad cosmogoniam babyloniorum et assyriorum, quae ex sententia eruditorum jam ab anno 2000 ante Christum, id est, 500 a. ante Genesim, exsistebat, probabilitate caret.

2) *Alii e* contra docent cosmogoniam mosaicam depromptam esse ex narrationibus et mythis populorum gentilium, praesertim babyloniorum, assyriorum, phoenicum et aegyptiorum, in quantum hagiographus cosmogoniam assyriorum et babyloniorum ad phoenices et aegyptios translatam accepit, ab erroribus polytheismi purgavit, et ad docendum dogma de Deo Creatore inculcanchimque requiem hebdomadalem in libro *Geneseos* proposuit. Ita *plures protestantes* [1], *modernistae* [2] *et aliqui catholici.*

Haec theoria omnino rejicienda est, quia a) videtur adversari doctrinae commissionis de re biblica, 30 Junii 1.909 ad 2; b) in cosmogoniis gentium docetur polytheismus, in Genesi vero monotheismus; c) Genesis est ab omni errore historico, physico, astronomico, geologico, etc., immunis, non vero narrationes gentium; d) in cosmogonia mosaica docentur veritates non contentae in cosmogoniis gentium, ut creatio mundi ex nihilo; e) in cosmogoniis gentium mundus est dignior ipso auctore, dum in narratione mosaica Deus est majestate, potentia, sapientia. etc., superior universo [3]; f) narrationes gentium adserunt deos ex materia oriri, dum cosmogonia mosaica supponit Deum esse increatum [4].

3) Verior sententia docet affinitates inter cosmogonias gentium et mosaicam venire ab uno fonte communi, a revelatione, scilicet, primitiva Adamo et patriarchis legis naturae a Deo facta [5]. Etenim a) nequeunt alio modo explicari analogiae, quae inter cosmogonias omnium populorum conspiciuntur; b) cosmogoniae gentium, non obstantibus analogiis, quibus conveniunt, continent plures et substantiales discrepantias, quae innuunt communem fontem corruptum fuisse a populis juxta conditionem, culturam et statum proprium uniuscujusque.

Revelationem primitivam ab omni errore immunem hagiographus, Deo inspirante, excogitavit, ut veritates religiosas et narrationem populis traderet.

An Moyses cognoverit et prae oculis habuerit narrationes, mythos

1 Gunkel, *Genesis,* 115: Zimmern, *Kèilinschriften,* 489; Drapper, *Historia de los Conflictos* (hisp. vers.), c. 8.

2 Loisy, *Les mythes babyloniens et les premiers chapitres de la Genèse* (Paris, 1901); Minocchi, *La Genesi,* p. 16 sqq. (Firenze, 1907),

3 Cfr. Donoso Cortés, *Bosqucjos hist, jilos.,* 2.°, t. 3.

4 Apposite ad rem P. Brücker: «Pour affirmer, que ce qu'on a appelé très improprement la Genèse chaldéenne, est l'original ou le prototype de la Genèse hébraïque, il faut n'avoir jamais lu sérieusement ni l'une ni l'autre». *Études religieuses,* 1890, t. 49, p. 465.

5 Cfr. Hettinger, *Apologia del cristianismo* (hisp. vers.), conferentia 22.

fabulasque gentium in conscribendo *Genesi,* non constat, quia chronologiàe harum narrationum obscurissimae sunt. Potuit sane eas in scriptis vel orali traditione contentas cognoscere, et probabile est eas cognovisse, imo et adhibuisse qua documenta antiqua, et ad verbum vel quoad substantiam, contractas vel amplificatas, inseruisse[1] dummodo sub divinae inspirationis afflatu puram revelationem primitivam sine errore selegerit ac retinuerit.

Tenendum ergo est Moysem sub divina inspiratione composuisse suam cosmogoniam et hexaëmcron, in eisque non solum tradidisse ideas religiosas de creatione rerum a Deo et institutione sabbati, sed etiam texisse historiam creationis, formationis et ornatus mundi, quin ullum errorem doceret contra historiam vel scientias naturales.

§ 2

De opere creationis, formationis atque ornatus.

683. I. *Distinctio valde necessaria.* S. Scriptura satis innuit, et scientiarum naturalium periti saepe confirmant, triplex genus operis in cosmogonia et hexaemero biblico distingui: 1) *opus creationis,* cum dicitur: *In principio creavit Deus caelum et terram*[2]; 2) *opus distinctionis* (formationis) per tres dies, quibus caelum et terra perfecta sunt; 3) *opus ornatus* per alios tres dies, quibus caelum et terra decorata dicuntur[3]. His accedit requies, quae durat a die septimo.

Opus creationis. Quantum ad opus creationis nullus apparet conflictus inter Bibliam et scientias naturales. Omnia esse a Deo ex nihilo condita affirmat Biblia et concedere debent scientiarum naturalium cultores, si relictis, uti decet, praeoccupationibus et falsis theoriis, nitantur solidis principiis scientiam colere.

Opus formationis et ornatus. Quantum ad opus formationis et ornatus multiplici modo impugnata est narratio biblica a cultoribus scientiarum naturalium. Videndum est hic breviter quid teneant scientiae naturales et quid doceat Biblia circa hanc quaestionem, ut deinde securius tradantur regulae conciliationis.

684. II. *Scientiae naturales circa formationem et ornatum mundi.* Nihil antiquius fuit homini quam quaerere origines rerum et praesertim principium mundi.

1) *Plures antiqui philosophi,* ut *Anaximander, Anaximenes, Diogenes, Heraclitus, Empedocles* et alii, putabant materiam quamdam informem,-aquam, aërem, etc., esse aeternam ac increatam, et ex ea per motum vibratorium modificata formatum esse mundum[4].

Haec theoria est absurda, quia vera scientia cosmologica recte probat nihil esse increatum nisi Deum.

1 *Commissio ile re biblica,* 27 Junii 1906, dub. 3; Denz-Bannw., 1999. Cfr. *Theol. fund..,* n. 181 sq.

2 *Gen.,* 1, i.

3 Cfr. S. Thomas, *1 p.,* q. 65 in princip.

4 Cfr Balmos, *Historia de la Filosofta,* n. 24 sqq.

2) *Plures philosophi, pudaei et christiani, ac nonnulli SS. Patres* docuerunt Deum creasse omnia simul, prout nunc conspicimus in mundo. Ita *Philo* 1, *Clemens alexandrinus* 2, S. *Athanasius* 3. Suam sententiam fundant in S. Scriptura, quae ait: *In principio creavit Deus caelum et terram* 4;* et: *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul* 5.

3) *Sententia inter antiquos scholasticos satis communis* docuit Deum creasse, formasse et ornasse rerum universitatem sex dierum naturalium spatio. Juxta hanc opinionem, in primo versiculo *Geneseos* non significatur opus aliquod peculiare Dei. sed annuntiatur in genere Deum esse creatorem; et postea per sex dies continuos describuntur creationes, formationes et ornatus rerum in particulari. Unde omnia et singula, statim ac creata, fuerunt perfecta et decorata 6.

4) *Hodierni scientiarum naturalium cultores* aliter procedunt. Scientiae naturales, quae cum cosmogonia intime connectuntur, sunt praesertim astronomia, physica, chimia, geologia et palaeontologia, quae in materiis cosmogonicis nos ducunt ad conclusiones apparenter contrarias S. Scripturae, et satis ostendunt mundum habere originem communem cum sole, et per successivas evolutiones esse formatum et ornatum.

a) Astronomi imprimis et physici observant lunam inveniri in statu solido immobili, terram in statu solido mobili, solem et multas stellas in statu fluido, et alia corpora caelestia in statu aëriformi. Hoc autem probare videtur omnia fuisse a Deo creata in statu informi, et successive devenisse vel tendere ad perfectionem.

b) Item novimus ex astronomia omnes planetas habere euindem cursum elipticum in eadem planitie circa solem, motuque rotationis verti circa proprium axem ex occidente ad orientem ad modum solis, exceptis satellitibus Urani et Neptuni; imo eaedem substantiae simplices videntur reperiri in sole et luna, ut ex analysi spectrali circa solem deducunt astronomi. Hoc autem probat omnes planetas, non excepta terra, habere originem communem ex sole, qui eas simul sumptas magnitudine sexies centies excedit. Ingens autem temporis spatium requirebatur, ut terra ex statu fluido et aëriformi solis ad hodiernum statum perveniret.

c) Juxta experimenta geolbgorum cortex telluris constat variis stratis altissimis, azoico, palaeozoico, mesozoico 7, etc., quae maxima ex parte formata sunt ex diversis sedimentis massarum coagmentatis sub oceanis primitivis, ut certe colligitur ex bitumine, fossilibus, etc., quae in eis abundant. Porro ut strata 20.000 m. coagmentarentur ex secre-

1 Apud Corluy, *Spicilegium dogm. bibi.,* v. i, p. 175 (1884).

- *Stromat.,* 6, 16; MG 9, 376.

3 Orat. 2 contra arianos; MG 26, 275. Juxta Banez, *II-II,* q. 74, a. 3, Melchior Canus dicere consuevit Deum creasse omnia corpora simplicia simul in uno instanti, et omnia composita successive una die.

4 *Gen.,* i, i.

6 *Eccli.,* 18, i.

n Cfr. Peiavius, *De opif. sex dierum,* lib. 1. c. 2, n. 10.

7 Strata azoica alicubi dicuntur habere altitudinem 20.000 met., palaeozoica 15.000 m., mesozoica 1.000 m. Cfr. P. Modio, *Cuesliones cosmogdnicus.* part 2, § 18.

tione materiarum, quas aquae deponunt, requiritur longissimum temporis spatium.

685. III. *Theoria laplaciana. Laplace,* his observationibus et experimentis innixus, vestigiaque *Kant* 1 atque *Herschel* partim sequutus, excogitavit celebrem theoriam, quae ab ejus nomine vocatur laplaciana, et aliquantulum modificata sustinetur etiam hodie a summis astronomis et geologis 2.

Juxta hanc theoriam, a) in principio fuit materia seu massa quaedam calida, tenuissima, quae appellata est nebulosa 3, extensa per totum spatium, ubi nunc inveniuntur planetae 45 Huic materiae indidit Deus vel motum rotationis, ex quo provenit attractio, vel energiam ac vim, per quam materiae convenit attractio ®. b) Haec materia coepit in centro moveri, et communicato motu ad totam nebulosam, paulatim contracta est versus centrum secundum leges attractionis, accipiendo statum liquido igneum, c) Condensata materia, motus rotationis ita auxit, ut tandem, secundum leges motus centrifugi, annuli exteriores materiae avulsi fuerint a massa communi, quae est sol actualis, centrum totius systematis solaris, d) Annuli separati volitantes per aera motu rotationis et translationis, vicissim contracti sunt et constituerunt globos (planetas), e) Ex planetis circa solem volitantibus separati sunt iterum annuli exteriores, qui itidem circa proprium planctam celerrime volitantes condensati sunt, et vocantur satellites, f) Omnes hi globi erant ignei in principio, sicut sol, ex quo processerunt 6, sed tractu temporis amiserunt calorem et consolidati sunt7.

Terra, quam inhabitamus, non est nisi unus ex illis annulis avulsis

1 *Allgemeine Naturgeschichte und Theorie des Himmels,* 1755.

2 Cfr. Guibert, *Les origines,* ch. 1.

3 Haec materia, juxta aliquos, erat 400 millionum vicibus tenuior quam aër. qui continetur in tubis Crookes. In uno miriametro cubico vacui Crookes continentur 1.293.000 lc.il., dum volumen miriametri nebulosae primitivae non excedebat pondus 3 grammatum.

4 In hac theoria admittendum est nebulosam aëriformem, quidquid tandem sit, esse a Deo creatam, ut videbimus infra.

5 Mechanistae docent motum esse inditum materiae primitivae per modum impulsionis exterioris, qua provenit ei attractio; dinamistae vero volunt motum esse inditum materiae per modum expansionis et energiae, qua inhaeret materiae vis attractionis. Cfr. Farges, *L'idée de Dieu,* p. 65 sqq. (5-me ed.).

6 Difficile admodum est determinare gradus caloris horum planetarum. Aliqui astronomi et physici putant calorem solis in superficie esse 6.000 vel etiam 10.000 graduum. P. Secchi existimavit ca'orem solis in principio ascendisse ad novem milliones graduum. Haec intensitas caloris recepta in immensa massa solari constituit ingentem focum caloriarum, quae ad nos mittuntur. Calor, qui a sole emittitur in mundum, est omni calculo superior. Cfr. P. Medio, *Cuestiones cosmo-Igônicas,* p. 2, § 3.

7 D. Faye, *Sur l'origine du monde,* chch. 10-13, approbavit quidem hoc systema in lineis generalibus, sed in quibusdam modificandum putavit. Juxta Faye, 1) nebulosa primitiva erat frigida, et calor provenit ex astrorum condensatione. 2) Planetae non sunt annuli separati a nebulosa jam condensata, sed astra contracta independenter ab astro centrali; id est, nebulosa primitiva, antequam sol condensaretur, in diversis regionibus incepit partialiter moveri. In singulis centris horum motuum partialium incepit contractio, quae sibi attrahendo materias proximas nebulosae, crevit et constituit planetas totumque systema planetarium. *Sur l'origine du monde,* p. 270 sqq.

a massa centrali, per attractionem contractus, et paulatim refrigeratus. Annulus hic, *a)* usque dum separaretur a massa communi nebulosae, fuit in statu cosmogonico. *b)* A massa communi semel separatus, induit successive formam nebulosae annularis, stellae nebulosae, stellae micantis, stellae variabilis, ac tandem stellae extinctae, quando ejus crusta seu cortex exterior per successivam refrigerationem magnasque perturbationes sufficienter consolidata est, ut contineret aquas. Ad hoc requirunt aliqui 33 milliones annorum (aetas helio-geogenica) 1. *c)* Tunc omnino cooperta est aquis collectis ex atmosphaera, et incepit aetas geologica, quae complectitur formationem terrae ex sedimentis relictis sub oceanis aquarum. Inde veniunt strata, quae diversimode vocantur ex diversitate materiarum relictarum ab aquis in multis locis, epochis, etc. Sunt nimirum strata *azoica. palaeozoica, mesozoica, kaenozoica,* et *antropica.*

a) *Strata azoica* nullum exhibent vestigium vitae et componuntur maxime rupibus graniticis ac crystallisatis, atque graphito, bitumine, etc.

β) *Palaeozoica.*

(Terrena primaria) quae dividuntur in	*Catnbrica,*	cum algis et animalibus invertebratis marinis.
	Silnrica,	cum piscibus, animalibus marinis trilobitis, etc.
	Devonica,	(a provincia Angliae *Devonshire),* quae continent 5.000 specierum animalium et 300 piscium.
	Carboniea,	in quibus abundant carbones, et apparent araneae, scorpiones, locustae, reptilia, etc.
	Pernica,	(a Pemia Russiae), quae continent 300 species animalium jam contentorum in stratis praecedentibus, et exhibent primos saurios, atque ingentes plantas (filices, calamitas, coniferos).

γ) *Mesozoica.*

(Terrena secundaria) quae dividuntur in	*Triassica,*	in quibus inveniuntur 1.300 species animalium, praesertim conchifera, batrachii, saurii, apparent aves primaque mammalia, necnon oroontozon gigantum.
	Jurassica,	(a monte Jura), in quibus abundant saurii, et aliorum animalium ad numerum 5.000.
	Cretacea,	quae continent 5.500 species animalium, et ex plantis magnum numerum dicotylearum.

1 Centrum terrae, juxta neptunistas, est solidum, juxta vulcanistas, liquidum vel igneum.

δ) *Kaenozoica.*

(Terrena tertiaria) quae continent 1.700 species animalium et plura mammalia praegrandia, ut mastodontes, rhinocerontes, equos, sues, cervos, etc.; item simias, reptilia, etc.; ex plantis, palmas, ficus, cypressos, platanos, etc. In fine hujus periodi creditur advenisse tempus glaciale et diluvium permagnum.

s) *Antropica.*

(Terrena quaternaria) formata sunt in epochis diluviana, alluviana, etc. Apparuerunt in eis species actuales animalium et aliae. Succedit tempus glaciale cum magnis inundationibus, in quo perierunt plures species animalium, ut ursus speloeus. Apparuit denique homo.

Admodum difficile est determinare quantum temporis fuerit necessarium ad refrigerandam nebulosam et formanda strata geologica, quae recensuimus, quia nos latent conditiones atmosphaerae, terrae, aquarum, etc., sed probabilissime adseri potest longa temporum spatia transiisse. *Braun*[1] exigit 33 milliones annorum pro terrae consolidatione, 25 milliones pro epocha azoica, 20 milliones pro formatione palaeozoica, 12 milliones pro periodis meso et kaenozoica.

686. IV. *Biblia et opus formationis ac ornatus mundi.* Moyses, stabilito opere creationis et declarato statu telluris, subtexuit schema formationis et ornatus in hexaemeron por singulos dies.

Die ι.'Λ, producitur lux, quae dividitur a tenebris, et ambae constituunt diei noctisque vicissitudinem. Lux erat admodum tenuis propter densitatem liquidi ac vaporis.

Die 2.&, expanditur firmamentum in medio aquarum, quod dmdit aquas superiores ab aquis inferioribus, id est, statuitur spatium (expansum), quod separat corpora caelestia a terra, quae erant in statu fluido[2].

Die j.a, consolidato hoc universo, congregatae sunt aquae inferiores in unum locum, et constituta sunt maria, adeo ut apparuerit aridum, terra, quae protulit herbam virentem et omnis generis arbores. Hactenus formatio caeli et terrae[3].

Die 4A, fiunt luminaria et stellae, id est, sol et luna ac sidera in caelo, ut praesint diei noctique, et dividant lucem ac tenebras[4].

Die 5,a, producuntur pisces in maribus et volatilia in spatio (in firmamento-expanso).

1 *Cosmogonie,* 1905.

2 Cfr. Seoohi, *Grand, del creato,* discorso ι.°.

3 Cfr. S. Thomas, *I p.,* q. 69, a. 2 ad i. Plures auctores volunt herbam virentem atque arbores pertinere ad ornatum mundi, ac idcirco ad epochas posteriores.

1 Corpora caelestia dicuntur hic facta, non quidem absolute, quia jam a principio exsistebant, sed quatenus sunt complementum et ornatus terrae. Cfr. Zotorino GonzMoz, *l.a Hiblia,* tom I, p 334 sq

Die 6.A, ornatur terra productione omnium animalium et hominis. Opus *ornatus.*

Die 7, quiescit Dominus ab omni opere.

Opus *formationis,* quod completur diebus 1.a, 2.a et 3,a, exprimit S. Scriptura his verbis: *Perfecti sunt caeli el terra* x, id est. lux, spatium, maria et terra cum herbis virentibus et arboribus. Opus vero *ornatus* exprimit dicens: *et omnis ornatus eorum* [2] [3] id est, exercitus eorum; exercitus caeli sunt corpora caelestia; exercitus aquarum et aëris, pisces ac volatilia; atque exercitus terrae, animalia et homines8.

En illud celebre hexaëmeron mosaicum, quod strenue impugnarunt plures rationalistae ac increduli, pulchram mirabilemque paginam vocavit *Renan i,* centenis ac millenis commentariis illustrarunt catholici, et constituit partem praecipuam historiae revelatae.

Hoc hexaëmeron est a Deo revelatum vel non. Si *primum,* veram historiam narrat atque exponit, quia revelatio Dei tam necessario excludit et respuit errorem «quam necessarium est Deum, summam veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse»5. Si *secundum,* quomodo potuit Moyses, quando omnes cosmogoniae gentium materialismo, politheismo, pantheismo theoriisque absurdis scatebant, excogitare cosinogoniam, in qua jura Dei Creatoris mirabiliter componuntur cum progressibus hodiernis scientiarum?

§ 3

Systemata conciliationis Bibliae cum scientiis naturalibus.

687. Postulata scientiarum naturalium et narratio biblica videntur prima facie inter se opponi, sed, si profundius examinentur, offerunt fundamenta perfectae conciliationis, quae diversimode exposita sunt a doctoribus. Cum larga interpretatio in hac materia facile admitti possit, nihil obstat, quominus defendatur quaelibet explicatio, dummodo 1) apta sit ad conciliandam historiam biblicam cum scientiis naturalibus, et 2) nullatenus noceat veritati ac inerrantiae S. Scripturae. Breviter hic de singulis theoriis.

688. I. *Interpretatio litteralis antiqua.* Nonnulli, etiam moderni, sententiam plurium SS. Patrum et scholasticorum sequuti, volunt dies hexaemeron esse dies naturales 24 horarum. Rationem ponunt, quia nefas est a sensu obvio S. Scripturae recedere sine vera necessitate. Postulata autem scientiarum explicari possunt partim per interventum divinum, partim per diluvium aliasque revolutiones terrae, quae 6.000 annorum spatio advenerunt. Ita plures SS. Patres, praesertim antiocheni

1 *Gen.,* 2, i.

2 *Gen.,* 2. i.

3 Displicet quibusdam auctoribus nomine exercitus significari corpora caelestia. pisces, animalia et homines. Cfr. Lagrange, *Revue biblique,* 1896, p. 388.

4 *Hist, dii peuple d'Israel,* t. 3, p. 385 sqq

5 Leo XIII, encyclica *Providentissimus.* Cfr. Denz-Bannw., 1951

et latini, plerique scholastici, et ex recentioribus *Sorignet*[1], *Knoll*[2], *Gatti*[3], *P. Laurent*[4], *Mazzella*[5], *P. Ezechiel*[6], et alii.

Gravissimae difficultates huic explicationi opponuntur: 1) *Astronomia* nos docet stellarum lucem non potuisse brevi temporis spatio ad terram pervenire, ut luceret diebus hexaemeron. 2) *Contra physicae leges* requireretur motus velocissimus aquarum, ut una die naturali 24 horarum congregarentur in uno loco. 3) *Stratigraphia et palaeontologia* exhibent nobis strata telluris quasi plicata atque parallela, et in eis innumera fossilia tum anorganica, ut guttas aquae, tum vegetalia, ut algas, polypodia, aliaque arbustorum atque arborum genera, tum praesertim animalia, ut avium vestigia, piscium spinas et squamas, animalia petrificata cum stomacho pleno reliquiis ciborum, vel etiam cum ventre fecundo prole. Haec omnia certissime arguunt successivam formationem tum systematis solaris tum stratorum telluris per longissimum temporis spatium.

Recursus ad miraculum non videtur admittendus, quia 1) «in prima institutione naturae, inquit *Angelicus*[7], non quaeritur miraculum, sed quid natura rerum habeat, ut *Augustinus* dicit. *De Genesi ad litt.,* lib. 2, e. 1». 2) Ad quid fecerit et reliquerit Deus in prima creatione vestigia avium et animalium, quae nunquam exstiterunt, impressa in visceribus terrae? Ad quid signa certissima depositi et sedimentationis aquarum, ubi nunquam fuerunt aquae? Ad quid creaverit Deus compages ossium animalium cum reliquiis escarum in stomacho et cum prole in ventre? Ad quid, uno Verbo, creaverit plantas et animalia in statu fossili? Potuit quidem Deus haec omnia facere, quia omnipotens est, sed, attenta ejus sapientia, non videtur voluisse creare cadavera, quia hoc esset decipere homines[8].

Neque per theoriam diluvialem explicari possunt adventus fere subitaneus lucis astrorum ad terram, congregatio velocissima aquarum in unum locum, et formationes stratigraphicae ac palaeontologicae in visceribus terrae. Dato enim quod diluvium fuerit geographice universale, admitti nequit transformationem adeo radicalem totius massae terrestris, ut nobis exhibent strata telluris, advenisse ex inundatione aquarum, quae non duravit per annum. Praeterea, si formatio stratorum telluris et fossilium deberetur diluvio et perturbationibus inde obvenientibus, non daretur distinctio inter terrena primaria et secundaria, etc., omnes formationes palaeontologicae essent contemporaneae, et fossilia animalium, trilobitum, volucrum, mammalium et hominum promi-

1 *Géologie de la Bible,* 1854.

2 *Instit. theol. theor.,* part. 2, §§ 147-148.

3 *Institutiones apologetico-polemicae,* 1867.

4 *Études géologiques, philosophiques et scripturales sur la cosmogonie de Moïse.* Paris. 1863.

5 *De Deo creante,* n. 245. Adscrit cam «videri etiam theologice probabiliorem».

6 *De Deo creante et gubernante,* praei. 28, prop. 3.

7 *I P.,* q. 67, a 4 ad 3. Vid. *II Sent.,* dist. 13, a. 4 ad 3.

8 Cfr. Jaugoy, *Diccionario apolog.* (hisp. vers), art. «Dias del Genesis»; Schanz, *Apologla,* part 1. c 16, n. 14; Guibort, *Origines,* p. 25; Arintero, *El Hexameron y la lieniia moderna.* c. 2; Holzonauer, *Theol bibl.,* 1. § 43; Rodriguez, *Apologética,* c. 0.

scue invenirentur in omnibus stratis terrae, quod experientiae adversatur.

689. II. *Theoria restitutionis.* Aliqui viri eruditi, difficultatibus, quae interpretationi litterali 24 horarum opponebantur victi, excogitarunt aliam theoriam vere ingeniosam. Dixerunt 1) Deum in principio creasse materiam informem, ut supponunt geologi. Ex hac materia informi per successivas et longissimas evolutiones formata sunt omnia phaenomena cosmogonica et geologica, quae descripsimus supra, usque ad finem periodi tertiariae, et annuntiantur in primo versu *Geneseos: In principio creavit Deus caelum et terram* [1]. 2) In fine periodi kaenozoicae seu tertiariae venit ingens cataclysmus, in quo transformata est facies terrae, destructa sunt omnia viventia, mundusque reductus est ad statum chaoticum, qui describitur in versu 2 his verbis: *Terra autem erat inanis et vacua, et tenebrae erant super faciem abyssi.* 3) Volens autem Deus restaurare mundum, effecit opera formationis et ornatus spatio sex dierum naturalium 24 horarum, quae pertinent ad epocham quaternariam. Unde strata diversi generis et fossilia, quae inventa sunt a geologis in visceribus terrae, formata sunt ante dies genesiacos et ante memoratum cataclysmum, id est, in spatio temporis longissimo, quod supponitur transactum ante statum chaoticum, cujus meminit versus secundus. Ita *Bucland* [2], *Wiseman* [3], *Westermayer* [4] et alii.

Haec ingeniosa theoria non paucas offert utilitates. Salvat siquidem sensum obvium DV, conservat characterem historicum hexaëmeron, et facile solvit plerasque difficultates a scientiis naturalibus petitas. Relinquitur tamen ab auctoribus, quia a) gratis et absque ullo fundamento positivo supponit regnum vegetale et animale in primo versu perfectum in secundo fuisse destructum; b) nequit satisfacere difficultatibus astronomicis, quia, si in primo versu supponitur systema solare perfectum, quamvis advenerit cataclysmus et universalis terrae perturbatio, non cessarunt astra mittere radios in universum, et non intelligitur in secundo versu post cataclysmum terram fuisse chaoticam et tenebras fuisse super faciem abyssi; c) contextus S. Scripturae innuit in secundo versu describi terram in eo statu, quo fuit in primo versu, id est, in stqtu primitivo materiae nondum formatae potius quam in statu materiae destructae.

690. III. *Theoria positivo-negativa* seu *creationis potentialis.* Cl. *P. Honoratus dei Val,* O. S. A., excogitavit aliud systema [5]. Putat cl. Pater sensum litteralem dierum 24 horarum posse conciliari cum conclusionibus scientiarum: 1) Statuit imprimis Deum in principio creasse materiam informem cum potentia receptiva formarum omnium, quae juxta theoriam laplacianam post longissimas evolutiones constituit hunc orbem, adeo ut dies genesiaci non coeperint decurrere usque dum terra esset perfecte condensata. 2) Deus per sex dies naturales 24 horarum

1 *Gen.,* i, i.
2 *Geology and Mineralogy,* vol. i, c. 2.
3 *Lectures on the connection hetwen science,* I. 5.
4 *Das Alte Testament und seine Bedentung.*
5 *De Deo creante,* n. 75 sqq.

•commisit naturae omnia, quae narrantur in hexaëmeron, id est, inchoavit sex creationes potentiates omnium rerum per longam temporis durationem evolvendas. 3) Natura dein post longissimum temporis spatium evoluta est, et formavit omnia strata geologica ratione potentiae receptivae formarum, plantas et animalia virtute rationum seminalium sibi commissarum eo ordine, quo ad singula disponebatur, incipiendo ab imperfectioribus et transeundo ad perfectiora, ac tandem corpus humanum, cui Deus indidit animain, non proprie ut creator, sed ut administrator naturae, quemadmodum creat animas quotidie post diem septimum.

Hoc systema, principiis S. Augustini innixum, plures habet commoditates. Conservat enim propriam significationem d p, et occurrit satis bene difficultatibus ortis ex scientiis naturalibus. Attamen non videtur cohaerere cum contextu S. Scripturae. Deus enim dicitur contemplasse post singulos dies ea, quae fecerat, et erant valde bona. Hoc certe innuit Deum complevisse et actu produxisse opera unius diei, antequam efficeret opera alterius diei, et sic successive.

691. IV. *Theoria de diebus -periodis* seu *periodica concordisla.* Plurimi Scriptores docent dies genesiacos non esse rotationes terrae per 24 horas sed periodos longissimae durationis. Vox hebraica d v dies, in sensu litterali significat quidem spatium 24 horarum et non periodum, ut recte animadvertit *Reusch* x, sed metaphorice saepe designat tempus indefinitum, ut: *In die, quo jecit Dominus Deus caelum et terram 2.—Praevenerunt me in die afflictionis meae3.*— *Ut videret diem meum* Porro plures rationes suadent, ut in hexaëmeron accipiamus vocem *yôm* pro periodo. 1) Quia in lingua hebraica non habetur nisi vocabulum *yôm* ad designandum diem et epocham 5. 2) Dies septimus, cujus vespere nondum advenit, in eodem contextu est majoris durationis. Unde a pari dies praecedentes hexaemeron accipiuntur pro longa duratione temporis indeterminati. Consequenter *mane* (^pz -boker) et *vespere (ώρί* -hereb) significant initium et finem periodi vel etiam operis 6. eodem modo ac in illo loco *Geneseos: Benjamin lupus rapax, mane comedet praedam, et vespere dividet spolia* 7. Ita ex modernis *Pianciani, Palmieri, Corluy, Pesch (Tilm.), Vigoureux, Joan. d'Estienne, Meignan, Mendive, Camara, Vigil, Mir, Lahousse,* aliique innumeri theologi, exegetae ac geologi 8.

1 *La bible et la nature,* § 11.

2 *Gen.,* 2, 4.

3 *Ps.* 17, 19.

1 *Joan.,* 8, 56. Cfr. ad rem Banez, *In I p.,* q. 73, a. 1; et q. 74, a. 2.

6 Cfr. Vigoureux, *Man. biblique,* vol. I, n. 267; et Perujo, *Diccionario de ciendas ecl., v.* «Dias de la creaciôn», 2.® opiniôn.

0 Ita haec vocabula interpretati sunt S. Augustinus, *De Gen. ad lilt., liber imperfectus,* c. 7; ML 34, 231; et *De Gen. ad liti.,* lib. 4, c. 1; ML 34, 295; et S. Beda, *De sex dierum creat.,* die. I.·; ML 93, 210, et *Comment. Pent.,* Gen., c. 1; ML 91, 194.

7 *Gen.,* 49, 27.

8 Pianciani, *In historiam creationis mosaicam commentatio;* Palmieri, *De Deo creante,* th (6; Corluy, *Spicilegium,* t. 1, p. 185 sqq.; Pesch, *Instit. phil.,* lib. 3, disp. i, sect. 2; Vigoureux, *Manuel Bibi.,* t. i, η. 267 sq.; *J. d'Estienne, Comment s'est formé l'univers;* Meignan, *Le monde et l'homme primitif;* Mendive, *La Religiôn catôlica,* ‹. 15; CAniara, *Contcstacidn a Drapper;* Vigil, *La creaciôn, la redencuSn,* etc., lib. 1,1 1, § 6; Mlr (Juan), *La crcacitfn,* c. 6; Lahousse, *De Deo créante,* p. 1, c. 2, § 2.

Non omnes concordistae conveniunt in explicanda hac theoria: 1) *Nonnulli* contendunt concordiam esse completam inter strata terrae et dies epochas, adeo ut strata azoica et terrena primaria correspondeant adamussim primis quatuor diebus, terrena secundaria quintae diei, et terrena tertiaria ac quaternaria sextae diei. *2) Alii,* e contra, ex investigationibus geologicis concludendum censuerunt fossilia non pauca plantarum et animalium, quae juxta S. Scripturam pertinent ad unam diem periodum, inveniri in terrenis correspondentibus ad aliam periodum, et inde voluerunt praefatam concordiam inter strata terrae et dies epochas reducendam esse ad quaedam lineamenta principaliora, adeo ut dies periodi nominentur ex fossilibus materiisque praedominantibus ac florentibus in singulis stratis, quamvis aliqua fossilia ejusdem familiae reperiri contingat in stratis antiquioribus. 3) *Alii,* admissa theoria periodistica, et visis in ea fossilibus materiisque ad diversas familias correspondentibus, dixerunt hagiographum non retulisse ordinem formationis rerum chronologice, sed exhibuisse res psychologice ac idealiter ordinatas, adeo ut retulerit in una epocha plantas et animalia similitudinem inter se habentia, quamvis revera chronologice ad alias epochas pertinuerint, sicut saepe historiographus refert in uno saeculo facta relationem inter se habentia, quamvis contigerint in alio saeculo.

a) Theoria periodico-concordista, quatenus statuit harmoniam perfectam inter dies periodos et diversa strata in visceribus terrae inventa, admitti nequit, quia, ut notum est, fossilia plantarum et animalium, quae in Genesi dicuntur uno die producta, reperiuntur in stratis, quae formata sunt diebus seu periodis anterioribus, b) Eadem theoria, quatenus statuit concordiam inter dies periodos et strata terrae in lineamentis tantummodo principalioribus, gaudet magna probabilitate, non solum extrinseca propter auctoritatem plurimorum scriptorum, qui eam defendunt, verum etiam intrinseca propter vim rationum, quibus innititur. Vereor tamen ne harmonia et concordia inter dies hexaëmericos et strata geologica terrae sit nimis imperfecta et vaga, ut offerat solidum fundamentum conciliationis inter Bibliam et scientias naturales.

c) Theoriam de diebus periodis defendendam suscipiam inferius, non quatenus ponit concordiam inter periodos et ordinem stratorum terrae, nequidem quoad lineamenta principaliora, sed quatenus sex diebus referuntur ab auctore opera idealiter ordinata.

692. V. *Interpretatio metaphorica seu litteralis translata.* Juxta S. *Augustinum*[1] Deus omnia simul creavit, non quidem in statu perfecto sed in statu initiali et informi, quatenus primaevis elementis contulit virtutem sese evolvendi et ratjoncs seminales, ut producerent viventia. Cuncta tamen opera distributa sunt ab hagiographo in sex classes, et dicuntur producta sex diebus denominatione sumpta ab angelica visione, quae proprie et vere nominari potest dies, ex eo quoa lux, causa diei, proprie in spiritualibus inveniatur. Quare «per diem intelli-

[1] *De Gen. ad litteram,* lib. 4, cc. 22-34; ML 34, 311 sqq.; *De civ. Dei,* lib. 11. c. 7; ML 41, 322, et alibi saepe.

gitur cognitio mentis angelicae, ut sic primus dies sit cognitio primi divini operis; secundus dies cognitio secundi operis; et sic de aliis...» «Et sic distinguitur dies secundum naturalem ordinem rerum cognitarum, non secundum successionem cognitionis, aut secundum successionem productionis rerum» [1]. *Vespere* autem et *mane* distinguuntur, quatenus angelus cognoscit objecta respective in rerum natura vel in Verbo. Ita Doctor hipponensis.

Haec interpretatio certe probat S. *Augustinum* praeditum esse potentissimo ingenio, cui maxime gloriae vertendum est, quod jam a saeculo quinto eamdem in substantia adumbraverit theoriam, quam recentiores post multos labores et ope scientiarum naturalium invenerunt [2]. S. *Augustinus* non parum illustravit apologiam biblicam, et forte impedivit ne interpretatio vulgaris evaderet in scholis obligatoria [3]. Liberum fuit exinde studiosis textum *Geneseos* large interpretari, et Ecclesia facile se accommodavit progressui scientiarum naturalium. Doctoris hipponensis vestigia sequuti sunt auctores, si numero non plures, at certe pondere gravissimi, ut sunt S. *Prosper de Aquitania* [4] S. *Isidorus hispal.* [5] [6] *Eucherius lugd.* [6], *Cassiodorus* [7], et alii. *Angelicus Doctor* in libro secundo *Sententiarum Augustinum* sequutus est [8] [9] et in *Summa* anceps permansit [9]. Eidem subscripserunt S. *Albertus M.* [10] [11] *Aegidius* *Cajetanus* [12], *Cano* [13] et alii.

Haec distinctio sex dierum *Geneseos* secundum ordinem rerum cognitarum ab angelis, relinquitur hodie a theologis, ea potissimum ratione, quod non videtur deprompta ex littera sacri textus.

693. VI. *Theoria idealis. Philo alexandrinus* [14] (vel juxta alios *Aristobulus,* 150 a. Chr.), fuit auctor interpretationis idealisticae, quam deinde secuti sunt *Clemens alex.* [15] *Origenes* [16], S. *Athanasius* [17], et tota fere schola alexandrina, atque ex Capadocia S. *Gregorius nyssenus* [18]. Ex recentioribus plures diversimode intellexerunt et amplexati sunt.

Juxta hanc theoriam, Deus omnia simul creavit, sed hagiographus divisit opus Dei in sex momenta logica, quae appellavit *dies,* vel 1) *allegoriae,* ut veritatem creationis rudi populo melius explicaret ac inculca-

1 S. Thomas, *I p.,* q. 74, a. 2.
2 Cfr. P. Joachim Alvarez a Jesu, *Led. phil.,* vol. 2, p. 274.
3 Cfr. Honoratus dei Val, *De Deo creante,* n. 56.
4 *Liber Sentent, ex S. Augustino,* 145; ML 51, 447.
5 *Quaest. in Gen., c.* 1; ML 83, 209.
6 *Comment, in Gen.;* ML 50, 893.
7 *De instit. div. litt.,* c. 1; ML 70, 1110.
8 *II Sent.,* dist. 12, a. 2.
9 *I p.,* q. 74, a. 2.
10 *Summa theol.,* p. 2, q. 14, membro 3, a. 2, particula 2 ad 7.
11 *In Hexaëmeron,* 1 p., c. 25.
12 *In Genesim,* c. 1.
13 Apud Banez, *In I p.,* q. 74, a. 2.
14 *De mundi opificio,* in principio; et *Sacrae legis allegor.,* lib. 1, in principio.
15 *Strom.,* 6, 16; MG 9, 376.
16 Περὶ ἀρχῶν, lib. 1, 16; MG 11,377; *Contra Celsum,* 6, 50; MG 11, 1375; *In Genesim,* hom 1; MG 12, 146.
17 *Adv. arianos,* orat. 2; MG 20, 275.
18 *In Hexaëmeron liber;* MG 44, 71 sqq.

ret *(allegorismus)* x; vel 2) *poetice,* utendo distinctione sex dierum, qua licentia poetica, ad dirigendum hymnum et orationem Deo creatori *(poëtismus)* 2; vel 3) *liturgice,* ut populo in idololatriam prono inculcaret singulis hebdomadae diebus, repetita alicujus rei creatae memoria, cultum esse Deo tribuendum *(liturgismits)* 3; vel 4) *legaliter,* ut hebdomadae instituendae occasionem sumeret *(idealismus purus) 4.*

Theoria idealis rejicienda videtur duplici potissimum ratione: 1) Characteri historico S. Scripturae contradicit cum magno periculo exponendi arbitrarie sacrum textum, ut ipsa diversitas idealistarum manifestat. 2) S. Scriptura satis innuit in opere creationis et perfectionis mundi fuisse non solum momenta logica, verum etiam spatia realia, quando Dominus instituit hebdomadam, et hominibus praecepit sex diebus operandum esse et die septimo quiescendum ad instar ipsius Dei. *Sex diebus,* inquit, *operaberis, et facies omnia opera tua. Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est... Sex enim diebus fecit Dominus caelum et terram, et mare, et omnia, quae in eis sunt, et requievit in die septimo; idcirco benedixit Dominus diei sabbati, et sanctificavit eum 56*

694. VII. *Theoria visionaria* seu *revelationis.* Juxta plures spectatissimos auctores, Deus creavit a principio sabbati materiam informem, quae per successivas transformationes hunc mundum longissimo temporis spatio formavit, ut volunt periti scientiarum naturalium. Volens autem Deus generi humano inculcare sanctificationem sabbati, intulit Adamo visionem, in qua ei patefecit sex dies totidemque noctes efluere, vel immisit ei sex visiones per totidem dies, in quibus eum successive illustravit de toto opere creationis ac perfectionis universi eo ordine, quo refertur in Genesi. Adam, scilicet, in visione constitutus, videbatur sibi omnia creata perfici sex dierum spatio, eo ordine quo constat in sacro textu, quin tamen ordo operum in visione adamussim responderet ordini formationis in rerum natura, sicut duratio dierum in visione non respondit intervallis realibus dispositionis et ornatus rerum. Hagiographus autem, cui haec nota sunt, distinxit dies juxta dierum noctiumque vicissitudines in visione perceptas, vel juxta numerum visionum, narravitque tum opera perfectionis mundi tum visiones Adami ita tamen ut numerus senarius significaret mundum esse formatum duratione aliqua et cognitum ab Adamo una visione in sex vicissitudines distributa, vel sex visionibus. Ita *Kurtz* (protestans) °, *Schôpfer* (catholicus) 7, et praesertim *Hummelauer* 8, qui inde ab anno 1877 huic explicationi magnam conciliavit auctoritatem.

Nemo negaverit hoc systema visionistarum esse valde ingeniosum et utile ad conciliandam narrationem mosaicam cum placitis scientia-

1 Ita Stoppani, *Storia delta creazione* (Torino, 1893 sq.); et P. Zham, *Revue des quest, scienti/.,* 1898, vol. 43, p. 405.

2 Ita Hanser, *Katholische Schweizerblattern,* 1896, p. 19 sqq

3 Ita Clifford, episcopus Clifton, *Dublin Review,* 1881.

4 Ita Michelis, *Natur und O//enb.,* 1855; et Semeria, *La Cosmogonie mosaïque* (apud «Revue biblique», Oct. 1893 et Apr. 1894).

6 Ex., 20, 9-11.

6 Bibel und Astronomie, p. 72,

’ *La Bible et la Science,* 1881.

8 Stimmen ans Maria Laach, vol. *22; Comment, in Genesim,* p. 80 sqq.; et alibi.

rum. Conservat enim relationem historicam, contendit significationem diei esse litteralem, in quantum visio vel visiones Moysis repraesentant longas periodos, et vitat oppositionem inter Bibliam et scientias naturales [1].

Habet tamen non pauca inconvenientia. Nam 1) in narratione historica immiscet elementa realia cum visionariis, imo magis directe vi·, detur hagiographus referre visionem et res in visione cognitas, quam objectivum processum formationis rerum. 2) Videtur potius systema inventum ad fugiendas difficultates scientiarum naturalium contra narrationem mosaicam, quam ad sensum S. Scripturae acquirendum. 3) Difficulter invenitur in sacro textu fundamentum, quo significetur distinctionem dierum respicere successionem rerum in visione et non in rerum natura [2].

695. VIII. *Theoria critica* seu *inythica-naturalis.* Plures protestantes et aliqui catholici, praestantissimi orientalistae, invenerunt aliud systema, quod *criticismus* potest appellari.

Secundum hos criticos, 1) hagiographus a Deo instructus suam narrationem deprompsit ex veterum populorum, praesertim babyIoniorum, mythologiis et cosmogoniis, vel etiam ex falsis suae aetatis opinionibus, inserendo textui sacro «citationes implicitas» et «traditiones populares». 2) Factum creationis, non modum creationis, descripsit. 3) In hac narratione accurate distinguendae sunt ideae religiosae a rebus profanis. 4) Ideae seu doctrinae religiosae (dogmaticae, historicae, morales) sunt unum Deum exsistere et creasse omnia, omnem creaturam esse bonam, genus humanum ab uno pari descendere, et sabbatum sanctificandum esse. Hujusmodi ideae religiosae sunt ab omni errore purgatae, ac idcirco accipiendae ad litteram, quin ullatenus detur locus allegoriae et mythis. 5) Res profanae sunt: ordo chronologicus, expressiones complures scientificae, vestitus seu ornatus orationis, et gerunt characterem certo semiticum ac continent errores, mythos, scilicet, veterum gentium falsasque traditiones populares. 6) Unde verum non est Deum sex dierum spatio omnia perfecisse ac dein requievisse, nec datur hebdomada divina, cum distinctio dierum, utpote a mythologia gentium pro instituenda hebdomada adducta, sit omnino gratuita. Ita *Lenormant* [3], [5] *Loysi* [4], *Zapletal* [5], *Lagfange* [6], [7] *Peters* [1], *Minocthi* [3], et alii.

1 Convenientias hujus systematis defendit Joannes Formosa, *De Biblico Hexaimero,* n. 47 sqq., his verbis: «*Primo,* quod solido fundamento superstructum videatur: *secundo,* quod optime respondeat menti consilioque auctoris sacri: *tertio,* quod scientiam cum revelatione componendo par dignoscatur: *quarto,* quod nullas adversariorum difficultates insolutas relinquat; *quinto,* quod scientiarum profanarum placitis satisfaciat...; *sexto,* quod, tandem, juxta hermeneuticae sacrae regulas proponitur».

2 Cfr. *Revue Biblique,* 1899, pp. 323, 324, etc.; et Arintoro, *El Hexdmeron y la cienda moderna,* p. 266 sqq.

3 *Les origines de l'histoire d'après la Bible et les traditions des peuples orientaux,* Paris, 1880.

1 *Les mythes babyloniens et les premiers chapitres de la Genèse;* Paris, 1901.

5 *Dcr Schôpjungsbericht der Genesis.* Freiburg, 1902.

° *Revue Biblique,* 1896.

7 *Die grundsiUslichc Stellung der katholischen Kirche Zur Bibelforschung,* 1908.

3 *La Genesi,* part. 1.»; scz. 1, «La cosmogonia biblica». Firenze, 1908.

Minime dubitandum est, quin auctores et defensores hujus theoriae, praemissis profundissimis studiis circa constitutionem universi et scientias naturales, magnam lucem attulerint quaestionibus biblicis, sed vereor, ne detraxerint dignitati sacri textus. Quidquid sit, videtur hodie hoc systema rejiciendum esse ob rationes sequentes:

1) Leo XIII in encyclica *Providentissimus* expresse ait: «Consequitur, ut, qui in locis authenticis librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinae inspirationis notitiam pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auctorem» 1. Et Pius X, sub die 4 Julii 1907, damnavit hanc propositionem: «Inspiratio divina non ita ad totam Scripturam sacram extenditur, ut omnes et singulas ejus partes ab omni errore praemuniat» 2.

2) Liber *Lenormanl* «Les origines de l'histoire d'après la Bible» ac liber *Loysi* «La religion d'Israël» relati sunt in indicem inter alias causas, quia docebant aliquas narrationes Moysis in primis capitulis *Geneseos* esse mythicas.

3) *Commissio de re biblica* sub die 30 Junii 1909 respondit nefas esse docere tria prima «capita *Geneseos* continere... vel fabulosa ex veterum populorum mythologiis et cosmogoniis deprompta, et ab auctore sacro, expurgato quovis polytheismi errore, doctrinae monotheisticae accommodata; vel allegorias et symbola, fundamento objectivae realitatis destituta, sub historiae specie ad religiosas et philosophicas veritates inculcandas proposita; vel tandem legendas ex parte historicas et ex parte fictitias ad animorum instructionem et aedificationem libere compositas» 3.

4) Hagiographus non solum factum creationis mundi sed etiam modum creationis enarravit, ut decet historiographum et patet ex contextu 45

5) Gratis adserunt *Gunkel s, Minocchi* 6, et alii narrationem mosaicam dependere a poemate babylonico, quod *Georgius Smith* invenit in ruinis Ninive, ejusque mythos continere 7. Si enim attente examinentur et inter se conferantur hexaemeron mosaicum et cosmogonia babylonica, multo majores conspicientur dissimilitudines quam analogiae, ut jam dixi superius. Potuit quidem Moyses cognoscere cosmogoniam babylonicam traditionesque aliarum gentium, at non videtur opus suum scripsisse innixus mythis fabulisque populorum, sed potius, sciens et volens, se eis opposuit, imo et quasdam gentium ideas impugnavit 8.

1 Encycl. *Providentissimus,* 18 Nov. 1893; *Acta S. S.,* vol. 26, 289.
2 Denz-Bannw., 2011.
3 *Acta Ap. Sedis,* vol. 1, p. 567; Denz-Bannw., 2122.
4 Cfr. Hetzenauer, *Theol. biblica,* t. 1, § 43.
5 *Schôpfung und Chaos.*
6 *La Genesi,* part. 1.".
7 Hoc poema editum est a L. V. King, sub titulo *The seven tablets of creation;* Londini, 1902. Summam carminis invenies apud Chr. Pesch, *Praei, dogm.,* t. 3, append, ad prop. 10.
8 Cfr. Joh. Nihel, *Genesis und Keilschriftforschung,* Friburgi, 1903; Mir, *La creacidn,* c. 4, a. 1; Pesch, *Praelect. dogm.,* t. 3, app.

§ 4

Modus conciliationis -probabilior inter Bibliam et scientias naturales.

696. *Notiones praeliminares.* I. *Plures progressus scientiarum naturalium hodiernis temporibus facti, si recte intelligantur, admittendi sunt.* Quamvis status hodiernus astronomiae, physicae, chimiae, geologiae et palaeontologiae circa formationem progressivam mundi nondum sit omnino fixus, et magnis undique prematur difficultatibus, nihilominus negari non potest plura in eis demonstrata esse, quae nos suadent narrationem mosaicam benigne interpretari. Quare, hypothesis laplaciana, modificata a quibusdam peritis, admittenda videtur, saltem quoad lineas principales. Consequenter, facile concedimus in formatione et ornatu mundi non tantum sex dies naturales, sed longissimum temporis spatium effluxisse, terramque nostram magnas evolutiones et transformationes subiisse.

Diximus *si recte intelligantur,* quia nefas est nomine progressus et scientiae figmenta proponere, quae non minus a scientia quam a veritate abhorrent. Hinc:

1) In qualibet theoria admittenda est creatio materiae chaoticae vel nebulosae ex nihilo a solo Deo facta. Nulla siquidem ratio scientifica adduci potest contra hoc factum creationis h

2) Materia primitiva seu nebulosa non fuit destituta forma substantiali, sed substantia constans materia et forma. Sive Deus primo creaverit elementa simplicia cum aethere et ex eis deinde formaverit composita, sive directe creaverit corpora composita, certum est nebulosam non fuisse omnino simplicem, sed omnibus elementis compositam atque viribus activis et passivis necnon proprietabus necessariis a Deo ornatam, ut in actuales moles ac diversitates formarum specificarum evolvi posset.

3) Motus hujus materiae non venit ab ipsa materia, nec fuit mechanice productus, sed a Deo praeordinatus, impressus et directus. Unde a Deo dependent non solum motus et evolutio materiae in diversas species, sed et ordo mundi exinde proveniens.

Addidi systema laplacianum admitti posse *saltem quoad lineas principales.* Non enim me latet hypothesim laplacianam magnis difficultatibus premi in quaestionibus secundariis. Unde sub judice manent quaestiones sequentes: a) Quomodo in systemate laplaciano differant planities solis et planetarum, b) Quomodo potuerit nebulosa subtilissima et extensissima, quam descripsi, cohaesionem habere, ut uniformiter moveretur, c) Qua ratione annuli separati a massa centrali moveantur plerumque eodem motu rotatorio ac ipsa massa centralis, cum contrarium accidere deberet secundum leges virium centrifugarum et centri-

1 Plusquam ridiculum est veram creationem rejicere, ut facit Haëokel, *Histoire ile la création,* 1 π· leçon, quia nullo experimento notum est aliquam particulam additam fuisse materiae exsistenti.

petarum, d) Cur aliqua corpora centralia habeant minorem rotationem quam corpora ad longas distantias separata, etc.

Quare *Faye* \ *Ligondes*, *Fraun* et alii notabiliter modificarunt systema laplacianum, et recenter *P. Medio,* O. P.[1], existimavit systema solare seu mundum planetarium, quod nunc conspicimus, idem fuisse a principio quoad lineas generales, quamvis longissimo temporis spatio magnas mutationes subierit per formationem stratorum [3].

Arbitrar tamen difficultates hujusmodi non esse adeo magnas, ut nos cogant totum systema relinquere. Et si relinquendum foret quoad constitutionem planetarum et quoad formationem et evolutionem terrae, puto omnino retinendum esse quoad formationem stratorum et terrenorum geologicorum per longas transformationes.

697. II. *Materia anorganica ex se fuit omnino impar vitae producendae.* Unde viventia non potuerunt nasci ex alterationibus et evolutionibus materiae, ut delirant transformistae et rigidi evolutionistae, neque ex combinationibus chimicis, ut affirmavit *Contejeau* [4], sed per specialem Dei interventum apparuerunt in mundo.

Hic autem specialis Dei interventus tripliciter potuit exerceri in viventium productione. Potuit Deus, vel 1) omnes species viventium immediate producere, ut docuerunt communiter *scholastici*[5]; vel 2) semina viventium terrae committere, ut tempore opportuno, juxta dispositionem divinae providentiae et statum massae terrestris, germinarent in species suas, ut docuerunt *Bellynck* [6], *Gonzalez* [7] et alii; vel 3) fecundare terram virtute sufficienti ut sub influxu Dei ordinario posset successive viventia producere, ut voluerunt S. *Augustinus* [8],* et his diebus *Honoratus dei Vals*, *Arintero* [10], [11]*Farges* u, et alii.

Quilibet ex his Dei interventibus certe suffecisset ad productionem vitae, sed si attendatur modus operationum Dei, qui mediantibus causis secundis ordinarie res efficit, videtur probabilior ultima theoria, quae docet Deum non immediate creasse omnes species viventes, nec in terra sparsisse semina proprie dicta veluti ova, sed terrae commisisse virtutem seu rationes seminales, a viribus physico-chimicis omnino distinctas, ut successive, providente Deo, qua gubernatore et administratore, posset in circumstantiis favorabilibus producere omnes species viventium, primo quidem imperfectiores, deinde perfectiores, excepto solo homine, cujus corpus a Deo ex limo terrae formatum est, et anima ex nihilo creata [12].

1 *Sur l'origine du monde,* chch. 10-13.
2 Cuestiones cosmogônicas cientificas, 3.“ part., 10, p. 256.
3 Cfr. *Ciencia tomista,* t. 4, p. 97 sqq.
4 Apud Hamard, *Controverse,* 1881, p. 48.
5 Cfr. Molina, *De opere sex dierum,* disp. 12; Becanus, *Summa theol. schol.,* p. I, tr. 4, c. 3. De op. tertii diei, concl. 3.
° *Curso elemental de Botdnica,* 1876, p. 583.
7 *La Biblia y la Ciencia,* t. 1, c. 11, a. 2, § 1, B.
8 *De Gen. ad litteram,* lib. 5, c. 4; MI. 34, 325.
° *De Deo creante,* n. 69 sqq.
10 *El Hexdmeron y la ciencia moderna,* 1901, p. 158.
11 *Cosmologia,* n. 28; et *La vie et l'évolution des spèces,* § a.
12 Cfr. S. Augustinus, *De Genesi ad litt.,* lib. 3, C. 14; MI. 34, 288. S. Thomas

Hanc theoriam sequentia commendant:

1) Secundum verba *Geneseos,* terra ad vocem Dei protulit vegetalia et animalia, a) De vegetalibus ait: *Germinet terra herbam virentem... et protulit terra herbam virentem* x. Unde fecit Deus *omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis priusquam germinaret* 23 b) De animalibus: *Dixit etiam Deus: producant aquae reptile animae viventis et volatile super terram... producat terra animam viventem in genere suo* 8. His verbis datum est decretum Dei, quo terra fecundata est ad producendam vitam.

2) Ex studio stratorum terrae satis colligitur viventia paulatim eo ordine apparuisse in terra, quo medium ambiens et elementa praeparata sunt ad determinandas conservandasque varietates viventium: a) Est autem inconveniens, ut Deus quasi ligatus exsistat conditionibus climatologicis terrae ad producendas successive species singulas per creationem proprie dictam, b) Nec videntur hujusmodi viventia orta esse ex seminibus terrae traditis, quia semina non potuissent conservari in conditionibus, quibus elementa subjecta sunt per plura saecula; et, quamvis potuerint conservari, non est facile imaginari, quae semina fuerint terrae commissa ad producenda mammalia, quae hodie multiplicantur per conjunctionem maris et feminae, c) Melius respondet adspectui scientifico productionis viventium modus explicandi eorum, qui dicunt Deum terrae et aquis commisisse virtutes activas latentes a viribus physicochimicis essentialiter distinctas, ut congruis temporibus producerent species viventium.

Excepimus ab hac lege primum hominem, de cujus formatione redibit specialis quaestio.

698. III. *Hagiographus, non chronologiçe sed psychologice, ut alii historiographi saepe jaciunt, dies hexaemeron ordinavit.* Hoc probatur:

1) *Ex contextu,* a) Prius siquidem commemorat auctor lucem solarem quam solem: prius dividit diem a nocte quam meminit luminarium; prius loquitur de plantis, quae solis influxu crescunt, quam de radiis solaribus, etc. b) Ex attenta rerum productarum consideratione facile colligitur auctorem sacrum in sua relatione conjunxisse ea, quae inter se habebant analogiam vel similitudinem, ita ut primo exponeret productionem rerum et deinde ornatum mundi. Uhde post telluris formationem tertia die posuit plantas 4;* aquatilia conjunxit quinta die volatilibus, et hominem sexta die animalibus.

2) *Ex cosmogonia.* Juxta theoriam hodie communissimam, terra

non reprobat hunc dicendi modum. «Non quod aqua, inquit, aut terra habeat in se virtutem producendi omnia animalia, ut Avicenna posuit, sed quia hoc ipsum... est *ex virtute primitus elementis datat, I p.,* q. 71, a. un. ad 1. Seminales rationes sunt «in clementis mundi, ubi simul a principio productae sunt, sicut in universalibus causis». *1 p.,* q.115, a. 2.

1 *Gen.,* 1, 11-12.

2 *Gen.,* 2, 5.

3 *Gen.,* i, 20-24.

4 «Vita in plantis, ait S. Thomas, est occulta, quia carent locali motu et sensu, quibus animatum ab inanimato maxime distinguitur. Et ideo, quia immobiliter terrae inhaerent, carum productio ponitur quasi quaedam terrae formatio». *I p.,* <| 09, u. 2 nd i.

est annulus quidam a massa solari per leges motus centrifugi avulsus, ideoque posterior sole. Sed hagiographus refert terram esse formatam tertia die, solem vero quarta die, quia ad ejus intentum terra pertinebat ad opus formationis, sol autem vel radii solares ad opus ornamentationis.

3) *Ex stratis geologicis.* In stratis correspondentibus periodis palaeozoicae, mesozoicae, et kaenozoicae commixtim apparent vestigia et fossilia florae et faunae, quod probat plura eorum apparuisse in eadem epocha. Sed historiographus refert separatim opera florae et faunae, quia non intendit opera secundum ordinem chronologicum referre [1].

699. Thesis. **Sex dies hexaemeron probabilius sunt periodi reales longissimi temporis, et in eis opera referuntur idealiter ordinata. Haec theoria potest vocari «periodistica-idealis».**

Duo, ut vides, sunt in hac thesi probanda; 1) dies genesiacos esse periodos longissimi temporis; 2) opera in eis ab auctore referri ordine psychologico, non chronologico.

1) *Dies hexaemeron sunt -periodi longissimi temporis.* Observationes astronomicae et gcologicae, his ultimis temporibus factae, satis demonstrant mundum non fuisse formatum et ornatum spatio sex dierum naturalium. Consequenter Moyses, referens in hexaëmero creationes et formationes rerum, nomine diei non intellexit spatium viginti quatuor horarum, sed tempus multo longius. Hinc regulae rectae interpretationis nos suadent *diem* dv accipere, non in sensu litterali directo, quatenus significat unam rotationem terrae circa solem, sed in sensu litterali translato seu metaphorico, quatenus significat epocham seu periodum longioris temporis, cujus initium dicitur *mane,* finis autem *vespere.*

Periti in lingua hebraica defendunt quidem vocabulum dv, quod graece ημέρα et latine *dies* vertitur, significare diem naturalem in sensu naturali directo, sed nemo negaverit hoc verbum in sensu metaphorico posse significare periodum longiorem, ut de facto significat in ipso libro *Geneseos (Gen.,* 2, 2), ubi dies *septimus* incepit'cum requie Domini et adhuc perdurat [2]. Porro, ex una parte hagiographus affirmat *caelum, et terram, et mare, et omnia, quae in eis sunt,* sex dierum spatio facta esse a Domino [3], et ex altera parte scientiae naturales satis demonstrant mundum non fuisse formatum nisi longissimo tempore. Ut haec extrema concilientur, et narratio biblica, quantum fieri potest, in sensu historico et litterali accipiatur, probabilius puto dies hexaemeron esse accipiendos metaphorice pro periodis longae durationis.

2) *In his periodis opera referuntur ab auctore non chronologice sed idealiter ordinata.* Hoc probatur: a) *Ex examine stratorum terrae,* in quibus jam ab epocha palaeozoica plantae et animalia simul jacent et ideo simul vixerunt contra ordinem narrationis biblicae. b) *Ex studio operum*

1 Cfr. Hetzenauer, *Theol. bibi.,* t. I, § 43.

2 Frustra fatigatur Minocchi, *La Genesi,* 1908, pp. 23-24, quando conatur probare vocabulum hebraicum *yom* nunquam significare periodum. Ejus argumenta vim habent loquendo de sensu litterali directo, non de sensu metaphorico.

3 *Ex., 20,* II; *Gen., 2,* 1-2.

hexaemeron, ex quo satis apparet mens hagiographi volentis conservare ordinem psychologicum in sua narratione. Prius siquidem opera productionis, deinde retulit opera ornatus. In ipso ornatu ea, quae propter significationem vel aliquam similitudinem inter se conjungebantur, simul enarravit, ut plantas immediate prist constitutionem terrae (aridae) tertia die, pisces et volatilia quinta die, animalia et hominem sexta die. c) *Ex conditionibus historiographi,* qui, nisi velit res confuse tractare, cogitur saepe, ordinem chronologicum successuum relinquendo, historiam in epochas ita distribuere, ut materias, quae aliquam similitudinem vel connexionem inter se habent,, simul pertractet, licet chronologice ad alias epochas pertineant.

In hac theoria necesse est partem operum, quae recensentur diebus 3, 5 et 6, reducere ad diem 5, longiorem quidem, sed vere respondentem ad exigentias palaeontologiae.

Supposita igitur veritate hypothesis laplacianae vel alterius similaris, dies et opera hexaemeron possunt hoc pacto ordinari,—-*Die 1* formantur corpora lucida; *die 2,* expanditur firmamentum, quo aquae superiores ab aquis inferioribus dividuntur; *die 3,* congregatis aquis inferioribus in mare, constituitur aridum seu terra; *die 4,* densis vaporibus, quae terram circumdabant, dispersis, lux astrorum illuminat terram, et diei noctisque vicissitudo constituitur; *die* 5, producuntur omnes plantae et animalia, paulatim tamen, incipiendo ab imperfectioribus usque ad mammalia, eo ordine, quo conspiciuntur in stratis terrae; *die 6,* creatur homo.

700. Corollaria. 1) Ex hoc colligi licet terrena *azoica* formata esse quatuor primis periodis et fortasse ineunte quinta; terrena vero *palaeozoica* et *mesozoica* constituta esse in periodo quinta; et terrena denique *kaenozoica* formata esse partim in periodo quinta partim in sexta.

2) Cum hac explicatione facile diluuntur difficultates petitae ex scientiis naturalibus. *Primo* quidem, theoriae astronomicae et physicochimicae verificari potuerunt post creationem materiae temporibus cosmogonicis et geogenicis ac in periodo azoica. *Secundo,* phaenomena geologica optime respondent periodo azoicae, in qua strata terrae accumulata sunt, et periodis palaeozoicae, mesozoicae et kaenozoicae, in quibus signa et reliquiae viventium abundant. In hac igitur hypothesi quinta periodus esset multo longior, quam plures credunt, et complecteretur totum tempus, in quo formata fuerunt omnia viventia, plantae et animalia, et accumulata fuerunt strata terrae, quae continent signa palaeontologica.

3) Haec theoria *periodistica-idealis* valde differt a systemate *periodico-concordista* etiam moderato, quod exposuimus supra n. 691. Systema enim *periodico-concordista* positis diebus periodis, contendit inter has periodos et opera hexaemeron eo ordine, quo referuntur a Moyse, concordiam sive completam sive quoad lineas tantum praecipuas stabilire, dum nostra theoria *periodistica-idealis* docet dies genesiacos esse periodos. sed opera in eis a Moyse referri psychologice seu idealiter ordinata, quorum aliqua, si chronologice considerentur, sunt extra locum posita.

4) Auctor *Geneseos* agit historiographum, ut expresse docet *Com-*

missio pontificia de re biblica sub die 30 Junii 1909. non tamen sequutus est ordinem chronologicum sed psychologicum, ut saepe licet convenitque historiographis.

§ 5

De transformisme [*]

701. Ratio quaestionis. Ex dictis in paragraphe superiori satis constat Deum produxisse omnes species viventium, vel eas creando in actu, vel semina terrae mandando, vel tares activas materiae committendo. Sed quia plures hodierni scriptores hanc doctrinam negant, oportet hic seorsim de origine animantium et de formatione specierum breviter disserere.

702. Errores, i) *Transforinismus.* Jam olim *Anaximander* [1] autumavit omnia animalia, non excepto homine, descendere a pisce. *Empedocles* [3], *Lucretius* [4], phoenices ac aegyptii [δ], cum aliis, putarunt animalia quaedam primitus orta esse casu, et ex illis per generationes aequivocas alia deinde apparuisse. *Linnaeus* per modum hypothesis proposuit omnes species cujuslibet generis unam constituisse ab initio speciem, sed postea per generationes hybridas propagatas esse [°]. Haec theoria a pluribus defenditur hodie sub nomine *transformistni.*

2) Transformismus hodiernus, quem aliqui *evolutionismum* ["] et *theoriam descendentia;* appellant, docet omnes species viventium ex una vel paucis speciebus primitivis seu rudimentariis per successivas transformationes derivatas esse. Hanc specierum transformationem diversimode explicant transformistae. Juxta *Lamarck,* circumstantiae externae, ut necessitates et indigentiae ratione loci vel temporis ortae, producunt novas tendentias seu desideria in viventibus; ex desideriis oriuntur conatus seu nova organa et

1 Cum debita Cautela legi possunt circa hanc quaestionem Lamarck, *Philosophie zoologique;* Herbertus Spencer, *First Principles,* et *Principles of Biologie;* Darwin, *Origin of species;* Haëckel, *Histoire naturelle de la création* (gall, vers.), et *Preuves du transformisme* (gall.); Huxley, *Les problèmes de la biologie,* Paris, 1892, et alii ex turba multa rationalistarum. Ex catholicis consulendi sunt Pesch, *Instit. phil. nat.,* th. 61-62; Vigoureux, *Man. bibi.,* i, η. 283; et *Les livres saints et la critique rat.,* vol. 2, app.; *Hist. crit. du Transformisme;* Urraburu, *Psychologia,* lib. 1, disp. 2; Farges, *La vie et l'évolution;* Guibert. *Origine des espèces;* Mendive, *La religion vindicada;* Mir, *La creaciôn,* c. 36; Arintero, *La evoluciôn y la filosojia cristiana,* lib. I, C. 5; Rodriguez, *.4pologética,* cap. 21 (Madrid, 1912); Zacarias Martinez Nunez, *Estudios biologicos,* vol. 1, § 3, c. 1 sqq.

2 Cfr. Plutarchus, *De placit. phil.,* lib. 5, c. 19, n. 4: et Card. Gonzalez, *Historia de la Filosojia,* t. 1, § 30.

3 Cfr. Aristoteles, *Physicor.,* lib. 2, c. 4, text. 43; et Plutarchus, 1. c.

1 Poëmat. *De rerum natura,*

6 Cfr. Eusebius, *De Praep. evang.,* lib. 7, c. 17; MG 21, 557.

° *Amoenil. Acad,,* vol. 6, p. 296.

7 Nonnulli volunt *evolutionem* significare successivum transitum rerum tam viventium quam anorganicarum in alia genera et species, *transformismum* vero esse transitum generum et specierum inter viventia. Cl. P. Arintero, *Evoluciôn orgdnica,* Introd., § 2 (1911), pp. 54-55, et alibi saepe, rejicit hanc explicationem, et docet evolutionem non denotare transitum unius rei in aliam naturam, sed manifestationem et explicationem seu actuationem eorum, quae virtualiter, in potentia, in semine, implicite ac obscure, continentur in aliqua re. Ad confusionem vitandam utemur vocabulo transformismi.

facultates, quae usu et exercitio perficiuntur; haec organorum varietas filiis transmissa perficit animantia, ac tandem post longissimum temporis spatium et plures generationes constituit novas species [1]. *Spencer* nihil ad transformationes specierum viventium requirit, nisi determinatam quantitatem caloris ac luminis, quibus omnia viventia semper in melius evolvuntur [2]. *Darwin* docet transformationes omnium specierum usque ad hominem fieri per *selectionem naturalem,* quae evolvitur dupliciter, *lucta,* scilicet, *pro exsistentia* (struggle for life) et *selectione sexuali* (sexual selection). Viventia namque, quae naturaliter amant vitam, conantur se defendere ab elementis, ab inclementia, ab aliis viventibus, etc., et, quae sunt robustiora, reportant victoriam. Deinde selectiora, quae remanent, commiscentur inter se ad generationem prolis, filii haereditate accipiunt perfectiones parentum, et paulatim post longam generationum seriem species viventium mutantur in melius [3].

3) Haec specierum transformatio, juxta *Wallace* [4], fit pedetentim per continuam et jugem mutationem imperfectiorum ad perfectiora; juxta *Mivartium* [5] vero, aliquando fit per saltum, quatenus typi primitivi, advenientibus externis adjunctis, ad suam perfectionem subito perveniunt.

4) Transformismus est duplex: unus *absolutus* et universalis (quasi atheus), qui, excludens omnem Dei operationem in origine viventium, docet materiam esse aeternam, viventia primitiva orta esse per generationem spontaneam, et ex illis deinde omnia formata esse per successivas transmutationes sine interventu Dèi [6]; alter *moderatus,* qui docet ex paucis speciebus a Deo creatis factam esse transformationem in alias species ejusdem regni viventium, scilicet, vegetalia orta ex vegetalibus et animalia ex animalibus [7].

703. Thesis I. Transformismus absolutus seu universalis est omnino respuendus.

Arg. Plures sunt in transformismo absoluto hypotheses, quae tum theologiae tum philosophiae principiis aperte repugnant; hujusmodi sunt, aeternitas materiae, generatio spontanea et transformatio omnium specierum. Ergo.

1) *Aeternitas materiae,* quae a Deo creata non sit, contradicit doctrinae superius traditae. Fide enim et ratione probavimus nullam creaturam potuisse sibi tribuere exsistentiam, sed omnia esse a Deo facta in tempore. Unde aeternitas materiae sensu transformistarum rigidiorum supponit materiam esse a se et ab aeterno, quae in philosophia et theologia falsa sunt.

2) *Generatio spontanea* seu *aequivoca,* excluso Dei interventu, opponitur S. Scripturae et repugnat philosophiae.

a) *Opponitur S. Scripturae,* juxta quam viventia exierunt de limo

1 *Philosophie Zoologique.* Cfr. Quatrefages, *Darwin et ses précurseurs français,* Pag. 44.

2 *First Principles,* 2 part., cc. 14-18.

3 Darwin, *Or the Origin of species,* p. 89. Darwinio subscripsit Haeckel, *Hist, not. de la creation,* y.me leçon, sqq.

4 *Darwinism.*

5 *Lessons from Nature; Genesis of species.*

6 Ita Spencer, *First Principles,* c. 15; Haeckel, *Hist, de la création,* 22.me leçon.

7 Ex his plures admittunt transformationem animalium in hominem, ut Darwin, *Descent of man,* alii volunt corpus hominis, non animam, formatum esse per transformationem animalium; alii excludunt tum corpus tum animam hominis ab effet tu transformationis.

terrae ad vocem Dei et homo fuit a Deo immediate formatus. *Et ait* (Deus): *germinet terra herbam virentem... ■producant aquae... producat terra... jaciamus hominem* 1.

b) *Philosophiae repugnat, a)* Nihil potest producere naturam se ipso essentialiter perfectiorem ac nobiliorem, quia causa debet habere saltem virtualiter totam perfectionem effectus. Sed vivens est essentialiter perfectius ac nobilius materia. Ergo generatio spontanea sine interventu Dei repugnat philosophiae, β) Experientia constat omnia viventia oriri ex aliis viventibus, juxta illud effatum: *Omne vivum ex vivo, et omnis cellula ex cellula. y)* Praeclarus vir *Pasteur* et postea *Tyndall* aliique plures certe demonstrarunt omnia corpora, aërem, scilicet, materias hujus mundi, et aquam, repleri minutissimis ovulis ac seminibus, ex quibus procedunt omnia infusoria et animalcula. Ubi enim destruuntur vel removentur artificialiter hujusmodi ovula vel semina, statim cessat infusoriorum seu animalculorum generatio, et, ubi reponuntur ova, incipit de novo generatio 2. o) Ipsi etiam parasiti, quorum numerus incalculabilis est in corporibus hujus mundi et in nobis ipsis, procreantur ex ovulis, ut hodie docent communiter physici 3.

3) *Transformatio universalis specierum* est rejicienda, quia anticatholica et antiphilosophica. *Anticatholica,* quatenus docet hominem derivatum esse ab animali ut effectum transformationis successivae. Fide enim catholica constat hominem esse a Deo immediate creatum. *Antiphilosophica,* quia vera philosophia certo rejicit specierum mutabilitatem adeo magnam, ut anorganica transformentur in plantas, plantae in animalia, et bruta in homines4.

1 *Gen.,* i, 11-26.

2 Cfr. Pasteur, *Expériences relatives aux générations dites espontanées,* i860; et *Mémoire sur les corpuscules organisés,* 1862.—Pluribus experimentis ostendit hic nobilissimus medicus non solum infusoria sed etiam fermentationes, corruptiones vini, aceti aliorumque liquorum, plerosque morbos, etc., ex ovorum germinatione oriri; *Études sur le vin.* 1866. etc. Unde plerumque vulnera sanant medici per remotionem ovorum et infusoriorum. Experimenta facta a Pasteur meruerunt praemium 2.500 fr. Academiae parisiensis.

3 Vere ridicula sunt, quae transformistae fingunt ad sustinendam generationem spontaneam. Haeckel contendit ex materia increata sponte fortuitisque carbonis vel acidi carbonici combinationibus ortam esse primam manifestationem vitae seu *moneras,* corpuscula, scilicet, valde exigua, substantias homogeneas, molles, et albumineas seu mucosas sine ulla structura et sine organis, vitalibus tamen proprietatibus praeditas. *Histoire de la création,* leçon 8, et 13, et *.Inthropogénie,* pp. 120-121. Ex moneris oriuntur *amibae.* corpuscula unicellularia, sensu et voluntate instructa. Deinde veniunt aha viventia Huxley commentus est anno 1868 se invenisse in profundo maris materiam quamdam glutinosam amorpham et viscosam. quam post multas observationes se movere ac idcirco vivere existimavit, et una cum Haëckel, cui inventum dedicaverat, vocabit *bathybium,* id est, Βα?ΰ βιον *-in profundo maris vivens.* Cfr. Haeckel. *Hist, de la créât* , leçon 8. Sed peritorum commissiones, profundi maris explorandi causa expresse missae, comprobarunt bathybium nihil aliud esse nisi sulfatum calcarcum vel gypsum dissolutum in aqua. Cfr Mir, *La creaciôn,* c. 35,-3. 3.

4 Non minus absurda sunt, quae statuunt transformistae circa mutationes successivas entium in longissimo cursu evolutionis. Viginti duo stadia sunt percurrenda, juxta Haëckel, a statu anorganico usque ad hominem. Quatuor priora, *montra, amiba, synamiba* et *larvaciliata,* pertinent ad *protozoaria,* quia exhibent corpuscula simplicia et homogenea, sine organorum varietate distincta; quatuor

704. Thesis **II. Transformismus moderatus, si supponat creationem vitae et formationem hominis fuisse a Deo, 1) fidei aperte non contradicit, 2) philosophice tamen videtur rejiciendus.**

Pars 1.a Fidei aperte non contradicit.

1) Sacra Scriptura et traditio divina docent quidem Deum esse auctorem vitae et aliquarum specierum, sed evidenter non dicunt Deum immediate creasse omnes species. Unde, si quis vellet verba *Geneseos* ita interpretari, ut omnia velit esse a Deo producta, alia quidem immediate, alia vero mediate per transformationem, dogmati catholico non contradiceret.

2) Auctoritas scriptorum catholicorum, qui transformismum moderatum defendunt, satis probat hanc theoriam aperte non repugnare fidei. Ex catholicis defendunt transformismum moderatum, ut probabilem, Leroy, *L'evolutione restreinte,* 1891; Cochin, *L'évolution et la vie;* Guibert, *Les Origines,* 1896; Tanquerey, *De Deo creante,* n. 43, sqq.; Honoratus del Val, *De Deo creante,* n. 83, et aliir. Plures auctores, quamvis rejiciant transformismum moderatum, putant tamen non esse in Scriptura damnatum. Ita Vigoureux, *Man. bibi.,* t. 1. η. 282 sqq.; Dtiilhé de S. Projet, *Apologie scientifique,* et alii[1].

Pars 2.a Transformismus moderatus videtur philosophice rejiciendus.

1) Species rerum constituuntur ex earum natura. Sed natura viventium est invariabilis. Ergo etiam species viventium sunt invariabiles.

2) Species viventium, de quibus nunc agimus, nequeunt transire in alias species per actionem ipsis propriam neque per actionem alterius agentis creati. Ergo. *Non per actionem propriam,* quia nihil intendit in hoc. mundo destruere se ipsum. Imo nec. possunt viventia per propriam actionem mutare suam speciem, quia vires cujuslibet rei continentur intra limites suae naturae. Species autem, cum constituantur per propriam naturam, mutari nequeunt nisi per mutationem naturae. Ergo. *Non per actionem alterius agentis creati,* quia agentia creata nequeunt producere viventia nisi per generationem. Generatio autem est origo rei ad similitudinem generantis in natura. Ergo.

sequentia, *gastraea, turbellaria, vermis scolecida* et *ascidia,* dicuntur *metozoaria,* quia sunt aliqua organorum diversitate ornata; deinde sequuntur vertebratae et mammalia; ex his necessario derivantur in fine *simius catarrhinus* (cum cauda), *anthropoïdes* (simius sine cauda), *alatus* seu *homosimius* (homo voce carens), ac denique *homo.* Cfr. Haeckel, *Hist. nat. de la création,* leçon 22, *Anthropogénie,* tab. 11.

1 Aliqui scriptores frequenter citant S. Augustinum et S. Thomam in favorem transformismi moderati, sed falluntur. Doctor enim hipponensis et Angelicus nunquam docuerunt unam speciem, relicta sua natura, transferri in aliam, sed admiserunt seminales rationes seu activam Virtutem a Deo impressam creaturis, ex qua opportune orirentur vel producerentur species viventium. Hoc autem longe distat a transformismo. 1

2 Non desunt doctores, qui credant stabilitatem specierum satis perspicue doceri in libro Geneseos Ita Thoma» Josephus Lamy, *Comment, in lib. Gen.,* t. I, p. ii<>; Sorlxnot, *l.a Cosmogonie,* p. 37; Urrnburu, *Psychol.,* lib. I, n. ro8.

3) Media, quibus contendunt transformistae mutationem specierum esse factam, non sufficiunt ad scopum. Nam a) *Casu* non potuerunt viventia transire ad alias species, quia ordo, qui servatur inter species viventium, non potest esse effectus casus, b) *Calor el lumen* non sufficiunt ad transformandas species viventium, ut defendit *Spencer,* quia calor et lumen non agunt in vitam nisi fovendo generationem, quae necessario tendit ad similitudinem generantis, c) *Indigentia* et *necessitates* non producunt desiderium transeundi ad aliam speciem, ut vult *Lamarck,* sed potius desiderium conservandi propriam naturam. «Inest enim unicuique naturale desiderium ad conservandum suum esse, quod non conservaretur, si transmutaretur in alteram naturam» x.

4) Nunquam deprehenditur in viventibus tendentia sese transformandi in alias species, sed potius inclinatio ad conservandam propriam naturam, ut probant experimenta facta per coitum animalium diversae speciei, ex quo, vel non resultat generatio, vel, si resultat, proles paulatim redit in speciem unius ex parentibus13

705. Scholion. *Examinantur argumenta transjormistanim.*

Arg. 1) *Ex embryogenia.* Embryones superiorum animalium transeunt per singulas formas inferiorum ordinum a gradu infimo ad superiorem, ut embryon hominis primo adsimilatur vermi, deinde pisci..., simio, et ultimo fit homo 8. Quod autem fit in individuo, a pari potest evenire in specie. Ergo.

Resp. 1.° Aliqui concedunt majorem, et dicunt embryonem, quamdiu est in evolutione, non constituere speciem nisi in potentia, et habere virtualiter perfectionem, ad quam tendit, quod non contingit in animalibus jam formatis.

2° Probabilius **neg. maj.** Embryon enim superiorum animalium nunquam induit gradatim formas inferiores, sed a principio habet animam et organismum propriae speciei, licet in statu imperfecto et evolutive propter defectum corporis 45 Unde embryon hominis nunquam fuit vermis, piscis aut volatile, sed vere homo, ex eo momento, quo fuit capax vitae 6.

2) *Ex palaeontologia.* In stratis terrae inventae sunt formae animalium ita distributae et sibi succedentes, ut in imis terrae cernantur imperfectiores, in superioribus vero perfectiores. Hoc autem certe innuit animalia in diversis cpochis in novas species transformata esse. Ergo.

1 S. Thomas, *1 p.,* q. 63, a. 3.

2 Quae hucusque dicta sunt de stabilitate specierum, certe innituntur veris principiis philosophiae, sed admodum difficile est determinare, quae viventia pertineant ad unam vel diversas species. «Unumquodque, ait S. Thomas, *I p.,* q. 50, a. 2 ad i, constituitur in specie, secundum quod determinatur ad aliquem *specialem gradum* in entibus, quia species rerum sunt sicut numeri». Quot sunt in viventibus gradus speciales, qui constituant species? En difficultas non parvipendenda. Classes generales viventium hodie distinguuntur, prout sequitur. Ex plantis: *acotyledones, monocotyledones* et *dicotylédones.* Ex animalibus: *vertebrata et avertebrata.* Haec in alias species dividuntur proculdubio, sed, quae illae sint, non est nostrum discutere. Vide naturalistas.

3 Ita Haëokel, *Histoire de la création,* leçon ç.mc

* 4 Cfr. Baer, *Studien,* 2. p. 426.

5 Cfr. Agassiz, *De l'espèce,* p. 278.

Resp.—Transeat maj. Factum palaeontologicum, quod in majori refertur, exceptiones non paucas patitur, ut geologi passim observant. Neg. min. Est enim quasi diceret: *Post hoc, ergo -propter hoc.* Ex eo, quod in diversis epochis diversa genera animalium apparuerint ordine sibi succedentia, solum concludere licet, vel Deum ea successive creasse, vel ex rationibus seminalibus seu virtutibus activis a Deo terrae commissis, successive et per ordinem, ab imperfectis ad perfectiora, orta esse animalia.

706. 3) *Ex selectione naturali.* Differentiae accidentales animalium per generationem transmissae constituunt stirpes, quae aliquando valde differunt. Stirpes autem diversae, si inter se passim commisceantur, in decursu saeculorum generant alias et alias stirpes, quae, a primitiva specie paulatim recedentes, novas species constituunt. Ergo admittendus est transformismus moderatus.

Resp. Neg. min. Omnes differentiae et notae, quae per commixtionem individuorum diversae stirpis transmittuntur ad prolem, sunt accidentales. Varietates autem accidentales non sufficiunt ad constituendas species, quia accidens adjunctum' accidenti non facit nisi accidens.

Haec dicta sunt juxta sententiam, quae nobis probabilior visa est, sed animadvertere oportet argumenta defensorum transformismi moderati non esse despicienda, praecipue si defendant transformationem viventium in alias species ejusdem regni. Quare cave, ne erroris accusses auctores, qui hanc theoriam propugnant.

SECTIO III

DE PRIMO HOMINE

QUAESTIO XXXV

DE NATURA HOMINIS

707. Ut facilius intelligantur gravissimae quaestiones, quae ag tari solent de primo homine, breviter hic declaranda est specifica hominis natura, recolendo partim notiones, quae in philosophia traduntur et adjungendo ea, quae ad theologiam spectant.

ARTICULUS I

UTRUM HOMO SIT COMPOSITUS EX CORPORE ORGANICO ET UNA ANIMA RATIONALI

708. Status quaestionis. Cum homo sit ens compositum, oportet hic declarare, quae sint ejus partes componentes. Unam ex partibus componentibus esse corpus organicum oculis cernimus, et alteram esse animam rationalem psychologia probat. Sed cum homo exerceat operationes vitae vegetativae, sensitivae et intellectivae, difficultas est, an plures habeat animas secundum numerum operationum vitae, vel unam tantum virtute triplicem.

709. Opiniones, i) *Tridynamistae. Plato,* apud 5. *Thomam*[1] posuit tres animas in homine, *nutritivam* in hepate, *concupiscibilem* in corde, et *cognoscitivam* in cerebro. Platonis sententiam tenuerunt *Philo*[2], judaeorum sapientissimus, ac deinde *Avicebron, Averroes,* et probabiliter *Petrus Joannes Olivi*[3]. In hac theoria homo esset compositus ex corpore et tribus animabus.

2) *Didynamistae.* Duas animas in homine plures haeretici posuerunt; a) *manichaci* quidem, unam bonam et alteram malam[4]; b) *apollinaristae,* unam vegetativo-sensitivam et alteram intellectivam[5]. Haec didynamista-

1 *I P*. Q. 76. a. 3.
2 *Legis alleg.,* lib. i, circa med.; et lib. 2, circa med.
3 Circa mentem Olivi confer Wull, *Hist, de la Philosophie médiévale,* η. 294 (ed. 4).
4 Cfr. S. Augustinus, *De duabus animabus,* c. 12; ML 42, 105.
6 Cfr S. Augustinus, *De haer.,* c. 55; ML 42, 40. Haec sententia de duplici anima in homine tribuitur etiam Ockamo et Pico de Mirandula.

rum theoria vocatur saepe *trichotomia,* quia defendit hominem constare tribus partibus, corpore, scilicet, anima sensitiva et spiritu seu anima intellectiva.

3) *Giintheriani* non parum accedunt ad trichotomistas. Distinguunt in homine *spiritum humanum* (itvsujvz), qui intelligit et vult; *corpus,* quod habet rationem materiae; et *animam somaticam,* quae non distinguitur a corpore nisi in quantum est principium vegetativum et sensitivum [1].

Huc veniunt *vitalistae,* qui ultra animam rationalem et sensitivam admittunt aliud principium vitae vegetativae [2].

4) *Animismus.* Aristoteles et plures antiqui philosophi, Ecclesiae Patres communiter, Romani Pontifices et concilia, scholastici omnes, uno vel altero forte excepto, philosophi et naturalistae quamplurimi, tenuerunt hominem componi ex corpore et una anima, quae sit unicum principium vitae. Hoc systema vocatur *animismus* [3].

710. Thesis. **Homo est compositus ex corpore et unica anima, eaque rationali, quae est vitae intellectivae, sensitivae et vegetativae principium.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Legimus in *Genesi: Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem* [4]. Hagiographus hic, ut vides, a) diserte enumerat duo elementa, quibus componitur homo, et b) unum ex his elementis ponit principium vitae intellectivae, sensitivae et vegetativae.

a) *Enumerat duo elementa, quibus componitur homo.* Quando dicit: *Formavit... hominem de limo terrae,* designat corpus; et quando addit: *Inspiravit... spiraculum vitae,* commemorat animam.

b) *Unum ex his elementis ponit principium vitae intellectivae, sensitivae et vegetativae. a)* Deus siquidem, inspirando spiraculum vitae, exsequutus est suum propositura efficiendi hominem ad imaginem suam. Imago autem Dei attenditur in homine secundum animam vitamque intellectivam. Ergo per spiraculum vitae annuntiavit Dominus principium vitae intellectivae, β) Deinde per spiraculum vitae *factus est homo in animam viventem,* id est, in animal vivum. Animal autem vivum vivit et sentit. Ergo spiraculum vitae fuit in homine spiritus vitalis et principium vitae sensitivae et vegetativae [5].

Ex his duobus elementis factum est unum compositum, ut satis expressit S. Scriptura; ex corpore enim et spiraculo vitae *factus est homo in animam viventem.*

2) *Ex documentis Ecclesiae,* a) Concilium Cpolitanum IV, can. 11, anathematizat eos, qui defendunt hominem habere duas animas. *In tantum impietatis,* inquit, *quidam... devenerunt, ut duas eum* (hominem) *habere animas impudenter dogmatizare et quibusdam irrationabilibus co-*

1 Cfr. Katschthaler, *Theol. dogm. cath. spec.,* t. i, p. 2, sect. 2, c. 3, a. i, n. 5.

2 «Dans l'état actuel de nos connaissances sur l'homme on doit reporter les divers mouvements, qui s'opèrent dans le corps humain vivant à deux principes différents, dont l'action n'est point mécanique et dont la nature est occulte: l'un est l'âme pensante, et l'autre est le principe de la vie». Barthez, apud Fargos, *Psychologici,* n. 191.

3 Cfr. Farges, *Psychol.,* n. 192.

4 *Gen., 2, q.*

5 Cfr. Hummelauer, *Comment. in Genesim,* 2, 7.

*natibus... propriam haeresim confirmare pertentent. Itaque sancta haec et universalis synodus... talis impietatis inventores et patratores, et his similia sentientes, magna voce anathematizat*1.

b) Pius IX in epistola ad episcopum wratislaviensem vehementer improbavit doctrinam Baltzeri adserentis in corpore humano esse «vitae principium proprium ab anima rationali reipsa discretum», et declaravit «sententiam, quae unum in homine ponit vitae principium, animam, scilicet, rationalem, a qua corpus quoque et motum et. vitam omnem et sensum accipiat, in Dei Ecclesia esse communissimam, atque doctoribus plerisque, et probatissimis quidem maxime, cum Ecclesiae dogmate ita videri conjunctam, ut hujus sit legitima solaque vera interpretatio, nec proinde sine errore in fide possit negari»[2]. Id ipsum expresse docet thesis 16, approbata a S. C. Studiorum, 27 Jul. 1914, *Act. Ap. Sed.,* 6, 385. Cfr. *Civilia Cattolica,* quad. 1574, 15 Jan. 1916.

c) Güntherianam doctrinam reprobavit Concilium Provinciale Coloniense cum docuit: «Cavendum esse a sententia eorum, qui a sana doctrina aberrantes, praeter animam rationalem in homine, aliud quoddam fingunt vitae corporalis principium, quod animam somaticam vocant, sive hoc vitae corporalis principium psychicum seu vegetativum etiam a corpore distinguunt, sive unam eamdemque cum illo substantiam esse confirmant» [3].

3) *Ex SS. Ecclesiae Patribus. S. Justinus:* «Ecquid enim aliud est homo, quam ex anima et corpore animal rationale?»[4]. S. *Gregorius nyss.:* «Nemo tamen idcirco existimet tres in humano opificio animas exsistere... Nam vera et perfecta anima reapse unica quaedam est, intelligens, nulla ex materia crassa constans, sed per sensus naturae illi crassae mixta»[5].

4) *Ex ratione,* a) *Angelicus Doctor* ait: «Diversae vires, quae non radicantur in uno principio, non impediunt sese, nisi forte earum actiones essent contrariae» [6]. Sed vires vegetativae, sensitivae et intellectivae sese impediunt in nobis etiam in actionibus, quae non sunt contrariae. Ergo hujusmodi vires radicantur in uno principio. Quare, orationi et studio ferventissime dediti, experiuntur saepe perturbationes in functionibus vegetativis.

b) *Trichotomistae* destruunt unitatem substantialem in homine. Cum enim homo accipiat esse et unitatem ab anima, positis duabus animabus, necessum est ponere in homine duo principia viventia, duo esse et duo supposita [7].

1 *Can. Ii;* Denz-Bannw., 338.

2 *LUI. Pii PP. IX* ad ep. wratislaviensem (Breslau), 30 Apr. i860; Denz-Bannw., 1655 in nota.

3 *Condi. Colon.,* tit. 4, c. 14 *(Collect. Lac.,* vol. 5).

4 *De resurrectione,* 8; MG 6, 1585. Hoc opus nonnulli tribuunt auctori ignoto saeculi secundi.

6 *De hominis opificio,* c. 14; MG 44, 176.

6 *Contra Gentiles,* lib. 2, c. 58. Cfr. *I p.,* q. 76, a. 3.

Magis consequenter quam alii didynamistae loquutus est Bouffon, quando ait: «Si nous nous observons dans cet état (d'ennuis d'indolence, de dégoûts), notre moi nous paraîtra divise en deux personnes, dont la première représente la faculté riiisonnble, blâme ce que fait la seconde, mais n'est pas assez fort pour s'y opposer

Corollaria. I. Cum anima rationalis in homine habeat formaliter omnes proprietates animae sensitivae et vegetativae, et conferat personae formaliter vitam sensitivam et vegetativam, sitque principium sensationum ct vegetationis, potest dici animam rationalem formaliter continere animam sensitivam et vegetativam. Nequit tamen dici animam rationalem esse ejusdem speciei ac gradus cum animabus inferioribus, neque ratione ultimae differentiae continere eas formaliter, sed solum virtualiter [1].

II. Plures scholastici et medici defenderunt embryonem humanum, a principio quidem anima vegetativa, postmodum sensitiva et tandem intellectiva [2] informari, sed recentiores hoc communius negant dicentes animam rationalem in ipso momento conceptionis infundi embryoni. Sententia tamen veterum scholasticorum nullatenus favet duodynamismo, quia ponit animam inferiorem, adveniente superiore, perire.

Objectiones.

711. Obj. 1.° Apostolo teste, *caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem* [3]. Unde *Horatius:* «Video meliora proboque, deteriora sequor». Nos ipsi experimur pugnam adeo magnam in nobis inter rationem et sensum, spiritum et carnem, bonum et malum, ut saepe efficiamus, non quod volumus bonum, sed quod odimus malum. Operationes autem et tendentiae contrariae nequeunt simul provenire ab una eademque anima. Ergo.

Resp. Dist. min. Operationes ct tendentiae contrariae nequeunt provenire ab una anima, si haec anima habeat unicam potentiam, conc.; si praedita sit pluribus potentiis, neg. «Non est inconveniens, ait ad rem *Angelicus,* aliquid idem exsistens secundum *diversas vires* vel *partes* moveri ad opposita; et ideo, licet substantia animae humanae sit eadem sensitivae et intellectivae, tamen potest secundum *diversas partes* et *vires* moveri ad opposita, ut, scilicet, sensus moveatur ad ea, quae sunt sibi propria, et ratio ad ea, ad quae ordinatur» [4].

Obj. 2.° Facultates vitales senescunt in nobis, facultates intellectuales nunquam. Ergo facultates .vitales et intellectuales radicantur in diversa anima.

Resp.—Dist. ant. Facultates vitales senescunt per accidens ad defectum organorum corporis, conc.; per se defectu influxus animae, neg. Facultates vitales magis connectuntur cum organis corporalibus quam facultates intellectuales, et idcirco defectum seu senectutem corporis magis experiuntur quam ratio. Neque tamen facultates intellectuales eximuntur omnino ab influxu senectutis corporis; ut patet in senibus, qui aliquando vix possunt discurrere.

Obj. 3.° S. Scriptura saepe distinguit inter spiritum, animam et corpus. Sermo Dei dicitur ab Apostolo vivus et efficax, *pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus, compagum quoque ac medullarum* [5]. Rursum:

efficacement et Ia vaincre. Au contraire, cette dernière formée de toutes les illusions de nos sens et de l'imagination, mère des passions, qui nous maîtrisent, contraint, entraîne, et souvent accable la première». *Discours sur l'histoire des animaux.*

1 Cfr. Complutenses abbreviati, *De anima,* lib. I, disp. 4, q. 3; Philippus a SS. Trinitate, *Summa phil., II-II,* q. 29, a. 2.

2 Cfr. S. Thomas, *I p.,* q. 118, a. 2 ad 2.

3 *Gal.,* 5, 17.

4 *Quodlib.* II, q. 5, a. 5 ad 2.

5 *Hebr.,* 4, 12.

Deus -pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester, et anima, et corpus sine querela... servetur'. Ergo.

Resp.—Dist. ant. S. Scriptura distinguit inter spiritum et animam, ut inter partem superiorem et inferiorem ejusdem substantiae, conc.; ut inter duas substantias, neg. Licet spiritus et anima realiter idem sint, aliquando ita usurpantur in S. Scriptura, ut spiritus partem superiorem et anima inferiorem significent. «Spiritus, ait *Piconius,* est rationalis pars animae seu mens; anima est animae pars sensitiva, seu pars inferior» [2].

ARTICULUS II

UTRUM ET QUOMODO ANIMA RATIONALIS SIT IN HOMINE FORMA SUBSTANTIALIS CORPORIS

712. Status quaestionis. Duplex quaestio est hic breviter ex philosophia recolenda: 1) num anima rationalis sit in homine unica forma substantialis corporis et viventis: 2) utrum anima rationalis, qua forma, per se et immediate uniatur corpori.

Auctorum placita. I. Quoad 1.um i) *Alex. Alensis* [3], *Henricus Gandavensis* [4],* *Bachonus* [6,7] *Scotus* [8]* et alii dixerunt animam rationalem in homine esse quidem formam, qua corpus *vivit,* sed praeter illam dari formam corporeitatis equa corpus est corpus, aliam ab illa, qua est *animatum»* Unde in corpore humano sunt duae formae, una forma corporeitatis, qua corpus est, et altera anima rationalis, qua homo *vivit.* Hoc probare contendunt ex identitate corporis vivi et cadaveris, dicentes corpus humanum idem esse ante et post separationem animae.

2) *Tongiorgi* [8], *Palmieri* ®, et alii plures, qui negant corpora constare materia prima et forma substantiali, docent corpus hominis constitui in esse corporis per coagmentationem atomorum, qui affinitate quadam inter se cohaerent. Anima autem dicitur forma hominis, quatenus huic corpori in esse constituto confert vitam et complet *esse totius viventis,* seu «quatenus ab activitate animae conjunctae cum materia rudi pendet formatio et conservatio corporis, prout est tale corpus, hoc est, organicum», non quatenus est «forma corporeitatis constituens intrinsece corpus cum materia prima» [10.11]

3) *Rosmini,* sibimet forte contradicens, docet «formam substantialem corporis esse potius effectum terminumque internum operationis animae; proindeque animam non esse formam substantialem corporis» ",

II. Quoad 2.“m i) *Joannes Leclere* posuit in homine naturam quamdam, inter animam et corpus mediam, utriusque participem ac vinculum, et quasi vehiculum actionum animae et corporis m invicem.

1 *I Thess.,* 5, 23.

2 *Ep. B. Pauli Ap. triplex expositio, I Thess.,* 5, 23. Auctor libri *De spiritu et anima* ait ad rem: «Dicitur anima, dum vegetat; spiritus, dum contemplatur; sensus, dum sentit; animus, dum sapit; mens, dum intelligit; dum discurrit, ratio; dum recordatur, memoria». *De spiritu et anima,* c. 13; ML 40, 788.

3 *Summa theol.,* p. 2, q. 63; *De anima,* m. 4.

4 *Quodlib.* 2, qq. 2 et 3. Cfr. Wulf, *Hist, de la Philosophie médiévale,* η. 34° (ed. 4)·

5 *In III Sent.,* dist. 19, q. un., a. 1.

6 *In IV Sent.,* dist. 11, q. 3, n. 29 sqq.

7 Cfr. *Civiltà Cattolica,* a. 1921, vol. 4, p. 12 sqq.

8 *Psychol.,* lib. 2, c. 3, a. 3, § 167; et a. 5, § 180 sqq.

9 *Anthropologia,* th. 12-13.

10 Palmiori, *Anthropologia,* th. 13.

11 *Psycol.,* p. 2, lib. 1, c. 11, n. 849. Napoli, 1858.

2) *Stahl,* professor universitatis Halle, docuit animam et corpus uniri inter se mediante ratione, munera vitalia operante [1].

713. Thesis. **Anima rationalis est per se et immediate forma substantialis corporis humani.**

Arg. 1) *Ex Ecclesiae doctrina,* a) Concilium Viennense (a. 1311-1312), diserte hoc docuit contra errores Petri Joannis Olivi dicens: *doctrinam omnem seu positionem temere asserentem aut vertentem in dubium, quod substantia animae rationalis seu intellectivae vere ac per se humani corporis non sit forma, velut erroneam ac veritati catholicae inimicam fidei, praedicto sacro approbante concilio, reprobamus: definientes, ut cunctis nota sit fidei sincerae veritas, ac praecludatur universis erroribus aditus, ne subintrent, quod quisquis deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinaciter praesumpserit, quod anima rationalis seu intellectiva non sit forma corporis humani per se et essentialiter, tanquam haereticus sit censendus* [2]. De errore Olivi et de mente Concilii Viennensis confer omnino Jansen, in ephemeride *Gregorianum,* a. 1920, p. 78 sqq. Id ipsum expresse docuit Concilium Lat. V contra neo-aristotelicos [3].

b) Pius IX in brevi *Eximiam tuam,* directo ad card. Geissel, archiep. colon., 15 Junii 1857, ajebat: *Noscimus iisdem* (Güntheri) *libris laedi catholicam sententiam ac doctrinam de homine, qui corpore et anima ita absolvatur, ut anima eaque rationalis sit vera, per se, atque immediata corporis forma* [4].

2) *Ex ratione.* Ex unione animae rationalis et corporis coalescit homo, una substantia singularis seu persona, principium omnium actionum. Ad hoc autem requiritur, ut una pars componens se habeat per modum potentiae seu materiae, et altera per modum actus seu formae substantialis, alioquin non componeretur una substantia, sed aggregatio substantiarum per unionem accidentalem. Porro corpus, utpote materia, habet rationem potentiae. Ergo anima rationalis est forma substantialis corporis humani.

Anima rationalis unitur immediate corpori. Forma siquidem substantialis unitur immediate materiae, sicut actus potentiae, et ambae constituunt compositum. Est contra *Bachonum* [5] et alios.

714. Corollaria. I. Anima rationalis, qua forma substantialis, dat homini esse non solum intellectivum, sensitivum et vegetativum, sed etiam corporeum. «In hoc homine, ait S. *Thomas,* non est alia forma

1 Farges, *Psychol.,* n. 192; et *La vie et l'évolution des espèces,* 1908, p. 65 sqq.

2 Denz-Bannw., 481. Clarissimus Palmieri, *Anthropologia,* th. 14, ex verbis Guidonis, Prioris Gen. Carmelit., concludit non certo constare quinam vere fuerit in hac materia error Olivi, et consequenter contendit in Concilio Viennensi proscribi errorem Apollinaris duas animas in homine ponentis. Unde docetur partes naturae humanae esse corpus et animam rationalem, atque his duabus partibus simul unitis absolvi totum hominem, sed nullatenus statuitur animam esse formam corporis humani. Communius tamen, doctores intelligunt Concilium de anima, ut est forma proprie dicta.

3 Denz-Bannw., 738. Cfr. thesis 16 ex approbatis a S. C. Studiorum, 27 Julii 1914, *Acta Ap. Sed.,* 3, 385.

4 Denz-Bannw., 1655.

5 *III Sent.,* dist. 19, q. un., a. 2.

substantialis, quam anima rationalis; et... per eam homo non solum est homo, sed animal, et vivum, et corpus, et substantia, et ens» 1.

II. Ratio, cui innituntur *Henricus Gandavensis* et *Scotus* ad admittendam formam corporeitatis in homine, caret fundamento. Identitas siquidem corporis vivi et cadaveris imaginaria est, non realis. Corpus hominis, quando relinquitur ab anima, amittit unam formam substantialem, qua non solum vivebat, sed etiam conservabatur in esse, et induit aliam formam, scilicet, cadavericam, conservando solummodo similitudinem et analogiam cum corpore vivo propter identitatem linearum. Corpus autem Christi, quod in exemplum adducitur, permansit incorruptibile post mortem, quatenus praeservatum est a dissolutione et disgregatione partium, sed corruptum fuit sensu philosophico, quatenus amisit priorem formam substantialem.

III. An in Concilio Viennensi damnata fuerit sententia *Gandavensis,* et *Scoti,* non constat. Concilium siquidem damnavit errorem Petri Joannis Olivi, qui directe negabat animam intellectivam uniri corpori per se, essentialiter et immediate, et ex consequenti posuit pluralitatem animarum. Contendunt autem plures Concilium Viennense damnasse errorem principalem Olivi, non ea, quae ex ejus doctrina sequuntur 2.

IV. Sententia *Tongiorgi, Palmieri,* aliorumque fautorum systematis atomico-chimici, est quidem *philosophice* longe minus probabilis, sed *theologice* non potest dici ab Ecclesia damnata.

ARTICULUS III

QUID ET QUALIS SIT ANIMA HUMANA

De natura et praecipuis proprietatibus animae humanae breviter disserendum est propter ordinem materiae et claritatem rerum tractandarum.

§ 1

Utrum anima humana sit substantia. * ′

715. Errores. 1) Substantialitatem animae humanae inficiantur: a) *materialistae* rigidi, qui praeter corpus nihil admittere volunt; b) *phaenomenistae,* quorum aliqui, ut positivistac, dicunt animam rationalem nihil aliud esse quam complexum phaenomenorum sine principio substantiali 3; alii

1 *Quaest. de spirit, creaturis,* a. 3. Item part. I, q. 76, a. 4.

2 Juxta Guidonem, *De omnibus haeresibus,* et Castro, *Adv. omnes haereses,* lib. 2, v. *Anima* in principio (Antuerpiae, 1556, fol. 57), Petrus Joannes Olivi negavit animam rationalem, *in quantum rationalis est,* esse formam corporis.

:1 «Il existe, ait Taine, *Philosophes classiques du XIX siècle ch. de la Méthode,* des mouvements, des sensations, des images, ou, si l'on vet, des idées, mais rien de plus L'Ame humaine n'est ni substance, ni accident, mais phénomène. Il n'y a rien de réel dans le mois, sauf la file de ses evénéments.»

contendunt eam esse collectionem proprietatum et virium, quae exhibent organismum determinatum [1].

2) Nonnulli contendunt animam humanam esse quidem substantiam, sed realiter non distingui a facultatibus ejusdem. Ita nominales, cartesiani, atomistae et dynamistae, qui consequenter volunt substantiam animae esse immediate operativam [2].

716. Thesis. Anima humana est substantia, incompleta in ordine speciei, et realiter distincta a suis facultatibus.

I. *Anima humana est substantia.* 1) Sunt in nobis operationes intellectuales et inorganicae, quae radicaliter proveniunt ab anima. Sed principium radicale operationum est substantia. Ergo anima rationalis est substantia.

2) Hujusmodi operationes intellectuales, utpote accidentia vitalia et spiritualia, inhaerent animae. Sed subjectum accidentium est substantia. Ergo anima humana est substantia.

II. *Est substantia incompleta in ordine speciei.* Ex substantiis, quae sunt in mundo, possumus distinguere tres classes in ordine ad independentiam ab alio. *Quaedam* sunt ita independentes, ut nequeant esse in alio, ut angelus; et dicuntur completae in ordine substantialitatis et speciei. *Aliae* ex natura sua ita subsistunt et operantur, ut possint esse cum alio et formare partem compositi, ut anima humana; et vocantur substantiae completae in ratione substantialitatis et incompletae in ratione speciei. *Aliae* sunt, quae nequeunt exsistere nec operari nisi formando partem compositi, ut anima brutorum; et sunt incompletae tum in ratione substantialitatis tum in ratione speciei.

Porro anima humana potest exsistere ac operari etiam separata a corpore, et sic est completa in ratione substantiae. Valet etiam uniri materiae et concurrere ad constitutionem compositi, et sic est incompleta in ratione speciei; non enim est homo [3].

III. *Est realiter distincta a suis facultatibus.* 1) Una tantum est in nobis anima. Sed facultates ejus sunt plures. Ergo anima realiter distinguitur a suis facultatibus. Prob. min.: a) Facultates animae exercent in nobis plures simul operationes, ut intelligere et velle; una autem facultas nequit plures actus simul exercere, b) Una facultas animae subjicitur alteri, ut imaginatio voluntati. Ergo una ab altera distinguitur.

2) Actus et potentia realiter distinguuntur, ut patet. Sed anima, in quantum est forma et principium vitae, semper est in actu substantiali quoad munera, quae immediate fungitur, ut informare et vivificare, semper enim informat et vivificat. Facultates autem animae saepe sunt in potentia ad proprios etiam actus, ut intellectus ad intelligere et voluntas ad velle. Ergo anima humana distinguitur realiter a suis facultatibus [4].

1 «L'âme, inquit Burmesteir, *Tableaux géologiques, I p.,* 251, n'est pas autre chose, qu'un *complexus* des propriétés et des forces qui met au jour un organisme déterminé homme ou animal,»

2 Vide Farges, *Psychol.,* n. 153.

3 Cfr. Zigliara, *Ontologia,* 27, 3-4.

4 Cfr. S. Thomas, *I p.,* q. 77, a. I.

717. Corollaria. I. Anima humana definiri potest: *Primum principium formale substantiale, quo homo est, vivit, sentit, et intelligit.* Est 1) principium formale *proximum* esse et vitae hominis, quia immediate informat et vivificat[1], et est 2) principium formale *remotum* vegetationum, sensus et intelligentiae, seu, ut ait Philosophus [2], «id quo vivimus, sentimus et intelligimus primo»; non enim immediate sentit, intelligit aut vult, sed mediantibus facultatibus exercet hujusmodi operationes.

II. Tot sunt animae rationales quot homines individui, et non unica anima in omnibus individuis, ut voluit *Averroes* cum aliis paucis [3]. Leo X in Concilio Lat. V damnavit ut perniciosam doctrinam eorum, qui docebant unicam esse animam in cunctis hominibus[4]. Ratio est, 1) quia homo essentialiter constituitur per animam rationalem, et nequit constitui per animam extrinsecam omnibus individuis communem. 2) Singuli homines sunt domini et responsabiles actuum suae voluntatis, quod non esset verum, si omnibus esset unica anima.

§ 2

Utrum anima humana sit substantia spiritualis.

718. Substantia dicitur spiritualis, *quae in suo esse et operari est independens a materia. Aliquae* substantiae spirituales ita sunt a materia independentes, ut nunquam informent corpus, ut Deus et angelus. *Aliae* possunt exsistere cum vel sine materia, ut animae humanae, ita tamen ut exerceant semper operationes intellectus et voluntatis independenter a materia, etiam dum informant corpora.

719. Errores. Animae humanae spiritualitatem negarunt: r) *Materialistae,* tum veteres *(Democritus. Thales milesius, Diogenes, Empedocles,* etcetera) [5], tum recentiores *(Moleschott, Buchner. K. Vogt)* [6]. 2) *Positivistae (Haeckel, Herbertus Spencer,* etc.) [7]. *Sensistae,* qui contendunt hominem et bestiam nonnisi gradu distingui.

720. Thesis. **Anima humana est substantia spiritualis.**

Arg. 1) Concilium Lat. IV expresse declaravit Deum sua omnipotenti virtute condidisse creaturam humanam *ex spiritu et corpore constitutam* [8]. 2) Facultates pure spirituales nequeunt inveniri nisi in substantia spirituali. Sed intellectus et voluntas, facultates pure spiri-

1 «Primum principium vitae, inquit *Angelicus, I p.,* q. 75, a. 1, dicimus esse animam.»

2 *De anima,* lib. 2, c. 2.

2 Cfr S. Thomas, *De unitate intellectus, contra Averroistas,* in prine., et Wulf, *Histoire de la Philosophie médiéval,* η. 223 (ed. 4)·

4 Denz-Bannw., 738.

5 Cfr. Aristoteles, *De anima,* lib. 1, c. 2; et S. Thomas, *De anima,* lib. 1, lect. 3-4.

6 Moleschott. *La circulation de la vie,* 2.™ et 18.me lettre; Büchner, *Kraft und Staff,* § 13: K. Vogt, *Vorlesungen fiber den menschen.*

’ Hattckel, *Histoire de la création,* leçon 8 ▮›"·; Spencer. *First principles,* c. 15.

" Denz-Bannw., 428.

tuales, inveniuntur in anima humana tanquam proprietates in subjecto. Ergo L 3) Operationes spirituales non exercentur nisi a potentiis et substantia spirituali. Sed intellectio et volitio, quae producuntur ab anima mediantibus intellectu et voluntate, sunt operationes spirituales, ut. patet ex earum universalitate et abstractione a materia. Ergo [1].

Observatio notatu digna. Minime praetereundum est hujusmodi operationes spirituales, quamvis intrinsece non dependeant a materia et a sensibus, exerceri tamen ab anima, quandiu est in corpore, accipiendo phantasmata a sensibus. «Intelligere, ait *Angelicus,* est propria operatio animae, et non 'egreditur ab anima mediante organo corporali sicut visio mediante oculo. Communicat tamen in ea operatione corpus ex parte objecti, nam phantasmata, quae sunt objecta intellectus, sine organis corporeis esse non possunt» [3][4]

§ 3

Utrum anima humana sit immortalis.

721. Status quaestionis. Immortalitas in genere est *proprietas, qua aliquid conscium sui in vita perenniter perseverat.* Potest esse 1) *metaphysica,* qua quis absolute non potest mori, et soli Deo convenit; 2) *physica,* qua quis intrinsece exigit non mori, quia caret principio dissolutionis, quamvis extrinsece a potentia Dei annihilari possit, et convenit formis subsistentibus, quae dissolvi nequeunt; 3) *praeternaturalis,* qua quis ex dono gratuito nunquam est periturus, ut homo in statu innocentiae.

Loquimur hic de immortalitate physica, et quaerimus, an anima humana sit talis substantia, ut ex se mortem subire nequeat.

Traditio de immortalitate animae humanae. Doctrina de immortalitate animae humanae tradita est proculdubio a Deo primis parentibus per revelationem primitivam, et exinde propagata est ad omnes gentes, ut ex scopo revelationis primitivae patet, et signa in antiquis monumentis et sepulchris inventa certe demonstrant [4] Primus omnium *Pherecides syrius,* juxta *Tullium* [5], et *Thales Milesius,* juxta alios, apud *Laertium*[6], traditione populorum edoctus, immortalitatem animae ex professo praedicavit. *Pythagoras* hanc doctrinam ex Pherecide vel Thalesio didicit [7], et ad multas scholas philosophicas transmisit. Unde no-

1 Vide hoc argumentum dilucide expositum apud Complutenses abbreviatos, *De anima,* disp. 15, q. 1, n. 1; et apud Philippum a SS. Trinit., *Summa phil., II-II,* q. 40, a. 1.

3 Vide Suarez, *De anima,* lib. 1, c. 9, n. 20.

3 *De anima,* q. unica, a. I ad 11.

4 Cfr. Tullius, *Ouaest. Tuscull.,* lib. 1, c. 12; et Grotius, *De veritate relig. christ.,* lib. i, § 22.

3 *Quaest. Tusculi.,* lib. 1, c. 16.

° *Lib.* i, *segm.* 24.

’ S. Augustinus, *ep. ad Volusian.* 137, c. 3, n. 12; MI. 33, 521,

bilissimi philosophi *Socrates* [1], *Plato*[2], *Aristoteles*[3], et alii, jugiter admiserunt immortalitatem animae. Haec idea ita insita erat animis antiquorum populorum, ut, teste *Cicerone,* omnes communi consensu opinarentur «esse in morte sensum, neque excessu vitae sic deleri hominem, ut funditus interiret» [4].

Patres Ecclesiae et philosophi christiani hanc doctrinam non solum constanter tradiderunt, sed etiam strenue defenderunt ab haereticorum impugnationibus [5].

722. Errores. 1) *Omnes materialislae,* tum veteres tum recentiores, dixerunt animam humanam, utpote materialem, una cum corpore perire. 2) *Sadducaei,* nescimus qua ratione ducti, negarunt immortalitatem animae humanae [6]. 3) *Neo-aristotelici,* putantes Stagyritam negasse immortalitatem animae, dixerunt animam intellectivam mortalem esse [7]. 4) *Quidam arabici* «asserebant (saec. h i) hominum animas in praesenti quidem saeculo una cum corporibus interire atque corrumpi; rursus vero resurrectionis tempore simul cum iisdem corporibus ad vitam esse redituras» [8]. 5) *Hodierni plures increduli,* cupientes potius vitam in hoc saeculo finire, quam reddendae rationis curam in altera vita subire, contendunt omnia cum morte concludi. 6) *Rosminius* tandem haec habet: «In statu naturali anima defuncti exsistit perinde ac non exsisteret; cum non possit ullam super se ipsam reflexionem exercere, aut ullam habere sui conscientiam, ipsius conditio similis dici potest statui tenebrarum perpetuarum et somni sempiterni»[9].

723. Thesis. **Dogma catholicum nos docet animam humanam esse intrinsece immortalem.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* In libris sacris, tum ante tum post captivitatem babylonicam scriptis, satis clare continetur doctrina de immortalitate animae humanae.

1 Cfr. Tullius, *Quaest. Tusculi.,* lib. 1, c. 30.

2 Cfr. S. Augustinus, *De civit. Dei,* lib. 1, c. 22; MI. 41, 37.

3 Cfr. S. Thomas, *Contra Gentiles,* lib. 2, cc. 78-79; et *Quodlib.* 10, a. 6. Plures philosophi affirmarunt Aristotelem negasse immortalitatem animae humanae, sed scholastici fere communiter ipsum vindicant. Videndi sunt: S. Thomas, ubi supra; Suarez, *De anima,* lib. I, c. 11; Complutenses, *De anima,* disp. 16, q. 2, § 2; Sanseverino, *Anthropologia,* n. 473.

4 Hanc de immortalitate animae communem esse populorum sententiam plures testantur. De aegyptiis adscrit Josephus, *Contra Appionem,* et illustrat Lenormatn, *Histoire ancienne de TOrient,* t. 3, c. 3, § 7; de persis et medis, Cieero, *De senectute;* de judaeis, libri antiqui Testamenti; de gallis, Valerius Maximus, lib. 2, 66, n. 10.

5 Ex SS. Patribus videri possunt: S. Justinus, *Dial, cum Tryphone,* 5-6; MG 6, 48 sqq.; S, Irenaeus, *Adv. haereses,* lib. 2, c. 34, n. 2; MG 7, 835, et lib. 5, c. 7, n. 1; MG 7, 1140; Tertullianus, *De anima,* 22; ML 2, 686: S. Epiphanias, *Adv. haereses,* 64, 35; MG 41, 1125; S. Augustinus, *De Genesi ad litteram,* lib. 7, c. 28, n. 43; ML 34, 372, et alii. Ex philosophis Christianis, egregie de hoc scripserunt: S. Thomas, *Contra Gentiles,* lib. 2, c. 55; Ferrariensis, *Ibid.';* Toletus, *De anima,* lib. 3, c. 5, q. 16;Complutenses, *De anima,* disp. 16, q. 2; Sanseverino, *Anthropologia,* n. 471 sqq.; Farges, *Le cerveau,* seconde part., ch. 9; Mercier, *Psych.,* t. 2, n. 248 sqq.; Urraburu, *Psychologia,* lib. 2, dis. 9, n. 215 sqq.

6 *Mâtth.,* 22, 23; *Act.,* 23, 8. Cfr. Flavius Josephus, *Ant. jud.,* 18, 2.

7 Cfr. *Concit. Lut.* Γ, *De anima humana:* Denz-Bannw., n. 758.

8 Eusebius, *Il R.,* lib. 6, c. 37; MG 20, 597.

9 Prop. 23 damnata per decretum S. Off . 14 Dec. 1887; Denz-Bannw., 1913. In hac propositione non loquitui Rosminius de anima secundum ordinem praesen-

Ante captivitatem babylonicam. a) Mortui saepe dicuntur *ire ad patres suos*[1] *pergens ad populum suum*[2], *congregari ad patres suos*[3]. His autem locutionibus non significatur mortuos congregari in sepulchro majorum, tum quia de sepulchro eorum separatim loquitur Scriptura, tum quia nonnulli defuncti, quorum fit mentio, non fuerunt sepulti juxta patres suos. Ergo innuit Scriptura animas defunctorum congregari in altera vita.

b) Patriarcha Jacob putabat se et alios patriarchas fuisse peregrinos in hoc mundo versus patriam aeternam, quando ait: *Dies peregrinationis meae centum triginta annorum sunt... et non pervenerunt usque ad dies patrum meorum, quibus peregrinati sunt*[4]. Hic non fit sermo de peregrinatione ex una in aliam regionem vel civitatem, quia Jacob, dum viveret, non est peregrinatus extra suam patriam per centum triginta annos, sed de peregrinatione *super terram,* ut explicat Apostolus[5].

c) Dominus ait in *Exodo: Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob*[6]. His verbis innuit Deus Abraham. Isaac et Jacob adhuc vivere, quia, ut optime arguit Christus contra sadducaeos, *Deus non est mortuorum sed vivorum*[7].

Post captivitatem babylonicam. a) In *Ecclesiaste* dicitur: *Antequam... revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*[8]. In libro *Sapientiae: Justorum autem animae in manu Dei sunt; et non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori... illi autem sunt in pace*[9].

Objicies. Dicitur in libro Ecclesiastes: *Unus interitus est hominis et jumentorum... Omnia pergunt ad unum locum: de terra jacta sunt, et in terram pariter revertuntur. Quis novit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et si spiritus jumentorum descendat deorsum?*[10]. Ergo S. Scriptura negat vel saltem in dubium vertit immortalitatem animae.

Resp. Verba versiculorum 19 et 20, vel 1) dicta sunt in persona insipientium, ut adserit *S. Thomas*[11], vel 2) agunt de composito humano, quod aeque moritur ac bruta, vel 3) referuntur ad apparentiam seu similitudinem externam, quam exhibet mors in brutis et hominibus.

Versiculus 21 multipliciter intelligi potest. *Aliqui* volunt vocabulum spiritus significare hic *halitum,* qui aeque finitur in morte hominis ac in morte brutorum[12]; *alii* docent his verbis significari incertitudinem beatae vitae[13]; *alii* contendunt hagiographum his verbis accusare homines de inconsidera-

tem providentiae, in quo homo elevatus est ad statum supernaturalem, sed secundum ordinem, quem habuisset anima in statu naturae purae. Cfr. ejus *Teodicea,* appendice, a. 10.

1 *Gen.,* 15, 15.
2 *Gen.,* 25, 8.
3 *Jud.,* 2, 10.
4 *Gen.,* 47, 9.
5 *Hebr.,* 11, 13.
6 *Ex.,* 3. 6.
7 *Luc.,* 20, 38.
8 *Eccl.,* 12, 6-7.
9 *Sap.,* 3, 1 sqq.—De aliis V. T. locis confer Vaccari, in ephemeride *Verbum Domini,* a. 1921. p. 310 sqq.
10 *Eccl.,* 3. 19-22.
11 *I P.,* q. 75, a. 6 ad 1.
12 Hetzenauor, *Theol. biblica,* vol. I, § 44.
13 Gietmann, *Comment.* 172 sqq.

tione aeternae vitae, quasi diceret: Proh dolor! Pauci nunc considerant spiritum hominis in caelum recipi, spiritum vero bestiarum in terram descendere *alii* denique, putant verbis citatis condemnari doctrinam graecorum, qui tunc docebant animas sanctas statim post mortem in caelum recipi, quando revera descendebant in sinum Abrahae [2].

b) Verba ex Novo Testamento clariora sunt: *Nolite timere,* inquit Dominus, *eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam* [3]. Rursum: *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit, eam*

2) *Ex dejinitione Ecclesiae. Damnamus,* inquit Concilium Lat. V. *et reprobamus omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse* [5]. S. Stud. Congr., die 27 Jul. 1914, approbavit sequentem thesim 15: «Per se subsistit anima humana... et sua natura incorruptibilis est atque immortalis». -4r/« *Ap. S.,* vol. 6, p. 385.

3) *Ex SS. Patribus. S. Justinus:* '«Non tamen perire dico illas animas... Piorum quidem animas in meliori loco manere; iniquorum autem et malorum in deteriore judicii tempus exspectantes» [6]. S. *Augustinus:* «Nunc tamen de anima... quod sit immortalis secundum quemdam vitae modum, quem nullo modo potest amittere» [7].

4) *Ex ratione,* a) Justitia Dei et ordo reipublicae exigunt, ut boni praemio remunerentur, mali vero plectantur poenis. Videmus autem saepissime malos in hoc mundo deliciis affluere, bonos vero ultra modum cruciari. Ergo post mortem manet locus, ut animae rationales praemia vel poenas pro merito accipiant.

b) Anima humana est forma per se subsistens, quia est omnino spiritualis et a materia independens. Forma autem per se subsistens est ab intrinseco immortalis. Ergo. Prob. min. Dupliciter potest aliquid perire: a) *per se,* ad separationem principii formalis et constitutivi, ut compositum perit ad separationem formae substantialis; et β) *per accidens.* ad subtractionem alicujns, a quo dependet, ut anima belluina perit ad mortem subjecti, in quo est. Porro formae *per se* subsistentes ut anima humana, nequeunt perire *per se,* quia, utpote simplices, principium formale et constitutivum non habent ab alio sed ex se; nec *per accidens,* quia, ut dictum est, non dependent ab alio.

1 Ita Comely, *Hist, et erit, introd,* in V. T. libros sacros, vol. 2-2, 179 sq.

2 Ita A. Condamin, *Revue Biblique,* 1899, p. 493 sqq., et X.900, p. 369 sqq.

3 *Matth.,* 10, 28.

4 *Joann.,* 12, 25.

5 Denz-Bannw., n. 738.

6 *Dial, cum Tryphone,* 5; MG 6, 488.

7 *De Genesi ad litteram, q,* 28, 43; ML 34, 372.

QUAESTIO XXXVI

1)E ORIGINE HOMINIS

S. Th., I p., qq. 91-92.

ARTICULUS I

UTRUM PRIMI PARENTES A DEO CONDITI FUERINT

724. Status quaestionis. Quaeritur hic, an doctrina de transformatione. specierum, quam plures defendunt, applicanda sit homini, id est, an protoparentes seu primi individui generis humani apparuerint in mundo jugi naturae transformatione et profectu ex bestiis praeexsistentibus, vel an operatione creativa Dei conditoris.

725. Error. Omnes transformistae rigidi et nonnulli mitiores docent protoparentes formatos esse naturali transformatione ex simio. Praecipui hujus erroris fautores sunt *Spencer*[1], *Haeckel*[2], *Huxley*[3], *Darwin*[4] et *Buchner*[5].*

726. Thesis. **Fide catholica tenendum est protoparentes fuisse a Deo immediate creatos.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura. Creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illuni: masculum et feminam creavit eos*[6].

2) *Ex auctoritate Ecclesiae.* Concilium Lat. IV ait: *Creator omnium... sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam, videlicet, et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam*[7]. Concilium Provinciale Coloniense disertius ait: «Primi parentes a Deo immediate conditi sunt»[8].

3) *Ex SS. Patribus. S. Theophilus:* «Hoc unum opus propriis manibus dignum existimavit, hominis creationem»[9]. S. *Irenaeus* docet hominem esse factum «ex non exsistentibus ossibus, nervis, et venis»[10].
S. *Augustinus:* «Eadem terra omnisque terrena materies omnino de nihilo est, animamque de nihilo factam dedit (Deus) corpori, cum factus est homo»[11].

1 *The principles of Biology;* et *First principles,* chapter 15.
2 *Histoire de la création,* 23.me leçon.
3 *Man's place in nature.*
4 *The descent of man.*
5 *Kraft und Stoff,* § 10.
6 *Gen.,* I, 27. Ad majus robur hujus argumenti animadverte sensum litteralem historicum Geneseos de peculiari hominis creatione in dubium vocari non posse, juxta *Commissionem de re biblica,* 30 Jun. 1909. *Acta Ap. Sedis,* 1909, p. 568.
7 Cap. *Firmiter;* Denz-Bannw., n. 428. Id ipsum confirmatum est in Concilio Vaticano, *sess.* 3, c. 1; Denz-Bannw., n. 1783.
8 *Concil., coi:,* p. 1, tit. 4, c. 14. Collect. Lac., t. 5, coi. 292.
9 *Ad Autolycum, 2,* 18; MG 6, 1081.
10 *Adv. haer.,* 5, 3, 2; MG 7, 1129.
11 *De civit. Dei,* 14, 11, 1; ML 41, 418.

4) *Ex ratione.* Si homo originem duxisset ex bellua, incultus omnino fuisset et rudis ab initio, sicut olim voluefunt *Cicero* [1] et *Diodorus Siculus* [2]. Sed primus homo Adam non fuit incultus et rudis, sed valde instructus, ut defendunt SS. Patres et theologi [3] et colligitur ex S. Scriptura, juxta quam vocatus fuit a Deo, ut omnibus animantibus dominaretur et singulis nomina imponeret [4]. Ergo homo non duxit originem a bestia.

5) *Ex palaeonlologia.* In hypothesi transformistarum inveniri deberent in stratis terrae fossilia animalium ad naturam et conditionem hominis jam jam accedentium. Porro exploratores stratorum terrae nunquam invenire potuerunt animal simium, quod accederet ad naturam et conditiones hominis. Eadem potius essentialis differentia, quam hodie conspicimus inter hominem et bestiam, exsistit inter fossilia hominis et bestiae. Ergo transitus bruti in hominem, quem defendunt transformistae, nunquam verificari potuit.

ARTICULUS II

UTRUM CORPORA ADAMI ET EVAE FORMATA FUERINT IMMEDIATE A DEO

727. Status quaestionis. 1) Dogma catholicum de creatione protoparentum, quod statuimus articulo praecedenti, non docet explicite quomodo formata fuerint corpora eorum. Potuit Deus, vel a) corpori cujusdam animalis jam exsistentis infundere animam rationalem ex nihilo creatam, et sic formare Adam, vel b) efficere per se ipsum immediate corpus et animam, et ex iis inter se unitis constituere hominem. Utroque modo Deus diceretur creator hominis. Quomodo hoc factum fuerit investigandum est.

2) Diserte dicitur in S. Scriptura corpus Adae formatum esse a Deo ex limo terrae et corpus Evae ex costa ipsius Adae. De intelligentia hujus relationis agitatur gravis controversia.

72S. Placita theologorum, i) *De corpore Adami.* a) Nonnulli docuerunt corpus Adami non fuisse formatum de terra immediate sed mediate, in quantum aliquod animal de terra ortum, ita jugi evolutione se perfecit, ut apte posset informari anima rationali. Tunc Deus animam rationalem ipsi indidit, et constituit hominem. Patroni hujus sententiae volunt corpus primi hominis esse factum mediate ex limo terrae, quia omnia animalia ex terra veniunt, et esse formatum a Deo, quia informatur per animam a Deo creatam. Ita *Mivart* [5], *P. Leroy O. P.* [6], *Fogazzaro* [7] et alii.

1 *De inventione,* lib. I, n. 2.

2 *Bibliotheca historica,* lib. i, n. 8.

2 Vid. infra, n. 769.

4 *Gen.,* 2, 19-20.

5 *Lessons from nature,* London, 1876; *Genesis of species,* London, 1871. Haec opera relata sunt in Indicem librorum prohibitorum.

° *Evolution restreinte aux espèces organiques,* 1887. Opus relatum est in Indicem librorum prohibitorum, 1895. Vix intellexit P. Leroy suam thesim fuisse Romae reprobatam, humillimis verbis sententiam revocavit epistola data ad ephemeridem parisiensem *l.e Monde,* 27 Febr. 1895. Cfr. *Civillà Caltolica,* S. 17, t. 5, p. 49.

7 *Per un recrute raffronto,* p, 47.

b) Alii censuerunt animal quidem exsistens adsumptum fuisse a Deo, ut ex eo formaretur corpus hominis, non quod ipsum animal per successivam evolutionem pervenerit ad organismum humanum et apte praeparatum fuerit ad recipiendam animam rationalem, sed quatenus Deus adsumpsit animal vivum, quod magis homini adsimilabatur, et perfecit, immutavit, proximeque disposuit, ut esset pars compositi primi hominis. Unde corpus Adami adsumptum quidem fuit e terra mediate [1], sed animal ex terra ortum non pervenit per se ipsum ad organismum humanum, ut vult sententia praecedens, sed actione divina fuit convenienter transformatum. Ita cl. *P. Arintero* [2] et alii. Suam sententiam conantur probare a) ex' convenientia eligendi materiam, quae magis accedebat ad corpus humanum; β) ex textu sacro, ubi homo dicitur pulvis de terra, non formatus de limo terrae; γ) ex analogiis, quae cernuntur inter mammalia et hominem.

c) Alii dicunt corpus primi hominis esse a Deo directe conditum in propria specie, non quidem statim in actu sed potentialiter in causa, quatenus Deus in principio rebus a se creatis impressit quamdam quasi impulsionem initialem, ut ad perfectam evolutionem, Deo tanquam administratore concomitante, pervenirent, ita quidem ut, proprie loquendo, Deus ex parte sui nihil novum in formatione corporis Adae fecerit, nisi munus administratoris, quo corpus in illo impulsu initiali causaliter factum, impulsu ipso Dei administratoris comitante, evolvendum curavit secundum exigentiam naturae. Ita *Honoratus dei Val* [3] innixus auctoritati S. *Augustini* [4][5] Secundum hanc sententiam, natura ipsa non est evoluta in corpus Adae, sed Deus, secundum exigentias collates naturae, illud formavit tempore opportuno actione administrativa.

d) Communissime tenent theologi et commentatores S. Scripturae Deum immediate formasse corpus Adami ex limo terrae, eique semel formato indidisse animam rationalem, adeo ut primus homo simul inceperit habere vitam vegetativam, sensitivam et rationalem.

2) *De corpore Evae.* Juxta hagiographum. Dominus tulit unam de costis Adami obdormientis, et eam aedificavit in mulierem, quam cum vidisset Adam, ait: *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea. Haec vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est* [5].

a) *Cajetanus* censet locum S. Scripturae intelligendum esse secundum parabolam, quae constat ex multis partibus. Somnus «profundus immissus a Deo viro, ex quo producenda est mulier, similitudinem gerit defectus vir-

1 Plures existimant hanc interpretationem fundari in sacro textu, ubi, si attendantur verba hebraica et versio septuaginta interpretum, non dicitur *de limo terrae, sed plasmavit Deus hominem pulverem de terra* ΠΌ7ΝΠ ΙΟ (japhar min haadamâh seu ἀνθρωπο χοῦν ἀπ.'ι tijç γή . Cfr. Hummelauer, *Comment, in Gen., 2,* 7, p. 126 sqq.

2 *El Hexdmeron y la ciencia moderna,* 1901, p. 197 sqq.

3 *De Deo creante,* nn. 96-98.

4 S. Augustinus, *De Genesi ad litteram,* lib. 6, c. 15; MI, 34, 349, ait: «Sic factus est homo, quemadmodum illae primae causae habebant ut fieret homo, quem non ex parentibus nasci, qui nulli praecesserant, sed de limo formari oportebat, secundum causalem rationem, in qua primitus factus erat». Mentem S. *Augustini* explicat Angelicus dicens: «Augustinus vult in ipso creationis principio quasdam res per species suas distinctas fuisse in natura propria: ut elementa, corpora caelestia et substantias spirituales; alia vero in rationibus seminalibus tantum, ut animalia, plantas et homines, quae omnia postmodum in naturis propriis producta sunt». *(II Sent.,* dist. 12, q. 1, a. 2.) Ipscmet Angelicus ait: «Corpus humanum non fuit productum in actu in illis sex diebus, sicut nec corpora aliorum animalium, sed tantum secundum rationes causales, quia Deus in ipsa creatione indidit ipsis elementis virtutem seu rationes quasdam, ut ex eis... possent animalia produci». *(De potentia,* q. 4, a. 2 ad 21 et 23.) Ex his auctoritatibus perperam deducit Fogazzaro. *Per un recente rajfronto,* § 2, S. Augustinum et S. Thomam posse conciliari cum recenti transformismo.

5 *Gen.,* 2, 23.

tutis virilis, unde naturaliter producitur mulier; homo enim dormiens semi-homo est; et similiter principium generans mulierem semi-virile est... Ablatio... costae ex viro... quatenus costa est os, similitudo est diminutionis roboris ex animo viri ob uxorem; quatenus vero est costa, similitudo est socialis inter virum et uxorem... quatenus autem una, similitudo est minimi roboris tum corporis tum animi mulieris» [1] Locus costulae dicitur carne vestitus, quia fructu prolis compensatur diminutio roboris in viro. *Cajetanum* sequuti sunt partim *Lagrange* [2], *Hoberg* [3] et alii recentiores.

b) Alii dicunt vocabulum hebraicum (tselaj) non significare *costam* sed *latus* [4]. Unde volunt corpus Evae formatum fuisse ex latere Adami hoc pacto: Adam in principio, cum solus esset, constituebat speciem humanam (haadam, homo-species humana), adeo ut rationem individuorum diversi sexus, quae ad speciem humanam hodie requiritur, ipse unus haberet [5]. Determinatio autem sexus, quae progressu temporis fieri debebat, facta est in Adamo durante illo sopore, in quo per quamdam quasi gemmationem eduxit Dominus feminam ex latere viri dormientis, sicut nimpha actione temporis educitur e chrysalide. Ita *I. G. Saint Hilaire* [6], *Robert* [7], *Naudin* [8], *P. Lavy O. P.* [9] et alii. Cl. *P. Arintero* [10] censet hanc sententiam purgatam a quibusdam expressionibus impropriis esse in substantia acceptabilem.

c) Alii volunt corpus Evae fuisse formatum primo causaliter in latere Adae, quatenus corpus Adae accepit ab initio quamdam aptitudinem ut corpus Evae ex eo educeretur, et de facto eductum fuisse, non quidem actione creativa, sed actione Dei administrativa ad exigentiam naturae. Deus enim, non ut creator, sed qua administrator, adveniente tempore opportuno, eduxit corpus Evae e latere viri dormientis. Ita *Honoratus dei Val* [11].

d) Alii communius tenent corpus Evae formatum fuisse ex costa primi hominis actione Dei speciali, non creativa, sed transformativa.

729. Thesis **I. Corpus primi hominis fuit a Deo immediate ex terra conditum.**

Aliqui theologi, ut *Valentia* [12], *Suarez* [13], *Kalschthaler* [14], et *Urraburu* [15], volunt hanc thesim, prout jacet, esse de fide catholica; alii cum *Lahousse* [16] censent eam esse veritatem de fide divina clare contentam in deposito fidei; *alii,* ut *Monsabré* [17], *Zephyrinus Gonzalez* [18], *Tanquerey* [19], etc., docent propositionem non esse de fide.

1 *Comment, in Genesim,* c. 2, v. 23.
2 *Revue Biblique,* 1897, pp. 348, 364, 365, 367, 368.
3 *Genesis,* 36.
1 Cfr. Lenormant, *Les orig. de l'hist.,* p. 54 sqq.; Robert, *Cosmogon.,* p. 46; Hummelauer, *Comment, in Gen.,* p. 144.
6 Adamus, juxta plures, fuit hermaphrodita, juxta alios, asexualis, vel potius bisexualis. Judaeus Maimonides ait: «Adam et Eva creati sunt sicut unus, e tergo vel dorso conjuncti. Postea vero a Deo divisi sunt, qui dimidiam partem accepit, et fuit Eva, et adducta est ad ipsum».
6 *Recherches sur l'hermaphrod. chez Thom.*
’ *La Cosmog, bibl., Introd. ad lib. orig. du monde ab auctore Matais,* p. 46 Sqq.
8 *Les espèces affines et la théor. èvol.*
“ *Confèrences sur ta théol. de S. Th.,* t. 3. «Création», 1888, pp. 585-586.
10 *El Hexdmeron y la cienda moderna,* 1901, p. 211.
11 *De Deo creante,* n. 100.
12 *In I p.,* disp. 7, q. 1, p. 1, *Secunda assertio.*
18 *De op. sex dierum,* lib. 3, c. 1, nn. 4-6.
11 *Theol. dogma, cath. specialis,* lib. 1, p. 2, n. 219.
15 *Psychologia,* vol. 1, nn. 84-85.
10 *De Deo creante,* n. 75.
17 *La nature de Thomme,* conf., 1875.
18 *La Biblia, l p.,* 549.
1,1 *De Deo creante,* n. 839.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Hagiographus describit formationem primi hominis his verbis: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem* (juxta hebraicum: *formavit hominem pulverem de terra)* L Haec, si litteraliter intelligantur, proculdubio significant corpus Adami fuisse a Deo immediate ex terra conditum. Ex decreto autem *Commissionis de re biblica,* 30 Jun. 1909, sensus litteralis trium priorum capitum *Geneseos.* ubi praesertim agitur *de peculiari creatione hominis,* in dubium vocari nequit. Ergo.

Ratio etiam demonstrat praefata verba S. S. accipienda esse in sensu litterali proprio. Nam a) In illa formatione *factus est homo in animam viventem,* id est, animal vivum. Ergo corpus, ex quo factus est homo, antequam reciperet spiraculum vitae, non erat animal vivum[2], b) Adam, quando examinavit omnia animantia terrae, non invenit adjutorem sibi similem. Si autem formatus fuisset ex simia per evolutionem, certe invenisset adjutores sibi similes, c) Dominus sic locutus est Adamum: *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es et in pulverem reverteris* 3. d) Apostolus loquens de Adamo et Christo ait: *Primus homo de terra terrenus; secundus homo de caelo caelestis 45*

2) *Ex SS. Patribus. S. Irenaeus:* «Sumpsit Deus limum de terra, et formavit hominem» s. S. *Theophilus antiochenus:* «Hoc unum opus propriis manibus dignum existimavit, hominis creationem» 6.

3) *Ex documentis Ecclesiae.* Huic doctrinae robur accedit ex recentibus decisionibus Ecclesiae. Opera enim D. Mivart *(Lessons from nature, Genesis of Species)* et P. Leroy *(Evolution restreinte aux espèces organiques),* quae originem hominis per transformismum explicare conabantur, in Indicem relata sunt ab Ecclesia. P. Zahm, qui probabilitatem sententiae Mivartii defendebat, coactus est a S. Congregatione S. Officii (a. 1899) removere suum opus a commercio. Concilium Provinciale Coloniense anni I860 declaravit: «Primi parentes a Deo immediate conditi sunt. Itaque Scripturae sacrae fideique plane adversantem illorum declaramus sententiam, qui asserere non verentur, spontanea naturae imperfectioris in perfectiorem continuo ultimoque humanam hanc immutatione hominem, *si corpus quidem spectes,* prodiisse» 7.

4) *Ex ratione.* Discrepantiae, quae apparent inter corpora hominis et belluarum, excludunt proculdubio procedentiam corporis humani a bestia. Nam

a) Homo naturaliter conservat statum corporis verticalem, et in hac positione, capite in caelum erecto, manibus pendentibus et pedibus in terra fixis, incedit seu ambulat (il marche), et talem habet membrorum conformationem, ut aliter incedere nequeat. Belluae autem, non

1 *Gen.,* 2, 7.
2 Cfr. Hummolauer, *Comment, in Gen.,* 127 sqq.
3 *Gen.,* 3, 19.
* *I Cor.,* 15, 47.
5 *Adv. haer.,* lib. 5. c. 3, n. 2; MG 7, 1129.
e *Ad Autolycum,* 2, 18; MG e, ro8t.
7 *Concit. Prov. Colon.,* p. 1, tit. 4, c. 14 (Collect. Lac., t. 5, coi. 292).

excepta simia, capite in terram prono, pedibus ac manibus terram prementes *scandunt*[1]. Porro incedentes nequeunt descendere ab scandentibus, ut ostendunt naturaiistae et philosophi[2].

b) Discrimen hominis a simia conspicitur praesertim in constitutione manuum, pedum et capitis. Caput, ex. gr., quod praesertim constituitur facie et cranio, in homine est duplo majus quam in simia. Cranium est longe majus quam facies in homine, ad summum aequale in simia; longitudo cranii et pondus cerebri fere duplo majus in homine quam in simia [3]; [4] et, quod est maxime notandum, simia nunquam tendit ad obtinendas proportiones hominis.

c) Angulus facialis in homine est ad 70 et 85 gradus, dum in simia nunquam excedit 40 gradus. Evolutio praedicti anguli facialis fit ordine inverso in homine et simia; in homine diminuitur aetate, dum in simia crescit Unde simia naturaliter non transformatur in hominem, sed potius ab eo recedit.

d) Simia pilis omnino tegitur, dum homo maxima ex parte est glaber. Quando simia reliquit pilos, ut in hominem se transformaret?

e) Homines interius exteriusque loquuntur, id est, ex rerum phantasmatibus apprehendunt et intclligunt objecta, quia gaudent potentia spirituali, qua valent judicia et comparationes efformare, et universalia, id est, essentias rerum intelligere, producendo locutionem interiorem seu *verbum mentis;* et deinde proferunt verbis externis id, quod interius mente conceperant [5]. Animalia vero irrationalia neque interius neque exterius loquuntur; *non interius,* quia, cum non habeant nisi facultates sensitivas, nequeunt percipere nisi singularia, nec judicia et comparationes efformare, ac consequenter non valent interius loqui; *neque exterius,* quia locutio exterior est manifestatio conceptus interioris, qui in brutis non exsistit [6]. Unde diserte docuit *Max Millier* (dissertatione habita in Cardiff a. 1887) hominem et bestiam distingui loquela, et bruta non posse ita evolvi, ut loquelam articulatam consequantur.

Haec cum ita sint, ipsi etiam transformistae parum fidunt suae theo-

1 Hanc doctrinam versibus ornavit Ovidius in *Metamorphos.,* lib. I, n. 83, dicens:

«Finxit in effigiem moderantum cuncta deorum
Pronaque cum spectent animalia caetera terram,
Os homini sublime dedit caclumque tueri
Jussit et erectos ad sidera tollere vultus.»

Cfr. Abbas Le Hir, *Revue des quest, scientif.,* 1893, t. 33. p. 431.

2 Cfr. Quatrefages, *L'espèce humaine,* c. Ii; Farges, *La vie et l'évolution des espèces,* 1908, p. 316.

3 Cfr. Reuseh, *La Bible et la nature* (gallice transi.), § 25; et Quatrefages, *Hommes fossiles et hommes sauvages,* 1884.

4 Cfr. Mendive, *La religiôn catôlica,* c. 30.

5 Cfr. Liberatore, *Conoscenza intellettuale,* vol. 1, c. 3: et Gerard, *L'antico enigma* (ital. versum), p. 81. Apposite ad rem Ludovious de Leon: «Hay dos maneras o dos diferencias de nombres: unos que estân en el aima, otros que suenan en la boca. Los primeros son el ser que tienen las cosas en el entendimiento del que las entiende; y los otros el ser que tienen en la boca del que, como las entiende, las declara y saca a luz. con palabras». *Nombres de Cristo,* lib. 1, introd., § 2. «Y de esto».

° Vi<|, s. Thoma·, *ti lt,* q no, a. ›; *De veritate,* q. 4, a. 3.

riae, quae in dies magis contemnitur in scholis, dum vera doctrina de immediata hominis per actionem Dei formatione immobilis statL

730. Scholion. I. *De limo terrae.* Potuit certe Deus quodlibet animal vivum adsumere et transformare in corpus humanum, disponendo ejus organismum, ut animam rationalem susciperet. Sic etiam homo diceretur de terra factus mediate, quatenus omnia animalia ex seminalibus rationibus terrae commissis nata sunt.

Attamen rationes, quas supra attulimus pro immediata Dei actione in formatione corporis Adami, satis probant textum S. Scripturae esse intelligendum in sensu obvio, et corpus primi hominis fuisse a Deo formatum ex terra. Vix corpori inspiravit Dominus spiraculum vitae, factus est homo in animam viventem, id est, in animal vivum, quod certe innuit praefatum corpus eousque non fuisse vivum [2].

II. *De ministerio angelorum in formatione corporis Adami.*

Incertum est, an aliquod ministerium exercuerint angeli jussu Dei in formatione corporis Adami. Angeli certe nequiverunt materiam inorganicam convertere in carnem et ossa, ut bene probat *Alensis* [3], sed potuerunt corpora movere. Unde S. *Thomas* concedit potuisse fieri «ut aliquod ministerium in formatione corporis primi hominis angeli exhiberent, sicut exhibebunt in ultima resurrectione, pulveres colligendo»[4]. Hoc ministerium revera ab angelis adhibitum fuisse docet *Arriaga* [5], aliis negantibus. Si Deus repente sine motu successivo formavit corpus hominis, ut defendunt *Suarez* [6], *Joannes a S. Thoma* [7], et alii, probabilius est angelos nullatenus interfuisse in formatione illius corporis.

III. *De sententia S. Augustini.* Doctor hipponensis docuit corpora protoparentum primo *potentialiter, causaliter, et secundum primordiales rationes* esse creata simul cum natura corporali, et deinde, adveniente tempore, esse formata in actu. *De Genesi ad litteram,* 6, 6, 10; ML 34, 343 sqq., et alibi.

1) De hoc modo loquendi S. Doctoris non parum abusi sunt transformistae dicentes S. *Augustinum* favere theoriae evolutionis. Sed frustra. Neque verbum habet Augustinus, quod faveat theoriae transfor-

1 «Je suis transformiste, ajebat D. Dolboeuf, *Revue scientifique,* 28 Dec. 1895, p. 805.... mais l'origine de l'homme m'embarrasse... Je ne sais comment passer du chien au sauvage, quand je pense au langage articulé, promoteur des idées abstraites et auxiliare inséparable de la pensée créatrice». Huxley, *Place de l'homme,* 1891, p. 7, affirmavit hominem et belluam abysso separari. Quairefagos, *Hist. gen. des races hum.,* p. 55; et Vogt, *Dogme dans la science (Revue sclent.,* 1891, p. 648), docent extrema hujus abyssi nullo ponte conjungi. Denique Virchow post multas vacillationes diserte adserit, *Pro-anihropon,* hominem simium non exsistere, et annulum intermedium inter hominem bestiamque esse phantasma. *Revue scient.,* 1892, pag. 59«·

2 An illud corpus fuerit formatum *de limo* terrae proprie dicto, seu de pulvere humido, vel de terra sicca, non conveniunt auctores. Vulgata significare videtur illud fuisse factum de *limo terrae,* sed textus hebraicus habet: *formavit hominem pulverem de terra,* quod aeque significare potest terram humidam vel siccam.

3 *Summa theol.,* p. 2, q. 75, membro 2, a. 2.

4 *1 p.,* q. 91, a. 2 ad 1.

6 *De opere sex dierum,* disp. 34, sect. 1.

6 *De opere sex dierum,* lib. 3, c. i, n. 14.

7 *Tract, de opere sex dierum,* q. 72, n. 10.

mationis animalium in corpus hominis, quia expresse elocet seminales rationes, non evolutione, sed actione Dei in actum reduci. Unde ait: «De limo terrae formari oportebat (hominem) secundum causalem rationem, in qua primitus factus erat» [1].

2) *Honoratus dei Val*[2] longe mitius explicat mentem S. Augustini, dicens seminales rationes in actum reduci actione Dei administrantis, concedendo tamen naturae, cui commissae sunt praefatae seminales rationes, qilamdam exigentiam, ut opus potentialiter productum reducatur in actum. Haec interpretatio est ingeniosa, et habet fundamentum in ipso *S. Augustino* [3].

3) Mentem S. Augustini aliter exponit *Angelicus* dicens: «Secundum rationes causales in creaturis dicitur aliquid praeexistere dupliciter: *uno modo,* secundum potentiam activam et passivam, ut non solum ex materia praeexsistenti fieri possit, sed etiam ut aliqua praeexsistens creatura hoc facere possit. *Alio modo,* secundum potentiam passivam tantum, ut scilicet de materia praeexsistenti fieri possit a Deo; et hoc modo, secundum Augustinum, corpus hominis praeexsistit in operibus productis secundum causales rationes» [4]

IV. *Primus homo non infans sed adultus formatus esse videtur.* Tum quia infantes indigent curatore, qui Adamo praesto non erat; tum quia Adamus ab initio accepit mandatum excolendi terram, quod infantibus non indicitur; tum quia primus homo, quando apparuit in terra, praeditus erat magna scientia ac prudentia.

731. Thesis **II. Corpus Evae formatum est immediate a Deo ex latere viri dormientis.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura. Dixit quoque Dominus Deus: non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adjutorium simile sibi... Adae vero non inveniebatur adjutor similis ejus. Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cumque obdormissct, tulit unam de costis ejus, ei replevit carnem pro ea. Et aedificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, et adduxit eam ad Adam. Dixitque ad Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea: haec vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est* [5]. Haec in sensu litterali historico significant Deum immediate formasse corpus primae mulieris ex costa Adae. Porro in sensu litterali historico intelligendus est locus *Geneseos,* in quo agitur de formatione Evae, ut docet *Commissio de re biblica,* 30 Jun. 1909 [6], et suadent sequentes rationes:

a) Dominus vidit hominem esse solum et volens illi dare adjutorium effecit mulierem modo, quo refertur in *Genesi.*

b) *Contra transformistes.* Adamus, cum vidisset et appellasset no-

1 *De Genesi ad litt.,* 6, 15, 26; ML 34, 349.

2 *De Deo creante,* 96-98.

3 Hoc sensu interpretari videntur S. Augustinum Pesch, *De Deo creante et elevante,* n 108; Lepicier, *Opera dei sei giorni,* p. 2, c. 8, n. 19; et Gosnelli, Versio operis *La Biologia moderna* P. Wasmann, c. 10, p. 413.

4 *1 p.,* q. 91. a. 2 ad 4 -Cfr. Van Noort, *De Deo creatore,* n. 174 in nota: et Lepicier, *Opera dei sei giorni,* p. 2, c. 8, n. 19.

5 *Gen.,* 2, 18-23.

6 *Acta Ap. Sedis,* 1909, p. 568: Denz.-Bannw., 2123.

minibus suis cunela animantia et universa volatilia caeli et omnes bestias terrae [1], non invenit adjutorem sibi similem. Ubi erat simia femina destinata ad uxorem Adami, quam fingunt evolutionistae?

c) *Contra interpretationem parabolicam et visionariam.* Vix conspexit Adamus uxorem suam, ait: *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea; haec vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.* Hic modus loquendi non potest adaptari diminution! roboris in Adamo propter uxorem (interpretatio parabolica), nec visioni per somnium sine veritate objectiva (interpretatio visionaria), sed necessario innuit formationem mulieris ex ossibus et carne Adami.

d) *Contra theoriam de geminatione.* In theoria formationis Evae per gemmationem sopor Adami duravit per longissimum temporis spatium, ut divisio sexuum efficeretur. Scriptura autem innuit Deum, vix Adam obdormivit, tulisse costam: *Cumque obdormisset.*

2) Constans fidelium traditio docet Ecclesiam fuisse formatam ex latere Christi in cruce pendentis, eo modo quo Eva formata est ex latere viri dormientis [2].

732. Scholia. I. *Fuitne Eva formata ex costa vel potius ex latere Adam?* Dubitari posset, an materia, quam Dominus tulit de Adam, fuerit revera *costa,* vel potius *latus.* Utrumque probabiliter sustineri potest. Vulgata vertit locum S. Scripturae: *tulit unam de costis ejus,* et latini hanc versionem sequuti solemus dicere Evam fuisse formatam ex costa Adami. Sed textus hebraicus utitur vocabulo (tselaj), quod, ut dicit *Hummelauer*, «latus significat vel costam» [3].

Revera textus S. Scripturae nihil obstare videtur, quominus Deus adsumpserit unam costam cum parte carnis ex latere Adami, et ex ea formaverit corpus Evae. In hac probabili interpretatione melius fortasse salvabitur 1) sensus expressionis protoparentis: *Os ex ossibus meis et caro de carne mea,* et 2) typus formationis Ecclesiae ex latere Christi, ex quo fluxerunt sanguis et aqua [4].

II. *Fuitne Adam monstrum? Cajetanus* in commentariis ad *Genesim* scribit: «Textus... si, ut sonat littera, intelligatur, inevitabile absurdum incurritur, vel quod Adam fuerit monstrum ante sublatam ex eo costam, vel quod fuerit mancus post sublatam ex eo costam, quorum utrumque manifeste est absurdum» [5].

1) *Nonnulli* ab hac difficultate se expediunt dicentes: «Deum sumpsisse unam de costis, quas Adamus communes habebat cum aliis hominibus et aliam pro ea restituisse» [6]. Sed Scriptura non commemorat productionem novae costae, quin potius negare videtur, cum ait: *Replevit carnem pro ea* [7]. *Alii* censent Adamum in creatione accepisse unam costam ultra numerum ordinarium, non tamen fuisse monstrum,

1 *Gen.,* 2, 20.

2 Cfr. *Concit. Vienn.,* Denz-Bannw., 480; S. Augustinus, in *Joan.,* tr. 9, n. 10; ML 35, 1463; S. Thomas, *I p.,* q. 92, a. 2.

3 *Comment, in Gen.,* p. 144.

4 *Joan.,* 19, 34.

5 *Comment, in... quinque mosaicos libros.* Parisiis, 1539, p. 24.

6 Cfr. Suarez, *De opere sex dierum,* lib. 3, c. 2, n. 9.

7 *Gen.,* 2, 21.

quia ilia costa erat Adae «instar seminis, quod individuo superfluum est, sed ad generationem prolis.est necessarium» E

III. Quod costae vel lateri deerat in quantitate ex parte sublata ad formandum corpus Evae, supplevit Deus aliunde, vel augendo costam ad proportiones necessarias, vel convertendo aliam materiam simul cum costa in corpus Evae.

IV. Opinio eorum, qui putant Adamum fuisse hermaphroditam seu androgynum, satis refutata manet ex dictis. Lubet hic adjungere S. *Augustinum* refutasse jam suo tempore hanc sententiam. «Ne quisquam arbitretur ita factum, ut in homine singulari uterque sexus exprimeretur, sicut interdum nascuntur, quos androgynos vocant, ostendit se singularem numerum propter conjunctionis unitatem posuisse, et quod de viro mulier facta est,.sicut postea manifestabitur, cum id, quod hic breviter dictum est, diligentius coeperit explicari; et ideo pluralem numerum continuo subjecit dicens: *Fecit eos et benedixit eos»* 2.

V. *Animae protoparentum a Deo creatae sunt ex nihilo.*

Quamvis transformistae rigidi docuerint animas protoparentum fuisse activitates mechanicas 3, vel derivatas fuisse per naturalem evolutionem ex aliis viventibus, tamen dogma catholicum est eas a Deo creatas fuisse ex nihilo. Dominus *inspiravit in faciem ejus (in nares ejus) spiraculum vitae, et jactus est homo in animam viventem* 4. Haec certe significant principium vitae in Adamo fuisse a Deo immediate productum.

De productione animae Evae nihil diserte dicit Scriptura, nihilominus certe colligi potest ipsam quoque fuisse a Deo creatam. Prima enim mulier, non secus ac vir, creata est a Deo ad imaginem Dei, juxta illud: *Creavit Deus hominem ad imaginem suam... masculum et feminam creavit eos.* Imago autem Dei non attenditur in homine nisi secundum animam rationalem.

VI. *Animae protoparentum creatae sunt a Deo simul ac eorum corpora formabantur.* Protoparentes creati sunt perfecti et ad imaginem Dei ab initio. «Anima autem, cum sit pars humanae naturae, non habet naturalem perfectionem nisi secundum quod est corpori unita. Unde non fuisset conveniens animam sine corpore creari» 5.

ARTICULUS III

UTRUM TOTUM GENUS HUMANUM AB ADAMO ET EVA ORIGINEM DUXERIT

733. Status quaestionis. Haec quaestio sponte consequitur doctrinam de creatione primi hominis. Cognita jam origine primi hominis,

1 Alupido, *Comment, in* Λ. *I.* Cfr. S. Thomas, *1 p.,* q. 92, a. 3 ad 2.
2 *lie Gen. ad liti ,* lib. 3, c. 22, n, 34; ML 34, 294.
3 Ita Huôokol, *Hist, de la création,* leçon 8; Büchner, *Fuerza y materia* (hisp. vers), § 13; Benuzzl, *Crcaciôn y vida,* c. 3.
4 *Gen ,* 2, 7.
8 S. Thomn», / />.<], 90, 11. 4.

operae pretium est investigare originem aliorum hominum. Quare disserendum est hic de descendentia generis humani ab uno pari.

Errores, i) *Praeadamitae.* a) *Isaac Peyrère,* calviniste saeculi χvιι, docuit in primo capite Genescos describi ante Adamum creationem primi hominis, qui fuit pater gentilium, in secundo vero capite creationem Adami, patris judacorum, et consequenter solos judaeos descendisse ab Adamo [1]. b) *Defensores hominis tertiani* volunt homines jam exstitisse ante Adamum in epocha tertiaria, sed non conveniunt in adsignanda eorum antiquitate et duratione; *aliqui* contendunt plures homines inhabitasse orbem tempore, quo describitur in Genesi creatio hominis (Mortillet); *alii* censent hujusmodi homines tertiarios disparuisse ante Adami creationem et genus humanum hodiernum de novo incepisse ab Adamo. Ita *J. Fabre D'Envieu,* professor parisiensis [2].

2) *Coadamismus.* Coadamismus est systema eorum qui docent tempore Adami fuisse homines, aliquarum respective familiarum progenitores. Diversimode hoc explicant auctores. *Nonnulli* dicunt praefatos homines fuisse ejusdem speciei in diversis terrae partibus a Deo creatos, ut essent stipites diversarum familiarum. Ita *Agassiz* [3]. *Alii* volunt coadamitas fuisse diversae speciei, formatos vel per creationem a Deo, vel per transformationem ab animalibus, vel etiam per spontaneam e terra generationem [4].

734. Thesis. **Universum genus humanum a protoparentibus Adamo et Eva originem duxit.**

Juxta *Urraburu* [5], *Van Noort* [6], etc., propositio est *de fide catholica,* juxta *Tanquerey* [7] et alios, est certa et *proxima fidei.*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura,* a) Hagiographus expresse docet ante formationem Adami nullum fuisse hominem in terra. *Homo,* inquit, *non erat qui operaretur terram... Formavit igitur Dominus Deus hominem* [8].

b) Post creationem Adamus erat solus: *Adae vero non inveniebatur adjutor similis ejus* [9].

c) Consequenter Adam, *qui primus formatus est a Deo,* vocatur *pater orbis terrarum* [10], et Eva *mater cunctorum viventium* [11].

1 *Praeadamitae vel systema theologicum ex praeadamitarum hypothesi.* Peyrère, a Selden aliisque theologis confutatus, suam sententiam et haeresim calvinianam ejuravit Romae anno 1675.

2 *Les origines de la terre et de l'homme,* liv. 11.

3 *De l'espèce et de la clasification en Zoologie.*

4 Demoulins, *Hist, naturelle des races humaines,* p. 336, distinxit undecim species hominum *aborigines,* correspondentes totidem mundi regionibus, in quibus primo apparuerunt. Conferri possunt: ex *monogenistis* Cuvier, *Le regne animal,* Paris, 1829, t. 1, p. 80: Moigno, *Les splendeurs de la foi,* t. 2, p. 402 sqq.; et Quatrefages, *L'espèce humaine: ex polygenistis;* Bory de S. Vincent, *Dictionnaire classique de l'histoire naturelle,* t. 8; Morton, *Crania americana:* Nott et Gliddon, *Types of Man kind,* et alii.

5 *Psychologia,* lib. 2, disp. 10, n. 297.

6 *De Deo creatore,* n. 179.

7 *De Deo creante et devante,* n. 841 (cd. 14).

8 *Gen.,* 2, 5-7.

9 *Gen.,* 2, 20.

10 *Sap.,* 10, i.

11 *Gen.,* 3, 20. Quae de unitate generis humani in tribus primis capitibus referuntur, sensu litterali historico intelligenda sunt. Ita *Commissio de re biblica,* 30 Jun. 1909 ad 3. *Acta Ap. Sedis,* 1909, p. 568.

d) Unde Apostolus ait: *Feçitque* (Deus) *ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae* [1].

2) *Ex traditione. S. Augustinus* ait: «In ipso exordio Adam et Eva parentes omnium gentium erant, non tantummodo judaeorum; et quidquid figurabatur in Adam de Christo, ad omnes utique gentes pertinebat, quibus salus est in Christo»[2]. Alii SS. Patres S. Augustino subscribunt.

3) *Ex auctoritate Ecclesiae.* Concilium Trid. declaravit peccatum originale ab Adamo commissum, *origine unum,* propagatione fuisse *transfusum omnibus*[3], quod non esset verum, si omnes homines ab Adamo non descendissent. Quare Concilium Vaticanum paraverat canonem sequentem: «Sub anathemate damnamus errorem, quo haec unitas et communis origo totius humani generis negatur» [4].*

Difficultatibus satisfit.

735. Obj. 1.° *Ex S. Scriptura,* i) Dixit Dominus ad Cain: *Sin autem male (egeris), stalim in foribus peccatum aderit* [°]. 2) *Posuitque Dominus Cain signum·, ut non interficeret eum omnis, qui invenisset eum* [e]. 3) Cain ex uxore sua genuit Henoch, et aedificavit civitatem ad orientalem plagam Eden [’]. Ergo tempore Cain, primogeniti Adami, erant fores ac idcirco tribunalia et judicia, peragrabant mundum homines, quos Cain timebat, et exsistebant mulieres quarum unam Cain in uxorem duxit.

Resp. Ut haec loca probe intelligantur, animadverte cum S. *Augustino* «non omnes homines, qui tunc esse potuerunt, scriptorem sacrae hujus historiae necesse habuisse nominare, sed eos solos, quos operis suscepti ratio postulabat. Propositum quippe scriptoris illius fuit, per quem Spiritus Sanctus id agebat, per successiones certarum generationum ex uno homine pro pagatarum pervenire ad Abraham ac deinde ex ejus semine ad populum Dei» [8]. Ante Scth solummodo nominantur Cain et Abel in S. Scriptura, sed, cum Adamus esset centum et triginta annorum, quando genuit Seth [’], pro habiliter procreavit hoc tempore filios et filias, qui minime nominantur, hique vicissim habuerunt suos liberos. Hinc

1) Jure poterat Cain timere vindictam fratrum et nepotum. 2) Ut horum vindictam declinaret, signatus est a Domino et fugit in plagam orien talem. 3) Propagatis filiis ac descendentibus Adami, Cain construxit civi tatem, id est, aliquas habitationes seu castra. Uxorem autem duxit aliquam ex sororibus vel nepotibus, quod tunc temporis erat omnino licitum, humani generis propagandi causa [’°].

Obj. 2.° Diversae stirpes hominum, *caucasica* praesertim, *mongolien, aethyopica, americana* et *malesica,* cum varietate coloris, structurae, facul tatum mentalium, conditionis capillorum, conformationis corporum, etc., arguunt diversam originem. Ergo.

Resp. 1) In omnibus individuis generis humani, licet ad remotissimas stirpes pertineant, major observatur affinitas et similitudo quam discrcpan-

1 *Act., vj,* 26.
2 *In Joan, ev.,* tr. 9, 10; ML 3S, 1463.
3 *Sess.* 5, decreto de peccato originali; Denz-Bannw., 790.
4 *I Schema Concilii l'at., c.* 15, *Collect. Lac.,* vol. 7, col. 516.
6 *Gen,,* 4, 7.
° *Gen.,* 4, 15.
’ *Gen.,* 4, 17.
3 *De civit. Dei,* lib 15, c, 8, || 1; MI. 41, 446
* *Gen.,* 5, 3.
•° Cfi Huinniolaner, *Comment in Gen ,* p. 187

tia, adeo ut rationes affinitatis vehementer suadeant admittere originem communem hominum ab uno pari. Omnes siquidem homines habent eandem formam *morphologicam* organorum et craniorum cum parvis modificationibus [1]; easdem exercent functiones *physiologicas,* praesertim quoad opus generationis, ad quod omnes ultro commiscentur cum feminis etiam remotissimae stirpis, easque perenniter fecundant; easdem exhibent perfectiones *psychologicas,* praesertim quoad intelligentiam, qua omnes concipiunt universalia, conceptus suos discutiunt, in scientiis et artibus progrediuntur, et aliquam religionem profitentur.

2) Diversitas coloris, staturae, cranii, capillorum, etc., quae in aliquibus stirpibus conspicitur, est omnino accidentalis, utpote quae invçnitur saepe in individuis ejusdem stirpis, et merito potest causis naturalibus adseribi [2].

3) Causae naturales, quibus adseribi potest hujusmodi varietas, sunt praecipue aër, victus, labor, haereditas, mores, genus vitae, etc. Hinc refert *Camper* apud *Meignan* [3] casum, quo femina tempore praegnationis devenit nigra, et alii, e contra, referunt casus, in quibus nigri aliquando mutati sunt in albos. Varietas staturae et craniorum saepe dependet ex alimentorum defectu vel abundantia, ex laboribus externis, etc.[4] Omnes denique varietates veniunt ex haereditate, quando praecipue parentes pertinent ad diversas stirpes [5].

Obj. 3. Diversitas linguarum est adeo magna et radicalis inter homines, ut nequeat venire ab una radice nec conciliari cum origine generis humani ab uno pari [6]. Ergo.

Resp,- Neg. ant. Quaestionem maxime complexam de origine diversitatis linguarum, quam insolubilem putaverunt antiqui, attingit haec objectio. Sed, factis recenter studiis philologiae comparatae, satisfactorie solvitur hodie difficultas. Eruditissimi philologi comprobarunt inter linguas, quae credebantur omnino diversae, adesse magnam affinitatem, adeo ut omnes linguae in mundo cognitae possint ad duas vel tres classes reduci [7]. Ex quo facile deducitur omnes linguas ex una matre communi procedere. Sicut enim linguae hodiernae formatae sunt evolutione ex paucis olim exsistentibus, ita pariter illae antiquae classes potuerunt paulatim formari ex una primitiva lingua adjunctis affixis et suffixis [8].

Obj. 4. Homines descendentes ab uno pari nequiverunt in antiquis temporibus migrare ad dissitas insulas, praesertim ad Polynesiam et Américain. Ergo.

Resp.—Neg. ant. Non constat quomodo homines ab unico centro migrarint ad Polynesiam, Américain aliasque orbis insulas, sed certo comprobatur media ad hoc non defuisse, et de facto homines in praefatis regionibus viventes a centro communi descendisse.

ij *Média non defuerunt,* a) Non sine fundamento creditur maria saepe vado mutasse, adeo ut pars oceani hodierni fuerit continens vel saltem habuerit hinc et inde plures insulas disseminatas, per quas olim erat accessus facilis ad extremum usque terrae. Sic aliqui defendunt Polynesiam olim

1 Cfr. Topinard, *Anthropologia* (hisp. vers.), part. 2.a, cc. 1-5.

2 Quatrefages, *Unité de l'espèce humaine,* et *Histoire gén. des races humaines;* Mgr. Meignan, *Le Monde- et l'homme primitif,* ch. 8 sqq.

3 *Le Monde et l'homme primitif,* p. 210 (ed. 3.»).

4 Varietas in statura et craniis non est tam magna inter homines diversae stirpis, quam inter animalia ejusdem speciei. Vid. Meignan, *Le Monde et l'homme primitif,* ch. 8.

6 Cfr. Quatrefages, *L'espèce humaine,* liv. 7, ch. 22; Moigno, *Les splendeurs de la foi,* t. 3, p. 542; et Guibert, *Les origines,* p. 296 sqq. (ed. 6.").

8 Balbi, *A bregéde géographie,* p. 61, enumerat 800 linguas et 5.000 dialectorum.

7 Nonnulli volunt hodiernas linguas reduci ad duas classes principales, scilicet, ad *indo-europeam* et *syro-arabicam:* alii contendunt eas ad tres typos revocari, nempe, ad *monosyllabicam, agglutinativam* et *flexibilem.* Cfr. Meignan, *Le Monde et l'homme primitif,* ch. 11.

8 Cfr. Max Müller, *La science du langage,* p. 426. Paris, 1864.

pertinuisse ad continentem africanum [1], et in oceano atlantico exstitisse plures insulas (Atlantida), quae decursu temporis disparuerunt [2].

b) Accessus ad Polynesiam non erat difficilis per viam archipielagi Malaicae, ut videre est in charta geographica. Ad Américain potuerunt accedere homines vel ex Asia per angustum fretum Behring, ut plures volunt [3], vel ex Japonia per viam Kouro-Sivo, nt aliis placet [4], vel ex Europa per viam Islandiae-Groenlandiae, ut verosi.mile est [5], vel ex Africa per aequatoriale flumen maris atlantici [6].

2) *Homines Polynesiae et Americas ab uno centro communi descenderunt.* Quia a) Innumerae traditiones inventae sunt in Oceania et America de adventu majorum ex dissitis regionibus ultramarinis [7]. b) Lineamenta americanorum satis clare indicant proccdentiam ex Asia, c) In Statibus Foederatis Americae inventae esse dicuntur inscriptiones sepulehrales, quae confirmabant originem asiaticam tumulatorum, d) Vestigia religionum Asiae conservabantur in America, quando europaei illuc appulerunt saeculis xv et xvi.

ARTICULUS IV

DE ANTIQUITATE HOMINIS

736. Status quaestionis. Multo communius admittitur hodie hominem esse longe posteriorem mundo corporeo. Hoc conformius est placitis geologiae, non contradicit narrationi biblicae, et suadetur ratione, secundum quam conveniebat, ut homo appareret in mundo post plantas et animalia.

Sed quantum ad epocham, qua primus homo fuerit a Deo formatus, agitatur gravissima quaestio, partim historica, partim theologica. Historica quidem, quia ad chronologiam pertinet totius generis humani origo, theologica vero, quia intime connectitur cum descendentia generis humani ab Adamo, et consequenter cum materiis de peccato originali, redemptione, etc.

Ex narratione biblica et ex inventis palaeontologiae nequit certo determinari aetas humanitatis, quia chronologia biblica diversimode apparet in variis versionibus, seque accommodat pluribus interpretationibus, et inventa palaeontologiae valde obscura sunt et incerta in hac materia. Velim tamen observes opiniones eorum, qui narrationem bibliorum explicare et sequi contendunt, maxime differre a positionibus eorum, qui factis palaeontologicis innixi aetatem hominis computare volunt.

Liceat mihi ex innumeris sententiis, quae in hac materia circumferuntur, paucas, easque celebriores, referre, et, quid tenendum sit, breviter declarare.

1 Quatrefages, *L'espèce humaine,* p. 138 sq.

2 «Mortillet llega a decir, inquit ad rem Hamard, *Diccionario apologético de Jaugey,* v. «Antigiiedad del hombre», p. 173 (hisp. vers.), que Francia comunicaba por tierra no sôlo con Inglatcrra, sino con Africa; y que los pafscs intermedios por efecto de un hundimiento se sumergieron.»

3 Quatrefages, *L'espèce humaine,* p. 148.

4 Quatrefages, Ibid.

5 Cfr. Moigno, *Les splendeurs,* t. 2, p 507 sq.

6 Cfi Rouiolt. *Lu Bible et la nature,* § 29, pp. 499-500 (gall. vers.).

7 Cfr. Nadnlllno, *l \ premiers hommes,* t. 2, chap. 9: «Si nous remontons»; et Doiiienech. *Viajc pintoresco.*

737. I. Opiniones variae. 1) *Computus secundum generationes relatas in bibliis.* Hagiographus non texuit chronologiam proprie dictam, sed retulit hinc et inde genealogias patriarcharum, ex quibus facti sunt computus circa antiquitatem generis humani. Quia tamen numerus annorum, quibus patriarchae dicuntur vixisse, non eodem modo referuntur in diversis S. Scripturae versionibus, et plures suspicantur genealogias quorumdam patriarcharum fuisse omissas, inde factum est, ut SS. Patres et exegetae confecerint chronologias valde diversas. Secundum textum hebraicum, ab Adam usque ad Christum fluxerunt anni circiter 4184: secundum Vulgatam 4014; secundum Samaritanum 4449; secundum martyrologium romanum 5199; secundum Septuaginta 5634; Ecclesia graeca alexandrina computat annos 5504; et Constantinopolitana 5510.

Ex SS. Patribus et interpretibus catholicis, alii, alias versiones sequuti, alii, generationes patriarcharum diversimode computantes, alii, lacunas in generationum serie supplere volentes, innumeras computationes exhibuerunt, quarum plures poterit curiosus lector videre apud *Urraburu* E

2) *Computationes secundum exigentias scientiarum.* Scientiarum naturalium cultores, inventis geologiae, chronologiis populorum et observationibus archaeologicis generatim moti, defendunt a primo homine usque ad Christum fluxisse centena annorum millia [2]. Distinguunt tempora historica, quorum exstant monumenta vel notitiae historicae, a temporibus praehistoricis, quae nonnisi ex indiciis geologicis supponuntur.

a) Horum naturalistarum aliqui defendunt hominem exstitisse jam ab epocha *tertiaria* [3], ac idcirco aetatem generis humani esse incalculabilem. Hoc scientifice probare conatus est *Rev. Dont. Bourgeois* in Gallia, adserens se invenisse in terrenis tertiariis Thenaei (Thenay) silices humana industria elaboratas. Id ipsum deinde confirmare voluerunt *Ribeiro,* lusitantis, ex silicibus inventis in loco *Otia* ad oram fluminis Taji; *Rames,* ex objectis inventis in *Puy-Conruy,* quae pariter dicebantur elaborata ab homine[4], et alii. Huic opinioni adsenserunt *Franciscus Lenormant* ®, *Quatrefages* ®, et recenter cl. *P. A rintero* [7].

1 *Psychologici,* lib. 2, disp. io, n. 292; Alphonsus Vignolles, *Chronologie de l'histoire sainte,* refert se ultra ducentas computationes enumerasse.

2 Haëckel, *Histoire de la création,* leçon 23, concedebat homini antiquitatem 100.000 annorum; Lyell, *L'ancienneté de l'homme prouvée par la Géologie;* et Lubbock, *L'homme avant l'histoire,* 200.000; Mortillet, *La préhistorique antiquité de l'homme, Formation de la nation française* (1897), p. 234, 230.000 vel 240.000 annorum; Drapper, *Conflictos,* 250.000; alii autem milliones annorum. «Al genere humano, ait ad rem *La Civiltà Cattolica,* 1895, vol, 4, p. 540, il Lyell e il Lubbock regalavano 200.000 anni; il Fuhlrot e il Vivian 300.000, altri 1.000.000; l'Hunt, Présidente della Società Antropologica di Londra 9.000.000.

3 Carolus Lentheric, *L'homme devant les Alpes,* 1896, admisit hominem exstitisse in cpocha secundaria.

4 Vide has si'.ices depictas apud Guibert, *Les origines,* ch. 6, § 3. Multum disputatum est in congressibus et academiis scientificis de his et aliis silicibus, sed nunquam plene probatum est eas pertinuisse ad epocham tertiariam, et elaboratas esse industria humana. Cfr. Mir, *La creaciôn,* c. 42.

5 *Hist. ancien de l'Orient,* liv. 1, c. 3, § 1, pag. 121

® *Introduction a l'étude des races humaines* (1887).

7 *El Hexdmeron y la ciencia moderna,* pp. 294 et 300 (1901).

b) Plerique contendunt hominem non apparuisse in terra durante epocha tertiaria, sed in principio quaternariae; sed, cum haec epocha fuerit longissimae durationis ante tempora historica, concludunt hominem per plura annorum millia vixisse in terra. Ita plures naturalistae [1].

Ex his opinionibus nihil habet timendum revelatio mosaica, dummodo admittatur actuale genus humanum descendere ab uno Adamo. Concedunt enim exegetae tum antiqui tum moderni non omnes generationes patriarcharum fuisse enumeratas in Scriptura. Unde si longam chronologiam inter Adamum et Christum exigerent scientiae naturales, posset tota lacuna suppleri generationibus ab hagiographo omissis [2].

3) Plures protestantes et catholici liberales, supponentes antiquitatem incalculabilem hominis esse in scientiis naturalibus demonstratam, ut conciliarent S. Scripturam cum scientiis naturalibus, dixerunt hagiographum in referendis genealogiis non retulisse historiam et genealogias 10 patriarcharum ante diluvium, sed, volendo inculcare ideam religiosam de malitia hominis et de justitia Dei, usum fuisse symbolismo hausto ex traditione babylonica de 10 regibus antediluvianis, quibus Berosus tribuit exsistentiam 432.000 annorum. Ita *Minocchi* [3].

Haec interpretatio negat historicitatem libri *Geneseos* contra doctrinam *Commissionis de re biblica,* 30 Jun. 1909, et in periculum vertit inspirationem ejusdem.

738. II. Sententia probabilior. Multo probabilius est hodie patriarcharum genealogias, quae referuntur in Biblia, non esse completas, atque idcirco, suadentibus scientiis naturalibus, majorem aetatem, quam textus biblicus primo aspectu concedit, tribuendam esse generi humano.

1) *Lacunae in genealogiis,* a) Inter Joram et Oziam, qui continuo ponuntur in Evangelio Matthaei, videntur collocandi Ochozias, Joas et Amasias, ex 71' *Reg.,* 8, 24. b) Inter Arphaxad et Sale omittitur in *Genesi,* 11, 1, Cainan, cujus meminit *Lucas,* 3, 36. c) Plures suspicantur ab Adamo usque ad Noe et alibi omissa fuisse aliqua nomina, quae chronologiam non parum mutare possunt.

2) *Exigentiae scientiarum naturalium,* a) Archaeologiae et philologiae periti invenerunt diversitatem linguarum in monumentis pertinentibus ad annum 3.000 ante Christum. Hujus autem diversitas linguarum formari nequibat nisi post plura saecula a confusione linguarum in turri babylonica. Unde confusio linguarum accidit circa annum 4.000 vel 5.000 ante Christum. His si adjungas duo millia annorum circumacta ante turrim babelicam, habes 6.000 vel 7.000 annorum ab Adamo usque ad Christum [4]. b) Rerum orientalium investigatores docent in Aegypto et Babylonia exstitisse civilizationem, humanitatem atque progressum, circa annum 4.000 ante Christum. Ad hujusmodi progressum obtinendum necessarium fuit magnum temporis spatium a diluvio et a confusione linguarum. Ergo tempus, quod effluxit a primo

1 Vide Guiberi, *Les origines,* ch. 6, § 2.

3 Cfr. Moignan, *Le monde et l'homme primitif,* ch. 6, p. 163 sqq. (ed. 3.").

3 *La Genesi,* 151 sqq. -Putarunt aliqui nomine patriarcharum partim significari fictos inventores artium et professionum

1 Sohnns, *Apologia* (hisp. vers.), vol. 2, c 19.

homine usque ad Christum, excedit chronologias efformatas ex textu biblico[1].

Scholion. Quae antiquitas concedenda sit homini ex vestigiis palaeontologicis, ex varietate linguarum, ex chronologiis assyriorum, Chaldaeorum, aegyptiorum, etc., plane incertum est.

Admisso principio probabili de lacunis S. Scripturae in genealogiis patriarcharum, nulla adest difficultas theologica in augendo numero annorum circa antiquitatem hominis, quia lacunae poterant ad plura annorum millia protrahi. Nihilominus, cordatiores periti, qui omnia scientiarum inventa aequa lance examinarunt, existimant 10.000 vel ad summum 12.000 annorum hominis exsistentiam ante Christum sufficere ad explicandas omnes exigentias palaeontologiae, philologiae atque historiae hactenus cognitas.

739. 111. Opinio eorum, qui exsistentiam hominis protraxere ad 100.000 annorum et amplius, nullo innititur solido fundamento. Auctores hujus opinionis petunt communiter argumenta ex palaeontologia, ex linguistica et ex chronologia 'antiquorum populorum, quia autumant fossilia palaeontologica inventa in antiquissimis stratis terrae, evolutionem linguarum observatam in monumentis vetustissimis, et historiam assyriorum, Chaldaeorum et aegyptiorum, explicari non posse, nisi concedatur homini longissima antiquitas. Perpendamus breviter singula.

1) *Argumentum palaeontologicum.* Duo conantur geologi statuere et probare in hac materia: a) hominem vixisse in epocha glaciali[2]; et b) epocham glacialem longissimo abhinc tempore exstitisse[3]. Sed utrumque est prorsus incertum, et longissima saeculorum series, quam petunt aliqui geologi, est fetus imaginationis, ut optime ait *Van Noort*[4].

Quantum *ad 'primum,* negant plures naturalistae, aliis contjadicentibus, hominem potuisse vivere in epocha glaciali[5].

Quantum *ad secundum,* probabilissime tenent plures auctores in scientiis naturalibus peritissimi periodum glacialem non excedere antiquitatem 8.000 annorum, imo et epocham praesentem esse continuationem periodi glacialis. Cum innumeris testimoniis probat cl. *Hamard*[6], in Gallia, Scythia, Italia, et in regionibus praesertim fluminum Rheni. Albi, Vistulae et Danubii, glacies adeo magnas apparuisse temporibus etiam historicis, ut potuerint producere eadem phaenomena, quae producta dicuntur in epocha glaciali.

2) *Argumentum philologicum.* Quidquid in çontrarium dicant aliqui linguistae, nullum hucusque exstat monumentum, quod demonstret exsistentiam varietatis linguarum ante annum 3.000 ante Christum..

1 Cfr. Guibert, *Les origines,* p. 331 sqq., 1910; Hetzenauer, *Comment, in lib. Gen.,* p. 181. 1910. Vis horum argumentorum fere evanescit, si negetur universalitas anthropologica diluvii, circa quam videndi sunt Hummelauer, *Comment, in Geri.,* p. 235 sqq.; Arintero, *EI diluvio universal,* c. 5.

2 MortiUet, *Matériaux,* t. 5, p. 429.

3 Cfr. Rodriguez, *Apologética,* c. 13; et Degenhardt, *Los cuatro arcanos dei mundo.*

4 *De Deo creatore,* n. 186.

5 Vide Nadaillac, *Le problème de la vie,* p. 201.

6 *Diccionario apologética de Jaugey* (hisp. vers.), v. «Antigüedad del hombre»: et *Controverse,* Nov. 1886.

Porro 5.000 annorum sufficiebant ad formationem varietatis idiomatum. Unde possunt philologi confusionem babelicam ad summum retrotrahere ad 8.000 annorum ante Christum.

3) *Argumentum chronologicum populorum antiquorum.* Hoc argumentum innititur narrationibus populorum, quae plerumque ornantur fabulis. Veri critici censent hodie monumenta antiquiora hucusque inventa circa Assyriam. Chaldaeam, et Aegyptum esse ea, quae referuntur ad Sargonem, regem Assyriorum, circa annum 3.750 ante Christum, ad ejusdem filium Naram-Sin, regem Chaldaeorum, paulo posterius, et ad Menem, primum regem Aegyptiorum, circa annum 5.000 ante Christum λ Inscriptiones, catalogi regum, aliaque monumenta archaeologica populorum antiquorum non ascendunt, juxta veram criticam, ultra 5.000 annorum ante aeram Christianam [2]. Civilizatio illo tempore exsistens supponebat quidem aliquam antiquitatem, sed non plura millia annorum a diluvio.

Corollarium. Ex his facile deducuntur sequentes conclusiones: 1) Quaestio de antiquitate hominis est valde obscura, et elementis hucusque cognitis certo resolvi nequit. 2) Ecclesia nihil hucusque circa eam declaravit, sed quaestionem hinc et inde discutiendam scientiis humanis reliquit [3]. 3) Argumenta palaeontologica, quae a peritis adducuntur, arguunt quidem exsistentiam hominis ab antiquissimo tempore, sed non determinant ejus initium. 4) Monumenta archaeologica populorum antiquorum videntur probare exsistentiam civilizationis et artium a 5.000 annorum ante Christum, sed nihil ultra declarant, et computationes, quae fiunt circa tempora antiquiora, sunt meri calculi peritorum, non scientiae conclusiones [4].

ARTICULUS V

QUOMODO SINGULI HOMINES ORIANTUR

740. Status quaestionis. 1) Omnes norunt hominem a parentibus generari. Sed homo, ut jam diximus, constat ex anima et corpore, qua forma et materia. Composita pure materialia, supposita prima creatione materiae, producuntur generatione, quatenus forma educitur ex potentia materiae. Potestne homo eodem modo generari, adeo ut corpus generetur a parentibus, et anima, quae est ejus forma, educatur ex potentia materiae?

2) Nullatenus puto esse dubitandum, quin corpus humanum generetur a parentibus per viam ordinariam eodem modo ac corpus anima Hum, sed de anifna humana, quae, utpote spiritualis, ex semine oriri nequit, duplex est quaestio: a) quomodo oriatur, et b) quandonam corpori suo uniatur.

1 Ctr. Monindoz y Polayo, *Hist. de los hcterodoxos,* t. i, p. 94 (1911).

4 Gulbort, *Les origines,* p. 331 sqq, (1010): Menéndez y Polayo, *Hist, de los hétérodoxes espnflolvs,* torn 1, p. 94 (1911)

3 Cfr. *lispafla* v *Imirica,* 15 Apr, 1913, p, 100.

4 Cfr Ponob. *De Deo creante et elevante,* || if>2.

741. Variae sententiae. I. *Quoad originem animae humanae.*

1) *Aeternitas animarum.* Nonnulli ex antiquis philosophis docuerunt intellectum humanum esse aeternum. Ita *Averroës* [1], et fortasse prius Aristoteles, quando adseruit intellectum esse perpetuum.

Hic error satis refutatus est ex iis, quae diximus contra aeternitatem creaturarum.

2) *Emanatismus.* Aliqui veteres philosophi putarunt animam humanam esse, vel particulam essentiae divinae, vel emanationem substantiae Dei, vel etiam ipsum ens infinitum diversimode evolutum. Sic *Pythagoras, plures pantheistae, stoici, gnostici, neoplatonici, manichaei et priscillianistae* [2].

Concilium Bracharense (a. 561), canone 5 ait: «Si quis animas humanas vel angelos ex Dei credit substantia exstitisse, sicut Manichaeus et Priscillianus dixerunt, a. s.» [3]. Recentius Concilium Vaticanum edidit definitionem dogmaticam his verbis: *Si quis dixerit res linitas, tum corporeas tum spirituales, aut saltem spirituales, e divina substantia emanasse; aut divinam substantiam sui manifestatione vel evolutione jieri omnia... a. s.* [4]. Emanatismum reprobat *Angelicus* dicens: «Quum substantia divina sit omnino impartibilis, non potest aliquid substantiae esse anima, nisi sit tota substantia ejus... In anima manifeste apparet variatio secundum scientiam et virtutem et earum opposita. Deus autem est omnino invariabilis et per se et per accidens. Non igitur anima potest esse de substantia divina» [5].

3) *Generatianismus seu traducianismus.* Est systema eorum, qui docuerunt animas humanas a parentibus generari et in filios traduci. Nonnulli contendunt hoc fieri ex corpore parentum per semen materiale *(traducianismus materialis)* [6], alii ex anima per semen spirituale *(traducianismus spiritualis)* [7].

Quamvis Ecclesia nondum dederit definitionem dogmaticam de origine animae humanae, adsunt tamen gravissima documenta, quae traducianismo adversantur, et est adeo unanimis theologorum consensus de creatione animarum, ut traducianismus nequeat tuto sustineri.

1 *De anima,* lib. 3, pp. 164 et 165 (ed. Vcnetiis apud Junctas, 1562). Cfr. S. Thomas, *Contra Gentiles,* lib. 2, c. 83. «Qui vero».

2 Cfr. de Pythagora, S. Hieronymus, ep. 126; ML 22, 1085; de pantheistis, S. Thomas, *Contra Gentiles,* lib. 2, c. 85; de stoicis, Buddens, *Analecta hist. phil. de erroribus Stoicorum,* § 11; de gnosticis, S. Augustinus, *De haeresibus,* haer. 6; ML 42. 27; de neoplatonicis, Wulf, *Histoire de la Philosophie médiévale,* η. 78 (1912): de manichaeis, S. Augustinus, *Contra Fortunat.;* ML 42, 117; et S. Thomas, *Contra Gentiles,* lib. 2, c. 85; de priscillianistis, S. Hieronymus, ep. 126; ML 22, 1085; et *Concil. Bracharense* I, can. 5; ML 84, 563.

3 Loaisa, *Collectio Conciliorum Hispaniae,* p. 117 (Matriti, 1593); et Denz-Bannw., n. 235. Cfr. symbolum fidei Leonis IX, apud Denz-Bannw., n. 348.

4 *Sess.* 3. *De Deo, rerum omnium creatore,* can. 4; Denz-Bannw, n. 1804.

5 *Contra Gentiles,* lib. 2, c. 85.

3 Ita videtur docuisse Tertullianus. Vid. S. Augustinus, ep. 190 ad Optat., c. 4, n. 14; ML 33, 861.

' Sic Appollinaris. Cfr. Nemesius, de natura hominis, c. 2; MG 40, 536 sqq ; Meohitriz, magister atmenorum; Denz-Bannw., 533; et ex recentioribus, Hermes. Aliqui SS. Patres Occidentales, ut S. Augustinus, *De anima et ejus orig.,* lib. I, C. 14; ML 44, 484: S. Gregorius M., *ep* 52 *ad Secundinum,* ML 77, 989 sq : S. Isidorus hisp., *De eccl. offic.,* lib. 2, c. 24; MI. 83, 818; et alii ancipites haeserunt.

a) Mater Machabaeorum ait: *Nescio qualiter in utero meo apparuistis, neque enim ego spiritum et animam donavi vobis* [1].

b) Benedictus XII inter 116 errores armenorum recensuit sententiam Mechitriz, qui «de novo introduxit et docuit, quod anima humana filii propagatur ab anima patris, sicut corpus a corpore» [2].

c) Innumeri SS. Patres diserte rejecerunt traducianismum, et theologi ac philosophi jam inde ab initio methodi scholasticae hoc systema unanimiter reprobarunt, imo plerique dixerunt doctrinam de traduce animarum esse haereticam. *Petrus Lombardus* ait: «Catholica Ecclesia nec simul nec ex traduce factas esse animas docet» [3]. S. *Thomas:* «Ponere... animam intellectivam a generante causari, nihil est aliud, quam ponere eam non subsistentem, et per consequens corrumpi eam cum corpore. Et ideo haereticum est dicere, quod anima intellectiva traducatur cum semine» [4]. *Angelico* subscribunt omnes commentatores [5].

4) *Evolutionismus. Antonius liosmini Leibnitzium* [6] fortasse sequutus, putavit non repugnare «ut anima humana generatione multiplicetur, ita ut concipiatur eam ab imperfecto, nempe a gradu sensitivo, ad perfectum, nempe ad gradum intellectivum, procedere» [7].

a) Propositio Rosminii damnata est a S. C. S. Officii sub die 14 Dec. 1887.

b) Animam sensitivam non posse per se ipsam vel per causas naturales evolvi in intellectivam docet sana philosophia, quia converti non potest sensitivum in spirituale, temporale in aeternum, corruptibile in incorruptibile [8].

5) *Falsus creatianismus.* Aliqui catholici, ut facilius explicarent transmissionem peccati originalis, dixerunt animas humanas a parentibus creari ex nihilo in momento generationis. Ita *Klee* [9] et *Frohschammer* [10] [11]

Hoc systema aperte contradicit doctrinae supra traditae circa impossibilitatem creandi aliquid a causis finitis, etiam qua instrumento Dei.

6) ' *Creatianismus.* Catholici generarim docent animas singulorum hominum a Deo creari ex nihilo. Veritas hujus doctrinae omnino tenenda est, ut patebit ex dicendis in thesi.

742. II. Quoad tempus productionis animarum intellectualium.

1) *Praeexsistentianismus.* Veteres quidam philosophi, ut *Pythagoras, Plato, Origenes* u, et alii non pauci [12], docuerunt animas rationa-

1 *II Machab.*, 7, 22-23.

2 Denz-Bannw., n. 533.

3 *II Sent.*, dist. iS, n. 8.

1 *I p.*, q. 118, a. 2.

5 Vide Gonzâlez, *Psychol.*, sect. 2, c. 3.

6 *Tentamina theodiçeae* (ed. Tubing·. 1771). n. 91.

7 *Teosofia*, vol. 1, ή. 646. Denz-Bannw., n. 1910.

8 Cfr. *Trutina theologica*, prop. 20.

9 *Hath. Dogm.*, 2, p. 304.

111 i *'l lier den Ursprung der menschlichen Scelcn.* Hic liber in Indicem relatus est dic 5 Martii 1857.

11 De his tribus loquitur S. Hieronymus, *ep.* 126 *ad Marcellinum et Anapsyihiam:* MI. 22, 1085. de Pythagora, Eusebius, *De praed evang.*, lib. 10, c. 8; MG 21, 801; de Platone, S. Augustinus. *Contra Julianum*, lib. 2, c. 7; MI. 44, 686.

12 Ita tnunichnei, pi ea illianistae, cutlniri et alii.

les esse ipsos angelos, qui peccaverunt, et in poenam sui sceleris missos esse in corpora, ac proinde fuisse a Deo creatos ab initio.

Leibnitzius modificavit theoriam praeexsistentianismi dicens: «Animas, quae aliquando erunt humanae... jam fuisse in seminibus, regrediendo per omnes majores usque ad Adamum, et ideo ab initio mundi in quadam corporis organici ratione semper exstitisse. Sed mihi... congruum esse videtur, ut non praeexstiterint, nisi tanquam animae sensitivae vel animales, perceptione sensuque praeditae, ac ratione destitutae, manserintque in eo statu, donec homo, cui quaeque debebatur, generaretur, tum demum rationem accepturae; sive modus naturalis suppetat elevandi animam sensitivam ad perfectionem animae rationalis (quod non itS facile agnosco), sive Deus per operationem quamdam particularem, vel s(i mavis) transcreationem, huic animae rationem elargiatur» \

Leibnitzio subscribere visus est *Rosminius* 2.

2) Nonnulli philosophi docuerunt olim animam rationalem non infundi fetui, quandiu est in utero materno 3*

3) Plures philosophi et theologi antiqui, nonnullique recentiores dixerunt fetum humanum primo informari anima vegetativa, deinde sensitiva, pereunte priore, ac demum intellectiva, pereunte iterum sensitiva, cum corpus ad debitam organismi dispositionem venerit. Ita *Aristoteles* S. *Thomas*6 et innumeri eorum commentatores. Ex recentioribus hanc opinionem tenuit *Michael de Maria*6.

4) Alii phires, antiqui et moderni, tenent animam rationalem a Deo creari et fetui infundi in ipso momento conceptionis, nulla anima vegetativa vel sensitiva praeeunte. Ita S. *Albertus M.* 7 et plerique recentiores 8.

743. Thesis. **1) Animae rationales singulorum hominum creantur a Deo ex nihilo; 2) cum corporibus infunduntur, et 3) probabilissime infunduntur corporibus in ipso momento conceptionis fetus.**

Pars 1.a Animae humanae creantur a Deo ex nihilo. *(Est saltem proxima fidei)* 9.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Ecclesiastes ait: *Memento creatoris tui... antequam... revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus re-*

1 *Tentamina theodiceae,* p. i, n. 91. Pro hac sententia citat eruditus scriptor Mallebranchium, Badium (Baylium) et alios.

2 *Introduzione del Vangelo Secondo Giovanni,* lez. 64. Confer ejus prop. 34 damnatam a S. C. S. O.; Denz-Bannw., n. 1924

3 Cfr. propositionem 35 ab Innocentio XI damnatam sub die 2 Martii 1679; Denz-Bannw., n. 1185.

1 *De generatione animal.,* lib. 2, c. 3.

s *I p.,* q. 118, a. 2 ad 2.

° *Anthropologia,* p. 2, q. 2, a. 7, prop. 2.

7 *De anima,* lib. 1, tr. 2, c. 13, text. 65.

8 Cfr. Fredault, *Traité d'anthropologie.* Haec est hodie fere communis auctorum sententia.

° Canus, *De locis theol.,* lib. 12, c. 13, ait: «Post Augustini saeculum nemo fidelium in dubium vertit, quin animae rationales creentur ex nihilo» Juxta Valentiam, *In 1 p.,* disp. 6, q. 8, puncto 2, assert. I, est «de fide, ita ut contraria sententia sit nunc vel haeretica vel certe erronea et valde temeraria».

deal ad Deum, qui dedit illum 1. S. *Hieronymus,* exponens hunc locum, scribit: «Ex quo satis ridendi (sunt), qui putant animas cum corporibus seri, et non a Deo, sed a corporum parentibus generari. Cum enim caro revertatur in terram, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum, manifestum est Deum parentem esse animarum, non homines» 2.

2) *Ex traditione.* Nonnulli ex SS. Patribus, ut diximus, ancipites in hac materia haeserunt, sed plerique disertis verbis creationem animae docuerunt. *Aphraates* syrus: «in priori generatione nascuntur (infantes) spiritu animali praediti, *qui in homine creatur,* nec morietur unquam» 3. *Theodoretus:* «Ex iis, quae non sunt, animas creat (Deus), non cunctorum quidem animalium, sed hominum dumtaxat»4.* S. *Augustinus,* qui hoc in dubium vertebat, scripsit ad S. *Hieronymum:* «Illa de novarum animarum creatione sententia, si hanc (peccati originalis) fidem fundatissimam non oppugnat, sit et mea; si oppugnat, non sit et tua» 5.

3) *Ex auctoritate Ecclesiae.* Leo IX, in symbolo fidei ad Petrum episcopum antiochenum, declaravit credendum esse et praedicandum «animam non esse partem Dei. sed ex nihilo creatam» 6. Concilium Coloniense, a. 1860, tit. 4. c. 14, traditionem Ecclesiae hac in re confirmavit dicens: «Dubium esse nequit e conciliorum mente anima rationali *a Deo creata* omnes vitae nostrae operationes perfici». Haec doctrina de creatione animarum certe confirmata est ab Ecclesia in damnatione operum Frohschammer et propositionum Rosminii, etc.

4) *Ex refutatione aliarum sententiarum.* Anima humana non potest a) generari ex semine corporali parentum, quia est omnino spiritualis et ordinem materialem transcendit: neque b) potest produci ex semine spirituali animarum parentum, quia animae parentum, utpote simplices et indivisibiles, non emittunt semen spirituale; neque c) creari potest a parentibus in momento generationis, quia creatio est opus solius Dei. Ergo anima humana producitur per creationem a Deo.

Corollarium. Ex hoc consequitur traducianismum, qui ad facilius explicandum transmissionem peccati originalis antiquitus probabatur a quibusdam, hodie carere solido fundamento et omnino rejiciendum esse7.

Pars 2.a Animae humanae creantur cum corporibus infunduntur.

Arg. 1) *Ex auctoritate Ecclesiae.* Vigilius Papa, adversus *Origenem,* canone 1, ait: «Si quis dicit aut sentit praeexsistere hominum animas, utpote quae antea mentes fuerint et sanctae virtutes... et in deterius conversas esse, atque idcirco refrixisse a Dei caritate, et inde ψύγά graece, id est, animas esse nuncupatas, demissasque esse in corpora supplicii causa, a. s.» 8. *Concilium Bracharense II* (a. 561): «Si quis animas

1 *Eccl.,* i2, 1-7.
2 *In Eccl.,* 12, 7: ML 23, 1168.
3 *Demonst.,* 6, 14; Journel, 683.
4 *Graecarum allectionum curatio,* serni. 4; MG 83, 921.
5 *Ep.* 166. 8, 25; ML 33, 731.
6 Denz-Bannw., n. 348.
7 Cfr. Moiulivo, *La religion,* 23.
8 Donz-Bannw., n. 203.

humanas dicit prius in caelesti habitatione peccasse, et pro hoc in corpora humana in terra dejectas, sicut Priscillianus dixit, a. s.» [1].

2) *Ex SS. Patribus.* Huic doctrinae consentiunt SS. Patres. Unde, S. *Bernardo* teste, anima rationalis «creando immittitur, immittendo creatur» [2].

3) *Ex ratione· theologica.* Si animae humanae exstitissent ante fetus generationem, nullatenus potuissent contrahere peccatum originale.

4) *Ex ratione philosophica.* «Anima, ait *Angelicus,* cum sit pars humanae naturae (scilicet forma compositi), non habet naturalem perfectionem, nisi secundum quod est corpori unita. Unde non fuisset conveniens animam sine corpore creari» [3].

Corollaria. I. *Praeexsistentianismus* eorum, qui cum *Origene* et *Priscilliano* dixerunt animas humanas fuisse ab initio aequales angelis secundum suae naturae conditionem, et tractu temporis corporibus alligari ob demerita commissa[4], hodie est manifesta haeresis, quia aperte contradicit S. Scripturae et Ecclesiae definitionibus.

II. *Simplex praeexsistentia, animarum* a Deo creatarum, ut postea qua formae uniantur corporibus, sicut defenderunt aliqui philosophi, nullius patrocinio suffulta est hodie, et omnino relinquenda [°].

Pars 3.a Animae humanae probabilissime infunduntur corporibus in ipso momento conceptionis fetus.

Argumenta. 1) Anima est forma substantialis fetus animati. Unde, si tres animae in fetu sibi succederent, pater non generaret filium rationalem sed vegetalem, qui, transacta actione patris, amitteret primam formam substantialem, et successive transformaretur in bestiam et hominem.

2) Juxta physiologos, statim ac semen humanum fecundat ovum feminae, embryon nutritur alimentis organicis instar hominis, non alimentis inorganicis ad modum vegetalium. Ergo.

3) Hanc opinionem videtur Ecclesia in praxi approbare, quando praecipit, ut fetus ex utero materno praemature egredientes baptismate non priventur.

QUAESTIO XXXVII

DE PROTOPARENTIBUS ELEVATIS AD ORDINEM SUPERNATURALEM

ARTICULUS I

TRADUNTUR NOTIONES GENERALES

744. I. **Ordo naturalis.** «Nomen naturae, ait *Angelicus,* a nascendo est dictum vel sumptum. Unde primo est impositum hoc nomen ad

1 Denz-Bannw., n. 236.
2 *In Nat. Dom.,* serm. 2; ML 183, 122.
3 *I p.,* q. 90, a. 4.
4 Cfr. S. Thomas, *I p.,* q. 90, a. 4
6 Cfr. Palmieri, *De Deo creante et elevante,* th. 28, 2.

significandum generationem viventium, quae nativitas vel pullulatio dicitur, ut dicatur natura, quasi nascitura; deinde translatum est nomen naturae ad significandum principium hujus generationis; et quia principium generationis in rebus viventibus est intrinsecum, ulterius derivatum est nomen naturae ad significandum quodlibet principium intrinsecum motus... Et quia finis generationis naturalis est in eo, quod generatur, scilicet, essentia speciei, quam significat definitio, inde est, quod hujusmodi essentia speciei vocatur etiam natura» \

Unde naturale dicitur aliquid respectu alterius dupliciter:

1) *Improprie,* id, scilicet, quod ei convenit ab origine seu a nativitate, ut justitia originalis quandoque dicta est Adamo naturalis, quia largita est ipsi ab origine, et gratia fuit Christo naturalis «in quantum eam a nativitate habuit» 2.

2) *Proprie,* id quod debetur ei ratione *naturae* vel ratione *personae. Ratione naturae* debentur cuilibet: a) *constitutive,* partes essentiales naturae, ut corpus et anima homini; b) *consecutive,* proprietates, quae a natura dimanant, ut intellectus, voluntas, facultates sensitivae, etc., ipsi homini; c) *exigitive,* ea, quae natura petit, ut ab extrinseco sibi dentur, ex. gr., adsignatio finis naturalis, concursus divinus, integritas partium 34 *Ratione personae* debetur cuilibet id, quod potest ipse suis viribus efficere vel acquirere, ut homini debentur actus et habitus intelligentiae, discursus, scilicet, scientia, etc. *Quidquid* igitur *non transcendit essentiam, proprietates, exigentiam et potentiam universitatis rerum, quae creatione acceperunt esse, conservatione exsistunt, concursu divino operantur, et gubernatione promoventur ad debitum finem, est proprie et simpliciter naturale*ll.

Consequenter, *ordo naturalis* est *apta dispositio universitatis rerum in finem mediis adaequatis obtinendum.* Deus in hoc ordine naturali operatur creatione, conservatione, concursu et gubernatione. Res vero continentur et evolvuntur in ordine naturali, cum apte disponuntur in se quoad essentiam ac proprietates, et ad debitum finem ordinantur mediis opportunis. Sic homo 1) *in se* disponitur anima et corpore, facultatibus aliisque proprietatibus; 2) *ad debitum finem,* id est, ad possessionem Dei, ordinatur naturali cognitione; 3) *media opportuna* ad finem obtinendum habet in lege naturali, concursu Dei et exercitio suarum facultatum.

745. II. Ordo supernaturalis. *Supernaturale* in genere est id, quod essentiam, proprietates, exigentias et vires naturae creatae superat. Hujusmodi sunt ea dona et perfectiones, quae nec constitutive, nec consecutive, nec exigitive, nec efficienter debentur naturae creatae, ut gratia sanctificans et visio Dei- intuitiva.

Divisio. 1) Supernaturale potest esse a) *relativum* seu *secundum quid,* id, scilicet, quod excedit essentiam, exigentias et facultates alicujus naturae particularis, non totius universitatis rerum, ut cognitio

I *////>*., q. 2, a. 1.

“ S. Thomas, *111 p.*, <|. 2, a. 12.

II Cfr. Laliouaao, *De Deo creante et elevante,* 122.

4 Cfr. Poach, *De Deo c› cante,* 11. 166.

angelica superat facultates hominis et cognitio humana facultatem bruti; b) *simpliciter,* id, nempe, quod superat naturam, exigentias et facultates cujuslibet entis creati vel creabilis, ut visio beatifica.

2) Supernatural? *simpliciter* est iterum duplex: a) *Quoad substantiam,* id, nempe, cujus entitas est omnimode indebita cuilibet enti creato vel creabili, ut assumptio humanae naturae ad personam Verbi in mysterio incarnationis, visio Dei intuitiva in patria caelesti, gratia sanctificans ejusque auxilia ad vitam aeternam consequendam, b) *Quoad modum,* quando non ipsa rei entitas, sed modus, quo fit, excedit potentiam cujuslibet naturae creatae, ut scientia infusa de objectis naturalibus, sanatio subitanea a morbo sanabili, etc. \

Ordo igitur *supernaturalis* est *apta dispositio et ordinatio gratuita alicujus rei ad finem sibi indebitum mediis adaequatis seu proportionalis obtinendum.* In hoc ordine supernatural!, si ad hominem coarctetur, haec consideranda sunt: a) *subectum,* id est, humana natura, quae gratia et virtutibus adornatur; b) *finis,* visio Dei intuitiva, ad quam homo gratuito ordinatus est; c) *media,* leges a Deo conditae, auxilium Dei supernatural, et Operationes facultatum sub influxu gratiae sanctificantis et gratiarum actualium.

746. III. Praeternaturale proprie loquendo dicitur illud donum, quod perficit subjectum, non in ordine superiori, sed intra suum ordinem qualitate ipsi indebita, ut est *immortalitas, impassibilitas* in ordine physico, et *integritas* seu *carentia fomitis* in 'ordine morali [2].

Haec dona praeternaturalia vocantur et sunt naturalia relate ad totam naturam creatam, in qua datur aliquod ens, cui illa naturaliter debentur, ut immortalitas debetur angelo, sed dicuntur supernaturalia respectu ad naturam, cui gratiose conferuntur.

747. IV. Varii status in quibus concipi potest humana natura respectu finis ultimi. Quinque sunt status, in quibus potest homo considerari.

1) *Status naturae purae* est modus essendi permanens, in quo homo haberet naturam propriam ex principiis intrinsecis constitutam, cum proprietatibus, quae ipsam consequuntur, et qualitatibus, quae ab ipsa exiguntur. Sic homo in statu naturae purae, a) esset compositus ex anima et corpore; b) haberet intellectum et voluntatem, sensus interiores et exteriores; c) ordinatus esset ad finem naturalem consistentem in cognitione et amore Dei naturali; d) haberet media naturalia ad finem obtinendum; e) vires ejus regerentur providentia Dei et adjuvarentur concursu divino; f) careret gratia sanctificante, virtutibus infusis et auxiliis supernaturalibus; g) subjiceretur fami, siti, labori, ignorantiae, concupiscentiae, infirmitatibus, morti [3].

1 Cfr. Lahousse, *De Deo creante et elevante,* n. 123; Tanquerey, *De Deo creante el elevante* (1913), n. 863; Ezeehiel a S. C. Jesu, *Adnotationes in Summam S. Thomae, De Deo creante et gubernante,* praei. 38. Vide *Theol. fund.,* 11. 87.

2 Cfr. Van Noort, *De Deo creatore,* n. 198. Potest etiam donum praeternaturale esse, quod excedit exigentiam naturae particularis, non exigentiam totius naturae creatae, ut immortalitas excedit exigentiam naturae humanae, non exigentiam naturae angelicae.

3 Cfr. Salmanticenses, *De gratia Dei,* disp. t, nn. 27-38.

2) *Status naturae integrae* est modus essendi permanens, in quo homo, ultra ea, quae pertinent ad statum naturae purae, haberet immunitatem a concupiscentia, ignorantia, infirmitatibus et morte. Haec, ut vides, quae in hoc statu adjunguntur naturae purae, non dimanant a natura, perficiunt tamen eam in ordine naturali.

3) *Status naturae innocentis* seu *justitiae originalis* fuit illa felix conditio, in qua homo, non solum habuit omnia ex natura sibi debita, sicut in statu naturae purae, et dona praeternaturalia, immunitatem, scilicet, a concupiscentia, ignorantia, infirmitatibus et morte, sicut in statu naturae integrae, sed etiam ordinatus fuit ad finem supernaturalem, qui ultimo consistit in clara Dei visione, et consequenter instructus fuit mediis ad illam consequendam necessariis, gratia, scilicet, sanctificante, virtutibus infusis aliisque donis supernaturalibus [1]. Appellatur *status naturae innocentis,* quia supponit hominem immunem a peccato, et *justitiae originalis,* quia homo fuit ab origine justus. Duravit tantummodo ab origine hominis usque ad peccatum.

4) *Status naturae lapsae* est conditio in qua homo, e statu innocentiae per peccatum lapsus, spoliatus est charismatibus supernaturalibus (gratia, virtutibus, etc.), concessis ipsi in statu innocentiae, privatus est donis praetematuralibus propriis statui naturae integrae, et debilitatus est in ipsa natura [2]. Duravit a peccato protoparentum usque ad redemptionem a Deo factam.

5) *Status naturae reparatae* est conditio hominis hodierna, in qua, privati justitia originali et donis praetematuralibus per peccatum protoparentum, recuperavimus per Jesum Christum Dominum nostrum jus ad gratiam sanctificantem et gloriam sempiternam [3].

ARTICULUS II

AN PROTOPARENTES ELEVATI FUERINT AD ORDINEM SUPERNATURALEM ET CONSTITUTI IN STATU GRATIAE SANCTIFICANTIS CUM JURE AD VISIONEM BEATIFICAM

748. Status quaestionis. Ordo supernaturalis hominis consistit in apta dispositione et ordinatione ejusdem ad visionem Dei iiituitivam. Haec dispositio producitur per gratiam sanctificantem, qua constituimur filii Dei adoptivi et haeredes regni caelestis. Unde, qui constituti sunt in gratia sanctificante, elevati sunt ad ordinem supernaturalem et ordinati ad visionem beatificam, quia per gratiam fiunt filii Dei adoptivi,

1 Cfr. S. Thomas, *Comp, theol.,* c. 186.

2 Expoliatur gratuitis, juxta S. Bedam, *in Lucae Evang.,* c. 10; ML 92. 468 sq., et vulneratur in naturalibus Unde in natura humana accepta sunt juxta S. Thomam, *I-II,* q. 85. a. 3, quatuor vulnera per peccatum; *ignorantia,* in intellectu; *malitia,* in voluntate; *infirmitas,* in appetitu irascibili; et *concupiscentia* in appetitu concupiscibili Cfr. S. Thoma», *Comp. theol ,* cc. 192-194.

3 Cfr Salmnnlloonaoa. *De gratia Dei,* disp. 1, n. 32; et Billuart, *Tr. de gratia,* diss. 2, praeambula, n 1, § 5

si autem filii, et haeredes [1]. Quare, investigandum est, an protoparentes constituti fuerint in gratia sanctificante.

749. Errores, 1) Plures rationalistae hodierni negant gratiam et dona supernaturalia fuisse homini ab initio collata. Volunt enim hominem semper fuisse et esse constitutum in conditione naturali, sine donis supernaturalibus, et subjectum passionibus ac morti.

2) Transformistae rigidi et omnes, qui defendunt hominem fuisse ab initio selvaticum, dicunt statum primitivum hominis fuisse barbariem, similem brutis animantibus, sine ullo dono supernaturali [2].

750. Thesis. Protoparentes aucti fuere gratia sanctificante et consequenter constituti in ordine supernaturali. *(Est de fide.)*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Christus Dominus restituit genus humanum ad statum, a quo per peccatum Adae ceciderat. Unde accepimus a Christo *reconciliationem* [3], *redemptionem* a peccati servitute [4], *renovationem interiorem* [5] et *instaurationem* [6]. Sed Christus restituit genus humanum ad gratiam sanctificantem, quia *Deus... cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo (cujus gratia salvati estis)* [7]; *per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae* [8]. Ergo protoparentes aucti fuere gratia sanctificante et constituti in ordine supernaturali.

2) *Ex auctoritate Ecclesiae,* a) Concilium Arausicanum II, canone 19, ait: «Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo se ipsam, creatore non adjuvante, servaret. Unde, cum sine gratia Dei salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo sine gratia Dei poterit reparare, quod perdidit?» [9].

b) Concilium Tridentinum, sess. 5, can. 1: «Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam praevaricationis hujusmodi iram et indignationem Dei... a. s.» [10].

c) Concilium Prov. Colon., p. 1, tit. 4, c. 15: «Cum Concilio Tridentino docemus primum hominem in sanctitate et justitia fuisse constitutum».

1 *Rom.,* 8, 17.
2 Cfr. *El Filósofo Rancio, cartas criticas,* t. 1, cc. 1-6.
3 *Rom.,* 5, 11.
4 *Rom.,* 3, 24.
5 *II Cor.,* 4, 16.
6 *Ephes.,* 1, 10.
7 *Ephes.,* 2, 4 sq.
8 *II Petr.,* 1, 4.
9 Denz-Bannw., n. 192.
10 Denz-Bannw., 788. In schemate constitutionis dogmaticae de doctrina catholica, quod paraverant PP. Concilii Vaticani, c. 3, haec leguntur: «Summus rerum conditor et Dominus... inexhausta bonitate humanum genus in primo parente super naturae conditionem ad statum quemdam sublimem elevare voluit, in quo divinae ipsius consors efficeretur naturae *(II Petri,* 1, 4). Itaque, praeter dona, quibus in propria natura perficeretur. Spiritum Sanctum ei infundit, ut natura quidem servus, sanctitatis autem gratia filius... aeternam haereditatem promereretur». *Collect. Lac.,* t. 7, p. 555.

3) *Ex SS. Patribus.* *S. Irenaeus* ponit haec verba in ore Adam: «Eam, quam habui a Spiritu, sanctitatis stolam amisi per inobedientiam»[1].

S. *Ciprianus:* «Adam... in mortem cecidit, nec acceptam divinitus gratiam patientia custode servavit»[2].

S. *Basilius:* «Revertamur igitur ad gratiam initio nobis concessam, ex qua excidimus per peccatum»[3].

S. *Augustinus:* «Recipimus (per renovationem Jesu Christi) justitiam, ex qua per peccatum relapsus est homo»[4][5]

751. Scholion I. *Gratia sanctificans erat in Adamo donum supernaturale.*

Adversarii, 1) *Pelagiani* dicebant gratiam sanctificantem et justitiam originalem fuisse dona naturalia in homine innocente[6]. Pelagianis subscripserunt in hac materia *Lutherus*[6], *Calvinus*[7] aliique protestantes.

2) *Bajus, Quesnel,* et *pistorienses* docuerunt elevationem hominis ad consortium divinae naturae fuisse debitam integritati primae conditionis humanae, ac proinde gratiam Adami fuisse naturalem sequelam naturae sanae et integrae[8].

3) *Hermes* († 1831) contendit justitiam originalem non fuisse in Adamo nisi naturalem rectitudinem, effectum bonae dispositionis et indolis. Juxta *Güntherum,* justitia originalis, eo tantum dicitur supernaturalis, quod fuerit superaddita naturae.

Catholici unanimiter docent gratiam sanctificantem fuisse in Adamo, non secus ac in nobis, donum supernaturale.

Haec catholicorum doctrina ostenditur.

1) *Ex S. Scriptura.* Adamus per gratiam sanctificantem effectus est filius Dei, non quidem naturalis, quia non est generatione a Deo ortus, sed filius adoptivus et haeres bonorum caelestium, sicut nos efficimur per gratiam filii adoptivi et divinae consortes naturae[9], juxta illud: *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, Pater*[10]; et juxta illud: *Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus*[11]. Sed Adam secundum sua naturalia non erat filius adoptivus Dei, sed servus sine ullo jure ad haereditatem bonorum caelestium. Ergo gratia sanctificans, quae data est Adamo, fuit donum supernaturale.

2) *Ex auctoritate Ecclesiae.* Pius V, die 1 Oct. 1567, damnavit propositionem 21 Baji: «Humanae naturae sublimatio et exaltatio in con-

1 *Adv. haer.,* 3, 23. 5; MG 7, 963.

2 *De bono patientiae,* 19; ML 4, 658.

3 *Semi. ascet.,* n. 1; MG 31, 869.

4 *De Gen. ad litt.,* lib. 6, c. 24, n. 35; ML34, 353.

5 Cfr. Ant. Weiss, *Hist, eccl.,* t. I, § 70.

6 *In cap. 3 Gen.*

7 *Instit.,* lib. 1, c. 15.

8 Cfr. *prop. 21 Baji* damnatam a Pio V die 1 Oct. 1567; Denz-Bannw., n. 1021; *prop. 35 Quesnel,* proscriptam a Clemente XI, 8 Sept. 1713: Denz-Bannw., n. 1385; et *prop. 16 pistoriensium,* proscriptam a Pio VI die 28 Aug. 1794: Denz-Bannw., n. 1516.

9 *II Petri,* 1, 4.

10 *Rom.,* 8, 15.

11 *I Joan.,* 3, 1.

sortium divinae naturae debita fuit integritati primae conditionis, et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis» x.

Clemens XI, die 8 Sept. 1713, proscripsit Quesnelli propositionem 35: «Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturae sanae et integrae»1.

Concilium Coloniense (a. 1860), p. 1, tit. 4, c. 15, confixit doctrinam *GUntheri* dicens: «A veritate catholica illos aberrare asserimus, qui dona Adamo collata, propterea solum supernaturalia vocanda esse dicunt, quod homini a Deo creante, et non ab homine sibi ipsi collata sunt» 3

3) *Ex SS. Patribus. S. Athanasius:* «Est autem Dei benevolentia, quod, quorum sit conditor, horum postea per benevolentiam patrem se facit» 4.*

S. *Cyrillus hierosolymitanus:* «Dei est gratiam conferre, tuum vero accipere et custodire. Non ideo spernas gratiam, quia gratis datur» 6.

S. *Augustinus:* «Si filii Dei facti sumus, et dii facti sumus; sed hoc gratiae est adoptantis, non naturae generantis» G.

752. Scholion II. *Gratia sanctificans collata esi a Deo protoparentibus in ipsa eorum creatione. (Est multo probabilior et communis.)*

Inter antiquos scholasticos disputatum est de tempore, quo gratia sanctificans collata est protoparentibus. *Nonnulli* dixerunt protoparentes in eorum formatione accepisse gratias tantum actuales, et mediantibus illis edidisse actus supernaturales, atque ita se praeparasse per aliquot saltem instantia ad recipiendam gratiam sanctificantem. Ita *Petrus Lombardus* 7, *Alex. Alensis* 8, S. *Bonaventura* °, etc. *Alii* docuerunt gratiam fuisse a Deo infusam protoparentibus in ipso formationis momento. Ita S. *Albertus M.* '°, S. *Thomas* n, et alii a saeculo xvi communissime.

1) SS. Patres videntur hoc diserte docuisse.

S. *Cyrillus alex.:* «Simul enim et vitam creaturae (loquitur de homine) Spiritus immisit et suos characteres secundum Deum impressit» 12.

S. *Augustinus:* «Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum» 13. Bona autem voluntas in homine, juxta *S. Augustinum,* non est nisi caritas M.

2) *Ratio theologica* idipsum suadet. Oportuit enim hominem a Deo creari in statu adaequato pro consequendo fine, ad quem ordinatus est. Homo autem ordinatus est in creatione ad visionem beatificam, quae

1 Denz-Bannw., n. 1021.
2 Denz-Bannw., n. 1385.
3 *Collect. Lac.,* 5. 295.
1 *Contra arian.* or. 2, n. 59; MG 26, 272.
3 *Catechesi* 1, n. 4; MG 33, 376.
° *Enarrat, in psalm.* 49, 2; ML 36, 565.
' *II Sent.,* dist. 24.
8 *II p.,* q. 91, membro 1, a. 1.
9 *II Sent.,* dist. 24, p. 1, a. 1, q. 2.
10 *II Sent.,* dist. 24, a. 1.
11 *I p.,* q. 95, a. 1.
12 *Comment, in Joan ,* lib. 2, c. 1; MG 73, 203.
13 *De correp. et gratia,* c. 11. n. 32; ML 44, 935.
11 S. Augustinus, *De gratia Christi,* c. 21, n. 22; MI. 44, 371.

adipisci nequit sine gratia sanctificante. Ergo primus homo accepit gratiam sanctificantem in primo instanti suae formationis.

Angelicus Doctor concedit primum hominem in momento suae formationis consensisse primae gratiae sanctificanti. «Cum motus voluntatis, inquit, non sit continuus, nihil prohibet etiam in primo instanti suae creationis primum hominem gratiae consensisse» [1] Alii non vident inconveniens in eo, quod prima gratia infunderetur Adamo sine ejus consensu [2].

753. Scholion III. *Simul cum gratia sanctificante accepit Adamus omnes virtutes infusas. (Est certum.)*

1) Protoparentes in statu gratiae tenebantur tendere ad ultimum finem per actus supernaturales. Nequibant autem actus supernaturales elicere, nisi haberent facultates animae virtutibus supernaturalibus ornatas; nam gratia, utpote habitus entitativus, non est immediate operativa. Ergo.

2) Ea, quae Christus contulit nobis in statu gratiae, habuerunt protoparentes in statu innocentiae. Christus autem contulit nobis, non solum gratiam sanctificantem, sed etiam virtutes supernaturales, quibus possimus elicere actus supernaturales in ordine ad ultimum finem. Ergo.

Hinc: a) Virtutes, «quae de sui ratione nullam imperfectionem important, ut caritas et justitia... fuerunt in statu innocentiae simpliciter et quantum ad habitum et quantum ad actum» [3].

b) Virtutes, quae important aliquam imperfectionem, cum statu innocentiae compatibilem, scilicet, fides supponens obscuritatem, et spes importans carentiam possessionis, fuerunt etiam secundum habitum et actum in Adamo[4]. Ratio est, quia, ut optime arguit S. *Thomas*[5], homo creatus est cum dono gratiae sanctificantis, cui debetur inchoata saltem beatitudo. Haec autem beatitudo incipit in voluntate per spem et caritatem et in intellectu per cognitionem quamdam supernaturalem Dei. Ergo Adamus ante peccatum habuit fidem et spem.

Ex hoc sequitur Adamo in statu innocentiae revelata fuisse mysteria et dogmata saltem principaliora, sive immediate a Deo sive mediante aliquo angelo.

c) Virtutes denique, quae supponunt imperfectionem statui innocentiae repugnantem, ut poenitentia, quae est dolor de peccato commisso, et misericordia, quae est dolor de miseria aliena, «erant in primo homine secundum habitum et non secundum actum» [6].

1 *I P.*, q. 95. a. 1 ad 5.
2 Vide Pesoh, *De Deo creante*, n. 182.
3 S. Thomas, *I p.*, q. 95, a. 3.
4 S. Bonaventura, *II Sent.*, dist. 23, a. 2, q. 3, negavit Adamum habuisse fidem in statu innocentiae, sed hodie communiter rejicitur ejus opinio.
5 *II-II*, q. 5, a. 1.
6 S. Thomas, *I p.*, q. 95, a. 3.

ARTICULUS III

UTRUM PROTOPARENTES IN STATU INNOCENTIAE FUERINT IMMUNES A CONCUPISCENTIA

S. *Th., I p., q.* 95, *a. 2.*

754. Status quaestionis. Multiplici sensu accipitur concupiscentia in scientiis ecclesiasticis, ut videre est apud *Salmanticenses* [1] et *Raphuelem a S. Joseph* [2]. Missis pluribus acceptionibus, quas auctores explicant, sumimus hic concupiscentiam pro motu appetitus sensitivi ad aliquod objectum non consentaneum rationi, sive praeveniat deliberationem rationis sive insurgat contra imperium ejusdem. Appetitus enim sensitivus, experientia teste, praeveniendo interdum advertentiam rationis, et aliquando eam sequendo, sollicitat et allicit voluntatem ad aliquid minus conveniens rectae rationi. Haec concupiscentia, quatenus impellit voluntatem ad peccandum, vocatur *fomes peccati* [3][4] Hinc oritur illa pugna, quam quisque experitur, inter appetitum sensitivum et voluntatem, quia *unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus* [4].

Objectum hujus concupiscentiae sunt bona sensibilia cujuslibet speciei. imo ipsa bona spiritualia, ut honores, etc., in quantum sub sensibili aspectu concipiuntur [5].

Unde immunitas a concupiscentia describi potest: *Rectitudo hominis, secundum quam appetitus sensitivus perfecte subest rationi, ita ut nullatenus allidat voluntatem ad objectum non consentaneum rationi.* Vocatur proprie *donum integritatis* vel etiam *carentia fomitis.*

Quaeritur, an protoparentes ante peccatum fuerint immunes ab hujusmodi concupiscentia vel habuerint donum integritatis.

755. Error. Rationalistae, qui nullam agnoscunt in primo homine conditionem specialem, distinctam ab hodierna conditione hominum, negant protoparentes fuisse immunes a concupiscentia.

756. Thesis. **Protoparentes in statu innocentiae fuerunt immunes a concupiscentia.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura,* a) De protoparentibus ante peccatum ait Scriptura: *Erat autem uterque nudus, Adam, scilicet, et uxor ejus, et non erubescebant* [6]. Si autem non fuissent immunes a concupiscentia, verecundia affecti fuissent, cum membra motibus inordinatis agitata apparuissent aliis conspicienda, quia verecundia nihil aliud est quam

1 *De vitiis et peccatis,* disp. 16, n. 80.
2 *De actibus humanis,* n. 122.
3 Cfr. *Concit. Trid.,* sess. 5, can. 5: Denz-Bannw., 792.
4 *Jac.,* i. 14.
6 Quia appetitus sensitivus saepius allicit voluntatem ad malum in materia libidinis, actus inordinati carnis quasi antonomastice vocantur concupiscentia. In praesenti tamen quaestione paulo latius sumimus concupiscentiam pro omni motu appetitus sensitivi in bonum sensibile contrarium rationi.
6 *Gen.,* 2, 25.

timor vituperii ex actu turpi [1]. Ergo protoparentes ante peccatum erant immunes a concupiscentia [2]. Unde S. *Augustinus* locum *Geneseos* exponens ait: «Quid enim puderet (eos), quando nullam legem senserant in membris suis repugnantem legi mentis suae?... nullus erat motus in corpore, cui verecundia deberetur; nihil putabant velandum, quia nihil senserant refraenandum» [3].

Post peccatum autem illico *aperti sunt oculi amborum,* et ipsi pudore affecti absconderunt se a facie Domini, eo quod nudi essent vel sentirent in se motus inordinatos concupiscentiae, et erubescerent. Unde hujus concupiscentiae rationem innuens ait Dominus Adamo: *Quis indicavit tibi, quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo praeceperam tibi, ne comederes, comedisti?*

b) Concupiscentiam appellat Apostolus peccatum, non quod in se formalitcr peccatum sit, ut minus recte intellexit *Melanchthon* [4], sed quia «ex peccato est et ad peccatum inclinat», ut ait Concilium Tridentinum [5] [6]. Si autem ex peccato, non ante peccatum e.

2) *Ex SS. Patribus. S. Joannes Chrysostomus:* «Usque ad illam (praevaricationem) quasi angeli versabantur in paradiso, non concupiscentiis flagrantes, non ab aliis affectionibus infestati, non naturae necessitatibus obnoxii, sed prorsus incorruptibiles et immortales conditi» [7].

S. *Augustinus:* «Vivebat itaque homo in paradiso, sicut volebat... Nihil corruptionis in corpore vel ex corpore, nullas molestias ullis ejus sensibus ingerebat... Summa in carne sanitas, in animo tota tranquillitas... nulla ex cupiditate vel timore accidebat bonae voluntatis offensio» [8].

Catechismus Concilii Tridentini hoc confirmat dicens: «Omnes praeterea motus animi atque appetitiones ita in eo (primo homine) temperavit (Deus), ut rationis imperio nunquam non parerent» [9].

757. Corollaria. I. Licet homo in statu innocentiae immunis fuerit a concupiscentia et motibus inordinatis appetitus sensitivi, habuit tamen delectationes licitas, a ratione imperatas, et ad debitum

1 Cfr. S. Thomas, *II-II,* q. 144, a. 2.

2 Cfr. Hummelauer, *Gen.,* 2, 25, pag. 149; et Hurter, *Theol. dogm. comp.,* t. 2, n. 329.

3 *De Genesi ad litt.,* lib, 11, c. 1, n. 3; ML 34, 430.

4 *Loci communes theologici,* de 9 et 10 praecepto, ed. Basileae, 1550, p. 181.

5 *Sess.* 5, can. 5; Denz-Bannw., n. 792.

6 Cfr Suarez, *De op. sex dierum,* lib. 3, c. 12, n. 6.

7 *In Genesim,* hom. 15, n. 4; MG 53, 123.

8 *De civitate Dei,* lib. 14, c. 26; ML 41, 434.—Nonnulli ex Patribus graecis, ut S. Athanasius, in *Ps.* 50, 7; MG 27, 240; S. Gregorius nyssenus, *De opificio hominis.* c. 17; MG 44. 189; S. Joannes Chrysostomus, *in Gen.,* hom. 18, n 4; MG 53, 153; S. Joannes Damascenus, *De fide orth.,* lib. 2, c. 30: MG 94, 975, et alii putaverunt conjugia esse sequelam peccati, atque ideo in statu innocentiae, si permansisset, nullum futurum fuisse matrimonium et prolem fuisse nascituram aliquo modo nobis ignoto. Haec tamen opinio defendi nequit, quia Deus creavit utrumque sexum matrimonii instituendi causa, ct Adamus ante peccatum ait: *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea...: Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem. et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. (Gen., 2,* 24)

9 *Part. 1,* c. 2, q. 19.

finem ordinatas. Unde, si permansisset in illo statu, cognovisset uxorem suam ad scopum generationis et propagationis generis humani, juxta illud : *Crescite et multiplicamini* 1, expertusque fuisset alias delectationes 2.

II. Totalis immunitas a concupiscentia, qualis fuit in statu innocentiae, importabat praeterea perfectam subjectionem rationis inferioris ad rationem superiorem 3 et rationis superioris ad Deum, qua effectum est, ut homo sine ulla perturbatione spirituali intenderet ad omnia objecta tum temporalia tum aeterna secundum ordinem naturae et gratiae. Quare ratio ejus accipiebat ex rebus divinis rectas regulas agendorum, et voluntas facile dominabatur parti inferiori 4.

758. Scholion I. *Immunitas a concupiscentia erat in primo homine donum praeternaturale.*

1) Constat ex bulla *Ex omnibus afflictionibus,* S. Pii V, 1 Oct. 1567, qua damnata est propositio 26 Baji tenoris sequentis: «Integritas primae creationis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis conditio» 5.*

2) *Ratio idem suadet.* Naturale est appetitui sensitivo concupiscere objectum delectabile, sive sit rationi consentaneum sive non. Hinc motus appetitus sensitivi ad objectum non semel praevenit ordinationem rationis, et transgreditur legem saltem objective; saepe insurgit contra ipsam ordinationem rationis et producit pugnam. Quod autem est appetitui naturale, debuit inveniri in Adamo, nisi aliunde impeditum fuisset. Ergo immunitas a concupiscentia seu a motibus inordinatis appetitus sensitivi fuit donum praeternaturale in Adamo.

759. Scholion II. *Causae quibus in Adamo productum est donum integritatis.* Triplici potissimum causae tribuenda est immunitas a concupiscentia in Adamo. 1) *Providentiae Dei speciali,* qua effectum est, ut vel robur speciale adjungeretur 'voluntati primi hominis G. vel objecta quaedam arcerentur, aut non excitarent appetitum ad motus inordinatos. 2) *Praeternaturali dispositioni internae naturae,* qua Deus ita facultates hominis ordinavit, ut appetitum sensitivum per habitus quosdam infusos subjiceret dominio despotico voluntatis 7. 3) *Gratiae supernaturali Dei,* quae, sicut intimam communicationem et amicitiam inter hominem et Deum produxit, ita etiam specialiter meruit, ut Deus perfectum ordinem inter facultates sensitivas et intellectivas hominis stabiliret 8.

Hanc integritatem, si Adamus non peccasset, in posteros transmis-

1 *Gen.,* i, 28.

2 Cfr. Scotus, *II Sent.,* dist. 29, q. un., n. 5.

3 Intellectus humanus, quatenus intendit rebus aeternis speculandis vel consulendis, vocatur ratio superior, quatenus intendit rebus temporalibus, dicitur ratio inferior. Cfr. Complutenses abbrev., *De anima,* lib. 3, disp. 18, q. 2; Philippus a SS. Trinitate, *Summa philosoph., II-II,* q. 42, a. 4.

4 Cfr. Van Noort, *De Deo creatore,* n. 199.

6 Denz-Bannw, n. 1026.

° Cfr. Suarez, *De opere sex dierum,* lib. 3, c. 12, n. 18.

7 Cfr. S. Augustinus, *De civ. Dei,* lib. 14, c. 24; ML 41, 432

8 Circa haec videri possunt: S. Beliarminus, *De statu primi hominis,* c. 4: Suarez, *De gratia,* proleg. 4, c. 2; Ripalda, *De ente supernatural!* torn. 3, lib. 1, disp 9.

sum iri inde patet, quod concupiscentia' in nobis oritur ex peccato Adae. Unde, Adamo non peccante, ejus posteri fuissent liberi a concupiscentia.

ARTICULUS IV

UTRUM PROTOPARENTES IN STATU INNOCENTIAE FUERINT IMMUNES A NECESSITATE MORIENDI

760. Status quaestionis. 1) Certum est protoparentes non fuisse immortales ea immortalitate, qua Deus in se necessario est ac vivit, neque eo modo, quo spiritus creati (angeli et anima humana) principiis dissolventibus carentes, neque ad instar hominum post resurrectionem, qui, specialibus dotibus aucti ac ornati, semper gloriosi vivent[1]. Protoparentes siquidem constabant ex corpore corruptibili, quod naturaliter tendit ad dissolutionem ob plures causas intrinsecas et extrinsecas, quatenus organa vitalia ex siti, fame, frigore, calore, aliisque causis debilitantur ac dissolvuntur.

2) Sed divinae providentiae non deerant media, quibus compositum humanum, ex se mortale ac dissolubile, in vita sustineret. Hinc quaeritur, an protoparentes eorumque posteri, si non peccassent, fuissent speciali Dei beneficio et assistentia immunes a necessitate moriendi, adeo ut potuissent non mori, quousque in gloriam aeternam reciperentur.

761. Errores, i) *Pelagiani,* Caelestio praesertim, Pelagii discipulo, agente, docuerunt Adamum in statu innocentiae fuisse mortalem, et quamvis non peccasset, necessitate naturae moriturum fuisse

2) *Rationalistae* moderni irrident doctrinam S. Scripturae et catholicorum, quae tenet protoparentes, si non peccassent, fore immunes a necessitate moriendi.

762. Thesis. Protoparentes in statu innocentiae fuerunt immunes a necessitate moriendi.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura,* a) Mortem minatus est Dominus Adamo, ex quo transgrederetur praeceptum de non edendo fructu unius ligni: *De ligno autem scientiae boni et mali ne comedas; in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris* [3]. Hanc poenam recte intellexit Eva, quando respondit serpenti: *De [ructu vero ligni, quod est in medio paradisi, praecepit nobis Deus, ne comederemus..., ne [orte moriamur*[4]. Dominus autem tulit in eos sententiam mortis post peccatum dicens: *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es et in pulverem reverteris* [5].

1 Cfr Alexander Alensis, *Snrnm. theol.,* p. 2, q. 78, membro 3.

2 Cfr. Concilium Cartliag., a. 418; Donz-Bannw., n. loi; et Antonius Weiss, *Hist, ccd ,* t i, § 70. Julianus quidam, episcopus eclanensis, et ipse pelagianus, existimavit mortem im peccato fore levissimam. Cfr. Antonius Weiss, loc. cit.

3 *Gen* ,2, 17.

4 *Gen* , 3,3

4 *Gen* , 3, 19.

b) Legimus alibi: *Deus creavit hominem inexterminabilem* (επ ἀφδαρσία) 1. ... *invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum* 23 Apostolus: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* s.

2) *Ex SS. Patribus. S. Theophilus antiochenus:* «Ex peccato tanquam ex fonte in hominem fluxerunt labores, dolores, molestiae, ac denique mors ipsa»4.

S. *Athanasius:* «Homines, neglecta ac rejecta Dei contemplatione, sibi ipsis malitiam excogitaverunt... atque ita in denuntiatam mortis damnationem misere inciderunt» 5.*

3) *Ex definitionibus Ecclesiae. Concilium Carthaginense,* a. 418, can. 1: «Quicumque dixerit Adam primum hominem mortalem factum, ita ut, sive peccaret sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est. de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturae, a. s.»e.

Concilium Trid.: «Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque... iram et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus... a. s.» 7.

763. Corollaria. I. *Haec immunitas a necessitate moriendi certe erat praeternaturalis in primo homine.* Homo siquidem est animal compositum ex anima et corpore. Corpus autem animalis ab intrinseco, actione calidi in humidum, natum est resolvi ac corrumpi, nisi reficiatur cibo. Vita autem, quae cibo sustinetur, nequit esse perpetua, quia virtus digestiva paulatim cibo debilitatur ac consumitur. Ergo. Ipsi praeterea defectus corporales, fames, sitis, dolor, nisi aliunde contineantur, ducunt ad mortem 8. Unde S. *Augustinus* ait ad rem: «Mortalis ergo erat (primus homo) conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris» 9.

S. Pius V confirmavit hanc doctrinam, cum die 1 Oct. 1567, damnavit propositionem 78 Baji: «Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium sed naturalis conditio» 10.11

II. Haec immunitas a necessitate moriendi transmittenda erat ex proposito Dei ad posteros, si Adam non peccasset, nam *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors u.*

764. Scholion. *Unde provenerit immunitas a necessitate moriendi in primo homine.* Clarissimus *Molina* censet causam saltem partialem

1 «C'est-à dire, ait Vigoureux, *La Sainte Bible Poliglotte,* Sap., 2, 23, qu'il l'a préservé de la mort en vertu d'un privilège spécial.»

2 *Sap.,* 2, 23-24.

3 *Rom.,* 5, 12.

4 *Ad Autolycum,* lib. 2, c. 25; MG 6, 1092.

5 *Oral. de Incarnat. Verbi,* 4; MG 25, 104.

° Denz-Bannw., η. IOX.

7 *Sess.* 5, can. 1; Denz-Bannw., n. 788.

8 Cfr. Philippus a SS. Trinitate, *Disp, theol ,* t. 2, tr. 2, disp. 9, dub. 2.

9 *De Gen. ad tilt.,* lib. 6, c. 25; ML 34. 354.

10 Denz-Bannw., 1078.

11 *Rom.,* 5, 12.

praefatae immortalitatis fuisse donum quoddam habituale seu qualitatem, quae «haerebat corpori per totum hominis corpus extensa» [1]. Haec tamen opinio rejicitur ab *Angelico*[2] aliisque summis theologis[3], et non videtur solido niti fundamento. Ex mente S. *Thomae* aliorumque theologorum melius dicitur immortalitatem primi hominis in statu innocentiae provenisse ex multiplici causa.

1.) *Ex quadam vi supematuraliter data,* per quam anima quandiu mansisset Deo subjecta poterat effective corpus ab omni corruptione praeservare. Ratio est, quia «anima rationalis excedit proportionem corporalis materiae», et «conveniens fuit, ut in principio ei virtus daretur, per quam corpus conservare posset supra naturam corporalis materiae» [4].

2) *Ex providentia Dei speciali,* «quae sic ipsum (hominem) tuebatur, ut nihil ei occurreret ex improviso, a quo laederetur» [5], vel etiam sic ordinabat ejus humores, ut humidum radicale minus diminueretur ac virtus nutritiva minus debilitaretur ex alimento extraneo.

3) *Ex providentia ipsius hominis,* qui in statu innocentiae, sapientissimus ut erat, facilius poterat cavere omnia vitae nociva.

4) *Ex esu fructuum ligni vitae.* Fructus arboris vitae habebat virtutem corroborandi substantiam hominis, ne debilitaretur ex admixtione humidi extranei, sicut nunc contingit in omnibus viventibus. Homo in statu innocentiae habebat certe vitam animalem, quae, ob actionem caloris naturalis in humidum, indigebat, sicut nunc indigent omnia animalia aliqua restauratione. Haec restauratio fiebat per augmentum humidi extranei, id est, per nutritionem seu conversionem ciborum in propriam substantiam. Ex admixtione autem humidi extranei debilitatur virtus activa viventis, et ita videmus viventia in principio «convertere de alimento non solum quod sufficit ad restaurationem deperditi, sed etiam quod sufficit ad augmentum; postmodum vero quod aggeneratur, non sufficit ad augmentum, sed solum ad restaurationem deperditi, tandem vero in statu senectutis nec ad hoc sufficit; unde sequitur decrementum et finaliter dissolutio corporis» [6]. Lignum vitae habebat virtutem corroborandi substantiam hominis, ne ex admixtione humidi extranei debilitaretur.

Quomodo lignum vitae haberet hanc virtutem et conferret immortalitatem, non est facile definire. Varias theologorum opiniones exponit cl. *Pesch* his verbis: «Alii enim, ut *Suarez* et *Pererius,* censent vim conferendi immortalitatem huic arbori fuisse naturalem; alii, ut *S. Bonaventura,* censent fuisse supernaturalem. Alii, ut S. *Thomas,* putant lignum

1 *De opere sex dierum,* disp. 28, 3.» et 4.“ concl.

2 / A, <l· 97. a. i

3 Cfr. Valentia, *In / p.,* disp. 7, q. 4, p. 2.

4 S. Thomas, / *p.,* q. 97, a. i.—Confer Cajetanum in hunc locum Clarissimus Valontia, *In ! p..* disp 7. <| 4. p. 2, recte defendit contra Scotum *(II Seni.,* dist. 19, q. un), ham doctrinam esse veram, et rationem S. Thomae valido niti fundamento, quia anitn.i, unita qualitate supernatural!, poterat resistere actioni contrariorum, ne sequeretur corruptio compositi.

3 S. Thomas, / *p.,* q 97, ll 2 ad 4.

• S. Thomas, / />., q 97, u |

vitae saepius gustandum fuisse ad arcendam senilem debilitatem; alii, ut S. *Bellarminus,* putant lignum vitae, vel semel gustatum, allaturum fuisse perfectam immortalitatem. Immo nonnulli, ut *Scotus,* existimant Adamo per varia illa remedia vitam fuisse solum conservandam per certum aliquod tempus, et dein ipsum, antequam mors contingeret, fuisse transferendum ad beatam immortalitatem»[1].

ARTICULUS V

UTRUM PROTOPARENTES ANTE PECCATUM FUERINT IMPASSIBILES

765. Status quaestionis. *Passio,* juxta S. *TJwmarn,* dcitur dupliciter.

1) *Uno modo* improprie seu communiter, secundum quamcumque mutationem, quatenus est receptio actionis aliorum agentium, ut intelligere et sentire dicuntur quoddam pati. Hoc sensu protoparentes patiebantur. Quamobrem: a) *in intellectu* experti sunt actionem specierum; b) *in voluntate* habuerunt amorem et gaudium de bonis praesentibus, desiderium et spem de bonis futuris; c) *in sensibus* receperunt influxum objectorum sensibilium, lucis, sonitus, etc.; d) *in natura* passi sunt actionem caloris in humidum, et inde famem, sitim, etc., in quantum excitabant appetitum sine ulla molestia [2] Consequenter Adam in statu innocentiae indigebat cibo, potu, somno naturali, etc., persentiebat moderatas alterationes in corpore ex vicissitudine diei noctisque, et ex mutatione aëris, stationis, etc., subjectusque erat labori, utpote positus a Deo *in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum* [3].

2) *Allero modo* proprie, in quantum aliquid removetur a sua naturali dispositione per actionem agentis contrarii. Haec passio producit: a) *in anima* tristitiam, angorem, desperationem; b) *in appetitu sensitivo* amorem, gaudium et desiderium cum perturbatione pacis; c) *in corpore* dolores, infirmitates, aerumnas, vexationes, famem et sitim cum molestia, atque labores defatigantes.

Quaeritur, an protoparentes ante peccatum fuerint immunes a passione proprie dicta, seu, an potuerint nihil pati.

766. Thesis. **Protoparentes ante peccatum erant impassibiles, et consequenter vitam gerebant summe felicem.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura,* a) Deus dicitur in sacro textu posuisse hominem in horto Eden, ut operaretur et custodiret illum [4]. Vox hebraica p *Hortus, Edem,* significat locum deliciarum. Unde textus graecus usus est voce sumpta a lingua persica vel sanscritica παράδεισον εν Ἐδέμ, et Vulgata vertit *paradisum voluptatis* dicens: *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio...*

1 *De Deo creante et elevante,* n. 205.
2 S. Thomas, *In II Sent.,* dist. 19, q. 1, a. 2 ad 2.
3 *Gen., 2,* 15.
4 *Gen.,* 2, 8 et 15.

Tulit ergo Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum [1]. Porro, *hortus Edem, locus deliciarum et paradisus voluptatis* excludunt omnem dolorem et aerumnam. Ergo protoparentes ante peccatum erant impassibiles [2].

b) Id ipsum confirmat magna bonorum copia, qua dicuntur in S. Scriptura protoparentes fuisse ditati in paradiso.

2) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus:* «Quid timere vel dolere poterant illi homines in tantorum tanta affluentia bonorum, ubi nec mors metuebatur, nec ulla corporis mala valetudo, nec aberat quidquam, quod bona voluntas adipisceretur, nec inerat, quod carnem animamve hominis feliciter viventis offenderet?» [3]

Hanc veritatem simul ac felicem protoparentum statum in paradiso exponit idem S. *Augustinus* his verbis: «Vivebat itaque homo in paradiso sicut volebat, quandiu hoc volebat, quod Deus jusserat; vivebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus; vivebat sine ulla egestate, ita semper vivere habens in potestate. Cibus aderat, ne esuriret; potus, ne sitiret, lignum vitae, ne illum senecta dissolveret. Nihil corruptionis in corpore vel ex corpore nullas molestias ullis ejus sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus. Summa in carne sanitas, in animo tota tranquillitas. Sicut in paradiso nullus aestus aut frigus, sic in ejus habitatore nulla ex cupiditate vel timore accidebat bonae voluntatis offensio. Nihil omnino triste, nihil erat inaniter laetum; gaudium vero perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta; atque inter se conjugum fida ex honesto amore societas, concors mentis corporisque vigilia, et mandati sine labore custodia. Non lassitudo fatigabat otiosum, non somnus premebat invitum» [4]

3) *Ex consensu generis humani.* Omnes populi nationum retinent traditiones super *aurea aetate,* qua vixit homo felix, ab aerumnis doloribusque immunis. Jam in antiquis mythis babylonensium, persarum, aegyptiorum, indorum, sinepsium, graecorum. etc., fit mentio hujus aetatis aureae, qua homines fuerunt felices [5]. Licet hujusmodi narratio-

1 *Gen.,* 2, 8-15.

2 Ita hunc locum explicat S. Joannes chrysostomus, *in Genesim,* hom. 14, 2; MG 53, 113.

3 *De civit. Dei,* lib. 14. c. 10; ML 41, 417.

4 *De civit. Dei,* lib. 14, c. 26; MI. 41, 434.

5 Celebris est legenda Gilgames, cujus undecima tabella gallice versa a Rdo. Sanveplane, et edita in ephemeride *Revue des religions,* 1893, p. 77, continet analogiam in hac parte cum narratione biblica.

Graeci latinique poëtae non semel celebrarunt aureum illud sacculum. Unde Ovidius, *Metamorph.,* lib. t, v. 89 sqq., haec cecinit:

«Aurea prima sata est aetas, quae vindice nullo,
Sponte sua, sine lege, fidem rectumque colebat.
Poena metusque aberant...
Ver erat aeternum; placidisque tepentibus auris
Mulcebant zephyri natos sine semine flores.
Mox etiam (ruges tellus inarata ferebat.
Nec leiiovatus agor gravidis canebat aristis.
l lumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant;
l lavaqui' de viridi stillabant ilice mella.»

nes mythicae populorum non parum discrepent ab historia *Geneseos,* satis tamen indicant notionem revelationis primitivae de statu felici hominis in paradiso fuisse transmissam ad omnes nationes in dispersione gentium, et tractu temporis in mythos atque legendas traductam fuisse [1].

767. Scholion I. *Causae impassibilitatis.* Haec immunitas ab aerumnis et doloribus collata est primo homini et erat perpetuanda in ejus posteris per easdem causas, quibus collatum est donum immortalitatis. Unde felicitas, qua fruebatur homo in statu innocentiae, erat sequela immortalitatis.

Scholion II. *Impassibilitas erat donum praeternaturale.* Diximus superius hominem naturaliter fluctibus concupiscentiae agitari et a causis internis externisque ad corruptionem et mortem duci. Ex quo sequitur hominem naturaliter passioni proprie dictae, id est, transmutationi subjacere. Unde damnata est propositio 70 Quesnellii: «Nunquam Deus affligit innocentes; et afflictiones semper serviunt vel ad puniendum peccatum vel ad purificandum peccatorem» [2].

Scholion III. *Haec impassibilitas, si Adam non peccasset, transmittenda erat ad posteros ejus.* Adam constitutus est a Deo caput et repraesentatio generis humani, adeo ut posteri nascerentur cum omnibus qualitatibus specificis seu naturae speciei, quibus instructus erat Adam tempore generationis eorum, et non repugnabant naturali conditioni puerorum. Adamus autem erat instructus ea impassibilitate, quae non repugnabat naturali conditioni puerorum. Ergo. «Habet autem hoc, ait ad rem *Angelicus,* traditio fidei, quod nullum nocumentum creatura rationalis potuisset incurrere, neque quantum ad animam, neque quantum ad corpus, neque quantum ad aliqua exteriora, nisi peccato praecedente» [3].

ARTICULUS VI

DE PRAECLARA SCIENTIA PRIMI HOMINIS

768. Status quaestionis. Circa insignem Adami scientiam tria sunt quaerenda: 1) An et quomodo Adam habuerit scientiam rerum naturalium. 2) An fuerit immunis ab errore. 3) Num cognoverit res supernaturales, dogmata, scilicet, et mysteria.

Errores. 1) *Transformistae* defendunt hominem in suo primitivo statu, utpote ex animali quodam per evolutionem ortum, vix habuisse nisi rudimentarium usum rationis et imperfectissimam rerum cognitionem.

2) *Nonnulli rationalistae,* etsi concedant hominis creationem, nolunt ei tribuere aliam rerum cognitionem nisi acquisitam, quam supponunt in principio fuisse imperfectissimam.

1 Ex his legendis non recte deducit Minoochi, *La Genesi,* 103, traditiones mythicas babylonensiuni, expurgatas ab expressionibus polytheismi, insertas esse in Genesi et adsumpsisse characterem monotheisticum. «Là (apud babylonenses) si aveva il inito, qui (in Genesi) s'ebbe il dogma».

2 Denz-Bannw., n. 1420.

3 *De malo,* q. 1, a. 4.

769. Thesis. **Adam ex ipsa creatione habuit insignem rerum naturalium scientiam a Deo infusam; fuit ab omni errore immunis: et de supernaturalibus cognoscebat, quae erant necessaria ad gubernationem humanae vitae in statu innocentiae.**

Pars 1.a Adamus habuit insignem rerum naturalium scientiam.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Moyses haec refert in libro *Geneseos: Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terrae et universis volatilibus caeli*[1] *adduxit ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea; omne enim, quod vocavit Adam animae viventis, ipsum est nomen ejus. Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia, et universa volatilia caeli, et omnes bestias terrae*[2]. Sive Deus omnia absolute animantia terrae et volatilia caeli (species nimirum) Adamo adduxerit, ut obvius verborum sensus ac Domini scopus innuunt, et plerique auctores defendunt; sive ea tantum, quae erant in paradiso ei praesentaverit, ut nonnulli censent[3]; sive haec animalium adductio ad Adam fuerit reapse facta per realem translationem, ut *Hetzenauer*[4] cum plerisque interpretatur; sive in visione tantum id contigerit, ut contendit *Hoberg*[5] cum aliis; ex narratione biblica certe sequitur non exiguam scientiam fuisse Adamo, ut omnibus animalibus nomina adaequata imponeret. Licet enim non fuerit ei necessarium omnes historiae naturalis quaestiones cognoscere, debuit tamen singularum specierum naturam, indolem ac formam non ignorare, ad quod certe requiritur scientia praeclara[6].

Supponitur pariter Adamum instructum fuisse insigni scientia, non solum circa animalia, sed etiam circa alias materias, v. gr., circa religionem naturalem, elementa mundi, conditiones agrorum, etc.

2) *Ex SS. Patribus.* Juxta S. *Joannem Chrysostomum,* sapientia Adami fuit *ineffabilis*[7]; juxta S. *Augustinum, excellentissima*[8]; juxta alios Patres communiter, *insignis* ac *praeclara*[9].

1 In textu hebraico: *Formaverat autem... cuncta animantia terrae et universa volatilia caeli.*

2 *Gen.,* 2, 19-20.

3 Cfr. Hetzenauer, *Comment, in Gen.,* c. 2, v. 20.

4 *Comment. in Gen.,* c. 2, v. 19.

5 *Die Genesis,* pp. 34-36.

6 «Ipse Pythagoras, ait S. Augustinus, *Imperf. c. Julianum,* lib. 5, c. 1; ML 45, 1432, a quo philosophiae nomen exortum est, dixisse fertur illum fuisse omnium sapientissimum, qui vocabula primus indidit rebus.»

Hoc argumentum non amittit robur in sententia eorum, qui cum Caietano, *Commentarii illustres... in Genesim,* c. 2, vv. 19-20, Parisiis, 1539, et quibusdam criticis modernis contendunt hunc locum *Geneseos* intelligendum esse symbolice, quatenus adductione animalium ad Adam et nominum impositione significatur Adamum habuisse plenum usum rationis et perfectum dominium in animalia. Haec enim interpretatio non negat Adamo auctoritatem herilem, quam S. Joannes Damascenus, *De fide orth.,* 2, 30; MG 94, 976, ipsi tribuit. Auctoritas autem herilis supponit in hero cognitionem mancipiorum.

7 *In Gen.,* hom. 15, n 3; MG 53, 122.

8 *Op. Imperf. c. Julianum,* lib 5, c. 1; ML 45, 1432.

9 Cfr. S. Cyrllluiii nlox,, *in Joannem comment,,* I, 9; MG 73. 128.

3) *Ex ratione.* Admodum conveniens erat, ut, qui institutus fuerat caput generis humani, instructus esset illa scientia, qua alios docere, regere atque gubernare posset in ordine morali, religioso et sociali, sicut perfectus fuit in ordine physico. Sed Adamus institutus est caput generis humani, ut postea dicemus. Ergo.

Scholion. *Amplitudo hujus scientiae.* Quanta fuerit Adami scientia naturalis, non est facile determinare, tacente praesertim magisterio Ecclesiae. Putamus tamen vitandas esse exaggerationes ex utraque parte, adeo ut nullo fundamento dicatur a quibusdam scholasticis Adamum fuisse omniscium, aut non potuisse, neque extensive quoad objecta, neque intensive quoad modum, proficere in hac scientia [1], et injuste adseratur a rationalisas et evolutionistis scientiam Adami fuisse valde exiguam.

Illud videtur esse certum, scilicet, Adamum habuisse de rebus naturalibus tantam scientiam, quanta requirebatur, ut ageret in paradiso vitam physice et moraliter felicem, et alios gubernaret sapienter, ut decebat primum patrem et doctorem hominum. «Ideo, primus homo sic institutus est a Deo, ut haberet omnium scientiam, in quibus homo natus est instrui. Et haec sunt omnia illa, quae virtualiter exsistunt in primis principiis per se notis, quaecumque, scilicet, naturaliter homines cognoscere possunt» [2]. Unde scientias philosophicas, juris naturalis, juris gentium, plures scientias speculativas, ipsas quoque scientias empiricas, quantum ad conditionem primi capitis, doctoris ac gubernatoris generis humani requirebantur, cognovit. Habuit scientiam de Deo [3], de angelis [4], [5] ac de rebus materialibus quantum ad species [6].

Non tamen cognoscebat Adamus omnes res, quia cum scientia Adami, licet per accidens infusa, esset essentialiter ejusdem conditionis ac nostra, non se extendebat ad ea, quae non cadunt sub objectum scientiae nostrae. Quare non cognoscebat Adamus futura libera, cogitationes internas aliorum, nec omnia individua [6].

Caeterum, ingenium Adae fuisse acutissimum saepe adserif S. *Augustinus et* facile concedunt theologi. «Quis dubitet Christianus, ait ille, eos, qui in hoc saeculo erroribus aerumnisque plenissimo ingeniosissimi apparent, quorum tam corruptibilia corpora aggravant animas, si illius (Adae) ingenio comparentur, distare longe amplius quam celeritate a volucribus testudines distant» [7].

Pars 2.a Scientia Adami fuit a Deo infusa.

Arg. S. *Cyrillus alex.:* «Primus pater Adam, non in tempore sicut nos sapientiam consecutus esse videtur, sed statim a primis ortus sui temporibus perfectus in intelligentia ostenditur, illuminationem a Deo

1 Cfr. Suarez, *De op. sexdierum,* lib. 3, c. 9, nn. 27-28.
2 S. Thomas, *I p.,* q. 94, a. 3.
3 S. Thomas, *I p.,* q. 94, a. 1 ad 3.
4 S. Thomas, *I p.,* q. 94, a. 2.
5 Suarez, *De opere sex dierum,* lib. 3, c. 9, nn. 8-14.
6 Cfr. Suarez, *De opere sex dierum,* lib. 3, c. 9, nn. 13, 14, 15.
7 *Op. imperf. contra Julianum,* lib. 5, c. 1; ML 45, 1432.

naturaliter datam, illibatam et puram in se ipso servans, et integram habens naturae dignitatem» [1]

Ratio hujus doctrinae in promptu est. Adamus enim, cum nomina imposuit animalibus, creditur recens creatus, et, quantumvis polleret ingenio potentissimo, nondum potuit propria industria et observatione omnes scientias acquirere.

Corollarium. Scientia Adami de rebus naturalibus, etsi infusa *per accidens* et supernaturalis *quoad modum,* erat entitative naturalis et ejusdem conditionis ac nostra. «Primus homo, ait S. *Thomas,* habuit scientiam omnium per species a Deo infusas; nec tamen scientia illa fuit alterius rationis a scientia nostra, sicut nec oculi, quos caeco nato Christus dedit, fuerunt alterius rationis ab oculis, quos natura produxit» [2] [3]

Pars 3.a Adamus in statu innocentiae fuit immunis ab errore. *(Est communior et probabilior)* [8].

Arg. S. *Augustinus:* «Approbare falsa pro veris, ut erret invitus... non est natura instituti hominis, sed poena damnati» [4] [5]

Ratio est. quia intellectus circa proprium objectum nunquam errat, nisi a parte inferiori, puta a phantasia vel alio sensu, impediatur in judicando. Integritas autem primi hominis exigebat, ut inferiora, utpote subdita superioribus, actionem intellectus nunquam impedirent. Ergo.

Dixi in statu innocentiae. Triplici modo potest supponi Adamum errare, scilicet, sine culpa, cum peccato veniali et cum peccato mortali. 1) Non poterat Adamus errare *sine culpa,* quia, nullo praecedente peccato, talis erat rectitudo intellectus primi hominis, ut nunquam perturbaretur a parte inferiori. 2) Neque poterat errare *cum peccato veniali,* quia, ut dicetur inferius, homo non poterat peccare venialiter in statu innocentiae. 3) *Cum peccato mortali* poterat errare, et de facto erravit, sed in hoc casu prius peccavit, quam erravit, et non in statu innocentiae sed post peccatum admisit errorem [s].

Haec immunitas ab errore non tantum proveniebat ex amplitudine scientiae, quantum ex dono integritatis, quo factum est, ut homo, nulla passione insurgente et nulla facultate sensitiva impediente, recte judicaret de omnibus. Unde «in intellectu poterat esse carentia notitiae alicujus, nulla tamen poterat ibi esse existimatio falsi» [6].

1 *In Joan, comment.,* lib. 1, c. 9; MG 73, 128.

2 *I p.,* q. 94, a. 3 ad i.

3 Molina, *De opere sex dierum,* disp. 26, § *salvo meliori,* censet «in illo felicissimo statu non potuisse esse errorem, quem liberum arbitrium non posset vitare, et cujus permissio ad pugnam periculumque de fidelitate primorum parentum capiendum non spectaret: secus autem quem potuisset vitare, et cujus permissio ad pugnam periculumque de fidelitate primorum parentum capiendum spectaret».

4 *De libero arbitrio,* lib. 3, c. 18; MI. 32, 1296.

8 Cfr. Suarez, *De opere sex dierum,* lib. 3, c. 10, nn. 14-15.

6 S. Thomas, *I p..* q. 94. a. 4 Palmieri, *De Deo creante ct elevante,* th. 81, append . q 2, dicit sententiam S. Thomae esse solum probabilem, non certam, etsi communiorem.

Pars 4.a De supernaturalibus cognoscebat Adam in star tu innocentiae ea, quae erant necessaria ad gubernationem vitae humanae secundum illum statum.

Arg. *Ex ratione theologica.* Adamus in statu innocentiae elevatus est ad ordinem supernaturalem, id est, ordinatus est ad claram Dei visionem et locupletatus gratia sanctificante. Haec autem conditio requirebat in Adamo plures cognitiones ordinis supernaturalis. Ad quid enim ordinatus fuerit ad finem, quem non cognoscebat? Creduntur in statu innocentiae revelata fuisse Adamo:

1) *Deum exsistere et esse omnino perfectum,* imo et esse hominis angelorumque finem supernaturalem; quia Adamus tendebat in Deum actibus amoris, et *credere... oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit* [1].

2) *Mysterium SS. Trinitatis,* quod est praecipuum dogma ex omnibus veritatibus in revelatione contentis [2], et cujus cognitio est necessaria ad salutem.

3) *Mysterium Incarnationis Christi,* «secundum quod ordinabatur ad consummationem gloriae, non autem secundum quod ordinabatur ad liberationem a peccato per passionem et resurrectionem, quia homo non fuit praescius peccati futuri» [3].

4) *Plura alia dogmata,* quae ex dictis mysteriis consequuntur, et quorum cognitio erat necessaria ad gubernationem vitae spiritualis ac innocentis. Adamus in statu innocentiae habebat plura munera adimplenda erga Deum et animam, et necessario instrui debuit veritatibus religionis supernaturalis.

770. Scholion I. *De origine linguae.* Divisi sunt auctores in adsignanda origine linguae. 1) Plures SS. Patres, gravissimi theologi, non pauci philosophi ac philologi antiqui et moderni, docent Adamum propria industria invenisse primam linguam, capta occasione ex praesentia objectorum, ex necessitate se communicandi cum Deo et hominibus. Ita S. *Augustinus* [4], *S. Basilius* [5], *S. Gregorius nyssenus* [6], et ex recentioribus *Pesch* [7]. 2) Alii defendunt primam linguam fuisse a Deo homini simul cum scientia revelatam. Sic *Pererius* [8], *Balmes* [9], *Donoso Cortes* [10], *Meignan* [11], *Van Noort* [12] et alii innumeri.

Utraque sententia est certe probabilis, sed secunda videtur mihi

1 *Hebr.,* 11, 6.
2 Cfr. S. Epiphanius, *Contra haereses,* lib. i, n. 5: MG 41, 181.
3 S. Thomas, *II-II,* q. 2, a. 7.
4 *De ordine,* lib. 2, c. 12, n. 35; ML 32, 1011.
5 *Adv. Eunoni* lib. 2, n. 4; MG 29, 580.
6 *Contra Eunoni.,* lib. 12; MG 45, 976, 993.
7 *De Deo creante et elevante,* nn 214-216. Renan, *Origine du langage,* p. 16 (1858), docuit primam linguam fuisse uno ictu a facultatibus hominis integre formatam, sicut visio producitur ab oculo, et tractu temporis perfectam.
8 *In Gen.,* 2, 20.
9 *Filosofia fundamental,* lib. 10, c. 17, n. 184.
10 *Obras,* t. 2, *Bosquejos histórico-filosóficos, q.°*
11 *Le monde et l'homme primitif,* ch 11.
12 *De Deo creatore,* n. 209.

probabilior. 1) Quia primus homo, mox creatus, locutus est de diversis materiis, ut patet ex *Genesi,* antequam haberet tempus ad excogitandam linguam. 2) Vix concipitur tanta scientia, qua locupletatus est Adam, sine dono linguae E

Facile tamen conceditur in hac probabiliori sententia linguam, a Deo primo homini infusam, non fuisse a principio omnino perfectam, sed lente fuisse ab ipso homine excultam.

Qualis luerit- lingua primaeva, est quaestio intricatissima in diversas partes agitata, sed hucusque nullo solido fundamento soluta. Opinio ipsa olim sat communis, quae tenebat linguam originalem fuisse hebraicam, amittit in dies probabilitatem 2. Rectius fortasse dixeris cum S. *Gregorio nysseno3* et *Theodoreto*45linguam primitivam jam olim disparuisse vel in aliquam ex hodie exsistentibus transformatam fuisse s.

771. Scholion II. *De situ paradisi.* Non parum disputatum est ab auctoribus circa locum, in quo situs fuerit paradisus. Omnes acutissime arguunt, cum aliorum opiniones refutare contendunt, sed non pauci ad ineptias se divertunt, cum propriam sententiam stabilire et probare conantur. Pauca de hac curiosa materia dicere sufficiat.

1) Communiter docent SS. Patres, theologi et commentatores Sacrae Scripturae contra *Philonem* 67 *Origenem 1,* et S. *Ambrosium* 8, ea, quae de paradiso narrantur in *Genesi,* historica esse.

2) Juxta *Lagrange* 9in narratione biblica non describitur geographice situs paradisi, sed insinuatur tantummodo paradisum fuisse in loco quodam amoeno.

3) *Nonnulli,* opiniones parum probabiles circa locum paradisi sine fundamento edocuere. Sic aliqui reposuere paradisum in Chaldea '°; *P. Harduinus* prope lacum Genesaret in Palaestina; *Renan* 11 in vertice Himalayae; *Lenormant*12 in vertice Pamir in India, etc. Sed hae opiniones conciliari nequeunt cum S. Scriptura, quae expresse loquitur de flumine, quod, egressum e paradiso, divisum est in quatuor partes et constituit quatuor fluvios, Tigrim, Euphratem, Phison et Gehon.

4) *Plurimi* censent paradisum fuisse in Armenia, ubi nascuntur et visuntur Tigris ac Euphrates; Phison autem ac Gehon essent respective Cyrus et Araxes, qui pariter nascuntur in Armenia et confluunt

1 Egregie loquitur Balmes, *Filosofia fundamental,* lib. xo, c. 17, de connexione idearum et linguae.

2 Cfr. Comely, *Introd. gen.,* p. 253 (1894); et Minoochi, *La Genesi,* 83 sq.

3 *Contra Eunomium,* lib. 12; MG 45, 996 sq.

I *In Gen ,* q. 61; MG 80, 165.

5 Cfr. Meignan, *Le monde et l'homme primitif,* ch. 11.

8 *De plantatione Noe,* ante med. (ed. Lugduni, 1561, p. 194).

7 lisp', αρχών, 4, 16; MG 11, 377.

8 *Ile paradiso,* c. 11, n 51; Ml, 14, 299. Philo, Origenes et Ambrosius, locis citatis, dixerunt ea, quae de paradiso narrantur in Genesi, intelligenda esse in sensu allegorico de deliciis animae, et nomine fluminum, arborum et amoenitatis significari gratiam, virtutes et pacem animae.

" Apud *Revue Biblique,* 1897, p. 363.

Cfr Nloromborg, *Curiosa filosofia,* lib. 1. c. 35.

II *Ihst. des langues sémitiques,* p. 470.

' 1)1 *Hist ancienne de /'Orient,* t. 1. liv. 1, ch. 2, § 5.

in mare Caspium. Haec opinio, si admittatur praefatis fluminibus ante perturbationes geologicas fuisse unicum fontem in montibus Armeniae, probabilis est, et partim respondet contextui biblico]. Attamen difficultatibus non caret; quia Phison dicitur in Scriptura circuire terram Hevilath, et Gehon circumire terram Aethiopiae, et novimus per geographiam Cyrum et Araxem non currere per Hevilath et Aethiopiam.

5) *Alii* contendunt paradisum situm fuisse in Babylonia ad locum ubi Tigris et Euphrates proxime sibi accedunt, ac olim ante perturbationes geologicas eumdem probabiliter alveum fluxerunt; Phison et Gehon essent duo brachia seu canales Palalgjpas et Schatt-en Nil, quae circa civitatem babylonensem ab Euphrate separantur. Ita *Delitzsch* 2. Contra hoc militat difficultas de cursu Phison et Gehon per terras Hevilath et Aethiopiae.

6) *Alii* posuerunt paradisum in loco, ubi Euphrates, et Tigris in unum confluunt; eousque enim se extendebat sinus persicus, qui ad modum aestuarii extensus recipiebat Euphratem. Tigrim (unitos), Choaspim et Eulaeum, quatuor amnes, fiebatque eorum ostium divisum in quatuor capita. Ita *Hummelauer* 3 4 et alii. Haec sententia vincit plures difficultates, sed non explicat transitum Gehon per Aethiopiam ', et vim infert vocabulo hebraico ů'n'. quod non ostium sed initium fluminis significare videtur.

7) *Alii* aliter rem componere tentarunt.

Haec cum ita sint, admodum difficile esse arbitror designare locum paradisi et ejus extensionem. Attamen admitti potest illum fuisse in Asia, et probabiliter vel in Armenia, ubi nascuntur Euphrates et Tigris, vel in planitie Babylonis, ubi haec flumina inter se approximant, vel in sinu persico, ubi in unum confluxa merguntur in mare.

ARTICULUS VII

BREVES QUAESTIONES CIRCA CONDITIONEM HOMINIS IN STATU JUSTITIAE ORIGINALIS

772. Circa conditionem hominis in statu innocentiae excitantur nonnullae quaestiones scitu dignae, quas nolo omnino praetermittere. Ne tamen ultra limites procedam, eas, non singulis articulis, sed sub uno articulo per quaestiunculas discutiendas suscipio.

773. Quaeres ' *In quo praecise constiterit justitia originalis.*

Resp. i) Profundissimus *Banel:* 5 existimavit justitiam originalem in primo homine fuisse habitum quemdam realiter distinctum a gratia sancti-

1 Hetzonauer, *Theol. biblica,* t. 1, § 8.

2 H'o *lag das Parodies?*

3 *In Gen.,* 136 sq.

4 Haec etiam difficultas potest resolvi, si dicatur in textu hebraico non legi *terram Aethiopiae,* sed *terram Cousch.* Animadvertit autem Vigoureux, *La Sainte Bible Polyglotte,* Gen., 2, 13. Couschitas vixisse in Asia, antequam emigrarent in Africam.

5 *In I p.,* q. 95, a. 1, dub. 2.

ficante, qui simul cum gratia residebat immediate in anima. *Cajetanus*[1] vero consult illam fuisse gratiam quasi gratis datam, fundatam super gratiam gratum facientem, et Evam retinuisse justitiam originalem post peccatum proprium usque ad peccatum Adae.

Verius tamen et conformius doctrinae S. *Thomae* dicitur justitiam originalem non fuisse habitum entitative distinctum a gratia sanctificante, nec fuisse gratiam gratis datam, sed ipsum habitum gratiae sanctificantis modo statim explicando. Ratio est, quia justitia originalis consistebat in subjectione mentis ad Deum, corporis ad animam, et partis inferioris ad rationem. Hoc autem fiebat per gratiam sanctificantem, non per habitum superadditum gratiae nec per gratiam gratis facientem [2]. Unde *Angelicus* docet radicem «originalis justitiae, in cujus rectitudine factus est homo», consistere «in subjectione supernaturali rationis ad Deum, quae est per gratiam gratum facientem» [3]. Gratia dicitur hic radix justitiae originalis, in quantum justitia originalis adaequate sumpta comprehendebat gratiam et alia dona gratuita illius status, ita tamen, ut gratia esset pars ejus essentialis et principalis, ex qua fluebant alia dona. Iterum *Angelicus:* «originalis justitia includit gratiam gratum facientem» [4] Falsam denique reputat «opinionem ponentium, quod gratia gratum faciens non includatur in ratione originalis justitiae» [5].

Justitia itaque originalis protoparentum in eo consistebat, quod gratia sanctificans, ejusdem speciei ac nostra, informabat essentiam animae diverso modo, id est, majori cum dominio, quam in praesenti conditione, et erat origo seu radix aliarum perfectionum. Unde subjiciebat animam Deo ut auctori supernaturali, et, ut ait S. *Thomas,* «ratione cujusdam accidentis sibi adnexi», quod non erat nisi modus diversus informandi animam penes majus dominium, subjiciens partem sensitivam et corpus ad animam. Unde justitia originalis adaequate sumpta importabat formaliter gratiam sanctificantem et multa dona gratuita, quae ex ea pullulabant, et distinguebatur a gratia sanctificante modaliter tantum et per modum includentis et inclusi, «quia includebat ipsam gratiam tanquam partem sui primariam et praecipuam exsistentem in anima, et superaddebat alias perfectiones redundantes in corpus et potentias» [6].

Hacc justitia originalis recipiebatur in essentia animae tanquam in subjecto primario, et exinde effundebat tanquam proprietates habitus operatives perficientes intellectum ac voluntatem, et perfectiones derivantes in corpus facultatesque sensitivas.

774. Quaeres 2.° *An et quale dominium habuerit homo in statu innocentiae super alias creaturas.*

Resp. Dominium in genere est: *Facultas seu jus libere utendi re aliqua uti propria.* Unum est *dominium* seu *jus proprietatis,* quo utimur rebus vel earum utilitate in commodum proprium; aliud est *dominium gubernationis,* quo Superior regit subditos in eorum commodum;

i) Homo in statu innocentiae habebat et exercebat dominium in plantas et res inanimatas, utendo eorum auxilio absque ullo impedimento. *Ecce dedi vobis,* ait Dominus protoparentibus, *omnem herbam afferentem semen super terram et universa ligna, quae habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam* [7].

1 *In I p.,* q. 95, a. i.

2 Cfr. Solo, *De natura et gratia,* lib. i. c. 5.

3 S. Thomas, *I p.,* q. loo, a. 1 ad 2.

4 *Dc malo,* q. 4, a. 2 ad 1 ex ult. obj.

6 *De malo,* q. 5, a. 1 ad 13. Cfr. Ferrariensis, *IV Contra Gentiles,* c. 52, «Considerandum ulterius»; et Salmanticenses, *De vitiis et peccatis,* disp. 16, nn. 57-58.

° Salmanticonae, *De vitiis et peccatis,* disp 16, n. 57.

7 *Gen* , 1, 20. Adeo urgent nonnulli hanc doctrinam, ut negent instatu innocentiae futurum lui·.»· proprietatem particularem. «Nullus tunc, ait Scotus, /I'

2) Protoparentes in statu innocentiae exercebant dominium in omnia animalia, utendo eorum auxilio et imperando eis. *Dominamini,* inquit Deus, *piscibus maris, et volatilibus caeli, et universis animantibus, quae moventur super terram* [1].

3) Homo in statu innocentiae dominatus fuisset aliis hominibus, non dominio proprietatis et despotico, quo domini utuntur servis ad propriam utilitatem, sed dominio gubernationis, quo diriguntur liberi in eorum utilitatem. Ratio est, quia homines in illo statu fuissent non solum quoad sexum, aetatem, proportiones corporis, etc., sed etiam quoad sanctitatem et scientiam, alii aliis perfectiores. Congruum autem est, ut perfectiores regant minus perfectos.

Ex hoc sequitur in statu innocentiae futuram fuisse societatem, tum domesticam, tum socialem, tum religiosam; *societas* quidem *domestica,* ut conservaretur matrimonium, institutum jam in paradiso ad procreandum et educandum prolem; *societas civilis,* ut vita et actiones multitudinis dirigerentur ad bonum commune; *societas religiosa,* ut cultus publicus Deo tribueretur.

775. Quaeres 3.° *Utrum homo in staiu innocentiae potuerit peccare venialiter.*

Resp. 1) Scotus docuit et acute probare conatus est hominem in statu innocentiae potuisse peccare venialiter [2].

2) Rectius dicitur cum S. *Thoma* [3] et sententia fere communi [4] hominem in statu innocentiae non potuisse peccare venialiter, ex eo quod peccatum veniale fuerit cum illo statu incompatibile. a) Quia peccato veniali debetur poena. Nulla autem poena potuit esse homini durante illo statu summe felici, b) Peccatum veniale contingit in homine ex eo, quod vel pars inferior non continetur perfecte sub superiore, vel motus indeliberati insurgunt in ratione. Sed hujusmodi defectus non potuerunt locum habere in statu innocentiae, dum, scilicet, anima esset perfecte Deo subjecta. Ergo [5].

776. Quaeres 4.° *Quando acqitisivissei gloriam Adamus in statu innocentiae.*

Resp. Non constat quantum temporis primus homo fuisset viator in statu innocentiae. Communiter creditur Adamum ejusque posteros, si status innocentiae durasset, subjectum iri probationi per aliquod tempus et postea transferendos fuisse ad gloriam. «Homo in paradiso, ait S. *Thomas,* beatus fuit non illa perfecta beatitudine, *in quam transferendus erat,* quae in divinae essentiae visione consistit» [6]. Et rursus: «Quam cito autem Adam ad illam béatitudinem pervenisset, quod Deum per essentiam videret, efficeretur spiritualis et mente et corpore; et animalis vita cessaret, in qua sola generationis usus fuisset» [7].

Sent., dist. 15. q. 2, art. 1, conci. 1, occupasse!, quod fuisset alii necessarium, nec oportuisset illud ab ipso per violentiam extorqueri, sed quilibet hoc, quod primo occurrisset necessarium, occupasset ad necessarium usum». Probabilius tamen est aliquam possessionem privatam, licet longe diversam ab actuali, futuram fuisse in illo statu, si diu durasset.

1 *Gen.,* 1, 28.

2 *II Sent.,* dist. 21, n. 3. Scoto subscripsit Dorrillong, *It Sent.,* dist. 21, 3.“ conclusio, et recenter Yaven, *Rcv. ecl.*. 1935, Abril, p. 387.

3 *I-II,* q. 89, a. 3.

4 Vide Mazzella, *De Deo creante,* n. 790.

5 Cfr Medina, *In I-II,* q. 89, a. 3; et Paulus a Conceptione, tr. 12, disp. 3, n. 125 sqq.

6 *I p.,* q. 94, a. i ad 1.

7 *I p.,* q. 100, a. 2.

777. Quaeres 5.° *An infantes nati fuissent in justitia originali, si Adam non peccasset.*

Resp. *Affirmative.* Homo generat sibi simile secundum speciem et secundum ea accidentia, quae consequuntur naturam speciei. «Justitia autem originalis, in qua primus homo conditus fuit, fuit accidens naturae speciei, non quasi ex principiis speciei causatum, sed tantum sicut quoddam donum divinitus datum toti naturae. Et hoc apparet, quia opposita sunt unius generis. Peccatum autem originale, quod opponitur illi justitiae, dicitur esse peccatum naturae; unde traducitur a parente in posteros; et propter hoc etiam filii parentibus adsimilati fuissent quantum ad originalem justitiam» [1].

Non solum justitia originalis, sed etiam dona gratuita, quae, ut diximus, ex ea fluebant, scilicet, immunitas a concupiscentia et immortalitas, transmittenda erant posteris Adae a nativitate in statu innocentiae. Haec siquidem oriebantur a modo speciali, quo gratia sanctificans informabat animam.

Non tamen fuissent pueri nati cum perfecta scientia, duplici potissimum ratione: 1) quia scientia Adami non fluebat ex gratia sanctificante, nec erat accidens consequens naturam speciei, sed fuit donum personale divinitus infusum primo parenti ratione conditionis specialis, qua constitutus est doctor et gubernator aliorum; 2) quia nulla videtur ratio, ob quam Deus concederet scientiam infantibus ratione naturae. «Est autem naturale homini, ut scientiam per sensus acquirat» [2].

778. Quaeres 6.° *Utrum, Adamo non peccante, potuerint peccare ejus posteri, et casu, quo aliqui peccaverint, quid futurum fuisset de eorum filiis.*

Resp. Certe. Adamo non peccante, potuerunt peccare ejus posteri, quia, dum fuissent viatores, obnoxii fuissent quibusdam legibus, quas libere adimplebant.

Attamen, in illo statu felici, ob perfectam subjectionem mentis ad Deum, et corporis ac facultatum sensitivarum ad animam, vel nemo peccasset, ut innuit S. *Gregorius* [3], vel admodum pauci Deum offendissent. Casu autem, quo aliquis peccasset, proculdubio amisisset gratiam sanctificantem ac dona gratuita. Probabiliter tamen habuisset media supernaturalia a Deo praeparata ad recuperandam gratiam.

Plures defendunt filios peccatorum tunc natos fore cum justitia originali sicut nunc filii sanctorum nascuntur cum peccato. Ita *Palmieri* [4] et alii plures. Contrarium tamen magis mihi probatur, quia, ut inferius dicitur, ratio peccati originalis transmittendi petitur ex capite naturae. Si autem unum caput in linea descendentiae corrumpatur, necesse est, ut filii ex eo descendentes contrahant conditionem capitis. Sic S. *Thomas* [5].

APPENDIX

DE POSSIBILITATE STATUS NATURAE PURAE

779. Status quaestionis. Status naturae purae esset, ut diximus articulo primo hujus quaestionis, illa permanens conditio, in qua homines haberent omnia bona, quae ipsis competunt ex essentiali eorum constitutione, vel consequuntur eorum naturam, vel exiguntur ab eorum natura in ordine ad finem.

1 S. Thomas, *I p.,* q. 100, a. 1.
2 S. Thomas, *I p.,* q. 101, a. 1.
3 *Moral.,* lib 4, c. 28; ML 75. 664.
4 *De Deo creante et elevante,* th. 81. appendix, q. 8.
5 *In II Sent.* dist. 33, q. 1, a. 1 ad 3; et *De malo,* q. 5, a. 4 ad 8.

Hic discutiendum suscipimus, an hujusmodi status fuerit possibilis, vel Deus creare potuerit hominem non elevatum ad ordinem supernaturalem nec locupletatum donis praeternaturalibus.

780. 1) Error damnatus ab Ecclesia. *I.utherus, Calvinus, bajani-* et *jansenistae,* existimantes gratiam sanctificantem, et ex eo ortam immunitatem a concupiscentia, atque immortalitatem esse dona humanae naturae ante peccatum debita, dixerunt Deum, supposito quod vellet creare hominem, non potuisse illum condere in statu naturae purae.

Haec doctrina est haeretica, damnata ab Ecclesia in propositione 55 Baji: «Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur»[1]. Terminis «qualis nunc nascitur», Bajus significare volebat «sine gratia et donis supernaturalibus», ut bene animadvertit *Van Noort*[2], et patet ex contextu ipsius Baji.

781. 2) Sententia augustinensium. Patres augustiniani, docentes gratiam et dona praeternaturalia esse humanae naturae indebita, rejiciunt, ut par est, doctrinam bajanorum et jansenistarum ab Ecclesia damnatam, sed ex alio capite tenent impossibilitatem creandi hominem in statu naturae purae. Ut suam sententiam defendant, statuunt sequentia.

a) Deus, si spectetur quantum ad *potentiam absolutam,* quae est ipsa omnipotentia, abstractione facta ab aliis attributis, et antecedenter ad quodlibet decretum, potuisset sine dubio creare hominem in statu naturae purae, et hac etiam ratione recte damnata est propositio 55 Baji.

b) Deus secundum *potentiam suam ordinariam consequentem ad decretum* elevandi genus humanum a principio ad ordinem supernaturalem, necessario necessitate hypothetica creavit hominem in justitia originali, et potest dici statum naturae purae fuisse impossibilem, quia Deus non potest mutare sententiam.

c) Adest in Deo alia potentia antecedens ad decretum, non absoluta, sed *ordinata sapientia et bonitate divina,* media inter potentiam *absolutam antecedentem* et *ordinariam consequentem* cujus objectum est id, quod antecedenter ad decretum Dei, non solum non repugnat in se, sed congruit divinae sapientiae et bonitati. Porro minus congruum est, ajunt augustiniani. ut homo, cui naturale est tendere aliquo modo in Deum, relinquatur in statu naturae purae. Unde, concludunt, licet ex parte hominis, cui gratia sanctificans et dona praeternaturalia non sunt debita, et attenta potentia Dei absoluta ante decretum, sit possibilis status naturae purae, tamen, attenta potentia antecedente ordinata per sapientiam et bonitatem Dei, est impossibilis ob decentiam Creatoris. Ita *Berti*[3], *Norisius*[4], et alii ex Ordine S. Auguslini, quibus subscribunt ex thomistis *Serry*[5] et *Contenson*[6].

Haec sententia non est confundenda cum errore bajanorum. Bajani impossibilitatem naturae purae retulerunt in ipsum hominem, cui dixerunt gratiam et dona praeternaturalia esse debita. Augustiniani referunt illam in Dei sapientiam et bonitatem.

Crediderim tamen hanc sententiam solido fundamento carere, quia:

1) Concilium Coloniense ait: «A veritate catholica illos aberrare asserimus, qui docent Dei sapientiam et bonitatem exegisse, ut homini gratiam sanctificantem, immunitatem a concupiscentia aut immortalitatem corporis conferret»[7].

2) Quod repugnat sapientiae et bonitati Dei, repugnat pariter potentiae ejus absolutae. Unde inconsequentiae arguitur haec sententia, quando

1 Denz-Bannw., n. 1055.
2 *De Deo creatore,* n. 212.
3 *Augustinianuni systema vindicatum,* diss. 2, praef. et c. 1, § 5.
I *Vindic. aug.,* c. 3, § 2, *unum obstare videtur.*
5 *Opera* (ed. Lugd. 1770), t. 4, tr. 3, praei. 4.
II *Theol. mentis et cordis,* lib. 7, diss. 3, c. 1, spec. 2.
7 *Part.* 2, c. 15.

dicit statum naturae purae esse possibilem secundum potentiam Dei absolutam antecedentem, et non secundum potentiam antecedentem sapientia et bonitate Dei ordinatam.

3) Data exigentia sapientiae et bonitatis Dei elevandi hominem ad statum supernaturalem antccedenter ad decretum, non facile salvatur libertas Dei in locupletando hominem gratia et donis praeternaturalibus. Voluntas enim Dei, supposito quod velit creare hominem, obligatur concedere ipsi omnia dona secundum exigentias divinae sapientiae et bonitatis.

Dicendum ergo est simpliciter possibile esse Deo creare hominem in statu naturae purae. «Poterat Deus, inquit S. *Thomas,* a principio, quando hominem condidit, etiam alium hominem ex limo terrae formare, quem in conditione naturae suae relinqueret, ut, scilicet, mortalis et passibilis esset, et pugnam concupiscentiae ad rationem sentiens; in quo nihil humanae naturae derogaretur, quia hoc ex principiis naturae consequitur. Non tamen iste defectus in eo rationem culpae aut poenae habuisset, quia non per voluntatem iste defectus causatus fuisset» 1.

QUAESTIO XXXVIII

DE EXSISTENTIA PECCATI ORIGINALIS

ARTICULUS I

UTRUM ADAMUS GRAVITER PECCAVERIT ET QUID PER PECCATUM AMISERIT

782. **Status quaestionis.** Triplex praeceptorum genus fuit protoparentibus impositum in paradiso. 1) *Praecepta naturalia,* ut lex non occidendi. 2) *Praecepta dogmatica et religiosa adnexa statui supernaturali,* ut praeceptum credendi mysteria. 3) *Speciale praeceptum divino positivum* non gustandi fructum arboris scientiae boni et mali. Uxor Adami, Eva, a serpente decepta, fructum vetitum tulit ac comedit, *deditque viro suo, qui comedit* 2. Statim Dominus reprehendit eos de crimine, et in poenam peccati e paradiso ejecit.

Hoc peccatum in Adamo *originans,* in posteris, quibus generatione transmittitur, *originatum* audit.

Quatuor veniunt hic breviter investiganda: 1) An narratio *Geneseos* sit vere historica. 2) An referat verum praeceptum Adamo impositum. 3) An peccatum Adae fuerit grave. 4) Quid per peccatum amiserit Adam.

783. 1) Error. Rationalistae fere communiter et plures protestantes, praesertim semi-rationalistae scholae tubingensis, volunt totam narrationem mosaicam de praecepto non gustandi fructum et de peccato Adami esse mythum aut allegoriam cx antiquis populorum mythologiis depromptum, et eo fine relatum, ut occasiones ad peccandum et facilitas, qua homines labuntur, describantur, vel etiam ut explicetur initium historiae civi-

1 *Init Sint,* dist. 31, q. 1, a. 2 ad 3. Cfr Suarez. *De gratia,* l'roleg., lib. 4, 2; Salnientloenao·, *De gratia Dei,* disp. 1, n. 45 sqq.; Billueri, *Tr. tie gratia,* diss. 2, a. 2, Palmieri, *De Deo creante et elevante,* th. 34, 38, 47

* *tien.,* 3, 0.

lizationis, quod ex tunicis pelliceis Adami et Evae sumendum esse putant nonnulli [1].

1-laec rationalistarum adsertio est certissime contra fidem. Negat enim originem et exsistentiam peccati originalis definitas in Concilio Tridentino [2].

784·. 2) *Interpretatio hislorico-allegorica. Origines, Cajetanus, Jahn, Lenormant*[3]*et alii pauci, dixerunt narrationem mosaicam esse historico-allegoricam; historicam quidem in referenda gravi transgressione legis, allegoricam vero in exponendis circumstantiis peccati, v. gr., de conversatione mulieris cum serpente, de natura serpentis, de esu determinati fructus, de tunicis pelliceis a Deo factis, etc. In explicatione harum circumstantiarum non conveniunt auctores memorati. *Cajetanus* pro serpente intelligit diabolum, et pro ejus sermone cum Eva internam suggestionem: *Jahn* arbitratur tentationem fuisse hallucinationem Evab, cui per somnium visum est cum serpente loqui; *Lenormant* putat circumstantias narrationis dc serpente fuisse depromptas ex symbolismo mythico antiquorum.

Haec interpretatio fere communiter rejicitur a catholicis. Adest nunc specialis ratio, ut deseratur, quia, secundum *Commissionem de re biblica,* responsione data 30 Junii 1900, «praeceptum a Deo homini datum ad ejus obedientiam probandam» et «divini praecepti, diabolo sub serpentis specie suasore, transgressio» intelligenda sunt in sensu litterali historico [4].

7S5. 3) *interpretatio P. Lagrange cl aliennm.* Clarissimus director scholae biblicae in Jerusalem, *P. Lagrange* [5]et alii, docent in capite 3 Geneseos probe distinguendam esse substantiam narrationis ab ornamentis, a) *Substantiam narrationis* continent subjectio hominis ad quamdam probationem pro aliquo stadio, eo pacto, ut si in peccatum laberetur, amitteret bona gratuita sibi collata, inductio hominis in tentationem et lapsus in peccatum, privatio innocentiae, integritatis, immortalitatis ac felicitatis, non tantum pro primo.homine sed etiam pro omnibus ejus posteris. Quantum ad haec, textus sacer in sensu litterali historico et non allegorico intelligendus est, ut salvetur exsistentia peccati originalis [6]. b) *Ornatum* constituunt circumstantiae seu adjuncta narrationis, ut lignum scientiae boni et mali in medio paradisi, serpens ejusque conversatio cum Eva, tunicae pelliceae, etc., quae adsumpta sunt a traditione populari, et symbolice explicari possunt.

Haec interpretatio, quae multum placuit aliquibus exegetis, non videtur posse conciliari cum doctrina *Commissionis de re biblica,* quae declaravit praeceptum saltem de non gustando fructu vetito et diaboli sub serpentis specie suasio ad litteram intelligenda esse.

786. 4) *Catholicorum fere communis sententia* exponitur et defenditur in sequenti thesi.

1 Cfr. Rosenmüller, *Schol. in Genes.,* Lips. 1797; et Vellhausen, *Prolegom.,* p. 304 (ed. 1899).

2 Sess. 5; Denz-Bannw., nn. 787-792.

3 Origenes, *in Gen.,* 29; MG 12, 99 sqq.; Cajetanus, *Commentarii illustres... in Genesim,* c. 3; Jahn, *Append, hermenetilicae;* Lenormant, *Histoire ancienne de l'orient,* t. 1, p. 41.

1 *Acta Ap. Sedis,* 1909, p. 568.

5 *Revue Biblique,* 1897, pp. 341-379; *La Méthode historique,* confér. 6.

6 *Revue Biblique,* 1897, p. 361 sq.

787. Thesis. **1) Narratio libri «Geneseos» de praecepto Dei et de lapsu ac dejectione protoparentum a statu innocentiae est historica. 2) Verum praeceptum a Deo impositum est homini in paradiso de non gustando fructu vetito. 3) Sed protoparentes, transgrediendo hoc praeceptum, graviter peccaverunt, et 4) Amiserunt gratiam sanctificantem ac dona gratuita ex gratia fluentia.**

Pars 1.» Narratio libri «Geneseos» est historica.

Arg. 1) Character historicus libri *Geneseos* non patitur, ut in re tanti momenti proponatur historia ficta allegoriis et mythis referta. 2) Tentatio Evae et peccatum inde sequutum referuntur ut factum historicum in diversis libris S. Scripturae [1]. 3) *Commissio de re_biblica* respondit, sub die 30 Junii 1909, librum *Geneseos* in enarrandis factis, quae retulimus, sumendum esse in sensu litterali historico [2]. 4) Negata veritate historica narrationis mosaicae, in discrimen adducitur dogma de exsistentia peccati originalis.

Pars 2.a Narratio mosaica continet verum praeceptum a Deo impositum homini de non gustando fructu.

Arg. 1) S. Scriptura refert hoc praeceptum dicens: *De ligno autem scientiae boni et mali,* ait Dominus, *ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris* [3]. Praeceptum hoc recte intellexerat Eva, quando respondit serpenti: *Praecepit nobis Deus, ne comederemus et ne tangeremus illud, ne forte moriamur* [4]. 2) Traditio universalis semper docuit verum mandatum fuisse a Deo impositum homini in paradiso de non vescendo fructu determinato. 3) Oportebat sane hominem praecepto aliquo positivo ligari, ut supremum Dei dominium agnosceret et tributum obedientiae persolveret. «Cujus ligni esus, inquit S. *Thomas,* non ideo prohibitus est, quia secundum se malus esset, sed ut homo, saltem in hoc modico, aliquid observaret, ea sola ratione, quia esset a Deo praeceptum, unde praedicti ligni esus factus est malus, quia prohibitus» [5].

Objectum quidem hujus praecepti fuit leve, sed ex voluntate Dei praecipientis evasit grave, ut modus enuntiandi et poena transgressoribus imposita satis ostendit.

«Dicebatur autem lignum illud *scientiae boni et mali,* non quia haberet virtutem scientiae causativam, sed propter eventum sequentem, quia, scilicet, homo per ejus esum *experimento* didicit, quid intersit inter obedientiae bonum et inobedientiae malum» [6].

1 Cfr. *liccli.,* 25, 33; *II Cor.,* 11, 3.
2 Cfr. */Ida /Ip. Sedis,* 1909, p. 568.
3 *Gen..* 2, 17.
4 *Gen* . 3, 3.
5 *Comp. theol ,* c. 188.
6 S. Thoinnn, *Comp. theol.,* c. 188

Pars 3.a Protoparentes, transgrediendo hoc praeceptum, graviter peccaverunt.

Arg. I) Praeceptum Domini fuisse transgressum a protoparentibus diserte testatur Scriptura dicens: *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile; et tulit de fructu illius et comedit; deditque viro suo, qui comedit* [1].

2) *Hoc peccatum initium habuit, diabolo sub specie serpentis suasore.* Refert Scriptura Evam inductam fuisse a serpente doloso sermone ad gustandum fructum vetitum [2]. Locutio autem et ratiocinatio, quae directae fuerunt Evae, nequiverunt proferri nisi ab aliquo ente rationali, quod in casu debuit necessario esse diabolus. Unde ait *Sapiens: Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum* [3].

3) *Gravitas peccati protoparentum* deprehenditur ex gravitate praecepti a Deo impositi, ex conditione peccantium, et ex plena libertate actus peccaminosi: a) *Ex gravitate quidem praecepti,* quia volens Deus exigere ab hominibus tributum subjectionis et obedientiae, imposuit praeceptum grave, ut patet ex poena mortis comminata contra delinquentem [4] b) *Ex conditione peccantium,* quia protoparentes, utpote perfectissimi et caput generis humani, gravius et strictius tenebantur ad legis observantiam, c) *Ex plena libertate actus,* quatenus protoparentes, praeclara scientia instructi, et a motibus concupiscentiae immunes, post plenam advertentiam, et discursu habito cum serpente, transgressi sunt praeceptum.

4) *Primum peccatum protoparentum fuit superbia, cui in eodem actu adnexae sunt aliae deformitates.* «Ibi fuit primum peccatum hominis, ubi potuit esse primus appetitus inordinati finis» [5]. In statu autem innocentiae, cum nulla esset rebellio carnis ad spiritum, prima inordinatio appetitus humani non potuit esse per motum ad aliquod bonum sensibile, sed per motum inordinatum ad aliquod bonum spirituale, appetendo scilicet bonum spirituale supra mensuram, quod pertinet ad superbiam. Ergo primum peccatum protoparentum fuit superbia.

Hoc peccatum superbiae commisit homo appetendo similitudinem Dei, non quidem in natura, quam jam habebat, saltem imperfectam, ab ipso creationis principio, sed «appetendo similitudinem Dei quantum ad scientiam boni et mali, sicut serpens ei suggessit, ut, scilicet, per virtutem propriae naturae determinaret sibi quid esset bonum et quid malum ad agendum: vel etiam, ut per se ipsum praecognosceret, quid sibi boni vel mali esset futurum: et secundario... appetendo similitudi-

1 *Gen.,* 3, 6.

2 *Gen.,* 3, i-6.

3 *Sap.,* *z,* 24. Dubitari posset, num diabolus adsumpserit figuram tantummodo serpentis vel verum serpentem ad sermocinandum cum Eva. Utrumque posset defendi, sed communius tenent auctores diabolum sub reali serpente se delituisse. Cfr. Hetzenauer, *Comment. in Genesim,* c. 3, v. I, p. 66 sq.

4 An haec poena, a Deo comminata, fuerit mors corporalis, vel spiritualis, vel utraque simul, non constat. Ex inflictione utriusque mortis post peccatum deducunt multi comminationem referri ad utramque mortem.

5 *II-II,* q. 163. a. 2.

nem Dei quantum ad propriam potestatem operandi, ut, scilicet, virtute propriae naturae operaretur ad beatitudinem consequendam» [1].

Peccato superbiae adnectebantur: a) **Ex parte Evae,** *curiositas,* qua scientiam ultra mensuram concupivit: *gula,* qua inordinate appetiit fructum: *infidelitas,* qua permota est, ut magis diabolo quam Deo crederet: *inobedientia,* qua noluit praecepto Dei obtemperare [2]; et *scandalum,* quo adduxit Adamum ad transgrediendum legem Dei. b) **Ex parte Adami,** *inobedientia,* qua praeceptum Domini transgressus est; et *excessiva complacentia erga uxorem,* cui in re vetita socium se adjunxit.

Pars 4.a Protoparentes per peccatum amiserunt gratiam sanctificantem et dona gratuita ex gratia fluentia.

Arg. 1) Concilium Tridentinum declaravit: «Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam praevaricationis hujusmodi iram et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, diaboli, totumque Adam per illam praevaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse, a. s.» [3].

2) *Per partes,* a) *Gratiam sanctificantem* amiserunt protoparentes, tum quia commiserunt peccatum mortale, incompatibile cum gratia sanctificante, tum quia eorum posteri nascuntur destituti gratia sanctificante. Simul cum gratia amiserunt, ut notum est, *virtutes* et *dona divinitus infusa.*

b) *Integritas naturae* disparuit per peccatum, quia a) Scriptura narrat protoparentes post peccatum, non antea, erubuisse de sua nuditate; β) posteri omnes vexantur motibus concupiscentiae; γ) integritas naturae concessa est Adamo ut innocentiam custodiret; unde, amissa innocentia, ipsa pariter evanuit.

c) *Immortalitas protoparentum* corruit per peccatum, quia a) Dominus minatus est mortem Adamo, ex quo comederet de fructu vetito; β) posteri haereditate accepimus necessitatem moriendi.

d) *Impassibilitas ac summa felicitas primi hominis* evanuit. Unde Dominus ejecit Adamum de paradiso in poenam peccati, eique reliquit labores, sudores et aerumnas, ac praenuntiavit terram producturam esse spinas et tribulos.

788. Scholion. Satis perspicue docet Scriptura protoparentes egisse poenitentiam et peccati veniam obtinuisse. *Haec* (Sapientia) *illum, qui primum formatus est a Deo pater orbis terrarum... eduxit illum a delicto suo, et dedit illi virtutem continendi omnia* [4]. Praeterea SS. Patres et theologi communiter tenent Adamum et Evam in bono perseverasse et vitam aeternam consecutos esse. «Mentiuntur ergo omnes, inquit

1 s. Thomas, //-//, q. 163. a. 2.
3 S. Thoma·. *Comp, theol.,* c. 190.
3 S»ss 5, Cun. I. Dont-Bnnnw., n. 788.
4 *Sap.,* 10, 1-2.

S. *Irenaeus* \ qui contradicunt ejus (Adami) saluti». S. *Augustinus:* «Illi primi homines, .postea juste vivendo... creduntur per Domini sanguinem ab extremo supplicio liberati» 2.

ARTICULUS II

UTRUM PECCATUM ADAMI TRANSIERIT IN OMNES EJUS POSTEROS

789. Status quaestionis. *Actus* transgressionis praecepti divini fuit proculdubio personalis a solis protoparentibus absolutus, et in Adamo dicitur peccatum *originale originans.* Hic actus, quatenus talis, non transmittitur ad posteros, quia non repetitur ab Adami descendentibus. Sed quaestio est, an actus peccaminosus primi hominis induxerit quemdam statum in genere humano, quo omnes homines ab Adamo descendentes nascantur injusti Dcoque ingrati per reatum culpae derivatum a majoribus, qui dicitur peccatum *originale originalum.* Agitur de propagatione peccati Adami ad suam propaginem, adeo ut aliud fuerit peccatum Adae, ut dicit *S. Anselmus*3, aliud peccatum infantium, illud causa, hoc effectus.

790. Errores, i) *Praeexsistentiani* docebant homines in hoc mundo nasci peccatores, quia animae ante unionem cum corpore commiserunt delicta, et ante expiationem inclusae sunt in corporibus in poenam peccatorum 4 5

2) *Pelagius,* ejusque discipuli *Caelestius, Julianus eclanensis,* etc., docuerunt saeculo v Adamum peccando laesisse tantummodo se ipsum, generi vero humano eatenus nocuisse, quatenus praebuit malum exemplum. Unde peccatum non transmittitur ad posteros *propagatione* proprie dicta, sed *imitatione,* quatenus homines malo exemplo allecti labuntur in peccatum 8. Errorem pelagianorum renovarunt *Abaelardus* °, *albigenses, sociniani ac plures protestantes* '.

3) Hodierni rationalistae scandalizantur de doctrina Ecclesiae catholicae circa propagationem peccati originalis ad posteros Adae, et dicunt esse rationi contrarium ac conscientiae repugnans, imo crudelem vindictam, ut peccatum protoparentum imputetur pueris usu rationis destitutis.

791. Thesis. Peccatum Adae transmissum est ad omnes posteros, exceptis Domino nostro Jesu Christo et beatissima Virgine Maria.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura,* a) Dicitur in psalmo: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* 8. Porro David, quando adserit se in peccato conceptum fuise, loquitur, vel a) de

1 *Adv. hacr.,* lib. 3, 23, 8; MG 7, 965.

2 *De peccat, meritis et remis.,* lib. 2, c. 34, n. 55; ML 44, 183. In aliquibus martyrologiis inseritur S. Adami nomen, et in ecclesiis orientalibus Adam et Eva coluntur ut sancti.

3 *De peccat, orig.,* c. 26 (al. 25); ML 68, 460.

4 Cfr. supra, n. 742.

5 Cfr. Ant. Woiss, *Hist, eccl.,* t. 1, § 70.

° *Ethica seu scito teipsum,* 14: ML 178, 654 sqq.

7 Cfr Pesch, *De Deo creante et elevante,* n 237 in nota.

8 *Ps.* 50, 7.

fornicatione aut adulterio parentum, se confitendo illegitimum, vel β) de suo peccato personali, vel γ) de aliquo peccato haereditai io. Nequibat loqui de fornicatione aut adulterio parentum, ut immerito contendit *Baethgen* 1 quia «natus erat de Jesse, viro justo et conjuge ipsius»2, neque poterat loqui de peccato suo personali, quia puer in conceptione carebat libertate et peccato personali. Ergo David in praefato versiculo locutus est de peccato haereditario, quod contraxit ex Adam. «Quid est, inquit S. *Augustinus,* quod se dicit in iniquitate conceptum, nisi quia trahitur iniquitas ex Adam?» 3

b) Legimus in libro Job: *Quis potest jacere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es?* '.In hoc textu editionis Vulgatae non obscure indicatur hominem ex conceptu contrahere peccatum. Hoc clarius deprehenditur ex textu hebraico: *Quis dabit mundum de immundo? Non unus?* s. Et ex versions graeca: *Quis enim mundus a sorde? At nemo, etsi unus dies sil vita ejus super terram* ®. Hunc locum interpretando *Knabenbauer* ait: «Textus doctrinam de vitiata hominis origine vel de peccato originali satis clare continet»7.

c) Disertius Apostolus: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo* (ἐφ ᾡ interpretatur juxta plures *in quo Adamo,* et juxta alios, *eo quod, quia* 8) *omnes peccaverunt* °. Rursum: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi* (οι πολλοὶ *universi); ita et per unius obedilionem justi constituentur multi* (oi πολλοὶ *omnes) 10* 11 Item ad ephesios: *Eramus natura filii irae, sicut et caeteri n.*

Ex hoc facile colliges nos contrahere ex Adamo verum peccatum, quia exprimitur vocabulo αμαρτία, peccatum seu delictum ad condemnationem, et opponitur gratiae Christi, quae datur ad justificationem vitae, et haec αμαρτια sedulo distinguitur a morte ut causa ab effectu, cum dicitur per peccatum mors 12.

1 *Psalmen,* 148.

2 S. Augustinus, *Enarrat, in ps. 50,* n. 10; ML 36, 591.

3 *Ibid.* Palmieri, *De Deo creante et elevante,* th. 67, *brev. animadv.,* putat verba Psalmistae intelligi posse de concupiscentia, quae peccatum appellatur, sed Hetzenauer, *Theol. bibi.,* t. 1, § 44, hanc opinionem vocat improbabilem propter usum loquendi biblicum. Cfr. Corluy, *Spicilegium dogm. bibl., in tract, de Deo creatore,* cpmm. 2, quaer. 5.

4 *Job,* 14, 4.

5 xS N'2'ûp 'ΠΠT3

8 Tι γαρ -ζα^αρο Ισται από ρύπου; Αλλ' ου&εί εάν *rd.* μία ήμερα ὁ βιο αὐτοῦ ἐπὶ τῆ γῆ .

' *Job,* 192.

8 Cfr. Corluy, *Spicilegium dogm. bibi., in tr. de Deo creatore,* comm. 2, quaer. 4. Vide argumenta in favorem interpretationis *in quo* (Adamo) apud Bossuet, *Défense de la tradition cl des SS. Pères,* liv. 7, ch. 12 sqq.

" *Rom., 5,* 12.

1,1 *Rom ,* 5, 18-19.

11 *Ephes.,* 2, 3

13 In Concilio Vaticano propositum fuit a Patribus sequens schema: «Reprobamus vt sub nnat lieinatc proscribimus eorum doctrinam haereticam, qui dicere

2) *Ex conciliis. Concilium Carthaginense,* a. 418: «Quicumque parvulos recentes... dicit... nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lavacro regenerationis expietur... a. s.» [1].

Concilium Arausicanum II, a. 529: «Si quis soli Adae praevaricationem suam, non et ejus propagini, asserit nocuisse, aut certe mortem tantum corporis, quae poena peccati est, non autem et peccatum, quod mors est animae, per unum hominem in omne genus humanum transiisse testatur, injustitiam Deo dabit» [2].

Concilium Tridentinum: «Si quis Adae praevaricationem sibi soli et non ejus propagini asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, sibi soli, et non nobis etiam eum perdidisse; aut inquinatum illum per inobedientiae peccatum mortem et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animae, a. s.»[3]. Deinde diserte ait: «hoc Adae peccatum, quod origine unum est, et propagatione, non imitatione. transfusum omnibus, inest unicuique proprium» [4].

3) *Ex traditione. S. Irenaeus:* «Deum in primo quidem Adam offendimus, non facientes ejus praeceptum... Neque enim alteri cuidam eramus debitores, sed illi, cujus et praeceptum transgressi fueramus ab initio» [5].

Tertullianus: «Homo a primordio circumventus, ut praeceptum Dei excederet, et propterea in mortem datus, exinde totum genus de suo semine infestum suae etiam damnationis traducem fecit» [6][7]

S. *Athanasius:* «Peccante Adamo, peccatum in omnes homines pertransiit» ’.

Post ortam haeresim pelagianam, strenue SS. Patres defenderunt doctrinam catholicam, quam dixerunt in SS. Scripturis contineri et a Patribus continua traditione doceri: «Propter quam catholicam veritatem, ajebat S. *Augustinus,* sancti ac beati et in divinorum eloquiorum pertractatione clarissimi sacerdotes Irenaeus, Cyprianus, Reticius, Olympius, Hilarius, Ambrosius, Gregorius, Innocentius, Joannes (Chrysostomus), Basilius, quibus addo presbyterum... Hieronymum, ut omittam eos, qui nondum dormierunt, adversus vos proferunt de omnium hominum peccato originali obnoxia successione sententiam»[8].

ausi fuerint peccatum originale in Adae posteris non esse verum ct proprium peccatum, nisi ab ipsis per suum actualem consensum peccando comprobetur». *Primum schema Const, de doctrina catholica,* c. 17 (Collect. Lac., 7, 517).

1 Denz-Bannw., 102.

2 Denz-Bannw., 175.

3 Sess. 5, decret, de peccato orig.: Denz-Bannw., 789.

4 *Ibid.;* Denz-Bannw., 790.

6 *Adv. haer.,* lib. 5, 16, 3: MG 7, 1168.

6 *De testimonio animae,* 3; ML 1, 613.

7 *Adv. arian.,* orat. 1, 51; MG 26, 117.

8 *Contra Julianum,* lib. 2, c. 10, n. 33; ML 44, 697.—Ex his vides, quam immerito dixerit Wegscheider, *Inst. theol.,* § 186, S. Augustinum reprobasse doctrinam de peccato originali. Ipse Augustinus se expedit ab hac accusatione, quando adloquitur Julianum his verbis: «Non ego finxi originale peccatum, quod catholica fides credit antiquitus, sed tu, qui hoc negas, sine dubio es novus haereticus». *De nupt. et concup.,* 2, 12, 25; ML 44, 450 sq.

His accedit *praxis universalis Ecclesiae,* quae jam a tempore apostolorum consuevit baptizare omnes, etiam infantes, ad delendum peccatum originale 1.

4) *Ex ratione.* Ratio naturalis nequit ex propriis principiis efficaciter probare transmissionem peccati originalis ab Adamo ad posteros, tum quia agitur de privatione gratiae sanctificantis, quae naturaliter explicari nequit, tum quia status naturae purae, cum iisdemmet fere miseriis et aerumnis, quibus nunc obruimur, non repugnat 2. Ex his tamen, quae fides docet, potest valde probabiliter ratio eam suadere.

Experimur saepe dolores, miserias, aerumnas, famem, sitim in corpore; debilitatem rationis et angustias in animo; libidinem seu bestiales appetitus in potentiis. Porro hujusmodi miseriae a) sunt in homine, attento statu, in quo creatus est, quaedam poenae; poena autem supponit culpam; b) non videntur a divina benignitate, liberalitate et providentia relictae esse homini ab origine, sed habere rationem poenae 3.

792. Scholion. A lege contrahendi peccatum originale excipiuntur Dominus noster Jesus Christus et beatissima Virgo Maria. Dominus quidem Jesus Christus, quia fuit natura impeccabilis et non descendit ab Adam per naturalem generationem, et beatissima Virgo Maria, quia speciali Dei privilegio fuit praeservata a peccato immunis. De hoc privilegio disseremus in tractatu de Verbo incarnato.

Solvuntur difficultates.

793. Obj. 1.° *Ex S. Scriptura.* Dicitur per Ezechielem: *Anima, quae peccaverit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris* 4. Ergo.

Resp.— Dist. ant. Filius non portabit iniquitatem patris, si iniquitas non fuerit in patre accidens naturae speciei, *transeat:* si fuerit accidens naturae speciei modo inferius dicendo, neg. Explicabitur articulo IV hujus quaestionis, quomodo peccatum Adami fuerit nobis voluntarium.

Obj. 2. S. *Joannes Chrysostomus* ait: «Ideo et infantes baptizamus, licet peccata non habeant» 5. Rursum: «Quid autem ex inobedientia illius alter peccator fiat, id quam consequentiam habuerit? Invenietur quippe ille ita nec poenas debere, nisi ex se peccator fuerit. Quid igitur hic significat illud peccatoris? Mihi quidem videtur supplicio obnoxios et ad mortem damnatos» 6.

Resp. Ad 1.um S. Doctor adserit infantes non habere peccata personalia, conc.; peccatum originale, neg. Ideo utitur vocabulo σμαρτη ματα—peccata—in plurali. Hoc jam notaverat S. *Augustinus* 7, quando increpavit Julianum, quia non recte verterat textum Chrysostomi 8.

Ad 2.um S. *Joannes Chrysostomus* in hoc loco negat quempiam ex in obedientia Adami exstitisse peccatorem culpa actuali, conc.; culpa habi tuali, neg. Quando dicit verbum *peccator* solum significare supplicio obno

1 Cfr Salmanticenses, *De vitiis et peccatis,* disp. 14, dub. 1, § 2.

2 Cfr. Salmanticenses, *De vitiis et peccatis,* disp. 14, dub. T, § 2; Pesch, *De Deo creante et elevante,* n. 246.

3 Cfr. S. Thomas, *Contra Gentiles,* lib. 4, c. 52. ,

4 *Esech.,* 18, 20.

5 Apud S. Augustinum, *Contra Julianum,* lib. i, n. 22: ML 44, 656. Liber Chrysostomi. cujus textum graece et latine citat S. Augustinus, deperditus est (fortasse fuerit homilia ad Neophytos).

6 *In ep. ad Horn.,* 5, 10. Homil. 10, n 2 sq.; MG 60. 477.

7 *Centra Julianum,* lib. 1, c. 6, n. 22; MI. 44, 656.

8 Cii Salmnntlooneos, *De vitiis ct peccatis,* disp. 14, n 15.

xium ac mortis reum, supponit in subjecto peccatum originale, quo damnationi subjicitur.

Scholion. Animadvertere oportet aliquos SS. Patres, praesertim graecos, ante ortum pelagianismi liberius de hac re aliquando locutos fuisse. Nam 1) contra gnosticos et manichaeos, qui substantiam corporalem ex malo principio oriri putabant, dixerunt generationem, qua pueri nascuntur, non esse infectam. 2) Contra platonicos et origenistas adserentes animas humanas, antequam unirentur corporibus, commisisse peccata et in poenam delictorum inclusas fuisse in corporibus, docuerunt infantes non habere peccata, scilicet, commissa ab anima praeexsistente. 3) Priusquam a pelagianis moverentur litigia de peccato originali, parum curabant de formulis, et quaedam obscura protulerunt.

ARTICULUS III

IN QUO CONSISTAT PECCATUM ORIGINALE

794. Status quaestionis. Justitia originalis perficiebat Adamum principaliter quantum ad animam et secundario quantum ad potentias, appetitus et corpus. In illo enim felici statu sanctitas recepta est in anima per gratiam, et exinde orta est illustratio in intellectu, rectitudo in voluntate, subordinatio ad rationem in parte sensitiva, immunitas a concupiscentia in appetitu et immortalitas in corpore. Haec omnia amisit Adam per peccatum, et transmittendo culpam ad suam propaginem, privavit suos posteros justitia originali et omnibus, quae ex ea nascebantur, donis.

Probavimus jam articulo superiori peccatum Adam, transmissum ad ejus posteros, esse vere peccatum, quod avertit nos a Deo et facit filios irae. Cum tamen hoc peccatum non fuerit a nobis actu personali commissum, distinguitur a peccatis actualibus, et, ut recte intelligatur, indiget aliqua explicatione. Investiganda est igitur natura seu formalis ratio peccati originalis.

795. I. Falsae sententiae. 1) *Mathias Florius illiricus,* in universitate Jenensi theologiae professor, et rigidorum lutheranorum pater, docuit peccatum originale esse ipsam substantiam animae essentialiter corruptam et transformatam in imaginem diaboli[1].

Haec sententia omnino rejicienda est, quia a) sapit manichaeismum, dum supponit substantiam animae esse malam; b) statuit animas substantialiter corruptas specie distingui ab anima Adae; c) admittere debet peccatum originale, adveniente gratia sanctificante, non deleri, ex eo quod anima non mutatur substantialiter per gratiam.

2) *Lutherani* et *calvinistae,* quos deinde sequuti sunt Bajus et Jansenius, dixerunt peccatum originale formaliter esse concupiscentiam,

1 Cfr. S. Bellarminus, *De amissione gratiae,* lib. 5. c. I sqq.; et De Rubeis, *De peccato orig.,* c. 54.

quae hominem ad malum inclinat, quaeque secundum suam essentiam manet in baptizatis, quamvis eis non imputetur 1.

Haec sententia est omnino falsa. Nam a) diserte ait Apostolus: *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu* 2. Et S. Jacobus: *Unusquisque vero lentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus; deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum.* Ergo peccatum originale non est concupiscentia. Hunc locum egregie exponit S. *Augustinus* dicens: «Profecto in iis verbis partus a pariente discernitur. Pariens enim est concupiscentia, partus peccatum. Sed concupiscentia non parit, nisi conceperit; nec concipit, nisi illexerit, hoc est, ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis assensum... Dimissis itaque in baptismate peccatis omnibus... manet ipsa... etiamsi, adversus eam, concupiscente spiritu, peccata concipere ac parere non sinatur» 34 b) *Concilium· Tridentinum,* cum fassum esset in baptizatis manere concupiscentiam et fomitem, condemnavit eos, qui adseruerint in baptismo «non tolli totum id, quod veram ac propriam peccati rationem habet» **i**. Ergo concupiscentia non est peccatum 5.

3) *Aliqui catholici,* ut *Albertus Pighius* 67et *Ambrosius Catharinas* 7, dixerunt peccatum originale formaliter esse ipsum actuale Adami peccatum, extrinsece posteris imputatum, eo fere modo, quo delictum patris imputatur filio 8.

Haec opinio, quam aliqui falsam, alii improbabilem vocant, admitti nequit. Nam, a) *juxta Apostolum,* omnes in Adam peccaverunt; b) *Concilium Tridentinum* docet verum peccatum ita ab Adam ad posteros transmitti, ut unicuique proprium insit et producat mortem animae 9. Ergo peccatum originale est aliquid majus quam extrinseca imputatio.

4) *Magister Sententiarum* haec habet: «Omnes enim illi unus homo fuerat, id est, in eo materialiter erant. Manifestum est itaque omnes in Adam peccasse, quasi in massa. Ipse enim per peccatum corruptus, quos genuit omnes, nati sunt sub peccato... Transmisit enim Adam modicum quid de substantia sua in corpora filiorum, quando eos procreavit, id est, aliquid modicum de massa substantiae ejus divisum est, et inde formatum corpus filii, suique multiplicatione sine rei extrinsecae adjectione auctum est; et de illo ita augmentato aliquid inde separatur,

1 Cfr. Calvinus, *Instit.,* lib. 3, 3, 10; Jansenius, *De statu nat. laps.,* lib. 1, c. 3.

2 *Rom.,* 8, i.

3 *Contra Julianum,* lib. 6, c. 15, n. 47; ML 44, 849. Concupiscentiam aliquando Apostolus appellat peccatum *(Rom.,* 6, 12), non quod sit vere et proprie peccatum, «sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat». *Concilium Trid.,* sess. 5, deert. de peccato orig.; Denz-Bannw., n. 792.

4 *Sess.* 5, decret, de peccato orig., can. 5; Denz-Bannw., 792.

6 S. Thomas, *I-II,* q. 82, a. 3; *In 11 Sent.,* dist. 30, q. 1, a. 3, et alibi, saepe docet peccatum originale, non formaliter, ut volunt protestantes, sed materialiter esse concupiscentiam, sicut conversio ad bonum commutabile est quid materiale in peccato actuali. Quomodo hoc intelligendum sit, vide infra, n. 801.

° *Controversiarum... expositio,* controv. 1.

7 *De casu hominis et peccat, orig.,* § «Deprehensio ejus».

8 De hac sententia videndi sunt Vazquez. *In I-II,* disp. 132, c. 2; et S. Belinrmlnui, *De amissione gratiae,* lib. 5, c. 16. Hanc opinionem jam olim refutaverat S. Ansolmus, *De concept. l'irg et orig. pecc.,* c. 25 sq.; ML 158, 460.

" .S'rsv 5, de peccato orig., can 3; Donz-Bannw., n 790.

unde formantur posterorum corpora» [1]. Rursum: «Caro enim propter peccatum corrupta fuit in Adamo, adeo ut... post peccatum non valet fieri carnalis copula absque libidinosa concupiscentia, quae semper vitium est et etiam culpa, nisi excusetur per bona conjugii. In concupiscentia igitur et libidine concipitur caro formanda in corpus prolis. Unde caro ipsa, quae concipitur in vitiosa concupiscentia, polluitur et corrumpitur; ex cujus contactu anima, cum infunditur, maculam trahit, qua polluitur et fit rea, id est, vitium concupiscentiae, quod est originale peccatum. Ideoque ipsum peccatum dicitur manere in came. Caro ergo, quae in concupiscentia libidinis seminatur, nec culpam habet nec actum culpae, sed causam» [2].

Ex his Magistri verbis deducunt et defendunt nonnulli in corpore Adami per peccatum productam fuisse morbidam qualitatem, quae per generationem transmittitur in corpora filiorum et per contactum inficit animam, producendo in ipsa aliam qualitatem morbidam, scilicet, peccatum originale, quod est concupiscentia. Ita *Henricits Gandavensis* [3], *Gregorius Ariminensis* [4] et alii.

Haec sententia merito rejicitur hodie ab omnibus. Nam a) peccatum originale non est concupiscentia, ut vidimus; neque potest esse qualitas positiva inclinans ad malum, quia post remissionem peccati originalis qualitates positivae animae ac potentiarum integrae manent; b) sine fundamento dicitur animam rationalem passive infici ex contactu corporis vitiosi.

796. II. Duae opiniones probabiles. Sententias hucusque relatas fere communiter rejiciunt theologi, sed ipsi non parum disputant et in duas abeunt probabiles opiniones, cum formalem rationem peccati originalis adsignare contendunt.

1) S. *Thomas* expresse docet essentiam seu rationem constitutivam peccati originalis formaliter consistere in privatione justitiae originalis, quantum ad ejus effectum primarium, seu, quod idem est, in privatione gratiae habitualis, quatenus haec nata est sanctificare et rectificare animam in ordine ad Deum. Unde peccatum originale privat hominem gratia sanctificante et avertit a Deo, fine ultimo supernatural!. Ita S. *Thomas* et communiter thomistae [5]; *Scotus* ejusque discipuli plures [6]; et ex Societate S. *Bellarminus, Vazquez, Valentia, Suarez, Billot* et alii bene multi [7].

2) *Alii* docent peccatum originale formaliter esse ipsum Adae pec-

1 *11 Sent.,* dist. 30, nn. 8 et 13.

2 *II Sent.,* dist. 31, nn. 3-4.

3 *Quodlib. 2,* q. 11.

4 *In II Seni.,* dist. 30, q. 1, a. 2.

5 S. Thomas, *I-II,* q. 82, a. 3; *In II Sent.,* dist. 30, q.1, a. 3; *Comp.theol,* c. 196, et alibi. Ex thomistis conferendi sunt Capreolus, *II Sent.,* dist. 30, q. 1, a. I,concl. 3 et a. 3, § 3; Ferrariensis, *Contra Gentiles,* lib. 4, c. 52; Medina, *I-II,* q. 82, a. 3; Salmanticenses, *De vitiis et peccatis,* disp. 16, n. 113 sqq.

6 Scotus, *In 11 Sent.,* dist. 30, q. 2; et dist. 32, q. un., *Respondeo;* cfr. Hieronymus de Montefortino, *Tr. de vitiis et peccatis,* q. 82, a. 2.

7 S. Bellarminus, *De amiss, gratiae,* lib. 5, c. 17 sqq.; Vazquez, *In I-II,* disp. 132, CC. 8-9; Valentia, *In I-II,* disp. 6, q. 12, p. un., § 9 sqq ; Suarez, *De vitiis et peccatis,* disp. 9, sect. 2, n. 18; Billot, *De personali cl oiig. pecc.,* th 12.

catum, quatenus a posteris in illo tanquam in capite moraliter commissum est, et in omnibus moraliter ita perseverat, ut reddat eos inimicos Dei. Ita *Salmeron, Toletus, Lugo, Platel, Arriaga, .Wirceburgenses* \ *Pondus, Frassen* et alii[2].

Ratio principalis, cui nititur haec opinio, est, quia per peccatum originale constituimur peccatores coram Deo. Constituimur autem peccatores per peccatum Adae, et privatio justitiae originalis est effectus hujus peccati.

3) Peccatum itaque Adae, juxta primam sententiam est causaliter, et juxta aliam opinionem formaliter, peccatum originale; privatio justitiae originalis, juxta S. *Thoniam,* est formaliter peccatum originale, et juxta *Sahneronem* et alios, est effectus peccati originalis [3].

797. III. **Ecclesiae judicium.** Ex Ecclesiae definitionibus satis colligitur sententias relatas in numero I esse falsas et a catholicis omnino rejiciendas, sed quoad probabiles opiniones, quas proposuimus in numero II, nihil certum haberi potest. Concilia enim nunquam voluerunt declarare, *in quo praecise consisteret formalis ratio peccati originalis.* quia Patres noluerunt «Ecclesiae auctoritatem intermiscere opinantium doctrinis» [4].

Hinc utraque opinio recensita sub numero II est probabilis et potest libere una vel altera a theologis defendi. Nihilominus explicatio S. *Thomae* est hodie longe communior, et, ut reor, magis fundata. Quare sit:

798. THESIS. **Peccatum originale formaliter consistit in privatione justitiae originalis quantum ad ejus effectum primarium; id est, privatio justitiae originalis, per quam anima sanctificabatur et voluntas subdebatur Deo, est formale constitutivum peccati originalis 56**

Praenotanda. 1) Ut optime animadvertit cl. *Honoratus dei Val* °, *privatio gratiae sanctificantis, aversio a Deo, et peccatum habituale,* ex se quidem significant conceptus formales diversos, et in statu naturae purae potuissent omnino separari, sed in praesenti statu, in quo finis supernaturalis nobis proponitur per solam gratiam supernaturalem adipiscendus, in praxi idem fere significant, et separari nequeunt. Unde *privatio gratiae* est *aversio a Deo,* ultimo fine supernatural!, et *peccatum habituale*

2) Peccatum originale in Adami progenie non est peccatum actuale sed habituale. Ea est autem inter utrumque differentia, ut unum sit causa alterius. Hinc peccatum *actuale* est *actus voluntatis transiens sine*

1 Salmeron, *in ep. ad Rom.,* disp. 45-46: Toletus. *in ep. ad Rom.,* c. 5, annot. 16; Lugo, *De poenitentia,* disp. 7, sect. 7. Platel, *Synopsis enisus theol* . p. 2, c. 4, n. 316 sqq.; Arriaga, *De vitiis et peccat.,* disp. 51, sect. 4; Wirceburgenses, vol. 7, n. 103.

2 Poncius, *Theol. cursus integer,* disp. 18, q. 5, concl. ult.; Frassen. tr. 3, disp. 3, a. 2, q. 2, concl. ult.

3 Cfr. Peseh, *De Deo creante et elevante,* n. 256.

4 Pallavicini, *Hist. Concilii trid.,* lib. 7, c. 9, n. 6. Cfr. Adnotationes ad primum schema Constitutionis de doctrina catholica Concilii Vaticani. *Collect. Lac..* 7. 549-

6 S. Thomas, *J-IJ,* q. 82, a. 3.

0 *De Deo creante,* η. lôg.

7 Cfr Mazzolla, *De Deo creante,* n. 977.

debita rectitudine ad finem, seu, ut ait S. *Thomas,* «motus voluntatis... absque ordine conveniente ad debitum finem»[1]. Voluntas per hunc actum transgreditur praeceptum aliquod et avertitur a Deo. Peccatum *habituale* est *status perseverans aversionis a Deo, ultimo fine.* Dicitur et est vere peccatum, quia est status quidam productus per actionem voluntariam, ratione cujus, etiam transacto peccato actuali, nominamur et sumus peccatores ac *inimici Dei.* Unde peccatum originale est vere privatio gratiae sanctificantis, aversio a Deo, et idcirco peccatum habituale [2].

3) Peccatum actuale Adami seu originale originans non solum fuit causa physica peccati habitualis ejusdem, sed etiam causa physica peccati originalis nostri. Per peccatum actuale dictus est Adam *peccans,* per peccatum habituale denominatus est *peccator.* Nos autem per peccatum originale non dicimur *peccantes,* quia sine actu personali illud contrahimus, constituimur tamen *peccatores,* quia privamur gratia sanctificante et avertimur a Deo. Unde peccatum habituale Adami et nostrum peccatum originale adsimilantur inter se, quatenus utrumque producitur a peccato originali originalité, et constituit Adamum et nos peccatores coram Deo [3].

4) Justitia originalis conferebat, ut dictum est, plures effectus protoparentibus, gratiam, scilicet, sanctificantem, dona ac virtutes infusas, integritatem, immortalitatem, etc. In hac thesi statuitur rationem formalem peccati originalis consistere in privatione justitiae originalis quantum ad ejus effectum primarium, qui est gratia sanctificans. Cum proprium gratiae sanctificantis sit justificare et rectificare animam in ordine ad Deum, et peccatum originale auferat ab anima gratiam sanctificantem, idem est dicere peccatum originale consistere in privatione gratiae sanctificantis vel in habituali aversione a Deo, fine ultimo supernatural!. His dictis

Arg. 1) *Ex conciliis.* *Concilium Arausicanum II,* can. 2, testatur «peccatum, quod *mors* est *animae,* per unum hominem in omne genus humanum transiisse» [4]. Sed mors animae non est nisi privatio gratiae sanctificantis. Ergo.

2) *Ex doctorum auctoritate.* *S. Anselmus* ait: «Peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in eisdem infantibus nisi ipsam, quam supra posui, factam per inobedientiam Adae, justitiae debitae nuditatem» [5]. S. *Thomas:* «Privatio originalis justitiae, per quam voluntas subdebatur Deo, est formale in peccato originali... Peccatum originale

1 *De malo,* q. 4, a. 2.

2 S. Thomas, *I-II,* q. 82, a. i, peccatum originale vocat habitum, non quod sit aliqua forma vel qualitas, sed improprie, quatenus habitualiter permanet in anima, et inordinate disponit animam in ordine ad Deum.

3 Cfr. Salmanticenses, *De vitiis et peccatis,* disp. 14, n. 61; et disp. 16, n. 77.

4 Denz-Bannw., n. 175. Ad rem m rito ajebat Angelus Paschalis, episcopus motulensis, in congregatione praevia Concilii Tridentini, die 21 Maji 1546: «Peccatum originale (est) *vacuitas* quaedam illi perfectioni opposita, quae Adamum innocentem condecorabat, et justitia originalis vocabatur». Pallavioini, *Hist. conc. trill.,* lib. 7, c. 8, n. 3.

5 *De conceptu virg.,* c. 27; ML 158, 461.

materialiter quidem est concupiscentia, formaliter vero est defectus originalis justitiae»[1].

3) *Ex ratione,* a) Privatio gratiae sanctificantis in homine elevato ad ordinem supernaturalem, utpote carentia debitae formae, est quoddam malum, et quidem malum culpae et peccatum habituale, quia est aversio et separatio a Deo, fine ultimo supernaturali. Sed haec culpa seu peccatum habituale, exsistens etiam in infantibus, non est nisi peccatum originale, de quo agimus, quia in infantibus non est aliud peccatum nisi originale. Ergo peccatum originale consistit in privatione gratiae sanctificantis.

b) In prima sanctificatione hominis restituitur, quod abstulit peccatum originale. Sed sanctificatio fit restituendo animae gratiam sanctificantem. Ergo.

c) Omne peccatum habituale consistit in privatione gratiae sanctificantis, quia, ut diximus in praenotandis, est aversio a Deo, fine ultimo supernaturali, cum hac differentia, quod peccatum habituale, quando est terminus voluntarius actus personalis, admittit majorem vel minorem gradum privationis juxta diversitatem malitiae, at quando est propagatione transfusum et voluntarium in capite naturae, non admittit diversitatem graduum, sed sistit in simplici aversione a Deo per privationem gratiae sanctificantis. Ergo.

Solvuntur difficultates.

799. Obj. 1. Peccatum originale praecedit privationem gratiae. Ergo peccatum originale non consistit in privatione gratiae sanctificantis.

Resp. Dist. ant. Peccatum originale *originans* praecedit privationem gratiae, conc. Peccatum originale *originatuni,* singulis infantibus proprium, praecedit privationem gratiae, neg. Peccatum originale originans, quod Adamus commisit, et per quod se ipsum totumque genus humanum privavit gratia sanctificante, fuit causa physica peccati originalis originati et abjectionis gratiae infantium, ac proinde praecessit privationem gratiae sanctificantis, at peccatum originale originatum, quod est peccatum habituale a posteris Adae contractum, non praecedit privationem gratiae sanctificantis.

Obj. 2.° Privatio gratiae sanctificantis est poena peccati originalis[2]. Ergo peccatum originale non consistit in privatione gratiae.

Resp. Dist. ant. Privatio gratiae sanctificantis est poena peccati originalis originantis, conc.; est poena peccati originalis originati, subd.; in genere causae efficientis moralis, quatenus privatio est subtractio gratiae active considerata, conc.; in genere causae formalis seu passive considerata, neg. Peccatum originale originatum facit puerum indignum gratia in genere causae efficientis moralis, et propter hanc indignitatem subtrahitur ei gratia; sed in genere causae formalis, peccatum originale, cum sit vacuitas quae-

1 *I-II,* q. 82. a. 3. Idem repetit S. Doctor, D.? *malo,* q. 3, a. 7; q. 5, a. 2, et alibi passim Angelicum Doctorem sequuntur Scotus, *II Sent.,* dist. 30, q. 2; Joannes Bachonus, *// Sent.,* dist. 31 et 82, *Tertius* et *Quarius;* Capreolus, *II Sent.,* dist.. 30, q 1, a. i. concl 3; Dom. Soto, *De nat. et grat.,* lib. 1, c. 9; Suarez, *De vitiis et peccatis,* disp 9, sect 2, n. 18; Salmantioenses, *De vitiis et peccatis,* disp. t6, n 113 sqq . et ex recentioribus Palmieri, *De Deo creante et elevante,* th. 73; Mazzella, *De Deo creante,* n 995 sqq.; Pesch, *De Deo creante et elevante,* n. 248 sqq.

» S. Thomas. *III,* q 85, a. 5, ait: «Subtractio autem originalis justitiae habet rationem poenae, sicut etiam subtractio gratiae».

dam seu carentia formae in statu actuali debitae, est ipsamet privatio gratiae sanctificantis [1].

Obj. 3.° Peccatum habituale in statu naturae purae et peccatum veniale in statu praesenti non consistunt in privatione gratiae supernaturalis. Ergo nec peccatum originale consistit in privatione gratiae sanctificantis.

Resp. Concesso antecedenti, neg. conseq. Peccatum habituale in quolibet statu consistit in privatione alicujus formae debitae. Gratia autem sanctificans non est forma debita statui naturae purae, et non amittitur per peccatum veniale in praesenti statu; ac idcirco peccatum grave habituale in statu naturae purae, et veniale in statu praesenti nequeunt consistere in privatione gratiae sanctificantis. Hinc i) peccatum grave habituale in statu naturae purae consisteret in privatione *qualitatis naturalis,* qua homo natus esset ordinari ad bonum honestum et ad Deum ut finem ultimum naturalem [2]. 2) Peccatum veniale habituale consistit in privatione habitus, quo homo ordinatur ad ea, quae sunt ad Deum. 3) Peccatum denique grave habituale, sicut et peccatum originale, in praesenti statu, ponitur in privatione gratiae sanctificantis.

Parergon.

800. Peccatum originale, ut modo breviter innui et docet S. *Thomas* [3], quoad suum esse formale, est aequaliter in omnibus, quia consistit in privatione totius justitiae originalis. «Privationes autem totaliter aliquid privantes, ut mors et tenebrae, non recipiunt magis et minus» [4]. Sed quantum ad suum esse materiale, quod est concupiscentia, non est aequaliter in omnibus, sed potest accipere magis vel minus propter diversas animae vires et corporis complexionem.

Non tamen recte concluderes ex hac doctrina omnia peccata gravia habitualia esse aequalia quantum ad suum esse formale, sicut peccatum originale est aequale in omnibus. Discrimen inter peccatum originale et peccata personalia est manifestum, quia, cum voluntas personalis puerorum nullatenus concurrerit ad constitutionem peccati originalis, privatio gratiae est in ipsis aequaliter voluntaria ex capite naturae, at peccata personalia sunt nobis voluntaria personaliter, et induunt diversum gradum, juxta diversitatem objecti et malitiae, qua amittimus gratiam.

801. Scholion. *Quomodo concupiscentia sit materiale peccati originalis.* *S. Thomas* ait ad rem: «Peccatum originale materialiter quidem est concupiscentia» [5]. Quomodo hoc intelligendum sit, oportet hic explicare.

1) Certum est concupiscentiam non esse partem materialem, quae constituat essentiam peccati originalis, quasi esset subjectum accipiens privationem gratiae ad modum formae, et constituens cum ea compositum peccati originalis. Hoc enim absurdum est, et nemo unquam defendit. Item certum est concupiscentiam non esse formaliter peccatum, sed appellari peccatum ab Apostolo, «quia ex peccato est et ad peccatum inclinat» [6].

1 Cfr. Salmanticenses, *De vitiis et peccatis,* disp. 16, n. 148.
2 Cfr. Salmanticenses, *De vitiis et peccatis,* disp. 16, n. 154.
3 *I-II,* q. 82, a. 4.
4 S. Thomas, *I-II,* q. 82, a. 4.
5 *I-II,* q. 82, a. 3, et alibi passim.
6 *Concit. Trid.,* sess. 5, can. 5; Denz-Bannw., n. 792.

2) *Aliqui* cum *Sylvio,* putant concupiscentiam dici materiale peccati originalis, quia est effectus ejusdem, et «effectus comparari solet ad suam causam sicut materiale ad formale» [1] Haec explicatio non displicet omnino, et admittitur a *Billuart* [2].

3) *Alii* autem verius, et, ut videtur, conformius menti S. *Thomae,* hoc pacto rem explicant. Sicut in peccato actuali ratio formalis malitiae primo et per se sistit in actu libero voluntatis, et actus inferiorum virium, moti a voluntate, se habent ut materia integrans et componens peccatum, ita a pari, peccatum originale, quod est peccatum naturae per naturam hominis et ejus partes diffusum, ita constituitur, ut deordinatio voluntatis, seu aversio a Deo, fine ultimo supernatural!, sit ratio formalis in peccato originali; «deordinationes vero aliarum partium sive potentiarum, quae ab illa prima (voluntate) moventur, uti sunt intellectus et appetitus sensitivus... habent se tanquam integrantes et componentes materiam talis peccati... Cum ergo concupiscentia non sit aliud quam deordinatio praedictarum partium animae» [3] recte vocatur materiale peccati originalis. Satis clare hoc expressit *Angelicus* dicens: «Inter superiores vires, quae suscipiunt defectum per originem traductum secundum rationem culpae, una est, quae omnes alias movet, scilicet, voluntas; omnes autem aliae moventur ab ea ad suos actus. Semper autem, quod est ex parte agentis et moventis, est sicut formale; quod autem est ex parte mobilis et patientis, est sicut materiale. Et ideo, cum carentia originalis justitiae se habeat ex parte voluntatis, ex parte autem inferiorum virium a voluntate motarum sit pronitas ad inordinate appetendum, quae concupiscentia dici potest, sequitur quod peccatum originale in hoc homine vel in illo nihil est aliud quam concupiscentia cum carentia originalis justitiae, ita tamen, quod carentia originalis justitiae est quasi formale in peccato originali, concupiscentia autem est quasi materiale» [4]

ARTICULUS IV

QUOMODO PECCATUM ORIGINALE SIT NOBIS VOLUNTARIUM

802. Status quaestionis. 1) Suppono ut certum peccatum originale esse quodammodo, saltem ex capite naturae, nobis voluntarium. «Usque adeo, ait S. *Augustinus,* peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium; et hoc quidem ita manifestum est, ut nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat» [5]. Et S. *Thomas: «Defectus* simplicem negationem alicujus boni importat; sed *malum* nomen privationis est... *Culpa* autem super hoc addit rationem voluntarii» [6]. Ratio est, quia peccatum est de genere morum, quo aliquis fit debitor coram Deo. Sed nemo potest

1 Sylvius, *Tη I-II,* q. 82, a. 3, conci. 3.
2 *De peccatis,* diss. 6. a. 5, dico 6.
3 Salmantioensos, *De vitiis et peccatis,* disp. 16, n. 105.
I *De malo,* q. 4, a. 2.
3 *De vera velig,* c. 14, n. 27; ML 34, 133.
II *In II Sent ,* dist. 30, q, 1, a. 2.

coram Deo culpari de eo, quod est sibi absolute involuntarium. Ergo ratio voluntarii semper requiritur ad peccatum.

Quare graviter culpandus est *Bajus,* qui docet peccatum originale esse vere peccatum, quin sit voluntarium, dummodo infans actu contrario voluntatis non retractaverit.

2) Suppono quoque, ut certum, peccatum originale non esse puero voluntarium per actuale exercitium voluntatis ipsius pueri, quia peccatum originale contrahitur ab infante, quando nullum habet exercitium voluntatis. In hoc etiam erravit *Bajus,* cujus propositio 48, a S. Pio V damnata, sic se habet: «Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, et habitualiter dominatur parvulos, eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium» x. Quomodo potuit infans habere voluntatem habitualem, si nunquam habuit actuale voluntatis exercitium?

3) Voluntarium est *id, quod fit ab intrinseco cum cognitione finis.* Potest esse duplex: Primo *-physice,* quatenus ille, cui dicitur voluntarium, per se ipsum ab intrinseco facit aliquid cum cognitione finis, ut cum Petrus, sciens et volens, occidit hominem; secundo *moraliler,* id quod fit ab alia persona, in qua continetur voluntas et consensus ejus, cui dicitur voluntarium, ut, quod fit a mandatario, est voluntarium mandanti.

Translatio voluntatis et proprii consensus in alium potest fieri: a) *per actum proprium,* ut cum mandans committit aliquid mandatario; b) *per actum principis,* ut voluntas impuberum transfertur in patrem et voluntas minorum in curatorem per legem principis supremi; c) *per ordinationem Dei.* Cum enim Deus habeat omnium voluntates in sua potestate, valet omnium voluntates et consensum in voluntatem unius tanquam in caput transferre, ut quod ab isto actum fuerit, censeatur ab omnibus actum ac proinde firmum ratumque habeatur; d) *per continentiam naturae vel speciei,* nam quantum ad ea, quae pertinent ad naturam seu speciem, nos continebamur in Adam.

Quo pacto tulerit Deus voluntates omnium hominum in Adamum, quaestio est inter theologos agitata.

803. I. *Plures* defendunt Deum lege positiva ita in Adamo omnium posterorum voluntates circa negotium de conservanda vel amittenda justitia originali posuisse, ut «una ipsius voluntas omnium voluntas censeretur, unusque ejus consensus vel dissensus pro omnium consensu vel dissensu haberetur»2. Sicque Adam ordinatione divina constitutus est caput morale generis humani, eo pacto et conditione, ut, si obediret praecepto de non edendo ligno vetito, ipse custodiret et ad omnes ejus posteros transmitteret justitiam originalem; sin autem, pro omnibus illam amitteret. Adamus itaque erat quasi paterfamilias, qui bonum spirituale suorum filiorum administrabat. Voluntas ejus erat voluntas totius generis humani, quatenus omnes posteri unum corpus morale cum eo efficiebant. Unde cum Adam praeceptum Domini de non gustando ligno vetito transgressus est, nos per ipsum voluntate capitis peccavimus, antequam actum personalem exerceremus. Consequenter.

Denz-Bannw., 1048.
Salmanticenses, *De vitiis et peccatis,* dûp. 14, n. 35.

peccatum originale est infantibus «per se et intrinsece voluntarium, non formaliter per modum exercitii, sed terminative per modum effectus; non quidem physice, ex ordine ad propriam uniuscujusque voluntatem, sed moraliter, ex ordine ad voluntatem Adami, quatenus fuit voluntas capitis continentis ex Dei institutione voluntates ipsorum». Ita *Salmanlicenses* [1], *Arriaga* [2], *Wirceburgenses* [3], *Murillo* [4], et alii non pauci[5].

II. *Alii* putant voluntates omnium hominum non fuisse a Deo translatas in Adamum, sed peccatum originale esse omnibus voluntarium, non eo quod voluntates omnium includerentur in Adamo peccante, vel omnes cum eo interpretative consenserint, sed eo quod Adamus constitutus est caput juridicum generis humani, et effecit cum omnibus hominibus unam familiam; atque, supposita lege Dei positiva communicandi omnibus posteris dona caelestia, consensit in peccatum, quod, ex fictione juris, fuit peccatum omnium. Ita *Mazzella* [6] et alii non pauci.

Haec explicatio peccati originalis *ex capite juridico* negat quidem pactum formale seu conventionem expressam, bilateralem et mutuam inter Deum et Adamum, vi cujus Deus contulerit Adamo gratiam posteris transmittendam ea conditione, ut servaret praeceptum impositum, at certe ponit pactum implicitum et virtuale in decreto Dei positivo de communicanda omnibus hominibus justitia originali, si Adamus obediret, et admittit Adamo notum fuisse hoc decretum ejusquc conditionem, ac proinde cognovisse conservationem justitiae, originalis in genere humano a se uno pendere [7].

Defensores hujus sententiae probare contendunt conservationem justitiae originalis in genere humano juste alligari conditioni praecepti servandi. Justitia enim originalis erat, ut omnes norunt, donum supernatural omnino gratuitum, et sicut poterat a Deo denegari, poterat ejus conservatio praefatae conditioni sine injuria alligari. Nequibat Deus largitionem et conservationem donorum naturalium, quae erant humanae naturae debita, alligare conditioni adimplendae a solo primo parente sine consensu personali singulorum, quia dona naturalia, utpotc complementum humanae naturae debentur singulis ad finem naturalem consequendum, et sicut nemo potest privari a fine naturali consequendo sine propria voluntate, ita nec ea, quae sunt ad finem naturalem consequendum necessaria, possunt alligari conditioni non dependenti a voluntate personali. E contra, dona supernaturalia, quae non debentur naturae humanae, sicut libere possunt a Deo denegari, ita libere possunt cuilibet conditioni alligari [8].

1 *De vitiis et peccatis,* disp. 14, n. 38.
2 *De vitiis et peccatis,* disp. 51. sect. 5, subsect. 2.
3 *De pecc.,* n. 95 (Tom. 7).
4 *La tglesia romana,* t. 3, p. 201 sqq.
5 Nonnulli, ut Salmantioenses, *De vitiis et peccatis,* disp. 14, n. 35, ultra inclusionem omnium voluntatum in Adamo, effingunt Deum pepigisse pactum cum Adamo, vi cujus primus parens, nomine omnium acceptaverit compromissum conservandi vel amittendi justitiam originalem, ct consequenter, nomine omnium praebuisse peccato consensum.
6 *De Deo creante,* n. 1014 sqq., praesertim, n. 1022.
7 Cfr Po»ch, *De Deo creante,* n. 274.
8 Cfr Poaoli. *De Deo creante,* n. 271.

Duo inconvenientia offert haec explicatio. *Primo,* recidit in sententiam quam refutare contendit de inclusione omnium voluntatum in Adamo. In ratione enim capitis juridici ponitur certe, ut bene arguit *Billot* [1], continentia moralis omnium posterorum in Adamo, adeo ut omnes homines dicantur idem voluisse secundum aestimationem et consensum interpretativum, quod Adam voluit, in negotio de conservatione vel perditione justitiae originalis. Si enim totum genus humanum constituit unum corpus morale cum Adamo, capite juridico, non video, cur Adamo et posteris ejus non sit eadem voluntas moralis idemque consensus interpretativus, eodem modo, quo minorennium voluntas dicitur inclusa in voluntate curatoris. *Secundo,* confundere videtur caput juridicum et caput naturae, cum omnino sint diversa, sicut diversi sunt ordo juridicus et ordo naturalis. Caput juridicum constituitur decreto principis, et, quidquid ipsum facit, attribuitur membris fictione quadam juris; caput vero naturae constituitur ratione speciei, et ad ipsum pertinent, qui eamdem participant naturam.

III. *Alii* rejiciunt omnem fictionem juris, qua, vel voluntas sit voluntas generis humani cum pacto inito inter Deum et primum hominem, vel Adam constituatur caput juridicum generis humani cum lege Dei positiva transmittendi posteris justitiam originalem, et explicant naturam et transmissionem peccati originalis *ex capite naturae,* quia peccatum originale non est nisi privatio *accidentis specifici.* «Justitia autem originalis, inquit *Angelicus...* fuit accidens naturae speciei, non quasi ex principiis speciei causatum, sed tantum sicut quoddam donum divinitus datum *toti naturae»* [2]. Rursum: «Ad naturam potest aliquid pertinere secundum se ipsam, scilicet, quod causatur ex principiis ejus, et aliquid ex dono gratiae. Et hoc modo justitia originalis... erat quoddam donum gratiae toti naturae humanae divinitus collatum» [3]. Unde positiva Dei institutio in hac materia non referebatur *ad personam Adae,* quasi Deus constituisset primum hominem loco generis humani, sed *ad naturam humanam* conferens ei justitiam originalem per modum *accidentis naturae speciei,* sicut contulit ei alia accidentia specifica, puta, potentiam visivam, auditivam, etc. Porro, Adam, transgrediendo praeceptum Domini de non edendo ligno vetito, amisit justitiam originalem, quatenus erat proprietas specifica, et corrupit totam naturam humanam. Filii autem, qui nascuntur ex hac natura corrupta, contrahunt peccatum originale, «quia, ut ait S. *Thomas,* homo generat sibi idem in specie, non autem secundum individuum; et ideo ea, quae... pertinent ad naturam speciei, traducuntur a parentibus in filios» [4]. Cum igitur Adam corrupit naturam humanam, privatio justitiae originalis facta est defectus quasi specificus, et propterea peccatum originale est peccatum naturae. Unde, juxta Apostolum, *eramus natura filii irae* [5]. Ita *Billot* [6].

1 *De peccato orig.,* § i, p. 146 (ed. 1910).
2 *I p.,* q. 100, a. i.
3 *I-II,* q. 81, a. 2.
1 *I-II,* q. 81, a. 2.
5 *Eph.,* 2, 3.
3 *De personali et originali peccato,* p. 3, §§ 1-2.

804. Thesis. **Peccatum originale est nobis voluntarium voluntate Adami, in quo corrupta est tota humana natura, et quicumque participant naturam corruptam, contrahunt peccatum originale «ex capite naturae».**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus ait ad ephesios: *Eramus natura* (φύσει) *filii irae* [1], id est, obnoxii irae Dei, ac propterea vere peccatores, non actu personali, sed natura corrupta ab Adamo peccante.

2) *Ex SS. Patribus.* *S. Augustinus* ait: «Nec illud liquido dici potest, quod peccatum Adae etiam non peccantibus nocuit, cum Scriptura dicit, *in quo omnes peccaverunt.* Nec sic dicuntur aliena ista peccata, tanquam omnino ad parvulos non pertineant, siquidem in Adam omnes tunc peccaverunt, quando in ejus natura, illa insita vi, qua eos gignere poterat, adhuc omnes ille unus fuerunt; sed dicuntur aliena, quia nondum ipsi agebant vitas proprias, sed, quidquid erat in futura propagine, vita unius hominis continebat» [2]. Tota quippe natura erat in uno homine, et, ea corrupta, constituti sumus peccatores. S. *Anselmus:* «In Adamo omnes peccavimus, quando ille peccavit, non quia tunc peccavimus ipsi, qui nondum eramus, sed *quia de illo futuri eramus,* et tunc facta est illa necessitas, ut cum essemus, peccaremus» [3].

3) *Ex auctoritate et ratione S. Thomae.* *Angelicus Doctor,* ut explicet rationem voluntarii in peccato originali, nunquam recurrit ad inclusionem voluntatum in Adamo, neque ad pactum initum inter Deum et Adamum, neque ad rationem capitis juridici in primo homine exsistentem, sed ad voluntarium primi parentis et ad corruptionem naturae humanae, quam omnes deinde participant. «Omnes homines, inquit, qui nascuntur ex Adam, possunt considerari ut unus homo, *in quantum conveniunt in natura,* quam a primo parente accipiunt... ita peccatum originale non est peccatum hujus personae, nisi in quantum haec persona recipit naturam a primo parente: unde et vocatur *peccatum naturae,* secundum illud Ephes., 2, 3. *Eramus natura filii irae* [4]. Rursum: «Primum peccatum corrumpit naturam humanam corruptione ad naturam pertinente» [5]. Porro «ea, quae pertinent ad naturam speciei, traducuntur a parentibus in filios... Unde, sicut illa originalis justitia (collata toti humanae naturae per modum accidentis speciei) traducta fuisset in posteros simul cum natura, ita etiam inordinatio opposita» [6].

805. **Corollarium I.** **In** hac sententia, quam diserte exponit S. *Thomas,* quoties agit de natura et transmissione peccati originalis [7], peccatum originale consistit in privatione justitiae originalis collatae Adamo pro natura humana; derivatur in totum genus humanum, quatenus omnes participant naturam corruptam per primum peccatum; et traducitur per naturalem generationem.

1 *P-ph.,* 2, 3.
2 *De peccatorum meritis et remis.,* lib. 3, c. 7, n. 14; ML 44, 194.
3 Dr *concept, virg. et pecc. orig., c.* 7: ML 158, 441.
4 *I-II,* q. 81, a. 1.
6 *I-II,* q. 81, a. 2 ad 3.
° *I-II,* q. 81, a 2. Cfr. *De malo,* q. 4, a. 1
7 Cfr. *// Seni ,* dist. 31, u. 1; et *Contra Gentiles,* lib. 4, c. 52.

Coroll. II. Ex dictis facile consequitur peccatum originale, quod omnes contrahimus, esse minimum ex omnibus peccatis, quia minimum habet de voluntario. «Intér omnia peccata, inquit S. *Thomas,* minimum est originale, eo quod minimum est in voluntario. Non enim est voluntarium voluntate istius personae, sed voluntate principii naturae tantum. Peccatum autem actuale, etiam veniale, est voluntarium voluntate ejus· in quo est, et ideo minor poena debetur originali quam veniali» x.

806. Scholion I. Peccatum originale prius recipitur in anima quam in potentiis, quia cum sit peccatum naturae, quod causatur et transmittitur per originem, prius recipitur in illo, quod primo attingitur per generationem. Anima autem, secundum quod est forma corporis, prius attingitur per generationem quam potentia 2

Scholion II. Adamus per poenitentiam non restauravit naturam corruptam, quia poenitentia Adae fuit actus personalis, non naturae. «Quamvis peccatum (personale) Adae deletum fuerit per suam poenitentiam, non tamen ejus poenitentia delere potuit peccatum posterorum; quia ejus poenitentia fuit per actum personalem, qui ultra ejus personam non se extendebat» 3.

ARTICULUS V

QUOMODO PECCATUM ORIGINALE TRADUCATUR AD POSTEROS ADAE

807. Status quaestionis. Ex his, quae declarata sunt in articulo superiori, facile deducitur peccatum originale traduci ad posteros Adae ratione originis. Si enim «in Adam omnes tunc peccaverunt, quando in ejus natura illa insita vi, qua eos gignere poterat, adhuc omnes ille unus fuerunt» 4, et peccatum originale vocatur peccatum naturae, consequens est, ut omnes homines nascantur peccatores ratione connexionis, quam habent cum Adamo. Sed quo pacto id fiat, non facile explicatur. Dubitari enim potest, an omnes causae, quae ad parvulorum generationem et propagationem generis humani concurrunt, scilicet, Deus, qua creator animarum, Adam, qua principium ontologicum generis humani, et parentes, qua principium proximum generationis, aeque communicent parvulis peccatum originale.

808. Auctorum placita, i) *Nonnulli* docuerunt causam transmissionis peccati originalis ab Adam ad posteros esse rem physicam receptam in carne humana, quatenus anima, quae recipitur in carne ad peccatum prona, maculatur peccato originali, sicut anima in corpore vulnerato statim dolet. Ita nonnulli apud Estium 5.

Haec sententia penitus caret solido fundamento. Causa siquidem physica, qua talis, nequit producere effectum moralem. Unde anima rationalis ex contactu cum corpore corrupto, mortique ac passionibus obnoxio, non potest infici peccato originali.

1 *In II Sent.,* dist. 33, q. 2, a. 1 ad 2.
2 S. Thomas, *I-II,* q. 83, a. 2.
3 S. Thomas, *in ep. ad rom.,* c. 5, lect. 3.
4 s. Augustinus, *De peccat, merit, et remiss.,* 3, 7, 14; Ml. 44, 194.
5 *In II Sent.,* dist. 31, § 1.

2) *Alii* dixerunt concupiscentiam parentum in actu generationis esse peccatum actuale et causam peccati originalis, adeoque peccatum originale propagari ad totam sobolem per libidinem parentum. Ita *Lutherus, Calvinus, Jansenius* et alii [1].

Haec opinio admitti nequit in bona theologia, quia coitus conjugalis, etiamsi fiat cum concupiscentia, non est peccatum, ut docetur in tractatu de matrimonio, sed potius actus meritorius, si fiat ob fines honestos [2]. Unde S. *Augustinus,* qui aliquando visus est peccatum originale ex concupiscentia petere, solum docuit concupiscentiam esse signum peccati originalis, quia, ubi habetur generatio cum concupiscentia, ibi adest peccatum originale [3].

3) *Fautores traducianismi spiritualis* voluerunt animam pueri immediate oriri vel quasi generari ex anima parentum, atque propterea peccatum originale simul cum anima traduci a parentibus in filios. S. *Augustino* aliquando arrisit haec sententia [4].

Haec sententia facilius explicaret transmissionem peccati originalis, si traducianismus spiritualis gauderet solido fundamento, sed, ut dixi superius [5], hoc systema tuto sustineri non potest.

4) Hodie communiter docent theologi peccatum originale traduci ex solo Adam ad totam ejus sobolem naturali generatione modo explicando in thesi.

809. THESIS. Peccatum originale traducitur ex solo Adam ad totam progeniem naturali generatione, adeo ut generatio, quatenus terminatur ad totum compositum et propagat naturam humanam corruptam, sit causa instrumentalis transmissionis.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus ait: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit; in quo omnes peccaverunt... per unius delictum in omnes homines in condemnationem... per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt mulii* [6]. Unde omnes homines in Adam peccaverunt, et peccatum Adae pertransiit ad posteros' ejus. Sed non datur modus propagandi peccatum Adae ad posteros nisi generatio naturalis. Ergo.

2) *Ex conciliis,* a) *Concilium Milev. II:* «Etiam parvuli... ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt» [7].

b) *Concilium Trid.:* «Adae peccatum... propagatione, non imitatione, transfusum, omnibus inest, unicuique proprium» [8]. Rursum: «Homines, nisi ex semine Adae propagati nascerentur, non nascerentur injusti, cum ea propagatione per ipsum, dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant» [9].

Amplior explicatio. 1) Donum justitiae originalis collatum est

1 Lutherus, *in psalm.* 50, 7; Calvinus, *Instit.,* lib. 2, c. 1, nn. 7-8; Jansenius, *De statu naturae lapsae,* lib. 1, c. 3.

2 Vide Gury-Ferreres, *Comp. theol. mor.,* vol. 2, n. 907.

3 *De nupt. et concup.,* lib. 1, c. 24, n. 27; ML 44, 429.

4 *Contra Jul.,* 5, 4, 17; ML 44, 794; et *ep. ad Hieronymum,* n. 2; ML 33, 733.

5 Cfr, n. 741, 3).

6 *Rom.,* 5, 12 sqq.

7 *Concil. Milev.,* can. 2; Denz-Bannw., n. 102.

8 Sess. 5, can. 3: Denz-Bannw., n. 790.

9 Sess. 6, can. 3; Denz-Bannw., n. 795.

divinitus toti humanae naturae in primo parente sicut accidens naturae speciei[1], vel, ut ait *Angelicus,* «non fuerat datum primo homini ut singulari personae tantum, sed ut cuidam principio totius humanae naturae, ut, scilicet, ab eo derivaretur ad posteros. Hoc autem donum acceptum primus homo per liberum arbitrium peccans amisit eo tenore, quo sibi datum fuerat, scilicet, pro se et pro tota sua posteritate» [2] Adam, amittendo hoc donum, toti naturae humanae per modum proprietatis specificae concessum, corrupit naturam humanam non tantum pro uno individuo sed pro toto genere humano, adeo ut omnes, qui ex stirpe Adae descenderent, acciperent naturam corruptam, id est, justitia originali destitutam. Homines autem descendunt ab Adamo per naturalem generationem, in quantum ex animabus a Deo creatis et ex materia per seminalem rationem praestita generantur infantes, per generationem incipiunt esse de familia Adae, et per generationem participant naturam eo modo, quo erat in primo homine, quando hic incepit lineam generationis. Si status innocentiae perseverasset, justitia originalis propagata fuisset ad posteros Adae per naturalem generationem, qua anima conjungitur fetui, sed corrupta per peccatum natura humana, contrahimus peccatum originale. Ergo peccatum originale traducitur naturali generatione.

2) Generatio paterna tantum, non materna, est medium propagationis peccati originalis, quia «peccatum originale, ut inquit S. *Thomas,* a primo parente traducitur, in quantum ipse movet ad generationem natorum; unde dictum est (a. praec), quod si materialiter tantum aliquis ex came humana generaretur, originale peccatum non contraheret. Manifestum est autem, secundum doctrinam philosophorum, quod principium activum in generatione est a patre, materiam autem mater ministrat; unde peccatum originale non contrahitur a matre, sed a patre» [3].

810. Corollarium I. *Deus, qui creat et infundit animam rationalem, non est causa peccati originalis.* Deus quidem creat animam rationalem sine gratia sanctificante, et infundit corpori, ut per generationem participet naturam eo ordine, quo conservata est in posteris Adae. Si natura conservata fuisset in sua primaeva innocentia, anima in unione ad corpus accepisset gratiam sanctificantem, sed, intuitu peccati primi hominis et corruptionis naturae humanae, creat animam sine gratia sanctificante. Haec anima, prout exit e manu Dei, praecisione facta ab infusione ad corpus, quamvis careat gratia sanctificante, non habet peccatum, quia simplex carentia non est privatio nec peccatum, sed carentia gratiae debitae. Gratia autem sanctificans erat promissa non animae sed naturae humanae. Hinc anima, non creatione, sed unione ad corpus ex Adam seminatum, formans naturam humanam, debet recipere gratiam vel peccatum, prout gratia vel corruptione afficitur natura. In ipso actu creationis Deus infundit animam ad corpus cum sola intentione formandi compositum humanum, quod est bonum.

1 S. Thomas, *I p.,* q. 100, a. 1.
2 *De malo,* q. 4, a. 1.
3 *I-II,* q. 81, a. 5.

et absolvit opus creationis ac infusionis animae. Sed eo ipso, quod anima unitur corpori, incipit generatio per seminalem rationem ex Adamo, et in hac generatione maculatur anima formaturque puer cum natura corrupta 1.

Coroll. II. *Parentes convenientes ad actum generationis non sunt causa peccati originalis.* Concubitus siquidem parentum ad actum generationis solum tendit ad productionem prolis. Quod autem infans maculetur peccato originali in ipso instanti generationis, venit ex peccato Adae et ex consequenti corruptione naturae, non ex intentione parentum.

Coroll. III. Actio Dei et concubitus parentum, quamvis non causent peccatum originale, sunt tamen conditio sine qua non transmissionis ejusdem, quia, si Deus animas non crearet, vel parentes ad actum generationis non convenirent, peccatum originale non propagaretur 2 Neque putandum est Deum atque parentes teneri abstinere respective a creatione et ab actu generationis, ne peccatum originale propagetur. Nam hujusmodi actiones natura sua tendunt ad propagationem naturae humanae, et, quamvis praeter intentionem ac per accidens sequatur aliquod malum, sine culpa possunt exerceri.

Coroll. IV. Infantes, qui ex parentibus baptizatis et justis nascuntur, contrahunt peccatum originale, quia licet homo, qua persona particularis, per baptismum et poenitentiam justificetur, nunquam potest recuperare gratiam, ut est accidens speciei, nec reparare vulnus inflictum naturae humanae. Unde omnes homines, etiam sancti et individualiter perfecti, naturam specificam qua talem conservant corruptam, et, cum generent sibi similem in specie, generant filios peccato originali infectos.

Coroll. V. Ex dictis consequitur peccati originalis naturam et propagationem non contradicere rationi nec repugnare benignitati, sapientiae ac justitiae Dei, quidquid in contrarium dicant aliqui protestantes et rationalistae 3. Nam 1) *rationi omnino consentaneum est,* ut justitia originalis, quae naturae humanae per modum accidentis speciei gratis concessa est, penderet a primo homine ut a primo principio totius humanae naturae, et ejus amissio noceret non tantum personae, sed etiam speciei, eo tenore, quo Adamo data fuerat pro se et pro tota posteritate. 2) *Benignitas Dei* nullum detrimentum patitur ex peccato originali, quia natura humana integra manet post peccatum originale in iis, quae sibi connaturaliter debentur, et solum spoliatur gratuitis. Quae autem gratis dantur sine injuria tolli possunt, interveniente praesertim peccato gravi. 3) *Sapientia Dei* magis clarescit, quam diminuitur in peccato originali. Peccatum siquidem originale non erat in Adamo causa levissima, ut gratis adserit *Wegscheider,* sed gravissimum delictum ex cir-

1 Cfr Van Noort. *De Deo creatore,* n. 258.

3 Cfr. Posch, *De Deo creante,* n. 277.

3 Contendit Wegscheidor, *Inst. theol.,* § 117, repugnare 1) *benignitati Dei,* ut per unius hominis delictum tota natura humana corrumpatur; 2) *sapientiae Dei,* ut genus humanum ob « ansam levissimam a primaeva praestantia decidat; 3) *justitiae Dei.* ut innocentes ob alienum peccatum puniantur. Idem docent Rousseau, *Lettre A M. ile Heaumont,* et alii.

cumstantiis. 4) *Justitia Dei* recte punit posteros Adae, non ob peccatum omnino alienum, sed ob peccatum jure haereditario a singulis contractum, quatenus omnes participant naturam peccato Adami corruptam.

ARTICULUS VI

DE SEQUELIS PECCATI ORIGINALIS

811. 1) Cum de sequelis agimus peccati originalis, non loquimur de effectibus relictis in primo homine a peccato suo personali, sed de poenis, quae debentur posteris Adae pro peccato originali per generationem contracto.

2) Ex hujusmodi poenis aliae feruntur in hoc mundo a viatoribus, aliae in altera vita ab animabus illuc migrantibus cum solo peccato originali. De utrisque loquemur in duplici paragraphe.

§ 1

Qui sint effectus peccati originalis in hac vita.

812. Status quaestionis. Triplicis generis sunt bona, quae amitti possunt in hac vita; alia *supernaturalia,* quae in sua entitate exce dunt facultatem et ordinem naturae, et gratis concessa sunt a Deo primo homini, ut gratia sanctificans, virtutes supernaturales, etc.; alia *praeternaturalia,* quae facultatem quidem nostram excedunt, sed naturam humanam intra proprium ordinem perficiunt, ut imrminitas a concupiscentia, immortalitas primi hominis, etc.; alia *naturalia,* quae intra facultatem naturae continentur et hominem in proprio ordine perficiunt, ut intelligentia, voluntas, robur virium sensitivarum, etc. Cum effectus peccati originalis non sit nisi subtractio alicujus boni, tot erunt ordines effectuum peccati originalis, quot sunt genera bonorum; ac idcirco per peccatum originale amisit homo bona supernaturalia, praeternaturalia et naturalia.

813. I. Subtractio bonorum supernaturalium et praeternaturalium per peccatum originale.

1) *Praecipua poena peccati originalis in nobis est privatio gratiae sanctificantis.* Peccatum siquidem originale, utpote verum peccatum, avertit nos a Deo et avertit Deum a nobis. Quatenus privatio gratiae significat aversionem hominis a Deo et efficit nos inimicos Dei, est verum peccatum; quatenus importat aversionem Dei ab homine et efficit Deum inimicum hominis, est poena peccati originalis. Homo debuit esse per gratiam sanctificantem filius Dei adoptivus cum jure ad caelestem beatitudinem, et factus est per peccatum filius irae et cooptatus est in captivitatem et servitutem diabolix.

Concit. Trid., sess. 5, can. I; Donz-Bannw., 788.

2) *Amisit homo per peccatum omnes virtutes infusas et dona supernaturalia.* «Naturae enim humanae, ait S. *Prosper,* in illa universalis praevaricationis ruina nec substantia erepta est nec voluntas, sed lumen decusque virtutum, quibus fraude invidentis exuta est» [1]. Unde communiter dicunt SS. Patres hominem per praevaricationem Adae fuisse spoliatum gratuitis. Amissa namque gratia sanctificante, illico evanescunt virtutes infusae et dona supernaturalia.

3) *Dona praeternaturalia,* scilicet, *integritas, immortalitas et immunitas a dolore, ablata sunt ab homine in poenam peccati originalis.* Peccatum enim et mors, ajente Apostolo, ex praevaricatione primi parentis transierunt in homines [2]. Uncle Concilia Arausicanum [3] et Tridentinum [4] docent *totum hominem secundum corpus et animam in deterius mutatum esse.*

814. II. Subtractio bonorum naturalium per peccatum originale.

1) *Mortalitas, passibilitas et alii dejectus corporales sunt effectus per accidens peccati originalis,* in quantum «subtracta hac originali justitia per peccatum primi parentis, sicut vulnerata est humana natura quantum ad animam per deordinationem potentiarum... ita etiam est corruptibilis effecta per deordinationem ipsius corporis. Subtractio autem originalis justitiae habet rationem poenae, sicut etiam subtractio gratiae; unde etiam mors et defectus corporales consequentes sunt quaedam poenae originalis peccati» [5].

2) *Quatuor vulnera inflicta sunt toti humanae naturae in potentiis animae ex peccato primi parentis.* Haec sunt: a) *ignorantia* in intellectu, in quantum ratio destituitur suo ordine ad verum; b) *malitia* in voluntate, in quantum voluntas destituitur ordine ad bonum; c) *infirmitas* in appetitu irascibili, in quantum irascibilis destituitur suo ordine ad arduum; d) *concupiscentia* in appetitu concupiscibili, in quantum concupiscentia destituitur suo ordine ad delectabile moderatum ratione [6].

815. III. Quaestio de vulneribus inflictis naturae humanae per peccatum originale.

Quae modo dicta sunt de effectibus peccati originalis in hac vita, sine controversia admittuntur, sed diversi diversimode explicant vulnera, quae dicit S. *Thomas* inflicta fuisse humanae naturae per peccatum originale.

816. Error. Reformatores saeculi xvi, *Lutherus, Calvinus,* etc., quibus fere consentiunt *Bajus* et *Jansenius,* docent substantiam hominis fuisse per peccatum originale totaliter corruptam, non quidem physice sed ethice, adeo ut homo factus fuerit intrinsece peccato obnoxius, boni operis incapax, libertate indifferentiae privatus, et necessario in malum pulsus [7].

1 *Contra Collatorem,* c. g, n. 3; ML 51, 237.
2 *Rom.,* 5, 12 sqq.
3 *Concit. Arans.,* can. 1; Denz-Bannw., 174.
4 *Concil. Trid.,* sess. 5, can. 1; Denz-Bannw., 788.
5 S. Thomas, *I-II,* q. 85, a. 5.
6 S. Thomas, *I-II,* q. 85, a. 3.
7 Cfr Lnbauoho, *Lefon de Thiol. dogm.,* t. 2, 2.me part., ch. 3. Fallitur cl. Dominus Bonilla y San Merlin, cum in sua *Historia de la Titosofia cspafiola,* vol. 1, § 5, periodo Cristiano (pag. 282 sqq) et vol. 2, nota final (pag. 486 sq.), asserit

Haec reformatorum doctrina pugnat cum traditione et decisionibus Ecclesiae. *Naturalia* enim, ut ait vetus axioma, *tam in Adamo, quam in ejus posteris, manserunt integra post peccatum.* Unde falsum est homines post Adae peccatum privari vera libertate. «Si quis, ait ad rem Concilium Tridentinum, liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et exstinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, immo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam, a. s.» [1]. Rejicienda est etiam theoria, quae docet hominem in statu praesenti esse incapacem boni operis exsequendi, ut patet ex propositione 31 Lutheri damnata a I.eone X: «In omni opere bono justus peccat» [2].

Hinc S. *Augustinus* [3] et alii Patres, si quando adserunt hominem per peccatum amisisse libertatem, intelligendi sunt, non de libertate indifferentiae, sed de libertate filiorum Dei, qualem habuit homo in statu innocentiae cum facultate operandi bonum sine difficultate. Se ipsum explicat S. *Augustinus* dicens: «Quis autem nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa, quae in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam. Propter quod natura humana divina indiget gratia, dicente Domino: Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis *(Joann.,* 8, 36); utique liberi ad bene justeque vivendum. Nam liberum arbitrium usque adeo in peccatore non periit, ut per illud peccent» [4].

817. Opiniones theologorum. 1) *Plures, iique insignes theologi,* docuerunt vires naturales hominis fuisse intrinsece diminutas per peccatum originale, nosque majorem ignorantiam in intellectu, majorem malitiam in voluntate, majorem propensionem in malum nunc pati, quam passuri fuissemus in statu naturae purae, quia intellectus, voluntas, aliaeque potentiae naturales debilitatae sunt intrinsece ex vi peccati originalis. Ita *Lemos* [5], *Contenson* [6], *Sylvius* [7], *Schmid* [8] et alii.

Haec sententia, licet sit probabilis, non satisfacit, quia a) a summis theologis communius rejicitur, ut illico Audebimus; b) contradicit axiomati communi: «naturalia in homine manserunt integra post peccatum»; c) non adsignat causam diminutionis virium. Diminutio enim intrinseca virium naturalium hominis oriri non potest a) *ex qualitate morbida* superaddita per peccatum qualitatibus naturalibus animae, ut *Gregorius Ariminensis* [8] et alii finxerunt, quia haec qualitas morbida gratis omnino fingitur, et, si daretur, non diminutionem intrinsecam virium per subtractionem alicujus entitatis, sed extrinsecam tantummodo per appo-

S. Augustinum defendisse hunc errorem de amissione libertatis in homine per peccatum originale. Textus S. Augustini a cl. auctore citati benigne per altiora principia interpretandi sunt.

1 Se«. 6, can. 5; Denz-Bannw., 815.

2 Denz-Bannw., 771. Melanchihon, *Loci comm. theol.* (De peccato originis in prine.), ed. Basii., 1550, p. 112, non bene definit peccatum originale: «Amissio lucis in mente, aversio voluntatis a Deo, et contumacia cordis, *ne possint* (homines) *vere obedire legi Dei,* sequuta lapsum Adae».

3 «Libero arbitrio male utens homo et se perdidit et ipsum». S. Aug., *Enchiridion,* c. 30; ML 40, 246.

4 *Contra duas ep. Pelagii,* lib. 1, c. 2, n. 5; ML 44, 552.

5 *Panoplia gratiae,* t. 1, p. 2, tr. 1. Suam sententiam probare conatur omni genere argumentorum.

6 *Theol. mentis et cordis,* t. 1, lib. 4, diss. 5, c. 2, spec. 3.

7 *In I-II,* q. 85, a. 3.

8 *Quaestiones selectae* (1891), p. 321.

9 *In II Seni.,* dist. 30, q. 1, a. 2.

sitionem impedimenti produceret; nec β) *ex directa Dei actione,* qua subtrahantur vires naturales heminis, quia hoc esset contra bonitatem Dei. Unde S. *Thomas* rejicit hanc sententiam dicens: «Quod autem detrimentum patiatur (aliqua persona) in his, quae sunt naturae, hoc non videtur posse contingere nisi propter vitium proprium personae» [1].

2) *Alii* non minus graves theologi existimant hominem per peccatum originale nihil amisisse de perfectionibus naturalibus, sed dona dumtaxat gratuita, et consequenter hominem lapsum nonnisi ratione differre quoad naturalia ab homine in statu naturae purae, sicut homo *exspoliatus* non re differt ab eo, qui fuit semper *nudus.* Dicitur tamen homo vulneratus esse per peccatum originale, quatenus privatur donis gratuitis, quae non solum conferebant naturae humanae perfectionem ordinis supernaturalis, ut gratiam, virtutes infusas, etc., sed etiam perfectionem ordinis naturalis, ut rectitudinem potentiarum ad finem naturalem, subjectionem virium inferiorum ad rationem, etc., quae, licet non orirentur ex principiis naturae, erant tamen naturales. Unde fuit homo *vulneratus in naturalibus,* quatenus amisit perfectiones naturales provenientes a justitia originali; et mansit integer quoad omnia naturalia debita ipsi ex principiis naturae. Ita *Suarez, S. Bellarminus,* et alii multi [2].

Haec sententia est satis solida, et nunquam efficaciter impugnabitur, ut bene ajunt *Salmanticenses* [3], imo sufficienter explicat rationem vulneris in humana natura. Nihilominus crediderim hominem lapsum vocari vulneratum, non solum per subtractionem vel diminutionem perfectionum naturalium, quae oriuntur ex donis gratuitis, verum etiam alia ratione, prout explicat sequens sententia.

3) *Alii plures* volunt vulnera humanae naturae per peccatum originale inflicta consistere in diminutione inclinationis naturalis ad bonum, quatenus inclinatio ad bonum virtutis proveniens ab ipsa natura diminuta est vel laxata per solam appositionem impedimentorum, per absentiam, scilicet, gratiae et praesentiam peccati. Naturae rationali naruraliter inest quaedam inclinatio seu propensio ad bonum virtutis, quatenus anima remote et potentiae proxime inclinantur ad bonum rationis, adeo ut inclinatio seu propensio sit virtualiter distincta ab entitate animae ac potentiarum et a perfectionibus naturalibus ortis a justitia originali.

Haec autem inclinatio tum remota tum proxima potest *augeri* vel *diminui,* adveniente aliquo obstaculo, quin destruantur vel diminuantur potentiae naturales animae [4]. Dupliciter enim potest haec inclinatio diminui: *uno modo,* ex parte subjecti, per subtractionem alicujus entitatis, ut si Deus subtraheret vires naturales intellectui et voluntati: *alio modo* ex parte termini, quatenus potentia aliqua animae in se in-

1 *De malo,* q. 5, a. 2.

2 Suarez, *De gratia,* proleg. 4, c. 8, n. 5; S. Bellarminus, *De gratia primi hominis,* c. 5; Salmanticenses, *De vitiis et peccatis,* in q. 85, a. 3, hanc doctrinam vocant satis verosimilcm, et recentiores omnes sequuntur. Cfr. Van Noort. 269; Labaucb, *Dogmatique spéciale,* t. 2, z.me partie, ch. 3, et alii.

3 *De vitiis et peccatis,* in q. 85, a. 3.

4 S. Thom an. *III,* q 85, a 1,

tegra manens, superveniente aliquo obstaculo, impeditur a consecutione termini[1]. Peccatum originale nihil directe subtraxit ex viribus naturalibus animae vel potentiarum, bene tamen indirecte per modum removentis prohibens, quatenus removit justitiam originalem et dona gratuita, quae non solum producebant perfectiones naturales in anima, ut vult praecedens sententia, sed ulterius prohibebant diminutionem inclinationis congenitae ad virtutem. Ita *Salmanticenses, Cajetanus, Billuart, Pesch,* et alii plures [2].

Haec tertia sententia magis mihi arridet et videtur praeferenda. Unde existimo hominem lapsum vere dici vulneratum, ex eo quod inclinatio naturalis ad bonum virtutis et rationis diminuta fuerit, adveniente obstaculo peccati originalis.

«Bonum naturae humanae, ait S. *Thomas,* potest tripliciter dici. *Primo,* ipsa principia naturae, ex quibus ipsa natura constituitur, et proprietates ex his causatae, sicut potentiae animae et alia hujusmodi. *Secundo,* quia homo a natura habet inclinationem ad virtutem... Ipsa autem inclinatio ad virtutem est quoddam bonum naturae. *Tertio* modo, potest dici bonum naturae donum originalis justitiae, quod fuit in primo homine collatum toti naturae humanae. Primum igitur bonum naturae nec tollitur nec diminuitur per peccatum; tertium vero bonum naturae totaliter est ablatum per peccatum primi parentis. Sed medium bonum naturae, scilicet, ipsa naturalis inclinatio ad virtutem, diminuitur per peccatum... Oportet autem, quod ex hoc quod aliquid inclinatur ad unum contrariorum, diminuatur inclinatio ejus ad aliud: unde, cum peccatum sit contrarium virtuti, ex hoc ipso quod homo peccat, diminuitur bonum naturae, quod est inclinatio ad virtutem» [3]. Quod hic adserit *Angelicus* de diminutione directa inclinationis ad virtutem per peccatum personale, repetit de diminutione indirecta ejusdem inclinationis per peccatum originale. «Quamvis etiam, inquit, ex peccato originali sequatur aliqua inclinatio in actum inordinatum, non directe, sed indirecte, scilicet, per remotionem prohibentis, id est, originalis justitiae, quae prohibebat inordinatos motus, sicut etiam ex aegritudine corporali indirecte sequitur inclinatio ad motus corporales inordinatos» [4]. Rursum: «Originalis justitia subtracta est per peccatum primi parentis... Et ideo omnes vires animae remanent quodammodo destitutae proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem, et ipsa destitutio vulneratio naturae dicitur» [5]. Ergo ratio vulnerum peccati originalis reponenda est in diminutione inclinationis ad bonum. Potentiae animae, cum connotabant gratiam et virtutes, proximius tendebant ad bonum, et earum inclinatio dicebatur *aucta;* cum connotant peccatum vel naturam corruptam, impediuntur a consecutione boni, et earum inclinatio dicitur *minor* [6].

1 S. Thomas, *I-II,* q. 85, a. 2.
2 Salmanticenses, *De vitiis et peccatis, in I-II,* q. 85, aa. 2-3; Cajetanus, *In I-II,* q. 85, a. 3: Billuart, *De peccatis,* diss. 7, a. i: Pesch, *De Deo creante,* n. 283.
3 *I-II.* q. 85. a. i.
4 *I-II,* q. 82, a. i ad 3.
5 *I-II,* q. 85, a. 3.
6 Meo judicio fallitur cl. Philippus a SS. Trinitate, *In I-II,* tr. 2, disp. 9, dub 1,

Haec diminutio recte dicitur vulnus, quia separat et dividit potentias ab ordine rationis, cui per bonam inclinationem erant conjunctae [4].

§ 2

Qui sini effectus peccati originalis in altera vita.

818. **Status quaestionis.** 1) Agimus hic solummodo de effectibus peccati originalis in iis, qui, solo peccato originali infecti, ex hac vita migrarunt. Hi autem sunt *infantes,* qui ante usum rationis sine baptismo mortui sunt, et *amentes,* qui nec usum rationis adipisci potuerunt nec baptismum susceperunt. Caeteri omnes, qui usum rationis adepti sunt, obligantur a peccato originali per actus positivos se liberare[1]; quod si faciant, et a peccatis personalibus se abstineant, caelestem beatitudinem consequentur, sin autem, inficientur culpa gravi personali, et addicentur cruciatibus aeternis. Unde loquimur *de sorte infantium et amentium sine baptismo decedentium.*

2) Effectus peccati originalis in altera vita possunt esse: a) *poena damni,* quae consistit in privatione visionis beatificae; b) *poena sensus,* quae producitur ab igne gehennae; c) *tristitia* de privatione caelestis beatitudinis.

De singulis pauca.

819. Thesis I. **Parvuli sine baptismo ante usum rationis decedentes privantur visione Dei.** *(Est de fide contra pelagianos)* [2].

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Christus Dominus ait in Evangelio: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei* [3].

2) *Concilium Florentinum* expresse adserit, *illorum animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.* Qui autem poena punientur, privantur visione Dei. Ergo.

3) SS. *Patres* confirmant hanc doctrinam. S. *Gregorius Naz.* ait: «Postremi denique (qui sine culpa ante baptismum decesserunt) nec glorificentur nec suppliciis a justo judice afficiantur, utpote qui, licet non signati, non improbi tamen sint, sed damnum passi potius fuerint quam fecerint»[4]. S. *Augustinus:* «Quisquis dixerit, quod in Christo

cum negat inclinationem naturalem hominis ad bonum honestum diminui per peccatum originale.

1 Cfr. Salmanticenses, *De vitiis et peccatis, in J-II,* q. 85, a. 3.

2 Petavius, *De praedestinatione,* lib. 9, c. 11, et *De Pelag.* et *Semipel.,* lib. un., c. 6; S. Bellarminus, *De amiss. gratiae et statu pecc.,* lib. 6, c. 1; Norisius, *Vindiciae August.,* c. 3, § 5, contendunt vitam aeternam, quam pelagiani concedunt parvulis sine baptismo decedentibus consistere in beatitudine naturali, non in visione intuitiva Dei.

3 Baptismus aquae potest suppleri in adultis per actum caritatis et per martyrium, quae vocantur baptismus flaminis et sanguinis, ut explicabitur in tractatu de sacramentis.

4 *Orat. in s. bapt.,* n. 23; MG 38. 389.

vivificabuntur etiam parvuli, qui sine sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profecto, et contra Apostoli praedicationem venit, et totam condemnat Ecclesiam, ubi propterea, cum baptizandis parvulis festinatur et curritur, quia sine dubio creditur aliter eos in Christo vivificari omnino non posse» [1].

4) *Ratione.* Nemo potest consequi visionem Dei sine gratia sanctificante. Parvuli autem decedentes cum peccato originali carent gratia sanctificante, ut notum est. Ergo [2].

820. Thesis **II. Qui cum solo peccato originali mortui sunt, non puniuntur poena sensus in altera vita.**

Praenotamen. Nonnulli SS. Patres latini, ut S. *Augustinus, S. Hieronymus, S. Fulgentius, S. Gregorius M., S. Isidorus* et alii [3], atque ex theologis *Driedo, Petavius, Norisius, Berti, Poncius* et alii [4], dixerant infantes cum peccato originali decedentes puniri poena ignis omnium levissima. Sed Patres graeci generatim, et plures latini, contradicunt huic doctrinae dicentes pueros sine baptismo decedentes nullam poenam sensus subituros. Confer, si vis, S. *Gregarium Naz. ex* graecis, et S. *Bernardum* ex latinis [5]. [6] Patribus graecis consentiunt omnes fere theologi. Praeter *Magistrum Sententiarum, S. Thomam, S. Bonaventuram,* et *Scotum* [6], videri possunt: ex thomistis. *Capreolus, Lemos, Dominicus Soto, Salmanticenses, Philippus a SS. Trinitate, Paulus a Conceptione, Billuart,* etc. [7]; ex scotistis *Henno, Frassen,* etc. [8]; ex molinistis, *Vazquez. Suarez, S. Bellarminus, Becanus,* etc. [9].

Arg. 1) *Ex documentis Ecclesiae.* Innocentius III, a. 1201, ajebat: «Poena originalis peccati est carentia visionis Dei, actualis vero poena peccati est gehennae perpetuae cruciatus» [10]. Pius VI damnavit pistoriensium propositionem 26: «Doctrina, quae velut fabulam pelagia-

1 *Ep.* 166, 7, 21; MI. 33, 730.

2 Cfr. S. Thomas, *De malo,* q. 5, a. 1.

3 S. Augustinus, *Enchirid.,* c. 93; MI. 40, 275: S. Hieronymus, *Dial. adv. pelag.,* lib. 3, n. 17; MI. 23, 587; S. Fulgentius, *De fide ad Petr., 27,* 68; ML 65, 701: S. Gregorius M., *Moral.,* lib. 9, c. 21; ML 75, 877; S. Isidorus, *Sentent.,* lib. I, c. 22; ML 83, 588.

4 Driedo, *De gratia et libero arb.,* lib. 1, tr. 3, c. 2; Petavius, *De Deo,* lib. 9, c. 10; Norisius, l'iiii. *August.,* c. 3, § 5; Berti, *De theol. discipl.,* lib. 13, c. 8; Ponoius, *Theol. cursus integer,* disp. 18, q. 6.

5 S. Gregorius Naz., *Orat, in s. bapt.,* n. 23; MG 36, 389; S. Bernardus, *Serm. 3 de Resurrect.;* ML 183, 290.

6 Petrus Lombardus, *II Sent.,* dist. 33, 5: S. Thomas, *Tη II Seni.,* dist. 33, q. 2, a. 1; et *De malo.* q. 5, a. 2; S. Bonaventura, *In II Sent.,* dist. 33, a. 3, q i; Scotus, *In II Sent.,* dist. 33.

7 Capreolus, *In 11 Sent.,* dist. 33, q. un., a. 1; Lemos, *Panoplia,* t. I, tr. 1, c. 24; Soto, *De nat. et grat.,* lib. 1, c. 4; Salmanticenses, *De vitiis et pecc.,* disp. 18, n. 94 sqq.; Philippus a SS. Trinitate, *De vitiis et pecc.,* disp. 9, dub. 5; Paulus a Conceptione, tr. 12, disp. 3, n. 74 sqq.; Billuart, *Tr. de peccatis,* diss. 7, a. 6, § I.

8 Henno, *Tr. de vitiis et peccatis,* disp. 3. q. 5, conci. 2; Frassen, *Scotus acad.* tr. 3, disp. 3, a. 2, q. 5.

9 Vazquez, *In I-II,* disp. 134, c. 3; Suarez, *De peccatis et vitiis,* disp. 9, sect. 6, n. 5; S. Bellarminus, *De amis, grat* lib. 6, c. 4: Becanus, *De peccatis,* q. 12.

10 *Ep.* «Majores Ecclesiae causas» ad Imbertum, archiep. arelat.; Denz-Bannw.. n. 410.

nam explodit locum illum inferorum (quem limbi puerorum nomine fideles passim designant), in quo animae decedentium cum sola originali culpa, poena damni citra poenam ignis puniantur; perinde ac si, hoc ipso, quod, qui poenam ignis removent, inducerent locum illum et statum medium expertem culpae et poenae inter regnum Dei et damnationem aeternam, quem fabulabantur pelagiani, falsa, temeraria, in scholas catholicas injuriosa» [1].

2) *Ex ratione.* Poena damni debetur peccato, quatenus hoc dicit aversionem a Deo, et poena sensus, quatenus importat conversionem ad bonum commutabile. Unde, peccato gravi personali, quod importat aversionem a Deo et conversionem ad creaturam, debetur utraque poena. Sed peccatum originale solum dicit aversionem a Deo, non conversionem ad creaturam. Ergo peccato originali non debetur poena sensus sed solum poena damni [2].

Objicies. Omnes infantes ante usum rationis decedentes comparebunt in judicio. Dominus autem in judicio «duas partes facturus est, dextram et sinistram, sinistris dicturus: *Ite in ignem aeternum... (Matth.,* 25. 41). dextris dicturus: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum... (Matth.,* 25, 34)» [3]. Ergo omnes ibunt vel ad regnum vel ad ignem.

Resp.—Dist. maj. Omnes infantes ante usum rationis decedentes comparebunt in judicio, ut videant gloriam judicis, conc.; ut judicentur, neg. Comparebunt quidem, ct probabiliter collocabuntur a sinistris, sed sententia de damnatione ad ignem aeternum dirigetur solummodo ad adultos, qui culpas personales commiserunt. Ad rem apposite animadvertit *Capreolus* Christum Dominum, ubicumque loquitur de poena sensus improbis infligenda, semper praemittere aliquid pertinens ad eorum culpas actuales [4].

821. Thesis **III. Parvuli cum solo peccato originali decedentes nulla afficientur tristitia de carentia visionis beatificae.**

Praenotamen. Non solum theologi, qui existimant pueros sine baptismo decedentes puniendos esse poena sensus, sed etiam alii insignes auctores, ut *Soto*[5], S. *Bellarminus* [6] et alii, dixerunt parvulos hujusmodi in altera vita tristitiam aliquam levissimam habituros ob carentiam visionis beatificae et privationem consortii fratrum. Sed alii theologi longe communius docent infantes hujusmodi in altera vita nullo animi dolore esse affligendos. Videri possunt S. *Thomas, Capreolus, Suarez, Lessius, Salmanticenses, Philippus a SS. Trinitate* et alii[7].

Arg. 1) Nemo dolet de malo sibi ignoto, quia ignoti, sicut nulla cupido ita nullus dolor. Pueri autem, ante usum rationis sine baptismo decedentes, habent quidem naturalem cognitionem, qualis debetur ani-

1 Denz-Bannw., 1526.
2 S. Thomas, *De malo,* q. 5, a. 2.
3 S. Augustinus, *Serm.* 294. 3, 3; ML 38, 1337.
4 Capreolus, *In II Sent.,* dist. 33, q. un., a. 3 ad 1.
5 *De natura et grat.,* lib. 1, c. 14.
6 *De amiss. gratiae,* lib. 6, c. 6.
7 S. Thomas, *De malo,* q. 5, a. 3: Capreolus, *In II Sent.,* dist. 33, a. I, conci. 2; Suarez, *De peccat et vitiis,* disp. 9, sect. 6, n 3: Lessius, *De perf. div..* lib. 13, c. 22, n 143 sqq ; Salmanlloonsos, *De vitiis ct peccatis,* disp. 18, n. 98 sqq.; Philippus a SS. Trinitate, *De vitiis et peccatis,* disp 9. dub. 5

mae separatae secundum suam naturam, et cognoscunt se esse creatos propter beatitudinem, quae in possessione summi boni consistit, sed carent supernaturali cognitione, quae hic per fidem adipiscitur, et ignorant summum bonum, in quo consistit hominum felicitas, esse visionem beatificam sanctorum. Ergo praefati pueri nulla afficiuntur tristitia ob carentiam visionis beatificae [1].

Dices. Parvuli, qui expeditum habent lumen naturale, possunt habere notitiam visionis beatificae sibi debitae ex aliquibus signis et eventibus, praesertim ex visa gloria sanctorum in judicio. Ergo.

Resp.—Neg. ant. Parvuli in altera vita ad summum possunt ex signis et eventibus colligere aliquos homines a Deo praemiari pro meritis, sed, in quo consistant eorum meritum et praemium, penitus ignorant, sicut ignorant sese potuisse eodem praemio frui. Et quamvis visuri sint in judicio aliquos adsumi ad gloriam, non habebunt notitiam poenae damni nec dolorem animi, quia ignorabunt praefatam gloriam fuisse aliquando sibi promissam.

2) Aliam rationem rite expendit *Angelicus* his verbis: «Ex hoc quod caret aliquis eo, quod suam proportionem excedit, non affligitur, si sit rectae rationis; sed tantum ex hoc quod caret eo, ad quod aliquo modo proportionatus fuit; sicut nullus sapiens homo affligitur de hoc, quod non possit volare sicut avis, vel quia non est rex vel imperator, cum sibi non sit debitum. Affligeretur autem, si privaretur eo, ad quod habendum aliquo modo aptitudinem habuit. Dico ergo, quod omnis homo, usum liberi arbitrii habens, proportionatus est ad vitam aeternam consequendam, quia potest se ad gratiam praeparare, per quam vitam aeternam merebitur: et ideo, si ab hoc deficiant, maximus erit dolor eis, quia amittunt illud, quod suum esse possibile fuit. Pueri autem nunquam fuerunt prbportionati ad hoc, quod vitam aeternam haberent, quia nec eis debebatur ex principiis naturae, cum omnem facultatem naturae excedat, nec actus proprios habere potuerunt, quibus tantum bonum consequerentur. Et ideo nihil omnino dolebunt de carentia visionis divinae; imo magis gaudebunt de hoc, quod participabunt multum de divina bonitate et perfectionibus naturalibus» [2].

822. Scholion. *De conditione horum infantium in altera vita.*

Non est facile definire conditionem eorum, qui ante usum rationis sine baptismo decedunt.

1) Gravissimus *P. Lemos,* postquam statuit «illos poena sensus nullo modo affici» nec «sentire se privari carentia divinae visionis et ex consequenti de hoc non tristari», addit eos «vere miseros esse, vere perire, vere perpetua morte adstrictos teneri, vere ire in condemnationem, ac vere esse damnatos», quia ad hoc sufficit «illos poenam damni et carentiam perpetuam divinae visionis habere propter peccatum originale, quae vera macula et culpa in ipsis est». Post diem autem judicii «non habebunt vitam felicem carentem omni vitio mentis et corporis in perpetuas aeternitates» [3]. *Franc. Schmid* recenter instauravit eamdem opi-

1 Cfr. S. Thomas, *De malo,* q. 5, a. 3.

3 *in II Sent.,* dist. 33, q. 2, a. 2.

3 *Panoplia,* t. 1, part. 2.", tr. 1. c. 24.

nionem dicens «statum parvulorum sine baptismo defunctorum, non solum formaliter sed etiam materialiter, a statu finalis felicitatis naturalis sive ab ea conditione, quae in statu naturae purae hominibus sine reatu culpae gravis decedentibus praeparata fuisset, haud leviter differre» 1. «Conditio infantium... potius misera quam felix dicenda est» 2.

2) Clarissimus P. *Honoratus dei Val,* explicans dominationem diaboli erga animas parvulorum, ait: «Parvuli in futura vita non solum privantur beatitudine supernaturali visionis Dei, sed insuper peccatum naturae, in quo consistit ipsa dominatio diaboli, qui in paradiso genus humanum seduxit, eos impedit, quominus obtineant totum illud bonum naturale, quod nanciscerentur parvuli, si Deus puram naturam creasset, secundum ordinem hypotheticum» 3.

3) Longe communius docent theologi animas parvulorum, de quibus loquimur, a) *ideo dici damnatas et in infernum descendere,* quia privantur gloria sanctorum seu visione Dei; b) *non fuisse adsecutas beatitudinem naturalem,* quia, cum genus humanum non fuerit de facto destinatum nisi ad beatitudinem supematuralem, quicumque privatur visione Dei, frustratur beatitudine; c) *participes* tamen fieri eorum bonorum, quae constituissent beatitudinem naturalem hominis, si fuisset conditus in statu naturae purae.

Haec tertia sententia eo probanda videtur, quod homo per peccatum originale nullum detrimentum passus est in bonis naturalibus. Unde infantes, qui omnia bona naturalia conservant integra, licet priventur donis supernaturalibus et jure ad gloriam, retinent tamen jus ad fruenda illa bona, quae constituunt finem naturalem hominis in statu naturae purae. Ad rem 5. *Thomas:* «Quamvis pueri non baptizati sint separati a Deo quantum ad illam conjunctionem, quae est per gloriam, non tamen ab eo penitus separati sunt. Immo sibi conjunguntur per participationem naturalium bonorum, et ita etiam de ipso gaudere poterunt naturali cognitione et dilectione»4.

Haec cum ita sint, vera mihi videntur sequentia verba *Suarez:* «Ex quo infero fore, ut illi parvuli habeant tunc veram Dei cognitionem naturalem et amorem ejus super omnia, atque adeo reliquas virtutes naturales et corpora impassibilia, non per intrinsecam dispositionem, sed ex providentia Dei et ipsorum, quia debent esse aeterna; unde non indigebunt cibo neque potu, quia omnis alteratio tunc cessabit, Deo ita providente. Itaque neque patientur rebellionem carnis, neque interiorem neque exteriorem pugnam, quia etiam esset poena sensibilis, et omnia haec pertinent ad viam, illi vero sunt suo modo in termino»5. Juxta *Molinam,* parvuli «meliorem in naturalibus vitam, vitio omni mentis et corporis immunem, in perpetuas aeternitates ducent, quam ullus unquam mortalium duxerit» 6.

1 *Quaesi, select.,* p. 255.
2 *Quaesi, select.,* p. 278.
2 *De Deo creante,* n. 197.
4 *In 11 Seni.,* dist. 33, q. 2, a. 2 ad 5.
2 *De peccat, et vitiis,* disp. 9, sect. 6, n. 6.
“ ' *Concordia,* q. 23, disp. 1, membr. 9.

823. De loco, ubi habitaturi sint parvuli post diem judicii, non una est doctorum sententia: a) *Pelagiani* adsignabant parvulis locum medium quietis et felicitatis inter damnationem regnumque caelorum [1]. b) *Solo* cum aliis eos collocat in loco inferni prorsus tenebroso [2]. c) *Salmeron* existimat eos post diem judicii supra terram victuros [3]. d) Melius est dicere cum *Suarez* «habebunt ergo illum locum, qui ipsis consentaneus est ex sua natura» [4].

1 Cfr. S. Augustinus, *De anima et ejus origine,* lib i, c. 9, n. 11; ML 44, 481.
2 *De natura et grat.,* lib. 1, c. 14.
3 *In ep. ad Rom.,* lib. 2, disp. 48.
4 *De peccat, et vitiis,* disp. 9, sect. 6, n. 6.

SECTIO IV

DE ANGELIS

QUAESTIO XXXIX

DE EXSISTENTIA ANGELORUM

ARTICULUS I

UTRUM EXSISTANT ANGELI

824. Status quaestionis. 1) Angelus (graece ἄγγελο , hebraice "ν·"2\ vi vocis idem sonat ac *missus, nimiius seu legatus.* Hoc nomine significantur saepe in S. Scriptura: a) *Verbum,* quatenus fuit a Patre missum in mundum, et dicitur *angelus testamenti*[1]; b) *Joannes Baptista,* qui missus est ut praecursor Christi[2]: c) *Sacerdotes,* qui legatione fun guntur nomine Dei in populo [3]; d) *Prophetae,* qui futura nuntiant[4]; e) *Spiritus caelestes,* qui passim a Deo mittuntur ad aliquid nuntiandum hominibus [5].

2) *Strictius* in theologia et in usu ecclesiastico nomine angelorum veniunt substantiae spirituales a Deo creatae, quarum plures permanserunt fideles creatori et gloriam adepti sunt in caelo (angeli), et aliae fuerunt rebelles Deo atque in aeternam damnationem ruerunt (daemo nes). Frequentius tamen hoc nomine vocamus angelos bonos, qui a Deo saepe mittuntur ad ministerium.

Definitio. Angeli recte definiuntur: *Substantiae creatae, spirituales, completae.* Dicuntur *substantiae,* ut rejiciatur error rationalistarum, qui dicunt «angelos, aut bonos aut malos, esse vires naturae, aut utiles aut noxias»[6]; *creatae,* ut distinguantur a Deo, cui solummodo competit esse a se; *spirituales,* quia carent materia et corpore etiam subtilissimo, quod aliqui finxerunt, sed sunt spiritus puri et intellectuales; *completae,* non sohim in ratione substantiae, sed etiam in ratione speciei, quia non uniuntur, qua forma, corpori, sed sunt personae subsistentes.

1 *Mal.,* 3, i. Vide Helzenauer, *Theol. bibl.,* vol. i, § 40.
2 *Mal..* 3. i.
3 *Mal., 2.· y,* et *Eccl.,* 5, 5.
4 dgg., I. «3·
5 *Gen n,.* ·· Cfr Draoh. *Calholicnm lexicon h<·I»·ai<·uηι fl chahlaicum,* v. "IMt Q,
6 Hetzenauor, *Theol. bibl.,* vol 1, § 45, n 3.

Hae substantiae spirituales, si spectentur quantum ad naturam, sunt et vocantur *spiritus:* si attendantur quantum ad officium, id est, quatenus mittuntur, appellantur *angeli* x.

825. Errores, i) *Sadducaei,* antiquum epicureorum errorem renovantes, dixerunt *non esse resurrectionem, neque angelum, neque spiritum* 2.

2) *Anabaptistae* docuerunt substantias spirituales creatas non exsistere, sed angelorum nomine significari pcrsonificationes divinarum operationum 3.

3) *Plures protestantes liberales* renuunt admittere exsistentiam angelorum qui sint substantiae mere spirituales, sed dicunt angelos, quorum meminit Scriptura, esse vel sanctas inspirationes hominibus caelitus immissas, vel homines a Deo delegatos ad obeunda sacra ministeria.

4) *Rationalistae* docent angelos non esse personas, sed naturae vires, vocarique bonos vel malos, prout naturae vires fuerint bonis utiles vel noxiae 4. Volunt autem ideam personalitatis angelorum haustam esse ex opinionibus et traditionibus babyloniorum 5.

5) *Spiritistae* denique dicunt angelorum nomine nihil significari nisi animas defunctorum, quae commercium habent cum hominibus et passim apparent in mundo.

826. Thesis. **Dogma catholicum docet exsistere angelos, substantias, scilicet, spirituales, Deo inferiores, homine praestantiores.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura,* a) *In Veteri Testamento* ante et post captivitatem babylonicam describuntur apparitiones et actiones angelorum in mundo.

a) *Ante captivitatem.* Cherubim a Deo positus est in porta paradisi post peccatum Adae e; venerunt duo angeli Sodomam vespere 7; angelus Dei locutus est Agar de caelo 8; Jacob vidit scalam et angelos ascendentes et descendentes per eam 9; angelus Dei praecedebat castra Israel 10.

β) *Post captivitatem babylonicam.* Angelus defendit tres pueros in

1 S. Augustinus, *Enarrat,* in ps. 103, i, 15, ait: «Spiritus autem angeli sunt; et, cum spiritus sunt, non sunt angeli, cum mittuntur, fiunt angeli. Angelus enim officii nomen est, non naturae. Quaeris nomen hujus naturae? spiritus est; quaeris officium? angelus est; ex eo, quod est, spiritus est; ex eo, quod agit, angelus est». ML 37, 1348.

2 *Aci.,* 23, 8.

3 Van Noort, *De Deo creatore,* η. loi.

4 Stade, *Théologie,* 236 sqq.

• Ita Delitzsch, *Babel and Bibel,* 1, 41 sqq. Sed 1) nequeunt rationalistae explicare, quomodo potuerint hebraei ex opinionibus politheistis babyloniorum colligere ideam monotheisticam, quam saepe exhibet Scriptura, quando refert apparitiones angelorum; 2) ante exilium hebraeorum fit in Scriptura mentio angelorum.

6 *Gen.,* 3, 24. Falsum est nomine Cherubim significari nubes et nimbos, ut docet Minocchi, *Is.,* 24, cum rationalistis. Ad quid posuerit Dominus nubes et nimbos custodes paradisi?

’ *Gen.,* 19, 1.

8 *Gen.,* 21, 17.

8 *Gen.,* 28, 12.

10 *Ex.,* 14, 19.—Haec cum effecta fuerint ante captivitatem babylonicam, gratis omnino fingunt rationalistae ideam personalitatis angelorum haustam fuisse a judaeis in captivitate ex fabulis babyloniorum.

camino ignis [1]; exercitus caeli adorat Deum [2]; missus est angelus Raphael, ut curaret Tobiam [3].

b) *In Novo Testamento* clarius res nobis proponitur. Gabriel missus est ad Zachariam et B. V. Mariam ad annuntiandum respective nativitatem S. Joannis Baptistae et Incarnationem D. N. J. C. [4]; angelus praecepit Joseph, ut acciperet Mariam conjugem suam [5]; ut fugeret in Aegyptum periculo imminente [6]; et ut rediret in terram Israel, mortuo jam Herode [7]; multitudo angelorum apparuit pastoribus et cecinit: *Gloria in altissimis Deo,* in Christi nativitate [8]; Pater potest exhibere Filio plusquam duodecim legiones angelorum [9].

Angeli autem, quorum ita frequenter meminit Scriptura *a) non sunt sanctae inspirationes* hominibus caelitus immissae, ut volunt quidam protestantes liberales, nec *vires naturae,* ut censent rationalistae, quia angeli, de quibus agunt sacrae litterae, exercent actiones personales, loquuntur, negotia expediunt, mandata exequuntur, notitias deferunt, etc.; β) *non sunt personificationes divinarum operationum,* ut anabaptistis placet, quia angeli Scripturae sunt Deo inferiores, ut probabimus; γ) *non sunt homines a Deo delegati,* ut nonnulli protestantes contendunt, quia angeli sunt hominibus superiores; δ) *nec denique sint animae defunctorum,* ut spiritistae comminiscuntur, quia plures angeli, vix a Deo creati, peccavere; animae autem defunctorum non possunt amplius peccare.

Angeli exhibentur in sacris litteris Deo inferiores. Ait enim Scriptura: *Angelis suis* (Deus) *mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis* [10]. *Adorate eum omnes angeli ejus* [11]. *Benedicite Domino, omnes angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius* [12]. Angeli ministraverunt Christo post tentationem [13].

Sunt tamen hominibus praestantiores. Psalmista enim sic affatur Deum: *Minuisti eum* (hominem) *paulo minus ab angelis* [14]. Et S. Petrus ait: *Angeli fortitudine et virtute cum sint majores* [15].

827. 2) *Ex documentis Ecclesiae.* Concilium Lat. IV ait: *Simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit* (Deus) *creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam, videlicet, et mundanam* [16]. Concilium Vaticanum repetit verba Lateranensis.

3) *Ex traditione.* In Ecclesia Christi semper fuit traditio constans de exsistentia angelorum.

1 *Dan.,* 3, 49.
2 *II Esdrae,* 9, 6.
3 *Tob.,* 3, 25.
4 *Luc.,* 1, 11-38.
5 *Matth.,* 1, 20.
6 *Matth.,* 2, 13.
7 *Matth.,* 2, 19 sqq.
8 *Luc.,* 2, 13 sq.
9 *Matth.,* 26, 53.
10 *Ps.* 90, 11.
11 *Ps.* 96, 7.
12 *Ps.* 102, 20.
13 *Matth.,* 4, 11.
14 *Ps.* 8, 6.
15 *II Petr.,* 2, 11.
16 Cap. *Firmiter.* Denz-Bannw., 428.

Saeculo I. S. Clemens romanus ajebat: «Multitudinem universam angelorum ejus diligenter consideremus, quomodo adstantes voluntatem ejus exsequantur»[1].

Saeculo II. Hermas meminit sex sanctorum angelorum Dei ex praecipuis, qui aedificant turrim (ecclesiam), et aliorum angelorum, qui afferunt lapides [2]. S. *Justinus* ait: «Caeterorum, qui illum assectantur eique assimilati sunt bonorum angelorum exercitum... colimus» [3].

Saeculo III Origenes [4], saeculo iv S. *Joannes Chrysostomus* [5], saeculo v S. *Augustinus* [6], aliique idem docent.

828. 4) *Ex ratione.* Ratio naturalis independenter a revelatione nequit demonstrare, potest tamen suadere exsistentiam angelorum.

a) Ad perfectionem universi requiritur quaedam gradatio in creaturis, ut tot adsint rerum creatarum gradus, quot novimus perfectiones genericas in Deo esse; creaturae enim participant divinam similitudinem per omnes gradus. Quaedam autem creaturae adsimilantur Deo quantum ad esse tantum, ut corpora; aliae vero quantum ad vivere, ut plantae; aliae quantum ad sentire, ut animalia; aliae quantum ad intelligere imperfecte, ut homines. Debet ergo dari aliqua creatura pure intellectiva, quae in supremo gradu perfectionis Deo adsimiletur [7].

b) Homo dicitur et est *microcosmos,* seu epilogus universi, in se uno continens gradus perfectionum, quae in rebus separatim inveniuntur, in homine autem sunt esse, vivere, sentire et intelligere. Ergo in universo dantur creaturae, in quibus hi gradus sunt divisi.

c) Conspicimus aliquando in rerum natura effectus, qui superant vires creaturarum visibilium. Hujusmodi sunt, quod mulierculae loquantur linguis ignotis, quod aliqui videant epigastrio, etc. Hi autem nequeunt Deo tribui, quia non semel sunt peccaminosi. Ergo [8].

829. Scholion. *Opinio antiquorum populorum super exsistentiam angelorum.* Communis fuit apud antiquos populos existimatio circa exsistentiam spirituum. Chaldaei, aegyptii, hebraei, indi, graeci, romani,, aliique populi, quamvis veram spirituum ideam, quam probabiliter acceperunt a revelatione primitiva, corruperint, bonos tamen spiritus coluerunt, et malos timuerunt.

Chaldaei posuerunt in caelo, terra et mari tres deos cum totidem conjugibus, in caelo, scilicet, *Anu* cum conjuge *Anat,* in terra *Bel* cum conjuge *Belit,* et in mari *Ea* cum conjuge *Damkina.* Diis conjugibus in caelo aderat in praesidium exercitus spirituum, quibus nomen est *Igigi;* deos terrestres comitatur alius exercitus angelorum vocatus *Anunnaki;* diis maritimis deserviunt alii spiritus. Omnes spiritus erant ab initio boni, sed aliqui ex servitoribus Dei *Anu* rebellionem foverunt, et ex alto caelo praecipites dederunt in abyssum [9].

1 *Ep. I ad Cor.,* c. 34, n. 5; MG 1, 276.
2 *Pastor,* vis. 3, 4, 1; MG 2, 901.
3 *Apol.* i, 6; MG 6, 335.
4 Περὶ ἀρχῶν, I, praef. 10; MG 11, 120.
5 *Sernt. de resurrectione mortuorum,* t, MG 50, 430.
6 *De Genesi ad litt.,* 4, 32, 49; ML 34, 316.
7 Cfr. S. Thomas, *Comp. Theol.,* c. 75.
8 Cfr. Philippus a SS. Trinitate, *De angelis,* disp. 1, dub. 1.
9 Cfr. Textus cuneiformis Assyriae, traductus a Smith, *Assyrian Discoveries,*

Aegyptii crediderunt proculdubio in exsistentiam angelorum, ut satis innuit pictura repraesentans deum *Ra* in actu jactandi minas in serpentem *Apap* [1].

Hebraeorum opinio circa angelos, non solum constat ex S. Scriptura, sed etiam *ex libris apocryphis judaeorum.* Sic in libro Enoch archangelis connumeratur *Uriel* [2], et spiritibus malignis accensentur *Azazel, Semiaza,* etc. [3]. *Philo,* judaeorum sapientissimus, docuit aliquos angelos uni moderatori obsequi in caelo [4], alios ex volitantibus per aërem descendere in corpora, et horum aliquos rapidissimis corporis gurgitibus absorberi, et esse daemones [5].

Indi quoque admittebant suos angelos. Docebant enim deam *Aditi* habuisse plures filios, quibus nomen Adityas, et erant spiritus caelestes vel genii boni circumeuntes deum supremum *Surya* [6]. Habebant etiam spiritus malignos nomine *Marulae,* qui bellum gerebant contra *Vritram* [7].

Apud graecos, celebris erat antiquitus spirituum angelicorum turba, quam nomine δαἰμ,ονιον traditio hellenica admittebat. Juxta Hessiodum, tria millia horum spirituum circumdabant terram [8]. Juxta *Platonem,* aliqui eorum comitantur et custodiunt singulos homines a nativitate usque ad sepulchrum [9]. Socrates dicitur habuisse daemonem comitem a nativitate [10].

Romani denique colebant et passim invocabant spiritus, quos genios vocabant. Inter eos magis celebrabantur *Penates, Lares, Sermones, Manes,* etc., patroni respective domorum, familiarum, pagorum, defunctorum, etc. [11].

Id ipsum accidit apud alias gentes, adeo ut sinenses, celtae, germani, americani, aliique in mundo populi communiter crediderint exsistentiam spirituum caelestium sub diversis nominibus. Conferri possunt *Lactantius* [12], *Arnobius* [13], *S. Augustinus* [14] aliique.

p. 398; Loisy, *Revue des religions,* 1891, 199 sqq.; Valbuena, *Egipto y Asiria ii.sucitados,* 1895, t. 1, p. 160 sqq.

1 Cfr. Mir, *La c.reacidn,* c. 48, a. 1, n. 5.

2 *Enoch.,* 9, i.

3 *Enoch,* 8, 1; 9, 6. Cfr. Leclercq, *Diet, d'archéol. chrit.,* v. Anges; et Hackspill, *Revue Biblique,* 1902, p. 527 sq.

4 *De confusione linguarum,* p. 227 (ed. Basileae apud episc. jun. sine data).

5 *De gigantibus,* p. 188 (ead. ed.).

6 Cfr. Schanz, *Apologia,* part. 2.", c. 2, n. 5.

7 Cfr. Mir, *La creaciôn,* c. 48, a. I, n. 7.

8 *Opera ct dies,* 250.

9 *Fedo,* 107 (ed. Didot, pag. 85).

10 Cfr. Tertullianus, *Apol.* 22; ML 1, 464.

11 Cfr. Virgilius, *Eneida,* lib. 5, v. 95.

12 *Instil.,* lib. 2, c. 15; ML 6, 330.

13 *Adv. nationes,* lib. 1, c. 43; ML 5, 773.

14 *De civit. Dei,* lib. 9, c. 1; ML 41, 255.

ARTICULUS II

QUANDONAM ANGELI CREATI FUERINT

830. Status quaestionis. 1) *De fide certum est angelos fuisse a Deo creatos.* Nam a) Dicitur in Scriptura: *Tu fecisti caelum et terram et quidquid caeli ambitu continetur*[1].—*Tu fecisti caelum et caelum caelorum et omnem exercitum eorum... exercitus caeli te adorat*[2]. *Quoniam in ipso condita sunt universa in caelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates; omnia per ipsum et in ipso creata sunt*[3], b) Concilium Vaticanum declaravit omnem creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam, videlicet, et mundanam, per creationem conditam esse[4], c) Ex Patribus. S. *Joannes Damascenus* ait: «Ipse (Deus) angelorum opifex et conditor est. ut qui eos ex nihilo produxerit atque ad imaginem suam creaverit»[5].

2) Certum est etiam angelos non esse creatos ab aeterno, nam Dominus possedit sapientiam genitam *in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio*[6].

3) Quaeritur hic, quandonam angeli creati fuerint.

831. Placita theologorum, 1) *Patres graeci et aliqui latini,* existimantes in primo versu Geneseos *caelum* non designare spiritus caelestes, contenderunt angelos fuisse a Deo creatos ante mundum materialem. Ita ex graecis, *Hermas, S. Basilius, S. Gregorius Nasiansenus, S. Joannes Damascenus*[7] et alii; ex latinis, S. *Hilarius, S. Ambrosius, S. Hieronymus*[8] etc.

2) *Patres autem latini* multo communius et *aliqui graeci* docuerunt angelos esse creatos simul cum materia. Ita ex latinis, S. *Augustinus, S. Gregorius M.*, etc., et ex graecis, S. *Epiphanius*[9].

Hanc secundam sententiam communiter sequuntur scholastici cum *Petro Lombardo, S. Alberto M.* et S. *Thoma*[10]. Prima tamen sententia non videtur expresse damnata, ut modo videbimus[11].

1 *Esther,* 13, 10.

2 *II Esdrae,* 9, 6.

3 *Coloss.,* i, 16.

4 Sess. 3. C. 1; Denz-Bannw., 1783.

5 *De fide orth.,* lib 2, c. 3: MG 94, 865. Error manichaeorum et priscillianistarum, qui dicebant animas humanas, et angelos ex Dei substantia exstitisse, proscriptus est in Concilio Bracharensi (a. 563, can. 5); Denz-Bannw., 235. Et delirium pantheistarum, qui fere idem dicebant, damnatum est in Concilio Vat., sess. 3, can 4; Denz-Bannw., 1804.

6 *Prov.,* 8, 22. Cfr. S. Thomas, *I p.,* q. 61, a. 2.

7 Hermas, *Sim.* 5, 5; MG 2, 961; S. Basilius, *In Hexaêmeron,* hom 1, n. 5; MG 29, 14; S. Gregorius Naz., *Orat.* 38; MG 36. 319; S. Joannes Damascenus, *De fide orth.,* lib. 2, c. 3; MG 94, 874.

8 S. Hilarius, *De Trinitate,* lib. 12; ML 10, 456; S. Ambrosius, *In Hexaemeron,* lib. i. c. 5. n. 19; MI. 14, 142; S. Hieronymus, *Ep. ad Tit.,* c. 1; ML 26, 594.

9 S. Augustinus, *De civ. Dei,* lib. 11, c. 6, 9, 33; ML 41, 321, 323: S. Gregorius M., *Moralium,* 32, 12; MI. 76, 645 sq.; S. Epiphanius, *Haer.,* 65, 5; MG 42, 19.

10 Petrus Lombardus, *II Sent.,* dist. 12; S. Albertus M., *Summa theol., p.* 2,tr. 3, q. 11; S. Thomas, *I p.,* q. 61, a. 3; et *De potentia,* q, 3, aa. 18-19. Utiliter videri possunt: Banez, *In I p.,* q. 61, a. 3: Valentia, *In I p.,* disp. 4, q. 12, p. 2; Toletus, *In I p.,* q. 61, a 3; Salmanticenses, *De angelis,* q. 6t, a. 3, animadv.

11 Gennadius, *lib. eccl. dogmatum,* 10, adseruit angelos fuisse creatos post mundum materialem; ML 58, 983; sed nemo cum sequitur.

832. Thesis. Angeli creati sunt a Deo simul curri mundo corporeo.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Dicitur in Genesi: *In principio creavit Deus caelum et terram* [1]—*Perfecti sunt caeli et terra et omnis ornatus eorum,* seu, juxta alias versiones, *omnis exercitus eorum* [2]. Consequenter dictum est in Conciliis Lat. et Vat.: «Verus Deus... simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam, videlicet, et mundanam» [3].

Non parum disputatum est a theologis circa sensum horum textuum S. Scripturae et valorem definitionis conciliorum. *Nonnulli,* ut *Ferrariensis, Cano* et alii [4] existimarunt sententiam de simultanea creatione angelorum et mundi materialis esse de fide, saltem indirecte. *Alii,* ut *Suarez, Valentia,* etc. [5], volunt hanc sententiam non esse de fide, sed adeo certam, ut contrarium adserere sit temerarium propter auctoritatem theologorum. *Alii* denique, ut *Pesch* [6], recte dicunt doctrinam scholasticam esse probabiliorem, sed non audent sententiam contrariam temeritatis accusare.

Arbitror revera angelos et materiam probabilius simul creatos fuisse, sed hoc non certo constare ex S. Scriptura et conciliis.

Quoad textus S. Scripturae, notandum est cum cl. *Hetzenauer* [7], tres caelos cum respectivo ornatu vel exercitu in Scriptura connumerari, videlicet, *caelum aereum,* cujus exercitus sunt venti et fulgura; *caelum sidereum,* cujus exercitus sunt sidera; *caelum empyreum,* cujus exercitus sunt angeli. Porro, quamvis probabilissimum sit hagiographum nomine caeli significare voluisse caelum aereum, sidereum et empyreum atque omnes exercitus eorum, ut plures commentatores exponunt, hoc tamen certo non constat.

In definitione conciliorum mens et verba attendenda sunt; *mens* quidem. quia intentio Patrum fuit ex professo definire, contra manichaeos et pantheistas, res omnes a Deo ex nihilo productas esse; *verba* vero, quia particula *simul* in definitione conciliorum potest significare idem ac *pariter, aequaliter, non secus.*

Sententia igitur, quam defendimus, licet hodie communis ac probabilior, non excedit limites probabilitatis.

2) *Ex ratione.* «Angeli sunt quaedam pars universi. Non enim constituunt per se unum universum, sed tam ipsi, quam creatura corporea, in constitutionem unius universi conveniunt... Non est igitur probabile, quod Deus, *cujus perfecta sunt opera,* ut dicitur *Deut.,* 32, 4, creaturam angelicam seorsum ante alias creaturas creaverit» [8].

1 *Gen.,* 1, i.

2 *Gen., 2,* t.

3 Concit. I.at., c. *Firmiter;* Denz-Bannw., 428; et Concit. Vat., sess. 3, c. 1; Denz-Bannw., ^7^3-

4 Ferrariensis, *Contra Gentiles,* lib. 2, c. 83, in fine; Cano, apud Banez, *In I p.,* q: 74. a. 2.

6 Suarez. *De angelis,* lib. 1, c. 3, n. 15; Valentia, *In l p.,* disp. 4, q. 12, p. 2.

n *De Deo creante et elevante,* n. 360.

7 *1'heol bibliea,* I 1. § 43, n. 1, d); et *Commentarius in Gen.,* p. 3.

H S. Thoniii», */ p.,* <| (»1. a 3.

833. Scholion. *Angelicus Doctor* exsistimat angelos, utpote toti naturae corporeae superiores, fuisse creatos in supremo corpore, sive id dicatur caelum empyreum, sive qualitercumque nominetur. Circa hoc videri possunt S. *Albertus M., Suarez* et alii [1].

ARTICULUS III

DE NUMERO ANGELORUM

834. Placita theologorum. 1) Aliqui haeretici, ut refert S. *Thomas* [2], dixerunt unum dumtaxat esse angelum, qui pro diversis muniis, quibus fungitur, diversa nomina sortitur. *Algazes* dicitur posuisse decem angelos. *Maimonides* et *Aristoteles* [3] posuerunt quadraginta septem angelos juxta numerum motuum caelestium.

2) Juxta pseudo-Dionysium, numerus angelorum excedit numerum rerum corporearum [4]. Juxta alios, apud S. *Athanasium* [5], angeli sunt centies plures quam homines, qui fuerunt, sunt, et erunt. Juxta alios, apud eumdem, tot sunt angeli quot homines.—S. *Gregorius M.,* et S. *Hieronymus* [6] volunt numerum angelorum esse infinitum.

3) *Aeneas Gazaeus* ait: «earum, quae sunt intelligentia praeditae, facultatum plenum est caelum; plenus etiam aether angelorum atque daemonum; itemque plenus aër, plena terra, plenum mare, plena denique, quae sub caelo sunt, omnia... Sed et si mortalibus in decies millenos annos haec externis sensibus exposita vita producatur, nunquam tamen... tantae angelorum, atque daemonum multitudini humanarum numerus par erit» [7].

4) *Cabalistae et gnostici* posuerunt 365.000 angelorum; et *talmudistae* elevarunt eorum numerum ad 301.655.172 [8].

835. Thesis. 1) Certo determinari nequit angelorum numerus; 2) constat tamen ingentem esse eorum multitudinem, et 3) probabilius excedere multitudinem omnium specierum rerum materialium.

Pars 1.a Certo determinari nequit angelorum numerus.

Arg. Nullum habemus documentum, quo praecisus angelorum numerus definiri possit. Scriptura enim solummodo in genere laudat multitudinem angelorum; concilia silent super hoc; SS. Patres inter se non conveniunt; et ratio naturalis ad hoc agnoscitur impar.

Pars 2.a Ingens est angelorum multitudo.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* a) Jacob, cum vidisset angelos sibi occurrentes, ait; *Castra Dei sunt haec* [9]. In castris autem multi sunt mili-

1 S. Albertus M., *Summa theol.,* p. 2, tr. 3, q. 12; Suarez, *De angelis,* lib. 1, c. 4.
2 *In II Sent,* dist. 3, a. 3.
3 Maimonides, *Morch,* lib, 1, c. 7; Aristoteles, *Metaph.,* lib. ii, c. 8,
4 *De caelesti hierarch.,* c. 14; MG 3, 321.
5 *Quaestiones ad Antiochum,* q. 6; ML 28, 601.
6 S. Gregorius M., *Moral.,* 17, 13; ML 76, 20; S. Hieronymus, *In Dan.,* 7, 10; ML 25, 532.
7 *Theophrastus, sive de immortalitate animarum,* post med. (in fine operum Philonis, ed. Basileae, apud episcopum jun., sine data).
8 Cfr. *Enciclopedia universal ilustrada* (Espasa), v. Angel.
9 *Gen.,* 32, 2 sq.

tes. b) Dominus apparuit (Moysi) de monte Pharan et *cum eo sanctorum millia* [1] c) *Millia millium ministrabant ei et decies millies centena millia assistebant ei* [2]. Ubi *millia millium,* sive denotet maximum numerum indeterminate, ut admittit ratio philologica, sive importet millia multiplicata per mille, ut interpretatur *Dionysius* [3], sive significet ex multis millibus aliqua millia, ut vult S. *Gregorius* [4], verba S. Scripturae probant plures esse angelos. Unde Christus dicebat posse sibi dari a Patre *plusquam duodecim legiones angelorum* [5].

2) *Ex traditione.* SS. Patres tum graeci tum latini, et theologi communiter, docent numerum angelorum esse maximum [6].

3) *Ex ratione theologica.* Singuli homines habent in hac vita angelum ex ordine inferiori in custodiam sibi deputatum. Si autem ex inferioribus tot sunt angeli quot homines, sequitur plures esse angelos.

Pars 3.a Numerus angelorum probabilius excedit multitudinem omnium specierum rerum materialium.

Arg. «Cum perfectio universi sit illud, quod praecipue Deus intendit in creatione rerum, quanto aliqua sunt magis perfecta, tanto in majori excessu sunt creata a Deo. Sicut autem in corporibus attenditur excessus secundum magnitudinem, ita in rebus incorporeis potest attendi excessus secundum multitudinem... Unde rationabile est, quod substantiae immateriales excedant secundum multitudinem substantias materiales, quasi incomparabiliter» [7].

ARTICULUS IV

UTRUM OMNES ANGELI NECESSARIO DIFFERANT SPECIE

836. Status quaestionis. Quaeritur, an singuli angeli ita constituant speciem propriam, ut tot sint species quot angeli individui.

837. Placita theologorum, 1) Aliqui dixerunt omnes angelos universim esse unius speciei, discretos in hicrarchias et ordines, quia omnes conveniunt in ratione intellectivi. Ita S. *Albertus M., S. Bonaventura* [8] et alii [9].

2) Alii censent angelos unius hierarchiae et verosimilius unius ordinis esse ejusdem speciei, quia credunt angelos specie differre ratione diversita-

1 *Deut.,* 33, 2. Nomine *sanctorum* veniunt hic angeli, et millia, graece μυρ'.ά, non solum significat myriadem (decem millia), sed etiam saepe numerum maximum.

2 *Dan.,* 7, 10.

3 Cfr. S. Thomas, *tn II Sent.,* dist. 3, q. I, a. 3 ad 5.

4 Cfr. S. Thomas, *In II Sent.,* dist. 3, q. 1, a. 3 ad 5.

5 *Matth.,* 26, 53.

6 Conferantur S. Hieronymus, *in Daniclem,* 7; ML 25, 532; Dionysius, *De cael, hierarch* . C. 14; MG 3, 321; S. Greg. M.. *Moral.,* 17, 13; ML 76, 20; Banez, *In 1 p..* q. 50. a. 3; Suarez, *De angelis,* lib. 1, c. 11.

7 S. Thomas, *1 p.,* q. 50, a. 3.

8 S. Albertus M.. *Summa theol.,* p. 2, tr. 2, q. 8 (ed. Vives, vol. 32); S. Bonaventure. *In II Sent.,* dist. 3, p. 1, a. 2. q. 1.

9 Beeanus, *Summa theol. schol.,* p I, tr. 3, c. 1, q. 4, *tertia conclusione,* minus recte ait: «Certum est omnes (angelos) esse ejusdem speciei».

tis ministeriorum et officiorum, quae in singulis hierarchiis vel etiam ordinibus multiplicantur. Ita *Biel, Alensis, Valentia* [1] et alii.

3) Alii existimant omnes angelos re ipsa differre specie, atque ideo tot esse species angelicas quot angelos individuos; potuisse tamen secundum potentiam Dei ordinariam plures angelos solo numero distingui sub eadem specie. Hoc ideo dicunt, quia putant naturam angelicam esse in potentia ad differentiam individualem, qua angeli individuantur, ab eaque distingui, saltem virtualiter, adeo ut ratio differentiae individualis possit multiplicari, eadem permanente natura specifica. Ita *Gandavensis, Scottis, Dttrand'fis, Vazquez* et *Suarez* [2].

4) Alii contendunt sola potentia Dei extraordinaria posse produci plures angelos ejusdem speciei. Ratio eorum est, quia licet angeli multiplicentur et distinguantur ex eorum natura seu forma, non tamen ex natura secundum propriam rationem formae, sed ex forma materialiter tantum distin-. cta. Diversitas autem, quae provenit ex formis secundum propriam rationem distinctis, est semper specifica, quae autem procedit ex formis materialiter tantum distinctis, potest non esse specifica. Ita *Ferràriensis, Banez* et *Sylvius* [3][4]

5) Alii denique inter thomistas communius docent neque de potentia Dei absoluta fieri posse, ut duo angeli sint ejusdem speciei. Sic *Cajetanus, Nazarius, Salmanticenses, Billuart* et alii '.

838. Thesis. **Non dantur neque dari possunt duo angeli ejusdem speciei.**

Arg. 1) *Ex auctoritate S. Thomae.* «Manifestum est, ait *Angelicus,* quod necesse erit in eis (angelis) esse diversitatem in specie. Non enim potest intelligi, quod aliqua forma separata sit, nisi una unius speciei, sicut, si esset albedo separata, non posset esse nisi una tantum»[5]. Angelicus his verbis non solum defendit nostram sententiam, sed tetigit etiam ejus rationem, ut volunt *Salmanticenses et Billuart* [6] contra *Banez et Sylvium* [7].

2) *Ex ratione.* In his, quae habent idem principium individuationis et specificationis, tot oportet esse species quot individua, quia, multiplicato principio individuationis, necessario multiplicatur principium specificationis, et consequenter, multiplicatis individuis, multiplicantur species. Sed in angelis idem est principium individuationis et specificationis, scilicet, forma irreceptibilis in materia. Ergo in angelis tot sunt necessario species quot individua [8].

839. Corollarium. Ex hoc patet quid sentiendum sit de opinionibus recensitis in contrarium.

1 Biel, *II Sent.,* dist. 3, q. un., a. 2, conci. 3; Alensis, p. 2, q. 20, membro 6, a. 2; Valentia, *In I p.,* disp. 4, q. 1, p. 3.

3 Gandav., *Quodlib.* 2, q. 8, et *Quodlib.* II, q. r, Scotus, *II Sent.,* dist. 3, q. 7; Durandus, *II Sent.,* dist. 3. q. 3; Vazquez, *In I p.,* disp. 181, c. 3; Suarez, *Metaphysica,* disp. 5. sect. 2, nn. 21-30.

3 Ferràriensis, *Contra Gentiles,* lib. 2, c. 93; Banez, *In I p.,* q. 50, a. 4: Sylvius, *In I p..* q. 50, a. 4, n. 3.

4 Cajetanus, *De ente et essentia,* c. 5, q. 9; Nazarius, *In I p.,* q. 50, a.4, controv. 2: Salmant., *De angelis,* disp. I, n. 88 sqq.; Billuart, *De angelis,* diss. I, a. 5.

5 *I p.,* q. 75. a. 7. Cfr. idem Angelicus, *De spiritual, creaturis,* a. 8.

° Salmant., *De angelis,* disp. 1, n. 88 sqq.; Billuart, *De angelis,* diss. 1, a. 5.

7 Banez, *In I p.,* q. 50, a. 4; Sylvius, *In I p.,* q. 50, a. 4

8 *In II Sent.,* dist. 3, q. I, a. 4.

hi i.a opinione falso àdseritur omnes angelos esse unius speciei, ex eo quod conveniant in ratione intellectivi. Ad hoc enim opus esset ulterius, ut omnes angeli haberent unam naturam, et aliunde peterent individuationem.

Ad 2.am opinionem dicendum est angelos specie differre, non ratione diversitatis ministeriorum et officiorum, sed ratione diversitatis formae seu naturae.

Ad 4.'"" opinionem dicendum est differentiam specificam et individualem ne virtualiter quidem distingui in angelis, quia nullam habent angeli compositionem physicam, sed sunt formae simplices per se subsistentes sine ordine ad materiam, et eo ipso, quo specificantur, absque ullo addito virtualiter distincto individuantur. «Illa forma, ait *Angelicus,* quae non est receptibilis in materia, sed est per se subsistens, *ex hoc ipso* individuatur, quod non potest recipi in alio>>T

Ad- 4""' opinionem respondeo me nescire quid significet forma materialiter distincta. Quidquid significet, negandum est in una natura specifica angeli posse reperiri differentias individual^; quibus contrahatur et dividatur in plura individua.

ARTICULUS V

UTRUM SINT PLURES HIERARCHIAE IN ANGELIS

840. Status quaestionis. Hierarchia—ex ιερό et αρχή—est sacer principatus. In principatu autem duo sunt consideranda, *princeps,* scilicet, et *multitudo* ordinata sub principe. Cum solus Deus sit princeps non solum angelorum sed etiam hominum et omnium creaturarum, ex parte principis non est. in angelis nisi una hierarchia. Ex parte autem multitudinis ordinatae sub principe solent principatus multiplicari secundum diversos modos, quibus multitudines gubernantur a principe. Hinc exsurgit quaestio, num in angelis sint aliquae multitudines diversimode directae et ordinatae a Deo.

841. Doctrina theologorum. Quousque appareret opus *De caelesti hierarchia* pseudo-Dionysii, nunquam facta est mentio apud Patres de hierarchiis angelorum, sed Dionysius distribuit angelos in tres hierarchias, et exinde Patres ac theologi approbarunt distinctionem s.

842. Thesis. **Angeli convenienter distribuuntur in tres hierarchias.**

Arg. Qui diverso modo gubernantur a principe, constituunt diversos principatus ex parte multitudinis. Sed angeli gubernantur a Deo tribus modis. Ergo. **Prob. min.** Angeli dicuntur a Deo gubernari, quatenus illuminantur et perficiuntur circa aliquam veritatem. Sed tripliciter illuminantur angeli a Deo. Ergo. 1) *Quidam* vicinius Deo adstantes, ab ipso Deo immediate illuminantur ac perficiuntur, et constituunt primam hierarchiam *(Seraphim, Cherubim, Throni).* 2) *Alii* illuminantur a

': / P . q· 3. « j ad 3
' Cfr S. Albortu· M., *Summa theol.,* p. 2, tr. 10,

Deo, mediantibus angelis superioribus, et cognoscunt veritates in causis universalibus, pertinentque ad secundam hierarchiam *(Dominationes, Potestates, Virtutes).* 3) *Alii* denique, illuminantur a Deo, mediantibus angelis diversorum graduum, et cognoscunt rationes rerum, prout sunt in se ipsis, dependentes a propriis causis, et constituunt tertiam hierarchiam *(Principatus, Archangeli, Angeli)* [1].

843. **Corollarium.** Bene concludit *Angelicus,* in divinis personis dari quidem ordinem, sed non hierarchiam; «nam, ut *Dionysius* dicit, 3 cap. *Caelestis Hierarchiae,* ordo hierarchiae est alios quidem purgari, et illuminari, et perfici: alios autem purgare et illuminare, et perficere; quod absit, ut in divinis personis ponamus» [2].

ARTICULUS VI

QUOT SINT ORDINES SEU CHORI ANGELORUM

844. Status quaestionis. 1) Doctrina de ordinibus angelorum aliquantulum clarius constat ex S. Scriptura et SS. Patribus, quam speculatio de hierarchiis. Hinc.

2) Angelos esse divisos in aliquos ordines satis clare docemur a S. Scriptura. Michael siquidem dicitur *unus de principibus primis* [3]; alii vocantur *archangeli*[4]. Ubi autem sunt *principes primi* et *archangeli,* oportet esse inferiores.

3) Sed investigandum est, quot sint et quomodo vocentur hujusmodi ordines.

845. Placita SS. Patrum et theologorum, i) Ex SS. Patribus, alii quinque, alii septem, alii novem docebant esse ordines seu choros angelorum; et S. *Augustinus* confitetur se ignorare, «utrum iidem archangeli appellentur virtutes... et quid inter se distent quatuor illa vocabula (throni, dominationes, principatus et potestates), quibus universam ipsam caelestem societatem videtur Apostolus esse complexus» *(Coi.,* i, i6) [5].

2) S. *Cyrillus hierosolymitanus* [6], *pseudo-Dionysius* [7] et post ipsos communiter SS. Patres ac theologi novem ordines angelorum enumerarunt.

846. Thesis. **Novem sunt ordines seu chori angelorum.**

Arg. 1) Novem ordines angelorum commemorantur in S. Scriptura, nempe: *Seraphim* [8], *Cherubim* [9], *Throni*[10], *Dominationes* (κυριότητε),

1 S. Thomas, *I p.,* q. 108, a. 1.
2 S. Thomas, *I p.,* q. 108, a. i.
3 *Dan.,* io, 13.
4 *I Thessal.,* 4, 16.
5 *Enchirid., c.* 58; ML 40, 259.
6 *Catech.* 23 (myst. 5), 6; MG 33, 1113.
7 *De caelesti hierarchia,* c. 6; MG 3, 200 sq.
8 *Is.,* 6, 2. «Seraphim stabant super illud».
9 *Gen.,* 3, 24. «Collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim».
10 *Col.,* i, 16. «In ipso condita sunt... visibilia et invisibilia sive throni».

Virtutes (δυνάμει), *Potestates* (ἐ ουσιαι), *Principatus* (ἀρχαί) \ *Archangeli* (αρχάγγελο) 2, *Angeli* (ἄγγελο) 3.

Hoc argumentum, quo utitur S. *Thomas*4,5 est validum, non tamen omnino certum, quia non declarat Scriptura, an singula nomina, quae retulimus, significent suum respectivum ordinem ab aliis ordinibus distinctum, neque negat aliorum ordinum exsistentiam 5.

2) *Ex traditione. S. Cyrillus hierosolymitanus, S. Gregorius Naz., S. Joannes Chrysostomus, Areopagita, S. Gregorius M., S. Joannes Damascenus* et alii 6 novem choros angelorum enumerant.

3) *Ex ratione.* Angeli dividuntur in hierarchias secundum diversum modum, quo illuminantur et perficiuntur a Deo; in choros vero distribuuntur secundum diversa officia et actus, quos exercent. Tres autem sunt modi, quibus Deus illuminat et perficit angelos, ut diximus supra. Unde tres sunt hierarchiae angelorum: a) eorum, scilicet, qui, quasi in vestibulis Dei collocati, lumen veritatis hauriunt immediate ab ipso fonte (prima hierarchia); b) eorum, qui illuminantur ab angelis superioribus et accipiunt cognitionem, prout rationes rerum dependent ab universalibus causis creatis (secunda hierarchia), et c) eorum, qui accipiunt cognitionem, prout rationes rerum applicantur singulis rebus et dependent a causis singularibus (tertia hierarchia). Porro in qualibet hierarchia sunt tria officia seu munera angelorum. Ergo sunt novem chori seu ordines angelorum.

In suprema hierarchia aliqui praecellunt purissimo caritatis igne, quo ardent et alios incendunt, vocanturque *Seraphim:* alii distinguuntur excessu quodam scientiae, qua plenissime percipiunt divina, et cognitionem, quam habent, copiose in alios effundunt, et appellantur *Cherubim* 7; alii familiariter Deo adsistunt, eumque quasi in throno recipiunt, et nomine communi dicuntur *Throni.* Unde in prima hierarchia sunt tres ordines, *Seraphim, Cherubim* et *Throni.*

In secunda hierarchia omnes considerant rationes rerum in universalibus causis, et ad gubernationem generalem agenda disponunt. Sed in hac communi gubernatione et dispositione aliqui definiunt vel praecipiunt ea, quae agenda sunt, et vocantur *Dominationes;* alii communicant robur inferioribus, ut praecepta exsequantur, et dicuntur *Virtutes;* alii modum exsecutionis mandatorum ordinant, et appellantur *Potestates.* In secunda igitur hierarchia sunt tres chori, *Dominationes,* scilicet, *Virtutes* et *Potestates* 8.

1 *Eph.,* i, 20-21. «Constituens (Christum)... supra omnem *principatum,* et *potestatem,* et *virtutem,* et *dominationem».*

2 *Judae,* 9. «Michael *archangelus* cum diabolo disputans».

3 *I Petr.,* 3, 22. «Profectus in caelum, subjectis sibi *angelis».*

4 *I p.,* q. 108, a. 5.

5 Cfr. Van Noon, *De Deo creatore,* 106; Pesoh, *De Deo creante,* n. 384 sq.

6 S. Cyrillus hieros., *Catech.* 23 (mystagogica 5), 6; MG 33, 1113; S. Gregorius Naz., *Orat* 28 (theol. 2), 31; MG 36, 72; S. Joannes Chrys., *In Gen. homiliae,* 4, 5; MG 53, 44; Areopagita, *De cael, hierarch.,* c. 6 sqq.; MG 3, 200; S. Gregorius M., *In Euangelia homiliae,* 2, 34, 7; ML 76, 1249; S. Joannes Damascenus, *De fide orth.,* 2, 3; MG 94, 872.

7 Cfr S. Thomas, *I p.,* q. 108, a. 5 ad 5.

8 S. Thomas, *I p.,* q. 108, a. 6.

In tertia hierarchia, quae annuntiando divina exsequitur ministeria, aliqui dirigunt operum exsecutionem, et dicuntur *Principatus;* alii nobiliora ac summa nuntiant, et sunt *Archangeli;* alii denique infima nuntiant, et nomine communi nuncupantur *Angeli.* Quapropter in tertia hierarchia sunt tres ordines, *Principatus,* nempe, *Archangeli et Angeli.*

Sunt ergo novem ordines angelorum.

QUAESTIO XL

DE NATURA ANGELORUM

S. *Th., I p., qq. 50-51.*

ARTICULUS I

UTRUM ANGELI SINT PURI SPIRITUS

847. Status quaestionis. Angelos esse substantias spirituales constat tum ex hucusque dictis, tum ex actibus, quos exercent, tum ex facultatibus intellectualibus, quibus pollent. Hic quaeritur, an naturaliter uniantur alicui corpori saltem subtili ad instar animae humanae, quae, licet sit spiritualis, unitur corpori tanquain forma.

848. Placita SS. Patrum et theologorum. 1) Aliqui SS. Patres tribuerunt angelis corpora saltem subtilia. Ita videntur docuisse *Origenes*[1], *Fulgentius*[2], *Claudianus Mamertus*[3], *S. Augustinus*[4] *Rupertus abbas*[5], et alii.

2) Alii falso putantes expressionem filii Dei *(Gen.,* 6, 2) referri ad angelos, dixerunt angelos iniisse connubia cum filiabus hominum. Ita post *Philonem et Josephum, S. Justinus, Athenagoras, Clemens alex., S. Ambrosius* [6], etc.

3) Sed alii Patres et theologi communiter docent angelos esse puros spiritus. Huic sententiae valde consonant declarationes Ecclesiae.

849. Thesis. Angeli sunt puri spiritus [7].

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus ait: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates... con-*

1 Περὶ ἀρχῶν, lib. 2, c. 2; MG 11, 187.

2 *De Trinitate,* c. 9: «Ex duplici eos esse substantia adserunt magni et docti viri... Corpus ergo ethereum, id est, igneum, eos dicunt habere, angelos vero malos, id est, daemones, corpus aëreum». ML 65, 505.

3 *De statu animae,* lib. 1, cc. 13-14. «Duplex est angelica, sicuti est humana, substantia, habens corpus totius facilitatis maximaequae pulchritudinis». ML 53. 716.

4 *In Ps.* 85, n. 17; ML 37, 1094; *De Gen. ad litt.,* lib. 3, c. 10; ML 34. 284.

5 *De victoria Verbi Dei,* lib. 1, c. 26. Angeli «ante transgressionem caelestia corpora gerebant». ML 169, 1240.

6 Philo, *De gigantibus,* in prine.; Josephus, *Antiq. jud.,* lib. 1, c. 5; S. Justinus, *Apol.* 2, 5; MG 6, 451; Athenagoras, *Legatio pro christ.,* n. 24; MG 6, 948; Clemens alex., *Paedag.,* lib. 3, c. 2; MG 8, 575; S. Ambrosius, *De virginibus,* lib. I, C. 8, n. 53; ML 16, 214.

7 Ecclesia nondum authentice declaravit angelos esse puros spiritus. Quando

ira spiritualia nequitiae, in caelestibus 1. Colluctatio nostra est adversus malos angelos. Ergo angeli, saltem reprobi, carent corpore.

2) a) *Concilia Lat. IV et Vaticanum* 2 certe supposuerunt angelos esse puros spiritus, quando substantiam angelicam appellaverunt spiritualem in oppositione ad mundanam et humanam 3.

b) S. *Ignatius antiochenus* angelos vocat «incorporeas naturas»4; *Eusebius Caesariensis* «immateriales et omnino puros spiritus»5.*

3) «In quocumque... genere invenitur aliquid imperfectum, oportet praeexsistere aliquid perfectum in genere illo». Sed in natura intellectuali invenitur substantia spiritualis imperfecta, scilicet, anima humana, quae ordinatur ad informandum corpus, et accipit cognitionem a rebus sensibilibus. Ergo sunt «aliquae substantiae perfectae intellectuales in natura intellectuali, non indigentes acquirere scientiam a sensibilibus rebus. Non igitur omnes substantiae intellectuales sunt unitae corporibus, sed aliquae sunt a corporibus separatae. Et has dicimus angelos» e.

850. Scholion I. *De intelligentia verborum «filii Dei» in libro Geneseos,* 6, 2. Legimus in sacro textu: *Videntes «lilii Dei» jilias hominum, quod essent pulchrae, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant... postquam enim ingressi sunt «filii Dei» ad filias hominum, illaeque genuerunt.* Expressio hebraica D'FDx quam Vulgata vertit filii Dei. in nonnullis codicibus versionis LXX invenitur conversa ἄγγελοι του θεοῦ. Ex hac falsa lectione fortasse ducti, aliqui SS. Patres dixerunt angelos iniisse connubia et habuisse carnale commercium cum feminis. Unde oportet locum explicare.

1) *Plures antiqui judaei* dixerunt *filios Dei* esse filios gentis nobilioris, *jilias* vero *hominum* significare feminas populi communis. Unde dicunt in praefato loco describi connubia inter viros magnates et feminas plebejas 7. Sed perperam. Quia a) expressio *filii Elohim,* nunquam in

Concilium Constantinop., a. 553, damnavit eos, qui dicerent «omnium rationalium productionem fuisse mentes, corporis et materiae expertes... et (has mentes) assumpsisse corpora subtiliora vel crassiora» (Denz., cd. 10, n. 188)', proscripsit errorem origenistarum, juxta quos, Deus creavit mentes in regione caelesti, ex his aliquae adsumpserunt corpora magis vel minus subtilia, et appellantur angeli, ita tamen ut ex corporum differentia vocentur *Cherubini, Seraphim,* etc.— Concilia Lat. IV, cap., *firmiter* (Denz-Bannw., 428), et Vaticanum, sess. 3. c. 1 (Denz-Bannw., 1783), directe voluerunt declarare contra manichaeos, pantheistas et rationalistas omnia esse a Deo ex nihilo creata. Quae vero de spiritualitate substantiae angelicae docentur in oppositione ad substantiam pure corporalem et humanam ex spiritu et corpore constitutam, incidentaliter dicta sunt.

Caeterum, adsertibnem nostram ita communiter tenent theologi, ut Suarez, *De angelis,* lib. 1, c. 6, n. 6, vocet eam «fere certam»; Salmanticenses, *Dc angelis,* disp. 1, n. 6. «certam»; et Valentia, *In I p.,* disp. 4, q. 2, p. 1, § *Secunda sententia* «verissimam». Juxta S. Thomam, *De malo,* q. 16, a. 1; Banez, *In I p.,* q. 51, a. 1, *secunda conclusio;* et Vazquez, *In 1 p.,* disp. 78, c. 3, contrarium adserere esset omnino temerarium.

1 *Eph.,* 6, re.

2 Denz-Bannw., 428 et 1783.

3 Haec doctrina, juxta Vazquez, *In I p.,* disp. 178, c. 3, est «ab Ecclesia quasi definita».

4 *Ep. ad Trallianos,* 9; MG 5, 789.

6 *Dcmonstr. evang.,* 4, 1; MG 22, 252.

" S. Thomas, *I p*, q. 51, a. t.

' Cfr Hummolauer, tu *Genesim,* 6, 2 (p 212); et Hetzenauer, *Comment, in Gen.*. p. J28.

Scriptura significat aristocratas; et b) connubia inter magnates et plebejas nequiverunt homines ita depravare, ut opus esset hominem delere a facie terrae.

2) *Raiionalistaé* volunt expressionem *filii Dei* vere significare angelos, et consequenter lectionem graecam ἀγγελοι τού θεού esse praeferendam. Sed addunt quaestionem de exsistentia ac natura angelorum et totam relationem hujus loci de commercio angelorum cum filiabus hominum atque de gigantibus exinde natis esse fragmentum mythologicum babyloniorum vel chananaeorum. Ita *Dillman 1, Minocchi 2* et alii.

Sed haec explicatio absurda est, quia a) exsistentia et natura angelorum non est amandanda ad mythologiam; b) documentum mythologicum nequivit admitti in sacris Scripturis; et c) ob figmentum mythologicum non destruxisset Deus genus humanum.

3) Juxta commentatores catholicos, expressio *filii Dei* significat viros pios, id est, sethitas, qui Deum invocare et colere consueverunt; *filiae* vero *hominum* erant feminae ex caeteris familiis seu ex cainitis.

Haec videtur esse recta interpretatio et omnibus probanda. Nam inauditum est in Scriptura angelos libidini indulgere vel matrimonium inire.

851. Scholion II. *Angeli non constant materia et forma.* Nonnulli ex antiquis scholasticis dixerunt angelos esse quidem spiritus, sed compositos ex materia quadam spirituali et forma. Ita *Alexander Alensis, S. Bonaventura* 3 et alii pauci. Quid intellexerint pro materia spirituali et forma non certo constat; fortasse intellexerunt potentiam et actum, et in hoc casu nonnisi verbis discrepant a sententia communi.

Quidquid sit de mente horum auctorum, dicendum est angelos non esse physice compositos ex materia spirituali et forma: 1) Quia materia spiritualis repugnat, sicut repugnat potentia actus. 2) Quia angeli sunt totaliter intellectuales, ut patet ex eorum actibus. Actus enim angelorum sunt omnes intellectuales, intelligere et velle. Sed natura totaliter intellectualis nequit habere materiam, quia materia, quantumvis fingatur spiritualis, non potest intelligere. Ergo. Ad rem *Angelicus:* «Adhuc ulterius impossibile est, quod substantia intellectualis habeat qualemcumque materiam»

Angeli tamen habent compositionem ex genere et differentia, ex potentia et actu, ex essentia et exsistentia, ex natura et persona, etc. In quantum essentia angelica consideratur indeterminate ut spiritus, habet rationem generis; quatenus determinatur ad unam speciem spiritualitatis, coarctatur differentia; item essentia angelica est potentia, quae reducitur in actum per exsistentiam, per operationes vitales, etc.

Corollarium. *Angeli sunt incorruptibiles.* Ex dictis facile consequitur angelos esse ex natura sua incorruptibiles, quidquid dixerint nonnulli antiqui in contrarium. In tantum enim aliquid corrumpitur.

1 *Die Genesis,* nS.

2 *La Genesi,* 199 sqq.

2 Alensis, *Summa theol.,* p. 2, q. 20, memb. 2 in fine; S. Bonaventura, *II Sent.,* dist. 3, p. i, a. i. qq. I et 2.

1 *I f>.,* q. 50, a. 2.

in quantum forma ejus a materia separatur. Cum autem angeli careant materia et sint formae subsistentes, sequitur eos esse incorruptibiles

ARTICULUS II

UTRUM ANGELI ADSUMANT ALIQUANDO CORPORA

852. «Quidam dixerunt, inquit *Angelicus,* angelos nunquam corpora adsumere, sed omnia, quae in Scripturis divinis leguntur de apparitionibus angelorum, contigisse in visione prophetiae, hoc est, secundum imaginationem» 2.

Haec opinio, quae tribuitur Maimonidi, admitti nequit, quia visiones imaginariae non apparent multitudini, sed sunt in sola imaginatione videntis. Sed angeli, juxta Scripturam, saepe apparuerunt multitudini, ut communiter viderentur in figura corporali. Ergo.

853. Thesis. **Angeli aliquando adsumunt corpora 3**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Tres angeli apparuerunt Abrahae in forma humana duo locuti sunt cum Loth s, angelus Raphael comitatus est Tobiam, et multa negotia expedivit ®.

2) *Ex traditione. S. Augustinus:* «Apparuisse tamen hominibus angelos in talibus corporibus, ut non solum videri, verum etiam tangi possent, eadem verissima Scriptura testatur»7. S. *Gregorius M::* «Nisi enim angeli... ad tempus ex aere corpora sumerent, exterioribus nostris profecto obtutibus non apparerent» 8.

Scholion I. *De modo, quo angeli adsumunt corpora.* 1) Angeli non adsumunt corpora a) *per modum unionis hypostaticae,* ut sentire visus est *Tertullianus* 9, quia hoc est impossibile; nec b) *per informationem,* eo modo, quo forma terminat materiam, quia angeli sunt formae com pletae, quae nequeunt esse formae corporum; neque c) *per simplicem unionem seu praesentiam,* quia non dicitur angelus adsumere corpus hominis, quod custodit; neque d) *per simplicem rationem motoris et mobilis,* ut angelus non adsumpsit lapidem, quem revolvit e monumento Christi10;

1 Nonnulli, ut Scotus, *In IV Sent.,* dist. 49, q. 6; Vazquez, *In I p.,* disp. 182, c. 2, et alii, accipientes incorruptibilitatem relate ad potentiam Dei, dixerunt omnes angelos esse corruptibiles, quia possunt in nihilum redigi, cessante actione Dei sustentante, sed decepti sunt quoad conceptum incorruptibilitatis. «Non autem dicitur, ait Angelicus, aliquid esse corruptibile per hoc, quod Deus possit illud in non esse redigere, subtrahendo suam conservationem, sed per hoc, quod in se ipso aliquod principium corruptionis habet, vel contrarietatem, vel saltem potentiam materiae». *I p.,* q. 50, a. 5 ad 3.

3 *I p.,* q. 51, a. 2.

3 «Ex fide certissima est», ait Valentia, *In I p.,* disp. 4, q. 2, p. 2.

4 *Gen.,* 18, 2.

5 *Gen.,* 19, i sqq.

' *Tob* , 5, 5 sqq.

7 *De civit. Dei,* lib. t.5, c. 23, n. 1; ML 41, 468.

B *Moral* , lib 28, c. 1; ML 76, 450.

" *De carne Christi, c* <|; MI. 2, 809.

»? *Matth* , 28, 2

sed e) angelus dicitur adsumere corpus, quando alicui corpori se conjungit, ut motor mobili, eo fine, ut per figuram et proprietates sensibiles corporis repraesentet aliquas sui proprietates spirituales. «Secundum hoc, ait *Angelicus,* quod virtus spiritualis movet aliquod corpus, conjungitur sibi, sicut motor mobili. Sed ulterius, quando angelus hoc corpus motum format per modum in praecedentibus dictum, ut appareant in eo aliquae proprietates visibiles, invisibilibus ejus proprietatibus congruentes, tunc dicitur illud corpus adsumere» [1].

2) Proprietates invisibiles Dei et angelorum difficulter repraesentantur per corpora animata, quae habent actiones sibi proprias. Idcirco non solent angeli adsumere corpora animata, etsi aliquando ea moveant. Quare angelus non adsumpsit linguam asinae, cum locutus est ad Balaam, nec diabolus serpentem, quando decepit Evam [2].

Scholion II. Angeli possunt proculdubio efformare corpora, quae velint adsumere, ex qualibet materia, quia possunt movere omnia elementa, sed, juxta SS. Patres et theologos, efformant ea ex aere.

Scholion III. Angeli nequeunt in corporibus adsumptis exercere actus proprie vitae sensitivae. Ratio est, quia cum angeli non possint esse formae corporum, nequeunt constituere suppositum animal, quod est unicum principium operationum vitae sensitivae. Unde angeli non vident, non generant, non sentiunt, non audiunt, non gustant, etc. Quaedam tamen opera vitae, quae sunt aliis operibus communia, exercent, non vitaliter, sed quantum ad id, quod habent commune aliis operibus; sic loquuntur, quatenus locutio est sonus, ambulant, in quantum progressio est motus, etc. [3].

ARTICULUS III

UTRUM ET QUOMODO ANGELI SINT IN LOCO

854. Status quaestionis. 1) Quadruplex est modus essendi rerum in loco, *circumscriptive, definitive, sacramentaliter et ubique,* a) *Circumscriptive* est, quando aliquid commensuratur a concavitate loci secundum propriam quantitatem extensivam, adeo ut totum locatum correspondeat toti loco et pars locati parti loci [4]. Superficies ambiens et circumscribens reddit locatum praesens et mensurat ipsum [5]. b) *Definitive* dicitur aliquid esse in loco, quando tangit ipsum per quantitatem seu contactum virtutis, et sic determinatur seu definitur uni loco, ut non sit in alio. Est in loco per modum continentis et mensurantis et replet locum quantitate virtutis [6]. c) *Sacramentaliter* est corpus D. N. Jesuchristi in Eucharistia specialissimo modo per modum substantiae,

1 *In II Sent.,* dist. 8, q. i, a. 2.
2 Cfr. S. Thomas, *In II Seni.,* dist. 8, q. I, a. 3.
3 Cfr. S. Thomas, *I p.,* q. 51, a. 3.
4 Cfr. Complutenses, *Phys.,* disp. 19, q. 8.
5 Salmant., *De angelis,* disp. 2, nn. 168-169.
• Cfr. S. Thomas, *I p.,* q. 52, a. 2; et *Quodl.* 1, a. 5; et Salmant., *De angelis,* disp. 2, nn. 168-169.

totum in toto, totum in qualibet parte, et totum in aliis partibus, d) *Ubique* est solus Deus, quatenus omnia virtute sua infinita conservat, videt atque gubernat.

2) Certum est angelos non esse in loco circumscriptive; carent enim quantitate dimensiva, ut a superficie circumdari et commensurari possint.

3) Quaestio est breviter tractanda, num angeli sint aliquo modo in loco.

Error. *S. Thomas*[1] refert opinionem quorumdam philosophorum, qui censuerunt angelos nullo modo esse in loco.

855. Thesis. **Angeli sunt quodammodo in loco**[2].

Arg. 1) *Ex S Scriptura.* In sacris litteris haec leguntur: *Quomodo cecidisti de caelo, Lucifer?*[3]. *Neque locus inventus est eorum amplius in caelo*[4].

2) *Ex traditione. S. Basilius:* «In loco sunt (angeli), et fiunt visibiles, dum iis, qui digni sunt, apparent in specie propriorum corporum»[5]. S. *Athanasius:* «Illic tantum adsunt (angeli), quo mittuntur»[6].

3) *Ex ratione.* Angeli, juxta *Athenagoram,* «circa materiam et ope materiae principatum exercent»[7]; juxta *Hermam,* praesident hominibus[8], neophytis[9], et bestiis terrae[10]; juxta *Origenem,* regunt elementa[11]; juxta S. *Augustinum,* custodiunt mundum universum[12]. Sed angeli, ubi operantur, ibi sunt tanquam in loco. Ergo.

856. Scholion I. Exsistere in loco convenit angelis et corporibus aequivoce, non univoce, ut communis docet sententia; quia ratio exsistendi in loco est omnino diversa in angelis et corporibus. Angelus est in loco active per contactum virtutis, continendo et mensurando locum, corpus vero quasi passive a superficie concava circumscriptum ac commensuratum. Unde *Angelicus:* «Aequivoce tamen dicitur angelus esse in loco et corpus»[13].

Scholion II. Probabilius, contra *Banez, Suarez* et *Nazarium*[14], angeli non sunt proprie in loco, sed improprie et metaphorice seu translative. Haec videtur expressa sententia S. *Thomae,* qui ait: «Unde etiam subjungit (Nazianzenus), quod cum deberemus dicere hic operatur (angelus), abusive dicitur, hic est»[15]. Rursum: «Locus est nomen mensurae:

1 *In 1 Sent.,* dist. 37, q. 3, a. 1.

2 Haec sententia «ex fide certissima est», juxta Valentiam, *In I p.,* disp. 4, q. 3. P. i.

3 *Is.,* 14, 12.

4 *Apoc.,* 12, 8.

5 *De Spiritu Sancto,* c. 16, n. 38; MG 32, 137.

6 *Ep. I ad Serapionem, 1,* 26; MG 26, 592.

7 *Legatio pro christ.,* n. 24; MG 6, 946.

8 *Mand.,* 6; MG 2, 928.

9 *Vis.* 3, 5; MG 2, 903.

10 Vis. 4, c. 2; MG 2, 912.

11 *In Jerem.,* hom. 10, 6; MG 13, 365.

12 *De lib. arb.,* 3, 32; ML 32. 1287.

13 *I p.,* q. 52, a. 1.

14 Banez, *In I p.,* q. 53, a. 1, dub 2, concl. 3; Suarez, *De angelis,* lib. 4, c. 7; Nazarius, *In I p.,* q, 52, a. 1; et q. 53, a. 1.

15 *In I Sent,* dist. 37, q. 3, a 1.

unde esse in loco proprie significatur, ut esse in mensura: et sic nulli rei incorporeae convenit in loco esse, scilicet, ut in loco, sed tamen alicui rei incorporeae convenit esse in loco, non ut in loco, sed ut operans in operato, vel sicut forma est in materia. Unde etiam angelus non dicitur localis nisi secundum quid, in quantum, scilicet, habet aliquid simile rei locali, ut, scilicet, determinetur ad hunc locum potius quam ad alium» ·.

Ratio est, quia esse proprie in loco significat locatum mensurari, circumscribi et contineri a superficie concava. Angelus autem non circumscribitur nec continetur a superficie, sed potius ipse mensurat et continet locum.

Improprie tamen dicitur esse in loco, quia contactus angeli habet similitudinem proportionalitatis cum modo essendi corporum in loco, quatenus determinat virtutem angeli ad unum locum potius quam ad alium 2.

857. Scholion III. *De ratione formali proxima seu de fundamento immediato praesentiae angelorum in loco.*

1) *Nonnulli* dixerunt rationem proximam praesentiae angelorum in loco esse propriam tmiuscujusque angeli substantiam. Hoc ideo defendunt, quia substantia angeli ex se, entitative ac substantialiter est in loco, eo fere modo, quo substantia corporea, privata divinitus quantitate, maneret in loco, v. gr., in vase. Ita S. *Bonaventura, Scotus, Biel, Becanus* et alii 3.*

Haec sententia et ratio, cui innititur, admitti nequeunt. Ut aliqua res sit in loco, necessario requiritur contactus, quantitatis vel virtutis, inter locum et locatum. Unde angelus, qui non operatur, et substantia, cui divinitus aufertur quantitas, sunt quidem in rerum natura et exsistunt, sed non sunt in loco, sicut Deus ante creationem mundi exsistebat, sed nullibi erat ut in loco. In hoc ergo corrigenda est imaginatio··.

2) *Alii* docuerunt rationem formalem proximam, per quam angeli sunt in loco, esse qualitatem quamdam substantiae angelicae divinitus collatam *(Alex. Alensis)* 5; vel modum quemdam absolutum additum substantiae angeli, ex voluntate illius omnino pendente, tanquam ex principio efficiente *(Vazquez)* 6.

Sed a) in opinione *Alensis* angelus non esset in loco virtute propria, sed proprietate quadam accepta extra ordinem naturae, quod admitti nequit; b) in sententia *Vazquez* gratis fingitur modus quidam absolutus substantiae angeli additus, et, si daretur, non esset ratio formalis proxima praesentiae angelorum in loco, quia inter locum et locatum requiritur aliquis contactus; modus autem, qui supponitur, nihil ageret in locum, sed ad summum modificaret substantiam angeli.

1 *In I Sent.,* dist. 37. q. 3, a. 1 ad 1.

2 Cfr. Zumel, *In I p.,* q. 52, disp. 1, q. 1. concl. 3; Philippus a SS. Trinitate, De *angelis,* disp. 2, dub. 1, et alii.

3 S. Bonaventura, *In II Sent.,* dist. 2, p. 2, a. 2, q. 1; Scotus, *In tl Sent ,* dist. 2, q. 6, *Ad propositum;* Biel, *In II Seni.,* dist. 2, q. 2, *a.* 2, concl. 4; Becanus, *De angelis,* c. 1, q. 5, concl. 2.

'* Cfr. S. Thomas, *In I Sent.,* dist. 37, q. 3, a. 1 ad 4.

6 *Summa,* p. 2, q. 32, membro 1.

e *In I p.,* disp. 188, c. 7.

3) 5. *Thomas* passim affirmat rationem proximam, per quam angelus constituitur in loco, esse applicationem seu contactum virtutis. «Per applicationem igitur virtutis angelicae ad aliquem locum qualitercumque, dicitur angelus esse in loco corporeo» 1.

Thomistae diversimode interpretantur suum Magistrum: a) *Nonnulli* dicunt applicationem virtutis angelicae ad corpus et operationem ejus in actu primo, adeo ut angelus sit non solum indistans sed cum cognitione intellectus et electione voluntatis proxime expeditus ad operandum, quamvis nullus effectus sequatur, fundare proxime et formaliter praesentiam realem angeli in loco. Ita *Cajetanus, Nazarius, Sylvius, Satolli* et alii 2 b) *Alii* vero volunt applicationem virtutis angelicae in actu secundo in locum seu actualem operationem virtualiter transeuntem esse rationem formalem proximam praesentiae realis angeli in loco. Ita *Ferrariensis, Salmanticenses, Billuart* et alii 3.

Haec secunda explicatio magis mihi probatur, et consequenter exsistimo operationem virtualiter transeuntem, quae actu secundo aliquid in objecto efficit, esse rationem formalem proximam praesentiae angeli in loco connaturali, ita tamen ut nomine operationis transeuntis intelligatur quilibet influxus realis in locum, sive movendo, sive praesidendo, sive continendo, sive quocumque alio modo 4. Ad rem S. *Thomas:* «Angelus definiri vel determinari non potest ad locum aliquem nisi per actionem et operationem. Dico quod angelus et quaelibet substantia incorporea non potest esse in corpore vel in loco nisi per operationem, qua effectum aliquem in eo causât» 5. Revera applicatio virtutis angelicae ad aliquem locum qualitercumque, de qua loquitur S. *Thomas e*, non est nisi actualis operatio, quia virtus angelica non applicatur corpori, nisi aliquid operando 7.

Dixi *in loco connaturali,* quia satis expresse testatur S. *Thomas,* et docent cum eo thomistae, angelum in loco violento seu daemonem in inferno, in quo contra suam voluntatem collocatur et detinetur, esse per passionem, quatenus virtute supernaturali impeditur a sua naturali inclinatione et alligatur corpori noxio.

Corollarium. Ex hoc sequitur angelum, si nullibi transeunter operetur Vel patiatur, quamvis exsistat in rerum natura, nullibi esse tanquam in loco. «Hoc, ait *Angelicus,* non reputo inconveniens, quod angelus sine loco possit esse et non in loco, quando nullam operationem circa locum habet. Nec est inconveniens, ut tunc nusquam vel in nullo loco esse dicatur» 8.

1 *I p.*, q. 52. a. 1. Cfr. *Quodlib.* 1, a. 4.

2 Cajetanus, *In I p.,* q. 52,a. 1: Nazarius, *In I p.*, q. 52, a. i, controv. un., concl. 6; Sylvius, *In I p.,* q. 52, a. 1, concl. 3, *Quibus consideratis:* Satolli, *De. operat, div.,* Pag. 599

3 Ferrariensis, *Contra Gentiles,* lib. 3, c. 68; Salmanticences, *De angelis,* disp. 2, n. 45 sqq : Billuart, *De angelis,* diss. 2, a. i ad obj. i.

4 Cfr. S. Thomas, *Quodlib.* 1, a. 4.

5 *In I Sent*, dist. 37, q. 3, a. 1.

6 *I p.* q. 52. a. 1.

7 Cfr Banez., *In I p.,* q. 52, a. 1, *Secunda sententia;* et Philippus a SS. Trinitate, *De angelis,* disp 2, dub. 3,

8 *In I Sent*, dist 37, q, 3, a 1 ad 4 Cfr, Ferrariensis, *Contra Gentiles,* lib. 3, c 68, jj *Propter quod*

858. Scholion IV. *Resolvuntur breves quaestiones de loco angelorum.*

1) *Angeli non sunt ubique,* quidquid in contrarium dixerit *Durandus* 1, quia angelus non dicitur esse in loco ex eo, quod possit operari, sed ex eo, quod actu operetur. Angeli autem non operantur ubique 2.

2) *Angelus potest esse in loco indivisibili vel etiam divisibili, majori vel minori, ad arbitrium, intra sphaeram suae activitatis.* Ratio est, quia potest suam actionem exercere in puncto indivisibili vel in loco extenso. Ad rem S. *Thomas:* «Angelus est in uno loco tantum; sed ille locus potest esse divisibilis vel indivisibilis, aut magnus vel parvus, secundum quod operatio ejus immediate ad magnum vel parvum terminatur» 3.

Quousque se extendat sphaera activitatis angelicae, omnino nos latet. «Virtus... angeli, juxta S. *Thomam,* quia finita est, non se extendit ad omnia, sed ad aliquid unum determinatum»4; et, juxta *Banez,* «angelus de facto et secundum legem ordinariam mundo convenientem non est aut esse potest in toto mundo»5; sed hactenus nemo potuit determinare, quos habeat limites activitas angelorum.

3) *Angelus nequit naturaliter esse in pluribus locis adaequatis, nec in pluribus inadaequatis, ut plura sunt, sed potest esse in pluribus, in quantum constituunt unum,* a) Locus adaequatus exhaurit et adaequat totam virtutem angeli. Ergo non potest angelus esse in pluribus locis adaequatis. b) Angelus nequit plures operationes, ut plures sunt, simul elicere, nec plura simul operari, ut plura sunt, sed ad summum, ut unum sunt. Sic, cum plura intelligit vel movet, ea intelligit et movet, quatenus unum objectum constituunt. Ergo angelus nequit esse in pluribus locis inadaequatis, quatenus plura sunt, c) Angelus potest suam virtutem applicare ad plures partes etiam discontinuas objecti divisibilis intra sphaeram suae activitatis. Ergo potest esse in pluribus locis inadaequatis, quatenus constituunt unum. Unde nihil obstat, quominus angelus operetur et sit in quatuor angulis scholae, etiamsi non sit in locis intermediis 6.

4) *Plures angeli* a) *nequeunt esse simul in eodem loco producentes eumdem effectum, qua causae principales totales;* b) *bene tamen producentes diversos effectus, qua causae principales totales;* c) *vel etiam producentes eumdem effectum, qua causae principales partiales. Primum* patet, quia unus et idem effectus nequit produci a duabus causis secundis totalibus ejusdem ordinis, ut optime probant *Complutenses* 7. *Secundum* constat, quia nihil obstat, quominus duo angeli, qua causae totales, producant in uno corpore, unus motum localem et alter lucem. In hoc tamen casu essent quidem in uno loco materiali, sed in duobus formalibus. *Tertium* liquet, quia duae vel plures causae principales partiales saepe pro-

1 *In i Sent.,* dist. 37, part. 2.", q. 1, n. 26 sqq.
2 Cfr Philippus a SS. Trinitate, *De angelis,* disp. 2, dub. 5.
3 *In I Sent.,* dist. 37, q. 3, a. 2. Cfr. *I p.,* q. 53, a. 2.
1 *I p.,* q. 52, a. 2.
5 *In 1 p.,* q. 52, a. 2, conci. 1.
8 Cfr. Banez, *In I p.,* q. 52, a. 2, conci. 2 et 3.
7 *Physic.,* disp. 15, n. 31 sqq., et Complutenses abbreviat!, *Physic.,* disp. 15, n. 12 sqq. Cfr. S. Thomas, *I p.,* q. 52, a. 3.

ducunt eumdem effectum in rerum natura. Unde duo angeli possunt partialiter movere unum objectum, ac consequenter esse in eodem loco, ut causae partiales unius effectus.

5) *Angelus non -potest esse in essentia alterius angeli vel animae humanae tanquam in loco vel quasi in loco.* Rationem adsignat S. *Thomas* his verbis: «Esse intra aliquid est esse intra terminos ejus. Corpus autem habet terminos duplicis rationis, scilicet, quantitatis et essentiae; et ideo angelus operans intra terminos corporalis quantitatis, corpori illabitur; non autem ita, quod sit intra terminos essentiae suae, nec sicut pars, nec sicut virtus dans esse, quia esse est per creationem a Deo. Substantia autem spiritualis non habet terminos quantitatis, sed tantum essentiae, et ideo in ipsam non intrat, nisi ille, qui dat esse, scilicet, Deus creator, qui habet intrinsecam essentiae operationem» \

Potest quidem unus angelus alterum angelum et animam nostram illuminare, sed haec illuminatio non fit operando immediate intra essentiam alterius angeli vel animae nostrae, sed operando exterius per modum suggerentis 2.

Si *dicas* angelos olim portasse animam Lazari in sinum Abrahae 3,* et daemones quotidie conducere animas in infernum, respondendum est hoc fieri non per contactum angelorum vel daemonum ad animas humanas, sed per adsistentiam et comitatum, sicut homo ducit amicum in domum. E contra, cum angelus movet lapidem, operatur intra terminos quantitatis ejusdem

ARTICULUS IV

UTRUM ET QUOMODO ANGELI LOCALITER MOVEANTUR

859. Status quaestionis. Motus proprie dictus est transitus corporis de uno ad alium locum. Cum autem angeli careant corpore, nequeunt proprie ac rigorose moveri. Sed probavimus superius angelos esse in loco improprie et metaphorice per quantitatem virtutis, et quaerendum est, an moveantur saltem improprie, eo modo, quo sunt in loco.

Placita theologorum. Nonnulli philosophi negantes angelos esse in loco, et alii docentes eos esse ubique, inficiati sunt angelos localiter moveri. Sed contraria sententia est multo communior.

860. Thesis. **Angelus potest localiter moveri motu improprio.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Vidit Jacob in somnis scalam, *angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam* 5. Satan respondit Deo:

1 *In II Sent.,* dist. 8, q. un., a. 5 ad 3.
2 Cfr. S. Thomas. *In I Sent.,* dist. 37, q. 3, a. 3 ad 4.
3 *Luc.,* 16, 22.
1 Cfr. Philippus a SS. Trlnitaio, *De angelis,* disp. 2, dub. 8.
» *Gen* . 28, 12.

Circuivi terrant et ■*perambulavi eam* L Et Hierosolymis *angelus... Domini descendebat secundum tempus in piscinam* 2.

2) *Ex ratione,* a) Anima beata potest moveri localiter, ut patet ex descensu animae Christi ad inferos. Ergo a pari angelus potest moveri localiter 3.

b) Motus est transitus rei ab uno loco ad alium. Sed angelus potest transire ab uno loco in alium, quia, relicta operatione in uno loco, potest incipere operari in alio, atque ita successive esse in diversis locis. Ergo.

Corollarium I. Hic tamen motus, sicut et modus essendi angelorum in loco, non est motus localis proprie dictus, sed metaphoricus, quia efficitur per applicationem virtutis angelicae ad diversa loca, non per transitum quantitatis dimensivae4. Unde *Angelicus:* «Sicut esse in loco aequivoce convenit corpori et angelo, ita etiam et moveri secundum locum» 5.*

Coroll. II. Motus localis angeli consistit in diversa applicatione virtutis, qua successive et sine intermedia quiete, operatur in diversis locis. Si paulatim et per partes desinat operari in uno loco et incipiat successive sine interpolatione operari in alio, dicitur motus *continuus* ®. Si simul suspendat totam operationem in termino *a quo,* et statim incipiat operari in termino *ad quem,* vocatur motus *discretus.* Utroque modo moventur angeli, quia aliquando per partes deserunt unum locum et acquirunt alium, ac interdum totum locum simul dimittunt aliumque statim acquirunt 7.

Coroll. III. Angelus potest, si vult, transire motu discreto de uno loco ad alium, non transeundo per medium, quia potest suspendere operationem in uno loco et statim incipere operari in alio 8.

QUAESTIO XLI

DE INTELLECTU ET VOLUNTATE ANGELORUM

ARTICULUS I

UTRUM ANGELI SINT INTELLECTU ET VOLUNTATE PRAEDITI

861. Explicatis natura et numero angelorum, gradum facimus ad explicandum eorum facultates et actiones. Imprimis quaerimus, an angeli habeant intellectum et voluntatem.

1 *Job,* i, 7. Vide egregium commentarium hujus loci apud Joannem a Jesu Maria, *Paraphrasis in lib. Job,* c. 1, vv. 7 et 12.

2 *Joan.,* 5, 4.

3 Cfr. S. Thomas, *I p.,* q. 53, a. I, *Sed contra.*

4 Cfr. Philippus a SS. Trinitate, *De angelis,* disp. 3, dub. 1

5 *I P.* q. 53. a. I.

6 «Tunc est motus continuus, quando mobile per partes deserit terminum *a quo,* et per partes acquirit terminum *ad quem*». Salmanl., *De angelis,* disp. 3, n. 65.

7 Cfr. S. Thomas, *I p.,* q. 53, a. 1

8 Cfr. S. Thomas, *In I Sent.,* dist. 37, q. 4, a. 2.

862. Thesis. Angeli sunt intellectu et voluntate praediti. *(Est de fide.)*

Arg. 1) Scriptura testatur angelos videre Deum T Sed Deum videre non valent nisi intellectu. Ergo.

2) Angeli boni meruerunt gloriam aeternam, mali vero incurrerunt damnationem aeternam. Sed meritum non obtinetur nec damnatio incurritur nisi per actiones intellectus et voluntatis. Ergo.

3) Angeli sunt substantiae spirituales. Sed omnis substantia spiritualis est necessario praedita intellectu et voluntate. Ergo [2].

Corollarium. Angeli alicpjid cognoscunt et amant. Intellectus enim et voluntas, cum sint potentiae activae, nequeunt semper otiose manere. Quid angeli intelligant et ament, explicabitur inferius.

Scholion I. Angeli pollent intellectiva cognoscendi facultate, non sensitiva. Ratio est, quia facultas cognoscendi sensitiva residet in composito corporis et animae [3]. Angeli autem carent corpore. «Unde de viribus animae non possunt eis competere nisi intellectus et voluntas» [4].

Scholion II. *Intellectus angelicus non distinguitur in agentem et possibilem.* Ita S. *Thomas* [5]* contra *Scotum* [e]. Intellectus agens est, qui a rerum phantasmatibus educit species intelligibiles et sic objecta materialia facit intelligibilia in actu; et intellectus possibilis dicitur, qui recipit has species intelligibiles ac intelligit. Angeli autem non educunt species ab objectis materialibus, sed habent pro objecto connatural! quidditatem immaterialem actu cognoscibilem; et non recipiunt a rebus hujusmodi species, sed habent eas ab initio sibi congenitas. Ergo '.

Scholion III. *Intellectus et voluntas in angelis realiter distinguuntur ab essentia, ut fere communiter docent theologi contra Scotum et Durandum* [8].

1) *Pseudo-Dionysius* distinguit in angelis *essentiam, operationem* et *virtutem* [9].

2) Potentiae distinguuntur secundum diversitatem actuum. Essentia autem et facultates intellectivae angelorum habent actus realiter distinctos. Ergo. Prob. min. Actus essentiae angelorum est exsistentia, actus vero intellectus et voluntatis est operatio. Sed exsistentia et operatio realiter distinguuntur in angelis, ut infra videbimus. Ergo.

Imo probabilius est contra *Valentiam* [10] de potentia Dei absoluta creari non posse angelum, cujiis essentia et facultates intellectivae identificentur, quia non potest dari creatura, cujus exsistentia sit operatio [11].

1 *Matth.*, 18, 10.

2 Vide hanc rationem latius expositam supra, n. 260.

3 *I p.*, q. 77, aa. 5 et 8.

4 S. Thomas, *I p.*, q. 54, a. 5. Patres, qui non semel innuunt angelos sentire, ut S. Aug., *De civ. Dei*, lib. 8. c. 6 (.ML 41, 23!). intelligendi sunt per quamdam similitudinem, quatenus apprehensio large diditur sensus. Cfr. S. Thomas. *I p.*. q 54. a. 5. *rid ea vero quae.*

° */ P.*. q- 54. a. 4.

3 *In II Sent.*, dist. 3, q. 11.

' Quae in contrarium objicit Scotus, egregie solvit Valentia, *In I p.*, disp. 4, q. 5, P-

8 Scotus, *In II Seni.*, dist. t6, q. un.; Durandus, *In II Seni.*, dist. 3, q. 5.

° *De cael, hierarchia*, c. 11; MG 3, 284.

10 *In I p.*, disp 4, q 5, p 3

11 Cfr Suarez. *De angeli-.*, lib. 2, c. 11, 2; Complutensos. *I'liy.lii* . disp. 10, q. 4.

Scholion IV. *Intelligere angeli, quatenus directe significat operationem intellectus in concreto, non potest esse ejus substantia.* 1) Intelligere est actualitas potentiae. Sed substantia angeli, qui non est actus purus, nequit esse sua actualitas. Ergo. 2) «Si intelligere angeli esset ejus substantia, oporteret, quod intelligere angeli esset subsistens. Intelligere autem subsistens non potest esse nisi unum, sicut nec aliquod abstractum subsistens. Unde unius angeli substantia non distingueretur, neque a substantia Dei, quae est ipsum intelligere subsistens, neque a substantia alterius angeli». 3) «Si etiam angelus ipse esset suum intelligere, non possent esse gradus in intelligendo perfectius et minus perfecte, cum hoc contingat propter diversam participationem ipsius intelligere» [1].

ARTICULUS II

UTRUM ANGELI COGNOSCANT OBJECTA PER ALIQUAS SPECIES

863. Status quaestionis. Angelus cognoscit se ipsum, objecta spiritualia et objecta corporea seu sensibilia. Porro cognitio fit in quantum cognitum est in cognoscente per modum formae intellectus. Hinc quaeritur: 1) Utrum angeli apprehendant immediate omnia objecta, vel saltem cognoscant omnia in sua essentia, vel potius intelligant ea mediantibus speciebus; 2) casu quo indigeant speciebus, quomodo eas acquirant; 3) cujus conditionis sint species intellectuales angelorum.

864. I. a) *Angelus se ipsum cognoscit per suam substantiam sine specie impressa.* Ratio est, quia munus specierum est reddere objectum, actu intelligibile et unire illud intellectui. Sed substantia angeli, utpote spiritualis, est actu intelligibilis, ac sibimet intime praesens. Ergo [2].

Dices. Objectum intelligibile concurrit active ad intellectionem, ut profunde probant *Complutenses* [3]. Sed substantia angeli sine specie vicaria non potest concurrere active ad intellectionem propriam, quia substantia nunquam est immediate operativa. Ergo.

Resp.—Dist. min. Substantia angeli sine specie vicaria non potest concurrere active ad intellectionem propriam.ex se sola, conc.; quatenus in-, tentionaliter unitur intellectui et constituit cum eo unum principium operationis, neg. Dupliciter consideratur substantia angeli: *primo,* in se ipsa, quatenus est natura quaedam spiritualis, subjectum potentiarum et proprietatum: et hoc sensu non potest esse immediate operativa, ut bene probat S. *Thomas: secundo,* quatenus in ratione speciei intentionaliter unitur proprio intellectui, et cum eo facit principium totale intellectionis, et hoc sensu concurrit active ad intellectionem, quia complet intellectum et cum eo identificatur intentionaliter [4].

b) *Angelus cognoscit etiam Deum quodammodo per suam essentiam,* quia, ut ait S. *Thomas,* «imago Dei est in ipsa natura angeli impressa», et idcirco «angelus Deum cognoscit, in quantum est similitudo

[1] S. Thomas, *I p.,* q. 54, a. I.

[2] S. Thomas, *I p.,* q. 56,a. I. Cfr. Joannes Baohonus, *In II Seni.,* dist. 5, q 1, a. 4.

[3] *De anima,* disp. 18, n. 62 sqq.

[4] Cfr. Billuart, *De angelis,* diss. 3, a. 1, § 1.

Dei» [1] non quidem intuitive, sed eo modo, quo nos cognoscimus eum ex creaturis.

II. *Angeli indigent speciebus intelligibilibus ad cognoscendum alias creaturas.* Cum intellectus angelicus sit pura potentia, indiget, ut informetur fecundeturque per intimam praesentiam objecti [2]. Creaturae autem, excepta propria angeli substantia, nequeunt esse intime praesentes intellectui angelico nisi per speciem vicariam, nec essentia angeli intelligentis, quae est determinata ad genus et ad speciem, potest repraesentare alia a se. Ergo [3].

III. *Species angelorum non sunt acceptae a rebus sensibilibus neque a rebus immaterialibus, sed a Deo inditae ab initio creationis eorum.*

1) *Non sunt acceptae a rebus sensibilibus* [4]. S. *Augustinus* docet res fuisse prius a Deo conditas in cogitatione angelorum quam in se ipsis [5]. Ergo species rerum a Deo inditae sunt angelis, antequam res essent sensibiles. Ratio hujus doctrinae est. quia angeli carent potentiis sensitivis et intellectu agente, ut ex rebus sensibilibus efformare valeant phantasmata et exinde eruere species intelligibiles.

2) *Non sunt acceptae a rebus immaterialibus.* Quia angeli carent intellectu agente, quo active agant in objecta immaterialia, eaque sibi uniant in ratione speciei intelligibilis.

3) *Species angelicae sunt a Deo inditae in actu creationis.* Angelus enim lapsus dicitur *plenus sapientia et perfectus decore... in die, qua conditus est* [6]. Hoc suadet ratio. Intellectus enim angelicus est medius inter intellectum divinum et humanum. Intellectus divinus est in omnimoda actualitate; intellectus humanus in omnimoda potentialitate. Ergo oportet intellectum angelicum esse partim in actu partim in potentia, scilicet, actuatum in actu primo per species a Deo acceptas, et in potentia ad actum secundum [7].

IV. *Species intelligibiles angelis a Deo in creatione inditae non videntur esse in rigore proprietates ab angelorum essentia per naturalem resultantiam emanantes* [8]. Non enim sunt determinatae *ab intrinseco* ad

1 *I p.*, q. 56, a. 3.

2 Cfr. Complutenses, *De anima,* disp. 18, n. 9 sqq.

3 Joannes Baohonus, *In II Sent.,* dist. 6, q. I, a. 4, contradicit huic doctrinae, et defendit essentiam angeli posse «esse speculum repraesentativum omnium creaturarum cognoscibilium ab angelo, quidquid sit de facto». Argumentum tamen S. Thomae, *I p.,* q. 55, a. i, quo probatur essentiam angeli non comprehendere in se nec posse repraesentare omnia, quia est «essentia determinata ad genus et ad speciem», videtur omnino convincens.

4 Scotus, *In II Sent.,* dist. 3, q. ult., *Respondeo,* docet angelos posse accipere species a rebus materialibus.

5 *De Gen ad Litt.,* lib. 2, c. 8; ML 34, 269; lib. 4, c. 24; ML 34, 313: et lib. 5, c. 4; ML 34. 325.

6 *Ezech.,* 28, 12-13.

7 Cfr. Vorrillong, *In II Sent.,* dist. 3, a. 2, q. 3.

8 Ita docent Ferrariensis. *Contra Gentiles,* lib. 2, c. 98. *ad secundi dubii evidentiam*· Molina, *In I p*, q. 55, a. 2, disp. 2, m. 2; Suarez, *De angelis,* lib. 2, c. 7; Salmantioenses, *De angelis,* disp. 5. n. 47; Philippus a SS. Trinitate, *De angelis,* disp. 4, dub ◊; contra Capreolum, *In II Sent*, dist 3, q 2, a 3, § 3, ad arg. Aureoli; Banez, *In I p.,* q 55, n. 2, et alios.

conditionem naturae propriae. Unde si alius mundus creatus fuisset, species angelicae distinctae fuissent; et angeli, sicut diximus superius, non possent alia a se cognoscere per suam substantiam.

V. *Angeli superiores intelligunt res per universaliores et pauciores species quam angeli inferiores* U Ratio est obvia. Quia, universaliter loquendo, facultas intellectualis, quo fuerit potentior ac Deo propinquior, eo intelligit per species universaliores et pauciores, sicut intellectus perfectior in paucis et universalibus principiis videt conclusiones. Sed angeli superiores habent intellectum potentiorem quam inferiores. Ergo. Unde Deus omnia intelligit per suam essentiam; angeli superiores cognoscunt res per universales et paucas species; angeli inferiores per plures species secundum ordinem dignitatis; et homines per multiplices species a rebus acceptas.

ARTICULUS III

DE OBJECTO COGNITIONIS ANGELICAE

i

865. Quaeritur hic,, quid angeli cognoscant sive de rebus spiritualibus sive de materialibus.

I. *Angeli cognoscunt se ipsos et Deum per suam substantiam.* Hoc patet ex his, quae diximus supra de medio cognitionis angelicae.

II. *Quilibet angelus cognoscit omnes alios angelos.* Certum est. Quia

1) Quilibet angelus loquitur cum aliis, ut postea dicetur.

2) Angeli sunt concives unius reipublicae et societatis. Societas autem supponit mutuam membrorum cognitionem.

Unus autem angelus cognoscit alios angelos, non per essentiam angeli cognoscentis, neque per substantiam angeli cogniti tanquam per speciem intclligibilem, sed sicut alias res creatas per species in creatione a Deo impressas. Quia essentia angeli cognoscentis, utpote determinata ad unam speciem, non potest repraesentare alias naturas; et substantia angeli cogniti, cum habeat esse separatum ab aliis, non potest immediate uniri intellectui cognoscentis per modum formae 2.

III. *Quilibet angelus comprehendit se et alios angelos inferiores resque omnes hujus universi.* Quia cognitio angeli adaequat totam sui rerumque omnium hujus universi cognoscibilitatem intrinsecam.

Num comprehendat angelos superiores, disputatur inter theologos.

Affirmant *Banez, Salmanticenses* 3 et alii. In eo fundantur, quod angeli sunt cognoscitivi et cognoscibiles ratione immaterialitatis. In ratione autem immaterialitatis omnes conveniunt. Ergo sese mutuo comprehendunt.

Negant *Suarez, Billuart*4 et alii. Ratio est, quia angelus inferior non

1 Ita pseudo-Dionysius, *De cael, hierarchia,* c. 7; MG 3, 211, et c. 12; MG 3, 292; S. Thomas, *I p.,* q. 55, a. 3; Banez, *In I p.,* q. 55, a. 3; Salmanticenses, *De angelis,* disp. 5. n. 79; contra Scotum, *In II Sent.,* disp. 3, q. 10, n. 7 sqq.

2 Cfr. S. Thomas, *Contra Gentiles,* lib. 2, c. 98.

3 Banez, *In I p.,* q. 56, a. 2, dub. 2; Salmanticenses, *De angelis,* disp. 6, n. 64.

4 Suarez, *Xletaph.,* disp. 35, sect 4, n 4; Billuart, *De angelis,* diss. 3, a. 3, § 4

potest cognoscere superiorem, quantum cognoscibilis est. «Cognoscit igitur, ait S. *Thomas,* substantia separata inferior superiorem secundum modum substantiae cognoscentis, non secundum modum substantiae cognitae, sed inferiori modo» L Ergo angelus inferior non potest comprehendere superiorem.

Utraque sententia est probabilis, sed negativa magis mihi probatur.

866. IV. *Angeli cognoscunt res materiales.* 1) Quidquid facit virtus inferior, a fortiori facit superior. Sed intellectus hominis, qui est inferior intellectu angelico, cognoscit res materiales. Ergo multo magis intellectus angeli.

2) «Talis est ordo in rebus, quod superiora in entibus sunt perfectiora inferioribus, et quod in inferioribus continetur dcficientcr, et partialiter, et multipliciter, in superioribus continetur eminenter, et per quamdam totalitatem et simplicitatem. Et ideo in Deo, sicut in summo rerum vertice, omnia supersubstantialiter praeexsistunt secundum ipsum suum simplex esse... Angeli autem inter caeteras creaturas sunt Deo propinquiores et similiores. Unde et plura participant ex bonitate divina... Sic igitur omnia materialia in ipsis angelis praeexsistunt... Omne autem, quod est in alio, est in eo per modum ejus, in quo est. Angeli autem secundum suam naturam sunt intellectuales. Et ideo, sicut Deus per suam essentiam materialia cognoscit, ita angeli ea cognoscunt per hoc, quod sunt in eis per suas intelligibiles species» 2.

V. *Angeli cognoscunt singularia materialia* 3.4

Arg. 1) Legimus in Scriptura: *Omnes sunt administratorii spiritus* . *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis* 5.* Administratio autem et custodia sunt de singularibus et supponunt eorum cognitionem.

2) Homo cognoscit singularia materialia. Ergo a fortiori angelus, qui est superior homine e.

Et quidem angelus cognoscit individua per eamdem speciem, qua cognoscit naturam communem, ut docent S. *Thomas* 7 et ejus discipuli communiter8 contra *Scotum*9. Ratio est, quia Deus, habens in se omnium rerum ideas, impressit earum species mentibus angelicis, et dein res in esse produxit. Unde species angelicae sunt participationes divinorum exemplarium seu rationum idealium. Sed divina exemplaria non solum repraesentant species, sed etiam individua, et rationes ideales Dei

1 *Contra Gentiles,* lib. 2, c. 98.

2 S. Thomas, *I p.,* q. 57, a. 1.

3 Videtur esse certum de fide contra Averroem, *Metaphysic.,* 12, text. 51, si loquamur de cognitione aliquorum singularium.

4 *Hebr.,* 1, 14.

4 *Ps.* 90, 11.

6 Cfr S. Thomas, *Contra Gentiles,* lib. 2, c. 100.

7 *I P.* q. 57, a. 2 *et Contra Gentiles,* lib. 2, c. 100.

8 Cfr Capreolus, *In II Sent.,* dist. 3, q. 2, a. 3 ad arg. 1 contra 8 conci.; Banez., *I p.,* q. 57. a ' Suarez, *De angelis,* lib 2, c. 6, n. 22; Valentia. *In I p.,* disp. 4. q. 8. P .:. Salmanticenses, *De angelis,* disp. 7, n. 17; Philippus a SS. Trinitate, *De angelis,* disp 5, dub 2.

9 *In II Sent.,* dist. 3, q. 11, n. 11.

efficiunt res, non solum quoad formam, sed etiam quoad materiam et conditiones individuales. Ergo species in mente angelica exsistentes repraesentant, non solum naturam specificam, sed etiam individuam rerum.

Cum *A ristoteles* 1 ait sensum esse singularium, rationem vero universalium, loquitur de intellectu nostro, qui non cognoscit res nisi abstrahendo a conditionibus materialibus et efformando prius universale. Sed hic modus non convenit angelis.

867. VI. *Angeli non possunt viribus naturae certo cognoscere lutura contingentia et libera.*

Nota, t) Non est dubium, quin angeli possint naturaliter cognoscere futura necessaria, ut crastinum ortum solft>, quia cognoscunt eorum causas necessarias.

2) Possunt etiam conjecturaliter cognoscere futura, quae, ut plurimum, ex causis contingentibus eveniunt, ut abundantiam messis ex statu camporum.

j) Negamus angelis naturalem et certam cognitionem de futuris contingentibus ac liberis.

Arg. 1) S. Scriptura docet futurorum liberorum cognitionem esse signum divinitatis: *Annuntiate, quae ventura sunt in juturum, et sciemus quia dii estis vos 2*.

2) S. *Joannes Chrysostomus:* «Certa praedictio futurorum immortalitatis dumtaxat Dei opus est» 3.

3). Angeli nequeunt naturaliter futura libera cognoscere in se ipsis, neque in suis causis. Ergo nullo modo. *Non in se ipsis,* quia, cum futura libera nondum habeant exsistentiam exercitam, nequeunt per se ipsa esse praesentia intellectui angelico. *Non in suis causis,* quia decretum Dei, quod est causa futurorum liberorum, ignotum est angelis.

868. VII. *Angeli non possunt viribus naturae certo cognoscere cogitationes cordis humani vel angelorum, antequam ad illos dirigantur. (Contra Ockam 'l).*

Nota, i) Nomine *cogitationum cordium* intelligimus actus immanentes liberos intellectus et voluntatis. Sicut enim *cor* significat principium seu fontem vitae naturalis, ita in Scriptura per metaphoram *cor* dicitur principium totale vitae moralis, et per cogitationes cordium denotantur actus immanentes liberi intellectus et voluntatis °.

•2) Hae cogitationes cordium possunt in aliquo signo exteriori vel etiam in suis effectibus ab angelis cognosci. Innotescunt etiam cuilibet angelo, quando ipsi diriguntur vel manifestantur.

Arg. 1) S. Scriptura soli Deo tribuit cognitionem cordium: *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum* ®.

2) S. *Athanasius* ait: «Praescius rerum et cordium cognitor solus

1 *Lib. Post.,* lib. i, c. 31.
2 *Is.,* 41. 23.
3 *In Joan.,* hom. 9, n. 2; MG 59, 122.
1 *In II Sent.,* q. 20.
6 Cfr. *Act.,* 8, 21.
° *III Reg.,* 8, 39.

est Deus; nec enim vel angeli cordis abscondita vel futura videre possunt» 1.

3) «Voluntas rationalis creaturae soli Deo subjacet, et ipse solus in eam operari potest, qui est principale ejus objectum, et ultimus finis... Et ideo ea, quae ex voluntate sola dependent, vel quae in voluntate sola sunt, soli Deo sunt nota. Manifestum est autem, quod ex sola voluntate dependet, quod aliquis actu aliqua consideret; quia, cum aliquis habet habitum scientiae vel species intelligibiles in eo exsistentes, utitur eis, cum vult. Et ideo dixit Apostolus, *I Cor.,* 2, 11, quod, *quae sunt hominis, nemo novit, nisi spiri-tus hominis, qui in ipso est»* 2.

Ratio hujus argumentationis est, quia angelorum cognitio versatur circa ea, quae pertinent ad ordinem universi vel cum eo connexionem habent. Sed cogitationes cordium non pertinent ad ordinem universi nec habent connexionem cum eo, sed sunt extra ordinem causarum naturalium, dependentes tantummodo a voluntate creata, ut a causa secunda, et a Deo, ut a causa prima. Ergo 3.

869. VIII. *Angeli naturaliter non cognoscunt mysteria gratiae.*

Ratio est, quia si angelus viribus naturae nequit cognoscere cogitationes cordium creaturae rationalis, multo minus potest cognoscere ea, quae dependent ex sola Dei voluntate, ut sunt mysteria gratiae. Unde *Apostolus* ait: *Quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei* 4.

Dixi *naturaliter.* Nam angeli beati vident in Verbo mysteria gratiae, «non quidem omnia nec aequaliter omnes, sed secundum quod Deus voluerit eis revelare, secundum illud Apostoli, */ Cor.,* 2, 10, *nobis autem revelavit Deus per spiritum suum.* Ita tamen, quod superiores angeli perspicacius divinam sapientiam contemplantes, plura mysteria et altiora in ipsa Dei visione cognoscunt, quae inferioribus manifestant, cos illuminando. Et horum etiam mysteriorum, quaedam a principio suae creationis cognoverunt, quaedam vero postmodum. secundum quod eorum officiis congruit, edocentur»5.

ARTICULUS IV

DE MODO COGNITIONIS ANGELICAE

870. *Sensus quaestionis* patebit ex simplici materiae expositione.

I. *Angeli nunquam sunt in pura potentia ad ea, quae naturaliter cognoscere possunt, bene tamen ad ea, quae sola revelatione cognoscunt.*

Arg. 1) Angeli a principio suae creationis acceperunt a Deo species intentionales omnium rerum, quae naturaliter cognoscunt, et per eas constituuntur in actu primo ad intellectionem. Ergo respectu eorum non sunt in pura potentia 6.

1 *Ad Antioch* q. 99; MG 28, 659.
2 S. Thomas,' *I p.,* q. 57, a.· 4.
3 Cfr Salmantioensos, *De angelis,* disp. 7, nn. 77-78; et Billuart, *De angelis,* diss. 3, a 2, § 3.
4 */ Cor., 2,* 11.
6 S. Thomas, / />., q. 57, a 5.
" Cfr S. Thomas, / />., q. 58, a 1.

2) Angeli non receperunt a principio species eorum, quae sola revelatione cognoscunt. Ergo respectu eorum sunt aliquando in pura potentia.

II. *Angeli non contemplantur semper actu secundo omnia, quae naturaliter cognoscuntl, bene tamen se ipsos et omnia, quae vident in Verbo.*

Arg. 1) Ratio primae partis desumenda est ex limitatione virtutis intellectivae angelorum, quae, utpote finita, habet terminum ex parte objectorum. Possunt tamen angeli suam virtutem, prout ipsis libuerit, nunc uni nunc alteri objecto applicare.

Crediderim tamen angelos nunquam ab actuali intellectione alicujus objecti naturalis cessare. Unde S. *Thomas* docet in angelis esse quamdam intclligentiarum successionem, in qua non succedit actus potentiae, sed actus actui 1.

2) Quilibet tamen angelus se ipsum semper et necessario intelligit. Nam substantia propria, per quam angelus se ipsum intelligit, est semper sibi praesens, informans mentem in esse intelligibili. Ergo angelus se ipsum semper cognoscit. Ad rem S. *Thomas:* «Mens angeli semper se actualiter intelligit» 3.

3) Verbum denique et ea, quae vident angeli in eo, contemplantur semper sine interruptione. «In hac enim visione eorum beatitudo consistit. Beatitudo autem non consistit in habitu, sed in actu» 4.*

III. *Angeli non· possunt plura, ui plura, simul cognoscere, bene tamen plura per modum unius.*

Nota. Plura, ut plura, dicuntur cognosci, quando intelliguntur seorsim per diversas species et quatenus nullum habent ordinem ad invicem, ut lapides et trabes quoad suam naturam. Plura cognoscuntur per modum unius, quando plura entia, in se quidem distincta, considerantur ut constituentia unum totum, ut cum lapides et trahes considerantur ut constituentes domum.

Arg. 1) Angelus non potest simul elicere plures intellectiones, quia una potentia non potest actuari duplici simul operatione. Sed per unicam operationem nequeunt plura, ut plura, simul intelligi, quia, sicut ad unitatem motus requiritur unitas termini, ita ad unitatem operationis requiritur imitas objecti. Ergo.

2) Nihil tamen impedit,· quominus plura, ut ordinata ad unum, simul cognoscantur, quia, quatenus constituunt unum totale, non sunt plura nisi materialiter, sed formaliter sunt unum et sub una specie cognoscuntur 6.

IV. *Angelus non intelligit discurrendo formaliter.*

1 Ita S. Thomas, *I p.,* q. 58, a. 1; Ferrariensis, *Contra Gentiles,* lib. 2, c. 101; Molina, *In I p.,* q. 58, a. i; Francisons de Lugo, *De angelis,* disp. 14, c. I, et alii.

2 *Contra Gentiles,* lib. 2. c. 101.

3 *De veritate,* q. 8, a. 14 ad 6.—Angelicum sequuntur Capreolus, *In II Sent.,* dist. 3, q. 2, a. 3 ad arg. 2, Aureoli, contra 9 conci., et alii.

1 S. Thomas, *I p.,* q. 58, a. 1.

3 Est expressa sententia S. Thomae, *I p.,* q. 58, a. 2. Et Angelicum Doctorem sequuntur Capreolus, *In II Sent.,* dist. 3, q. 2, conci. 9; Cajetanus, *In I p.,* q. 58, a. 2; Salmanticenses. *De angelis,* disp 8, n. 2, et generatim thomistae. E contra, angelum posse plura, ut plura, simul cognoscere tenent Bachonus, *In II Sent.,* dist. 10, a. 3: Molina, *In I p.,* q. 58, a. 2, disp. t; Suarez, *De angelis,* lib. 2, c. 37.

Nota. Ad discursum formalem requiritur, ut unum cognoscatur ex alio prius cognito, ita ut cognitio unius prius habita, prioritate saltem naturae, sit causa cognoscendi aliud. Angeli cognoscunt quidem unum post aliud (discursus improprius), vel etiam unum in alio, ut effectum in causa, conclusiones in principio .(discursus virtualis), sed non possunt ex cognitione unius educere cognitionem alterius, adeo ut uno actu intelligat principia et alio actu conclusiones

Arg. Angeli, visis principiis, simplici intuitu vident quidquid in eis continetur, scilicet, conclusiones, quae ex eis deduci possunt, quin duplici actu indigeant ad cognoscenda principia et conclusiones. Ergo angeli non intelligunt discurrendo formaliter.

Hoc argumentum valet etiam loquendo de angelorum cognitione circa objecta supernaturalia, quia angeli simplici intuitu cognoscunt, quidquid intelligunt circa naturalia et supernaturalia.

V. *Angeli non intelligunt componendo aut dividendo* 2.

Arg. Angelus, cum sit purum et clarissimum speculum, vix apprehendit objectum, statim inspicit simul omnia, quae ipsi conveniunt. Eadem quippe intellectione, qua cognoscit principia, videt conclusiones in eo contentas. Ergo angelus non intelligit componendo et dividendo. Ad rem S. *Thomas:* «Angelus, sicut non intelligit ratiocinando, ita non intelligit componendo et dividendo» 3.

VI. *In intellectu boni angeli nullatenus potest esse talsii'as, bene tamen per accidens in intellectu angeli mali.*

Angeli tum boni tum mali simplici intuitu vident omnes res naturales et earum consequentias, et circa eas nunquam falluntur. Cognoscendo quippe quidditatem rei, certo cognoscunt ea, quae naturaliter conveniunt rei vel ab ea removentur, et idcirco per se nunquam falluntur.

Sed quidditas rei non est principium cognoscendi supernaturalia, et ideo angeli boni, «habentes rectam voluntatem, per cognitionem quidditatis rei non judicant de his, quae supernaturaliter ad rem pertinent, nisi salva ordinatione divina. Unde in eis non potest esse falsitas aut error. Daemones vero, per voluntatem perversam, subducentes intellectum a divina sapientia, absolute interdum de rebus judicant secundum naturalem conditionem, et in his. quae naturaliter ad rem pertinent, non decipiuntur; sed decipi possunt quantum ad ea. quae supernaturalia

1 Ita docent S. Thomas, *I p.,* q. 58. a. 3. Cfr. *Contra Gentiles,* lib. 1. c. 57; Cajetanus, *In I p.,* q. 58, a. 3; Salmant., *De angelis, disp.* 8, n. 29; Philippus a SS. Trinitate, *De angelis,* disp. 6, dub. 3.

Alii, e contra, dixerunt angelos formaliter discurrere circa omnia etiam naturalia Ita Scotus, *In II Sent.,* dist. 7, q. un : Ariminensis, *In II Sent.,* dist. 7, q. 5, a. 2; Biel, *In II Sent.,* dist. 3, q. 2, a. 2, conci. 8.

Alii, denique, censent angelos posse discurrere circa ea, quae evidenter non cognoscunt, ut sunt futura contingentia, cogitationes cordium et mysteria gratiae. Ita Suarez, *De angelis,* lib. 2, c. 33, n. 18; et Franc, de Lugo, *De angelis,* disp. 14, c. 3.

2 Ita S. Thomas, *I p.,* q. 58, a. 4, et thomistae gener.ttim contra Scotum, *In II Sent.,* dist. 7, q. 1, et alios. Alii distinguunt inter objecta, quae evidenter cognoscit angelus vel non. Ita Suarez, *De angelis,* lib. 2, c. 32, n. 17. Alii docent angelos componere et dividere, quando per species realiter distinctas cognoscunt subjectum et praedicatum vel alia extrema Ita Molina. *In I p.,* q. 58, a. 4; et Franoloous do Lugo, *De angelis,* disp. 15, C. 4, *Dico* 2.°

3 *I p.* q. 58, a 4

sunt. Sicut si considerans hominem mortuum, judicet, eum non resurrecturum; et si videns hominem Christum, judicet eum non esse Deum»[1].

VII. *In angelis distinguitur cognitio matutina et vespertina*[2]. *Cognitio matutina* est, qua angeli vident res secundum quod sunt in Verbo[3]; *vespertina* est, qua «angeli cognoscunt esse rerum, quod habent in propria natura per formas innatas»[4]. «Sicut autem in die consueto mane est principium diei, vespere autem terminus; ita cognitio ipsius primordialis esse rerum (in Verbo) dicitur cognitio matutina... Cognitio autem ipsius esse rei creatae, secundum quod in propria natura consistit, dicitur cognitio vespertina»[5].

ARTICULUS V

DE LIBERTATE ANGELORUM

871. Quaerimus hic, an angeli habeant liberum arbitrium et circa quae libere operentur.

Thesis **I. Certum est de fide in angelis dari liberum arbitrium.**

Arg. 1) Juxta S. Scripturam, angeli acceperunt praeceptum implendum et fuerunt capaces sanctitatis ac peccati. Ergo angeli sunt liberi. Unde *S. Justinus* ait: «Liberos ad justitiae observationem angelos et homines creavit»[6].

2) Ratio, quam innuit S. *Thomas*[7], perspicua est. Angelus enim diligit finem propter se naturaliter et media propter finem secundum eorum conditionem. Media, quae sunt necessaria ad finem naturaliter amatum, necessario amantur ab angelo. Unde angelus naturaliter amans suam beatitudinem, necessario vult vivere et intelligere. Media, quae non habent connexionem necessariam cum fine naturaliter amato, libere amantur vel relinquuntur ab angelo. Consequenter potest angelus esse hic vel illuc, movere hoc vel illud.

872. Thesis **II. Angelus se ipsum diligit necessario quoad exercitium, ita ut ab amore sui cessare non possit.**

Nota. Amor dicitur necessarius 1) *quoad specificationem,* quando agens potest ab amando cessare, sed nequit odisse objectum; 2) *quoad exercitium,* quando agens non potest cessare ab actu amoris.

1 *If>*. q- 58, a. 5.
2 Haec distinctio introducta est a S. Augustino, *De Gen. ad litt.,* lib. 4, c. 23; ML 34, 312; et *De civit. Dei,* lib. 11, c. 7; ML 41, 322.
3 Hac cognitione angeli vident res, non solum secundum statum, quem habent in Verbo, ut voluit Vazquez, *In I p.,* disp. 51, c. 3, sed etiam secundum earum proprias formalitates in Verbo. Cfr. Franciscus de Lugo.Pe *angelis,* disp. 15, c. 2, n. 18.
4 S. Thomas, *I p.,* q. 58, a. 6.
5 S. Thomas, *I p.,* q. 58, a. 6.
6 *Dialog, cum Tryph.,* c. 102; MG 6, 715.
7 *I p.,* q. 60, a. 2.

Certum est angelum necessario se amare quoad specificationem, quia non potest se odisse. Quaestio est de necessitate quoad exercitium [1].

Arg. Angelus necessario et semper in actu secundo cognoscit se ipsum. Sed bonum actu intellectum necessario quoad exercitium amatur. Ergo angelus necessario, quoad exercitium, se ipsum amat.

873. Thesis **III. Angelus necessario quoad exercitium diligit Deum.**

Arg. 1) Angelus non potest se ipsum continuo amare, quin simul diligat Deum, a quo ipse dependet.

2) Angelus per se ipsum cognoscit Deum necessario quoad exercitium. Ergo eodem modo amat ipsum.

Ipsi daemones, licet odio prosequantur Deum, ut auctorem supematuralem et peccati ultorem, amant tamen eum, ut auctorem naturalem [2].

874. Thesis **IV. Voluntas angeli est ex natura sua immutabilis in electionibus plena cognitione ac deliberatione factis.**

Nota. In utramque partem dividuntur theologi in hac materia.

Affirmant S. *Thomas, Alensis, Gandavensis, Capreolus, Cajetanus, Ferrariensis, Banez, Salmanticenses,* et thomistae communiter [3], quorum sententia magis mihi probatur.

Negant S. *Bonaveniura, Scoius, Durandus, Ariminensis, Biel, Molina, Vazquez, Valentia, Suarez* et alii [4].

Arg. 1) *Ex auctoritate S. Thomae.* «Et ideo, ait *Angelicus,* si consideretur (angelus) ante adhaesionem, potest libere adhaerere et huic et opposito, in his, scilicet, quae non naturaliter vult; sed postquam jam adhaesit, immobiliter adhaeret»[5].

2) *Ex ratione.* Intellectus angelicus, simplici intuitu, sine discursu, comprehendit principia et conclusiones, finem et media, atque idcirco apprehendit immobiliter objectum. Sed voluntatis electio proportionatur apprehensioni intellectus et ab ea mensuratur. Ergo voluntas angeli immobiliter adhaeret objecto plena cognitione ac deliberatione electo.

1 Angelum diligere sc ipsum necessario quoad exercitium, defendunt Banez, *In I p.,* q. 6o, a. 3: Billuart, *De angelis,* diss. 3, a. 4. Negant Ferràriensis, *Contra Gentiles,* lib. 3, c. 109, §§ *Ad evidentiam et Circa creata; Vazquez, In I p.,* q. 60, a. 3, *Notationes.* Distinguunt Suarez, *De angelis,* lib. 3, c. 4; et Franoisous de Lugo, *De angelis,* disp. 17, c. 1, dicentes angelos sese diligere necessario quoad exercitium amore quodam confuso, sed non actu particulari amoris.

2 Cfr. Billuart, *De angelis,* diss. 3, c. 4.

3 S. Thomas, *I p.,* q. 64, a. 2; et *De malo,* q. 16, a. 5; Alensis, *III p.,* q. 1; membro 2; et *IV p.,* q. 12, membro 2, a. I, § 1; Gandavensis, *Summa,* a. 45, q. 3; et *Quodlib.* 8, q. n; Capreolus, *In II Sent.,* dist. 7, q. I, a. I, conci. 2, et ad arg. contra illam; Cajetanus, *In I p.,* q. 64. a. 2; Ferràriensis, *Contra Gentiles,* lib. 4, c. 95, *Advertendum;* Banez, *In I p.,* q. 64, a. 2; Salmanticenses, *De angelis,* disp. 13, n. 6 sqq.

4 S. Bonaveniura, *In II Sent.,* dist. 7, p. 1, a. I, q. i; Sootus, *In II Sent.,* dist. 7, q. un.; Durandus, *In II Sent.,* dist. 7, q. 2; Ariminensis, *In II Sent.,* dist. 7, q. 1, a. 2; Biel, *In II Sent.,* dist. 7; Molina, *In I p.,* q. 64, a. 2, disp. 2; Vazquez. *In I p.,* disp. 239; Valentia, *In I p.,* disp. 4, q 15, p. 2; Suarez, *De angelis,* lib. 3, c. to.

5 *I p.,* q. 64, a. 2.

QUAESTIO XLII

DE GRATIA ET GLORIA ANGELORUM

S. *Th., I p., q. 62.*

ARTICULUS I

UTRUM ANGELI CREATI FUERINT IN GRATIA SANCTIFICANTE

875. Principium I. Angelos, *quantum ad naturalia,* fuisse a principio suae creationis perfectos, nemo est qui dubitet.

Imo, angelos fuisse conditos in beatitudine naturali, expresse docet S. *Thomas* et suadet ratio. Angeli enim habuerunt a principio perfectam Dei, ut auctoris naturalis, cognitionem et dilectionem sine ulla suppositione miseriae futurae, in qua consistit ultima perfectio et beatitudo naturalis angelorum [1].

Haec tamen beatitudo naturalis angelorum non fuit absoluta, sed secundum quid, et idcirco non fuit inamissibilis, atque de facto amissa fuit ab angelis reprobis per peccatum, quia cum legem supernaturalem transgressi sunt, offenderunt indirecte Deum, ut auctorem naturae, et ab eo recesserunt [2].

Principium II. *Angeli non fuerunt creati in possessione beatitudinis supernaturalis.* «De ratione beatitudinis est stabilitas seu confirmatio in bono. Sed angeli non statim ut creati sunt, fuerunt confirmati in bono, ut casus quorumdam ostendit. Non ergo angeli in sua creatione fuerunt beati» [3].

Principium III. *Angeli certe evecti sunt a Deo ad ordinem 'supernaturalem.*

1) Hominibus saepe promittuntur in S. Scriptura tanquam finis supernaturalis ea bona, quibus angeli fruuntur. Nam justi post resurrectionem *erunt sicut angeli Dei in caelo* [4]. *Aequales enim angelis sunt, et filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis* [5]. Unde *angeli eorum in caelis semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est* [6]. Et saepe vocantur *sancti* [7], *filii Dei* [8], etc., quibus verbis ordo supernaturalis certe significatur.

2) S. *Basilius* ait ad rem: «Principatus enim et potestates, et reliquae hujusmodi creaturae... in eo a Spiritu Sancto differunt, quod hujus natura sanctitas est, illis vero ex participatione inest sanctimonia» [9]. Et S. *Joannes Damascenus:* «Aliunde, quam a natura sua, sanctitatem habent (angeli), nimirum a Spiritu Sancto» [10].

1 Cfr. Walbertus a Sta. Aldegunda. *De angelis,* q. 3, a. 3.
2 Salmanticenses, *De angelis,* q. 62, a. I, *Animadversiones.*
3 S. Thomas, *I p.,* q. 62, a. I. «Sed contra».
4 *Matth.,* 22, 30.
5 *Luc.,* 20, 36.
6 *Matth.,* 18, 10.
7 *Tob.,* 10, 11,
8 *Job,* 1, 6.
9 *Adv. Eunom.,* lib. 3, n. 2; MG 29, 660.
10 *De fide orth.,* lib. 2, c. 3; MG 94, 869.

Unde omnes angeli, etiam daemones, fuerunt aliquando Deo grati.

876. **Status quaestionis.** His principiis suppositis, movetur quaestio, num angeli acceperint hanc gratiam sanctificantem in ipsa creatione simul cum natura, vel post aliquot instantia, quando actibus positivis se ad illam praeparatunt.

Opiniones, i) Plures antiqui defenderunt angelos fuisse creatos sine gratia sanctificante, ita *Hugo a S. Victore, Altisiodorensis, Alensis, S. Bonavenlura* et alii 1.

2) Alii inulto communius docent angelos fuisse creatos in gratia sanctificante. Ita S. *Alberttis M., S. Thomas, Ariminensis, Durandus, Capreolus, Cajetanus, Sotus,* etc. 2.

877. Thesis. **Omnes angeli conditi sunt a Deo in gratia sanctificante.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* In sacris litteris haec legimus: *Quomodo cecidisti de caelo, Lucijer, qui mane* (a prima luce) *oriebaris? 3.—Perfectus in viis tuis a die conditionis tuae, donec inventa est iniquitas in te 4.*

2) *Ex SS. Patribus. S. Basilius* ait: «Non enim infantes creati sunt angeli, deinde paulatim exercitio perfecti, sic facti sunt digni, qui Spiritum reciperent; sed in prima constitutione et una cum substantiae suae quasi mixtura infusam habuere sanctitatem»5.* *S. Augustinus:* «Eos (angelos)... creavit, simul eis et condens naturam et largiens gratiam» e.

3) *Ex ratione.* «Omnia, quae processu temporis per opus divinae providentiae creata, a Deo operante sunt producta, in prima rerum conditione producta sunt secundum quasdam seminales rationes, ut *Augustinus* dicit super *Genesi ad litteram,* sicut arbores, et animalia, et alia hujusmodi. Manifestum est autem, quod gratia gratum faciens, hoc modo comparatur ad beatitudinem, sicut ratio seminalis in natura ad effectum naturalem. Unde, *1 Joannis,* 3, 9, gratia semen Dei nominatur. Sicut igitur, secundum opinionem *Augustini,* ponitur, quod statim in prima creatione corporalis creaturae inditae sunt ei seminales rationes omnium naturalium effectuum, ita statim a principio sunt angeli creati in gratia» 7.

1 Hugo, *Summa Sent.,* tr. 2, c. 2; MI. 176, 82; et *De Sacramentis,* lib. 1, p. 5, c. 19; ML 176, 254; Altisiodorensis, *Summa,* lib. 2, tr. I, c. 1, membro 2; Alensis, part. 2, q. 19, membro 2; S. Bonaventura, *In II Sent.,* dist. 4, a. 1, q. 2. Huic opinioni subscribère visus est S. Thomas, *In II Sent.,* dist. 4, a. 3, sed in *Summa, I p.,* q. 62, a. 3, mutavit sententiam.

2 S. Albertus M., *In II Sent.,* dist. 4, a. 1; S. Thomas, *I p.,* q. 62, a. 3; Ariminensis, *In II Sent.,* dist. 4, q. 1, a. 3; Durandus, *In II Sent.,* dist. 4, q. 2; Capreolus, *In II Sent.,* dist. 4, q. 1, a. 3 ad arg. contra 5 concl.; Cajetanus, *In 1 p.,* q. 62, a. 3; Sotus, *De natura et gratia,* lib. 1, c. 5.

3 *Is.,* 14, 12.

4 *Ezech.,* 28, 15. Haec litteraliter de regibus Babylonis et Tyri dicta sunt, sed, juxta interpretes, referuntur ad perfectiones, quas diabolus habuit, antequam rebellaretur contra Deum.

3 *In psalm.* horn. 32, 4; MG 29, 333.

ll *De civ. Dei,* lib 12, c. 9, n 2; MI. 41, 357.

1 S. Thomas, *I p.,* q. <>2, a 3.

878. Scholion. Gratia sanctificans, donaque inde consequentia, imo et gloria caelestis videntur concessa angelis secundum gradum naturalium, non quidem propter exigentiam naturae, quasi major dignitas naturalis fuerit melior dispositio ad gratiam, sed ob liberalitatem Dei, qui rationabilius judicavit naturas perfectiores copiosius gratia locupletare. Unde *S. Joannes Damascenus* ait: «Per Verbum omnes angeli creati sunt, ac per Spiritus Sancti sanctificationem omnes perfectionis numeros acceperunt, ita tamen, ut, pro sua quisque dignitate et classe, luminis gratiaeque participes sint» x.

ARTICULUS II

UTRUM ET QUANDO ANGELI BONI BEATITUDINEM SUPERNATURALEM MERUERINT

879. Certum est angelos bonos per actus liberi arbitrii suam beatitudinem supernaturalem meruisse, sed quantum ad instans, in quo meruerunt, diversi diversa docuere.

1) *Magister Sententiarum* 1 dixit angelos beatitudinem supernaturalem meruisse per ea, quae jam beati operati sunt in divinis ministeriis, adeo ut praemium praecesserit merita.

Sed hoc «est contra rationem meriti. Nam meritum habet rationem viae ad finem; ei autem, qui jam est in termino, non convenit moveri ad terminum, et sic nullus meretur, quod jam habet» 3.*

2) .*Ilii* censuerunt angelos meruisse beatitudinem supernaturalem operibus praecedentibus ipsam iratura, non tempore. Ita S. *Bonaventura, Aegidius, Richardus* et alii '.

Sed hoc est inconveniens, quia opera sunt meritoria, in quantum informantur gratia. Nequeunt autem simul «informari gratia imperfecta, quae est principium merendi, et gratia perfecta, quae est principium fruendi» 5.

3) Vera sententia aperitur sequenti conclusione.

880. Thesis. **Angeli boni meruerunt beatitudinem supernaturalem, non per bona opera subsequentia, neque per concomitantia, sed per opera tempore praecedentia praemium.**

Pars 1.a Angeli boni meruerunt beatitudinem supernaturalem.

«Angeli sancti, ait S. *Augustinus,* qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, et hujus permansionis debitam mercedem recipere meruerunt» e. Ratio est, quia angeli boni, dum essent in via, certe locupletati sunt gratia sanctificante, et

1 *De fide orthod.,* lib. 2, c. 3; MG 94, 870.

2 *II Sent,,* dist. 5, n. 7.

3 S. Thomas, *I p.,* q. 62, a. 4.

I S. Bonaventura, *In II Sent.,* dist. 5, a. 3, q. 1; Aegidius, *In II Sent.,* dist. 5, q. i, a. 2; Richardus, *In II Sent* , dist. 5, a. *2,* q. 1.

s S. Thomas, *I p.,* q. 62, a. 4.

II *De correptione et gratia,* c. 11, n. 32; MI. 44, 935.

elicuerunt actus cognitionis et amoris Dei. Actus autem amoris Dei elicitus in via per gratiam sanctificantem est meritorius beatitudinis aeternae. Ergo.

Pars 2.a Non per opera subsequentia praemium.

Quia cum meritum sit via ad terminum, id, quod jam possidetur, mereri non potest.

Pars 3.a Neque per opera concomitantia.

Opera quippe meritoria informari nequeunt simul gratia imperfecta, quae est principium meriti, et gratia consummata, quae est principium fruendi.

Pars 4.a Meruerunt per opera tempore praecedentia praemium.

Ratio est, quia angeli meruerunt beatitudinem aeternam per opera informata gratia imperfecta. Haec autem, utpote elicita in via, praecesserunt tempore praemium. Ergo.

ARTICULUS III

UTRUM ANGELI BONI STATIM POST UNUM PERFECTUM ACTUM MERITI •BEATITUDINEM SUPERNATURALEM RECEPERINT

881. Status quaestionis. Angeli boni duos saltem actus caritatis seu meritorios elicuerunt, unum imperfectum in ipso momento creationis, quando per consensum liberi arbitrii receperunt gratiam sanctificantem, et secundum in altero instanti, quando jam in gratia constituti et perfecta libertate aucti, dilexerunt Deum.

Certum est angelos post primum actum caritatis in ipso momento creationis emissum non recepisse beatitudinem aeternam, quia ille actus fuit imperfectus, bonis et malis angelis communis. Unde, sicut mali angeli post primum actum caritatis remanserunt in via, ita etiam boni.

Sed quaestio est, num angeli boni post primum perfectum actum caritatis, illico receperint beatitudinem.

882. Thesis. **Angeli boni post primum perfectum actum meriti statim acceperunt beatitudinem.**

Est expressa sententia S. *Thomae,* qui ait: «Unde relinquitur, quod, statim post unum actum caritate informatum, angelus beatus fuit» [1].

Arg. 1) Angeli boni, post primum perfectum actum caritatis, erant ex se dispositi ad accipiendam coronam, nulloque impedimento detinebantur, ut reciperent beatitudinem. Ergo sicut homines sancti,

[1] / />., q. 62, a. 5.

statim ac removent impedimenta, ingrediuntur caelum, ita, a pari, angeli boni, statim post primum perfectum actum caritatis, facti sunt beati.

2) In angelis ordo naturae et gratiae eodem modo perficiuntur. Natura autem angelica uno momento accepit totam perfectionem. Ergo et gratia eorum consummata est statim post unum actum perfectum liberi arbitrii.

883. Scholion. Movetur hic brevis quaestio: *quot actibus seu instantibus absoluta juerit via angelorum.*

1) Communis sententia contra *Cajetanum* docet viam malorum angelorum completam fuisse tribus instantibus, quia tres operationes exercuerunt angeli pravi. In 1.“ amaverunt Deum imperfecte sicut angeli boni. In 2.a peccaverunt. In 3.a poenam pro peccato sustulerunt [1].

2) Angeli boni a) conversi sunt in Deum amore imperfecto; b) amaverunt Deum actu caritatis perfectae; c) adepti sunt felicitatem aeternam. Disputant theologi an primus et secundus actus revera distinguantur. Aliqui dicunt secundum actum esse continuationem primi, atque idcirco viam angelorum bonorum completam fuisse duobus instantibus. Ita *Banez, Vazquez, Joannes a S. Thoma,* etc. [2]. Alii contendunt primum et secundum actum, quos retulimus, esse distinctos, ac proinde viam bonorum angelorum absolutam fuisse tribus instantibus. Ita *Capreolus, Suarez, Molina, Salmanticenses* et alii [3].

QUAESTIO XLIII

DE ILLUMINATIONE ET LOCUTIONE ANGELORUM

ARTICULUS I

UTRUM ANGELI SUPERIORES ILLUMINENT INFERIORES

884. Status quaestionis. Illuminatio, quatenus refertur ad spiritualia, nihil aliud est, quam manifestatio veritatis per modum magisterii.

Angeli inferiores nequeunt illuminare superiores, quia non possunt in eos exercere magisterium. Sed quaestio est, num angeli superiores possint illuminare inferiores de notitiis, quas ipsi habent.

Affirmant communiter theologi post *pseudo - Dionysium* [4] contra *Durandum* [5].

1 Cfr. Salmanticenses, *De angelis,* disp. 12, n. 57.

2 Banez, *In I p.,* q. 63, a. 6, dub. 3, concl. 1; Vazquez, *In I p.,* disp. 229, c. ro; Joannes a S. Thoma, *In I p.,* disp. 24, a. 1.

3 Capreolus, *In II Sent.,* dist. 4, q. 1, ad arg. contra 5 concl.; Suarez, *De angelis,* lib. 6, c. 3; Molina, *In I p.,* q. 63, a. 6; Salmanticenses, *De angelis,* disp. 12, n. 72.

4 *De caelesti hierarch.,* c. 4, 8; MG 3, 179 et 279.

6 *In II Sent.,* dist. 11, q. 3, circa finem.

885. Thesis. **Angeli superiores illuminant inferiores.**

Arg. Talis est ordo statutus in natura, ut sapientiores et superiores instruant inferiores secundum eorum conditionem. Sic homines sapientiores docent inferiores ac rudiores. Sed angeli superiores sunt sapientiores inferioribus, quatenus majores illustrationes accipiunt a Deo. Ergo angeli superiores illuminant inferiores.

ARTICULUS II

QUOMODO FIAT ILLUMINATIO ANGELORUM

886. *Aliqui* dixerunt unum angelum illuminare alium, vel efficiendo novum lumen in eo, vel intendendo lumen in eo praeexsistens. Ita *Herveus* [1].

Alii contendunt unum angelum producere in alio conceptum objecti, de quo loquitur, causando in eo, vel actum tantum, si audiens habeat speciem, vel speciem et actum simul, si audiens utroque careat. Ita *Scolus* et *Biel* [2].

Alii volunt angelos superiores producere in inferioribus novam quamdam dispositionem, ut ii possint lumen a Deo recipere. Sic *Richardus* [3].

Suarez docet angelum illuminantem imprimere illuminato speciem actus, quem per locutionem ei manifestat [4].

Sed S. *Thomas* et plures theologi defendunt sequentem thesim.

887. Thesis. **Illuminatio fit in angelis per solam extrinsecam objecti et mediorum propositionem** [5].

Arg. Egregie hoc expendit *Angelicus* dicens: «Ab angelo illuminante non fit novum lumen gratiae vel naturae, nisi ut participatum. Cum enim omne, quod intelligitur, ex vi intellectualis luminis cognoscatur, ipsum cognitum, in quantum hujusmodi, includit in se intellectuale lumen, ut participatum, ex cujus virtute habet intellectum confortare; sicut patet, quando magister tradit discipulo aliquod medium alicujus demonstrationis, in quo participatur lumen intellectus agentis, ut in instrumento... Unde per hoc, quod superior angelus suum cognitum alteri angelo demonstrat, ejus intellectus confortatur ad alia cognoscenda, quae prius non cognoscebat; et sic non fit in angelo illuminato novum lumen naturae vel gratiae; sed lumen, quod prius inerat, confortatur per lumen contentum in cognito percepto a superiori angelo» [6].

Ex quo constat ad illuminationem angelorum duo requiri; ostensionem veritatis incognitae et confortationem intellectus angeli illuminati. Utraque fit per propositionem objecti factam ab angelo superiori, quatenus notitiam modo universaliori habitam dividit, distinguit, ac proponit angelo inferiori, mediaque aptat ei, ut veritatem sic propositam

[1] *In II Seni.,* dist. 9, q. 1, a. 2.

[2] Scolus, *In II Sent.,* dist. 9, q. 2, nn. 15-21; Biel, *In II Sent.,* dist. 9, q. 2, a. 4.

[3] *In II Sent.,* dist. 9, c. 2, q. 2.

[4] *De angelis,* lib. 6, c. 13, n. 24.

[5] Ita S. Thomas, *De veritate,* q 9, a 1 ad 2; Alensis, *Summa, II p.,* q. 38, membro 3, et alii communius.

[6] *De vetilale,* q. 9, a. 1 ad 2.

intelligat. Haec artificiosa veritatis dispositio et mediorum praeparatio confortat proculdubio intellectum angeli inferioris, sicut explicatio externa magistri confortat intellectum discipuli ad veritatem capiendam [1]

888. Scholion. *De objecto illuminationis angelicae.* Objectum illuminationis angelicae sunt veritates angelo inferiori ignotae circa ea, quae pertinent *ad statum naturae, gratiae et gloriae.* Deus enim, utpote summe bonus illustrat angelos superiores sibi propinquiores circa veritates occultas naturae, gratiae et gloriae. Angeli superiores has veritates a Deo acceptas communicant inferioribus. Veritates naturae possunt esse futura contingentia et cogitationes cordium; ad gratiam pertinent plures revelationes circa media ad salutem; ad gloriam spectant rationes operum divinorum.

ARTICULUS III

UTRUM ANGELI INTER SE COLLOQUANTUR

889. Locutio nihil aliud est, quam manifestatio conceptus mentis alteri facta, sive hoc fiat per verbum externum, sive, alio modo. Hic quaerimus in genere, utrum angeli inter se colloquantur.

890. Thesis. **Angeli inter se certe colloquuntur.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura. Michael archangelus cum diabolo disputans... dixit: Imperet tibi Dominus* [2]. *Seraphim... clamabant alter ad alterum et dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus* [3]. *Si linguis hominum loquar et angelorum* [4].

2) *Ex SS. Patribus. S. Basilius:* «Significavit Apostolus angelos propriam habere linguam, ita dicens: Si linguis hominum loquar et angelorum»[5]. *S. Joannes Damascenus:* «Nec lingua opus est (angelis) nec auribus, sed sine ulla prolati sermonis ope, mutuo sibi sensa sua communicant et consilia» [6].

3) *Ex ratione.* Societas seu respublica perfecta, quam angeli constituunt, exigit certe, ut membra inter se colloquantur.

ARTICULUS IV

QUOMODO ANGELI INTER SE COLLOQUANTUR

891. *Aliqui,* apud *Durandum'* [7], docent angelos inter se colloqui per signa sensibilia formata ab ipsis in caelo.

1 Cfr. Franciscus de Lugo, *De angelis,* disp. 13, c. 2, n. 11.
2 *Jud.* 9.
3 *Is.,* 6, 2-3.
4 *I Cor.,* 13. 1.
* Homi'. in illud: *In principio erat Verbum,* n. 3; MG 31, 476.
° *De /id. orth.,* lib. 2, c. 3; MG 94, 867.
' *In II Sent ,* dist. 11, q. 2, n. 6

Alii volunt angelos loqui per signa spiritualia. Tta *Aegidius romanus, -Argentina, Ariminensis, Molina,* etc.

Alii opinantur angelos loqui cum aliis, dando ipsis speciem rei, de qua loquuntur. Ita *Alensis, Suarez,* etc. 14

Alii censent angelum loquentem efficere in audiente intellectionem, producendo in eo actum secundum vel saltem speciem. Ita *Scotus* a.

Alii dicunt locutionem angelicam esse actum reflexum intellectus, quo angelus loquens suam cogitationem et conceptum exprimit alteri, «non agendo aliquid in illum per se et immediate, sed in se locutionis conceptum novum formando, quo... positive immutatur intellectus alterius angeli». Ita *Gandavensis* et *Vazquez*

S. Thomas, quem sequuntur omnes thomistae et plures extranei, contendit angelos loqui, quatenus suos conceptus per voluntatem dirigunt vel ordinant ad alios.

Haec sententia est probabilior. «Angelum loqui angelo, ait S. *Thomas,* nihil est aliud, quam conceptum suum ordinare ad hoc, ut ei innotescat per propriam voluntatem» 5.

Ratio suadet hanc doctrinam. Nam locutio est manifestatio conceptus mentis. Sed angelus manifestat suos conceptus, dirigendo eos per voluntatem alteri. Ergo. Unicum obstaculum, quo impeditur communicatio conceptuum in angelis, est secretum cordis singulorum. Sed hoc secretum aperitur per ordinationem conceptuum factam a voluntate. Ergo. Unde *Joannes a Jesu Maria:* «Tunc ergo angeli aut daemones mutuo colloquuntur, cum mentis conceptus alternis directionibus inter se colliniant»6.

Corollarium I. Locutio in angelis est quaelibet manifestatio conceptus mentis facta alteri etiam superiori, dum illuminatio est manifestatio veritatis occultae facta inferiori.

Coroll. II. Quilibet angelus potest loqui cum aliis etiam superioribus et cum Deo, quia potest suos conceptus ordinare ad cos per voluntatem, sed nequit illuminare nisi inferiores.

Coroll. III. Locutiones angelorum non patefiunt omnibus angelis, sed illis tantummodo, ad quos per voluntatem loquentis diriguntur.

Coroll. IV. Angeli possunt loqui ad quamlibet distantiam, quia intellectualis operatio, qualis est locutio angelorum, est independens a loco materiali.

1 Aegidius, *In II Sent.,* dist. 10, q. 3, a. I; Argentina, *In II Sent.,* dist. 10, ■q. 1. a. 6; Ariminensis, *In II Sent.,* dist. 10, q. 2 in fine; Molina, *In I p.,* q. 57, a. 4. § *Juxtq haec:* et q. 106, a. 1, disp. i, conci. 2.

- Alensis, p. 2, q. 27, m. 3; Suarez, *De angelis,* lib. 2, c. 27, nn. 37-38.

3 *In II Sent.,* dist. 9, q. 2. § *Ad quaestionem istam* et *Ad ulteriorem.*

4 Gandav., *Quodlib.* 5, q. 15; Vazquez, *In I p.,* disp. 211, cc. 11-12.

5 */ p..* q 107, a. 2 – Videatur S. Theresia, *Vita,* c. 27, n. 7.

45 *Paraphrasis in librum Job,* c. I, v. 7.

QUAESTIO XLIV

DE MISSIONE ANGELORUM AD HOMINES

S. *Th., 1 -p., qq. 111-112.*

ARTICULUS I

UTRUM ANGELI MITTANTUR IN MINISTERIUM

892. Status quaestionis. «Ille mitti dicitur, qui aliquo modo ab aliquo procedit, ut incipiat esse ubi prius non erat, vel ubi prius erat per alium modum» L

Certum est angelos a Deo procedere, non solum per creationem, sed etiam per mandatum seu ordinationem ad aliquid faciendum. Quaestio est, an per ordinationem divinam veniant in hunc mundum ad aliquod ministerium circa homines.

893. Thesis. **Certum est angelos in ministerium mitti.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Dominus ait ad Moysem: *Ecce ego mittam angelum meum, qui praecedat te* 2. *Missus est angelus Gabriel a Deo* 3. *In consummatione saeculi mittet Filius hominis angelos suos* 4.

2) *Ex ratione.* In gubernatione rerum Deus talem ordinem servat, ut, non obstante sua immediata actione in omnes creaturas, inferiora per superiora, corporalia per spiritualia, et minora per majora velit dirigi. Angeli autem sunt substantiae spirituales et superiores omnibus rebus hujus mundi. Ergo Deus mittit angelos in gubernationem creaturarum hujus mundi. Procedunt a Deo per imperium, et incipiunt esse in hoc mundo per diversa ministeria, quae exercent.

Angeli, qui sic relinquunt caelum, conservant visionem Dei, et ideo, ubicumque exerceant suum ministerium, sunt beati. Neque amittunt dignitatem, cum exeunt extra caelum empyreum, sicut rex non perdit suam dignitatem, cum, relicto solio, pergit in provincias. Ad rem S. *Gregorius M.:* «Faciem ergo Patris semper vident, et tamen ad nos veniunt, quia et ad nos spiritali praesentia foras exeunt, et tamen ibi se, unde recesserant, per internam contemplationem servant»5.

ARTICULUS II

UTRUM OMNES ANGELI MITTANTUR IN MINISTERIUM

894. Status quaestionis. 1) Ministerium angelorum est duplex: unum *invisibile,* quo superiores illuminant inferiores in ordine ad salutem hominum, ut cum eos incitant ad orandum pro peccatoribus: aliud *visibile,* quo angeli incipiunt opus externum exsequi in mundo.

1 *I p.,* q. 112, a. I.
2 *Ex.,* 23, 20.
3 *Luc.,* i, 26.
4 *Matth.,* 13, 40-41.
8 *Morat.,* lib. 2, c. 3, n. 3; ML 75, 556.

2) Ministerium externum potest exerceri in mundo immediate ab angelo, qui dicitur missus, vel mediate per angelos inferiores.

Quaeritur, an omnes angeli mittantur in ministerium externum immediate per se· ipsos exercendum.

895. Placita theologorum, i) Plures theologi tenuerunt omnes angelos ab infimo usque ad supremum mitti in ministerium externum per se ipsos immediate exercendum, inferiores quidem in casibus ordinariis, superiores vero in negotiis extraordinariis. Ita *Argentina, Suarez, Molina, Pesch* et alii [1].

2) Alii communius docent angelos quatuor priorum ordinum, nonnisi invisibiliter mitti, et solum mediate exercere ministerium externum, reliquos vero visibiliter mitti, et per se ipsos immediate exercere ministerium externum. Ita S. *Thomas, S. Albertus M., Cajetanus,* et alii innumeri [2].

Utraque sententia est probabilis, et potest lector benevolus sequi consilium Alensis: «Tu sustine, quos lubet» [3].

In obsequium tamen S. *Thomae* sit:

896. Thesis. **Probabilius est non omnes angelos in ministerium externum mitti.**

Arg. 1) Ex angelis, alii sunt assistentes, alii ministrantes, juxta illud Danielis: *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei* [4]. Omnes quidem vident immediate essentiam divinam, et quantum ad hoc omnes sunt assistentes. Sed ulterius, superiores in ipsa claritate essentiae divinae percipiunt secreta divinorum mysteriorum, quin mittantur in externa ministeria, et dicuntur assistentes. Inferiores illustrantur a superioribus circa quaedam secreta divina, et mittuntur, ut ipsi alios doceant, et exsequantur externa ministeria.

2) Nomina sunt imposita angelis ex eorum proprietatibus et officiis, ut expresse docet *pseudo-Dionysius* [5]. In nominibus autem quatuor superiorum ordinum non significatur exsecutio exterior; nam *Cherubim* designant plenitudinem scientiae, *Seraphim* ardorem caritatis, *Throni* firmitatem mentis, *Dominationes* dispositionem et imperium de exsequendis. In nominibus vero inferiorum ordinum designatur aliqua exsecutio. *Virtutes* namque fortitudinem aliis in exsequendo communicant; *Potestates* agenda ordinant et daemones coercent; *Principatus* praesident exsecutionem; *Archangeli* et *Angeli* summa vel minima nuntiant. Unde videtur solos angelos quinque inferiorum ordinum mitti.

Corollarium I. Omnes angeli dicuntur ab Apostolo *administratorii spiritus in ministerium missi* [6], saltem invisibiliter et mediate, in quantum omnes, sive per se sive per alios, exsequuntur ministerium. Hoc pacto dicitur *Seraphim* missus ad purganda labia prophetae [7], et ad

1 Argentina, *In II Sent.,* dist. 10, a. 1: Suarez, *De angelis,* lib. 6, c. 10, n. 47; Molina, *In I p.,* q. 112; Pesch, *De Deo creante,* n. 406.

2 S. Thomas, *I p.,* q. 112, aa. 2 et 3; S. Albertus M., *In II Sent.,* dist. 10, a. 3; Cajetanus, *In I p.,* q. 112, a. 2.

3 *II p.,* q. 36, memb. 3, *resolutio.*

4 *Dan.,* 7, 10.

5 *De caelesti hierarch.,* c. 7; MG 3, 205.

6 *Hebr.,* 1, 14.

7 *Is.,* 6, 6 sq

transverberandum cor S. Theresiae missus est unus, qui videbatur ex *Cherubim* [1].

Coroll. II. *Gabriel,* qui missus est ad Mariam Virginem [2], vocatur a S. *Bernardo* unus ex supremis angelis[3], non quidem ex suprema hierarchia, sed ex supremis, qui mittuntur.

Coroll. III. *Michael* etiam, qui aliquando perhibetur missus [4], dicitur *unus de principibus primis* [5]; non quod sit omnium supremus, sed quia est primus archangelorum, ut exponit S. *Hieronymus,* vel quia est supremus principatuum, ut alii volunt.

ARTICULUS III

DE ANGELORUM OFFICIIS ERGA HOMINES

897. Sub hoc titulo generali explicare intendimus totum angelorum ministerium erga homines.

I. *De fide esi angelos ad hominum custodiam deputari.*

Nota. Rationalistae hodierni, praecunte Kantio, negant doctrinam de angelorum tutela erga homines, sed certe non sunt audiendi.

Arg. 1) In sacris litteris haec leguntur; *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis* [6].—*Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capient salutis?* [7].

2) *Hermae Pastor* ait: «Ii sunt sancti angeli Dei... quibus tradidit Dominus omnem creaturam suam» [8].—S. *Hilarius:* «Fidelium orationibus praeesse angelos, absoluta auctoritas est» [9]. S. *Ambrosius:* «Non solum Episcopos ad tuendum gregem Dominus ordinavit, sed etiam angelos destinavit» [10].

3) *Ex ratione congruentiae.* «Est Dei providentia datum hoc negotium angelis, ut custodiant humanum genus singulisque hominibus praesto sint, ne gravius aliquod detrimentum accipiant. Nam ut parentes, si infesta et periculosa via filiis iter faciendum sit, custodes adhibent et periculorum adjutores, sic caelestis parens in hoc itinere, quo ad caelestem patriam tendimus, singulis nobis praeposuit angelos, quorum ope ac diligentia tecti, furtim paratos ab hoste laqueos vitaremus... iisque ducibus rectum iter teneremus» [11].

II. *Omnibus hominibus angeli ad custodiam deputantur.*

1 *Vita S. Theresiae,* c. 29. Ed. Burgos, 1915, p. 234.
2 *Luc.,* i, 26 sqq.
3 *Serm. 1,* super *Missus,* n. 2; ML 183, 57.
4 *Dan.,* 12, i.
5 *Dan.,* 10, 13.
6 *Ps.* 90, 11.
7 *Hebr.,* 1, 14.
8 Fis., 3, 4, 1; MG 2, 901.
9 *In Matth.,* 18, 5; MI, 9, 1020.
10 *In Luc.,* lib. 2, n. 50; ML 15, 1652.
11 *Catechisnius Pom.,* p. 4, c. 9, n. 4.

Nota. Nonnulli voluerunt solos praedestinatos ab angelo custodiri, alii solos justos [1]. Sed verius dicitur omnes homines, sive praedestinati sint sive reprobi, sive justi sive peccatores, sive fideles sive infideles, sub angelorum custodia esse [2].

Arg. 1) *Ex SS. Patribus. S. Hieronymus:* «Magna dignitas animarum, ut unaquaeque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum delegatum» [3]. S. *Basilius:* «Ex iis (angelis), alii quidem praefecti sunt gentibus, alii vero unicuique fidelium adjuncti comites sunt» [4].

2) *Ex ratione.* Inter pericula hujus mundi et tentationes daemonum, custodia angelorum consideratur ut gratia sufficiens pro salute. Sed gratia sufficiens nemini negatur. Ergo.

Corollarium. Antichristus, quantumvis malignus et perversus, non privabitur custodia angeli [5]. Christus Dominus propter absolutam impeccabilitatem non habuit angelos custodes, sed plures angelos ministros.

III. *Singuli homines habent singulos angelos custodes.*

Nota. *Calvinus* [6] hoc in dubium vertit, sed theologi communiter affirmant.

Arg. 1) *Ex SS. Patribus. Theodoreius* expresse docet «singulos homines subesse singulorum angelorum procurationi» [7].

2) *Ex ratione congruentiae.* Animae humanae sunt incorruptibiles et perpetuae non secus ac species rerum. Sicut autem credibile est singulis speciebus singulos angelos a Deo deputari in custodiam, ita congruit, ut singuli homines habeant singulos angelos custodes.

Hanc doctrinam diversi diversimode explicant. S. *Justinus,* vel quisquis fuerit auctor operis *Quaestiones et responsiones ad orthodoxos* [8], docuit unum angelum nonnisi unum hominem custodire, ita ut, qui semel unum hominem custodivit et in beatitudinem direxit, nunquam alterum custodiat. E contra, *Magister Sententiarum* [9] dixit fieri posse «ut singuli homines, dum in hac vita sunt, singulos habeant angelos bonos vel malos ad sui custodiam vel exercitium destinatos», sed successive plures homines unum post alium ab eodem angelo custodiri.

Utrumque est prorsus incertum.

IV. *Angelorum custodia incipit probabilius ab uniuscujusque nativitate.*

Nota. *Aliqui* dixerunt angelum custodem deputari homini ab instante infusionis animae. «Unaquaeque anima, ait *Honorius augustodunensis,* dum

1 Cfr. Origenes, *in Joan.,* tom. io, n. i8; MG 14, 361.
2 Cfr. S. Thomas, *I p.,* q. 113, a. 4.
3 *In Matth.,* lib. 3, c. 18, v. 10; ML 26, 135.
4 *Adv. Isunom.,* 3, 1; MG 29, 656. Cfr. Theodoretus, *in Dan.,* 10, 13; MG 81, 1496,
5 S. Thomas, *I p.,* q. 113, a. 4 ad 3.
6 *Inst.,* lib. 1, c. 14, § 7.
7 *In Gtn., c.* 1, Resp. ad interrog. 3; MG 80, 81.
8 *Quaestiones et resp.,* 30; MG e, 1273.
9 *AI Sent ,* dint. 11, ce, 2 et 3.

in corpus mittitur, angelo committitur» Hanc opinionem tenuit primo 5. *Thomas,* et sequuti sunt 5. *Bonaventura, Suarez* et alii[2].

Sed S. *Thomas* in Summa [3] mutavit sententiam, et docuit angelum' homini deputari in custodem ab instante nativitatis. Idem tenent *Durandus, Vazquez, Billuart,* etc. [4][6]

Alii putant angelum custodem homini deputari a tempore baptismi [5].

Arg. S. *Hieronymus* ait: «Magna dignitas animarum, ut unaquaeque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum delegatum» [6].

Ratio est, quia homo toto vitae cursu indiget angeli custodia ad superandas difficultates in negotio vitae et salvationis.

Ante nativitatem non habet homo angelum sibi deputatum, quia puer in utero matris exsistens censetur esse pars matris, et pro utroque sufficit unius angeli custodia. Post mortem autem «non habebit angelum custodem, sed habebit in regno angelum conregnantem, in inferno daemonem punientem» [7].

Incertum est, an cuilibet homini deputetur a Lucifero malus angelus ad exercitium. Affirmant *Origenes, S. Gregorius Nyss., Magister Sententiarum, S. Thomas* et *Banez* [8]. Negat *Sylvius* cum aliis [9].

V. *Cuilibet regno, -provinciae, ecclesiae et ordini religioso praeponitur angelus custos.*

Arg. Principes persarum, graecorum et israelitarum. qui sunt totidem angeli, in Daniele commemorantur [10]. Et sapiens ait: *In unamquamque gentem praeposuit rectorem* [11]. Hos autem rectores *Knabenbauer* [12] intelligit angelos.

Sylvius [13] cum aliis probabile putat cuilibet urbi, parochiae, communitati religiosae, etc., unum angelum praesidere, ut ad suos peculiares fines promoveantur.

Ulterius theologi docent personas publicas, ut papam, episcopos, reges, etc., praeter angelum custodem, quem habent a nativitate, ahum habere, ut in proprio munere dirigantur.

VI. *Angeli custodes nunquam suos clientes totaliter deserunt.*

Sunt etenim exsecutores divinae providentiae, quae nunquam suspenditur. Dicitur tamen angelos deserere aliquando suos clientes se-

1 *Elucid.,* lib. 2, c. 28; ML 172, 1154.

2 S. Thomas, *In II Sent.,* dist. 11, q. 1, a. 3 ad 3; S. Bonaventura, *In II Sent.,* dist. 11, dub. 1, circa litteram Mag.; Suarez, *De angelis,* lib. 6, c. 17.

3 *I p.,* q. 113, a. 5 ad 3.

4 Durandus, *In II Sent.,* dist. II, q. I; Vazquez, *In I p.,* disp. 245, n. 3; Billuart, *De angelis,* diss. 8, a. 3.

5 Cfr. Origenes, *in Matth.,* tom. 13, n. 27; MG 13, 1165.

6 *In Matth.,* lib. 3, c. 18, v. 10; ML 26, 135.

7 S. Thomas, *I p.,* q. 113, a. 4.

8 Origenes, *Hom. in Luc.,* 12; MG 13, 1829; S. Gregorius Nyss., *De vita Moysis;* MG 44, 337: Magister, *II Sent.,* dist. II, q. I; S. Thomas, *In II Sent.,* dist. II, a. 5, *expositio primae p. textus;* Banez, *In I p.,* q. 113, a. 2.

9 *In I p.,* q. 113, a. 4.

10 *Dan.,* 10, 13-21.

11 *Eccli.,* 17, 14.

12 *Ecclesiasticus,* 199.

13 *In I p.,* q. 113, a. 4.

cundum quid, in quantum non impediunt, quin homines cadant in peccatum '.

Scholion I, *De officiis angelorum custodum circa homines.* Praecipua angelorum officia circa homines sunt: 1) 'Arcent permulta pericula corporis et animae. 2) Coercent daemones, ne hominibus noceant 2. 3) Excitant in anima sanctas cogitationes et salutaria consilia. 4) Orationes nostras offerunt Deo, et implorant pro nobis ejus auxilium3. 5) Illuminant intellectum, non quidem novas species infundendo, sed proponendo veritates faciliori modo, et phantasiam excitando. 6) Clientes auxiliantur in morte, et post mortem conducunt in caelum vel visitant in purgatorio.

Scholion II. *Officia nostra erga angelum custodem.* Errant calvinistae, cum dicunt catholicos per cultum angelorum derogare cultui et honori divino, quia, cum colimus .angelos, in quantum sunt ministri divinae providentiae, nihil detrahimus honori Dei, quin potius extollimus divinam majestatem.

Fallitur etiam *M. J. Tunnel* 4, cum adserit in primis quinque Ecclesiae saeculis doctores reprobasse omnem cultum angelorum. Nam S. *Justinus* saeculo secundo diserte ait: «Bonorum angelorum exercitum et spiritum propheticum colimus et adoramus»5. Idem docent *Eusebius Caesariensis* 6 et alii 7.

Officia, quae debemus angelo custodi, refert S. *Bernardus* dicens: «Quantam tibi debet hoc verbum (Qui habitat) inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam; reverentiam pro praesentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia» s.

QUAESTIO XLV

DE ANGELIS MALIS

ARTICULUS I

DE ANGELORUM CULPA

898. Status quaestionis. I. Multo probabilius est angelos ex natura sua esse per se primo, immediate et directe impeccabiles contra legem naturalem, quia, ut ait S. *Thomas,* «naturale est angelo, quod convertatur motu dilectionis in Deum, secundum quod est principium

1 Cfr. S. Thomas, *T p.,* q. 113, a. 6.

2 *Tob.,* 6, 8; 8. 3. '

3 *Tob.,* 12, 12. Cfr. S. Augustinus, *Solii.,* c. 27; MI. 40, 885.

4 *Revue d'histoire et de littérature chrétiennes,* t. 3, p. 550 (1898), art. *Angelologie.*

5 *Apol.* 1, 6; MG 6, 336.

ll *Dcinonstr. ev.,* 3, 3; MG 22, 193.

7 Cfr G. Baroille, *Le culte des anges à l'époche des Pères de l'Église,* apud «Revue thomiste», Mart igoo; et Berlin Hormans, *Les anges,* ch. 15.

" *Serrn 12,* ll. (>, super l's. *Qui habitat:* ML 183, 233.

naturalis esse» x. Ratio est, quia «malum non invenitur in his, quae sunt semper actu, sed solum in his, in quibus potentia potest separari ab actu, ut dicitur 9 Metaphysic. Angeli autem omnes sic conditi sunt, ut quidquid pertinet ad naturalem perfectionem eorum, statim a principio suae creationis habuerint» [2].

Hanc S. *Thomae* sententiam sequuntur *Durandas, Capreolus, Banez, Salmanticenses* et alii [3], contra *Vazquez, Suarez* et *Molinam* [4].*

Sed omnes angeli peccare potuerunt contra legem supernaturalem, qua converti debuerunt in Deum, secundum quod est objectum visionis beatificae, quia, ut ait *Angelicus,* «erant in potentia ad supernaturalia bona, quae per Dei gratiam consequi poterant» [5].

II. Hac peccandi facultate abuti nequiverunt angeli in primo instanti suae creationis, ut expresse docent S. *Thomas, Alensis, S. Albertus M., Ferrariensis* et thomistae communiter[6], contra *Scotum, Bielcm, Molinam, Becanum* et alios [7]. Ratio est, quia operatio, quae incipit cum esse fei, tribuitur auctori ipsius rei. Deo autem, qui est auctor angelorum, nequit tribui peccatum. Ergo.

III. Certum est angelos post primum instans suae creationis potuisse peccare, quia omnino liberi erant respectu finis supematuralis.

Quaestio est, an revera peccaverint, et quod genus peccati commiserint.

899. Errores, i) *Plures hodierni rationalistae* negant angelorum malorum exsistentiam, nomenque daemonis putant ex antiquorum persarum fabulis ab hebraeis esse derivatum.

2) *Spiritistae* censent daemones non esse angelos rebelles, sed animas defunctorum.

3) *Schola kantiana* docet daemonem non esse personam physicam, sed idéale quoddam malitiae.

900. 1HESIS I. Plures angeli de facto peccaverunt et damnati sunt.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Christus Dominus ait in Evangelio: *Videbam Satanam sicut fulgur de caelo cadentem* [8] [9] Rursum: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* °. S. Petrus: *Deus angelis peccantibus non pepercit*[10] [11] S. Joannes: *Ab initio diabolus peccatu.*

1 *I p.,* q. 63, a. i ad 3.

2 . S. Thomas, *De malo,* q. 16, a. 3.

3 Durandus, *In II Sent.,* (list. 5, q. 1, n. 16; Capreolus, *In II Sent.,* dist. 22, q. i, a. 3; Banez, *In I p.,* q. 58, a. I; Salmant., *De angelis,* disp. 9, n. 53 sqq.

4 Vazquez, *In I p.,* disp. 231, c. 2; Suarez, *De angelis,* lib. 3, c. 7; Molina, *In I p.,* q. 63, a. I.

3 *De malo,* q. 16, a. 3.

6 S. Thomas, *I p.,* q 63, a. 5; Alensis, *II p.,* q. 29, memb. I, a. 7; S. Albertus M., *In II Seni.,* dist. 3, a. 14; Ferrariensis, *Contra Gentiles,* lib. 3, c. 109, § *Circa praedicta.*

’ Scotus, *In II Sent.,* dist. 5, q. 2, § *Respondeo primo;* Biel, *In II Sent.,* dist. 4, q. i, a. 3, dub. 1; Molina, *In I p.,* q. 63, a. 5; Beoanus, *De angelis,* c. 4, q. 10.

8 *Luc.,* 10, 18.

9 *Matth.,* 25, 41.

10 *II Petr.,* 2, 4.

11 *I Joan.,* 3, 8.

2) *Ex traditione.* Concilium Lat. IV ait: «Diabolus enim et alii daemones a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali»[1]. S. *Augustinus:* «Angeli peccaverunt, et daemones facti sunt, quorum est diabolus princeps»[2].

Quaeres, quomodo potuerint angeli peccare, cum non habuerint ignorantiam, errorem, aut passionem.

Respondetur angelos peccasse, non ex errore proprie dicto, sed ex inconsideratione actuali, quatenus elegerunt bonum aliquod, non attento bono superiori, ad quod debuerunt propriam excellentiam et bonitatem referre.

901. Thesis **II. Primum angelorum peccatum fuit superbia**[3].

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Tobias ait ad filium suum: *Superbiam nunquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio*[4]. Isaias: *Detracta- esi ad inferos superbia tua... Quomodo cecidisti de caelo, Lucifer, qui mane oriebaris?... Qui dicebas in corde tuo: In caelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum: sedebo in monte testamenti... Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissinw*[5].

2) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus:* «Malae voluntatis initium, quod potuit esse nisi superbia? *Initium* enim *omnis peccati superbia est (Eccli.,* 10, 15). Quid est autem superbia, nisi perversae celsitudinis appetitus? Perversa enim celsitudo est, deserto eo, cui debet animus inhaerere, principio, sibi quodammodo fieri atque esse principium. Hoc fit, cum sibi nimis placet»[6]. Rursum: «Nonnulli dicunt ipsum ei fuisse casum a supernis sedibus, quod inviderit homini facto ad imaginem Dei. Porro autem, invidia sequitur superbiam, non praecedit»[7].

3) *Ex ratione.* Angeli, utpote spirituales, non potuerunt peccare nisi appetendo bona spiritualia. «In spiritualibus autem bonis non potest esse peccatum, dum aliquis ad ea afficitur, nisi per hoc, quod in tali affectu superioris regula non servatur. Et hoc est peccatum superbiae, non subdi superiori in eo, in quo debet. Unde peccatum primum angeli non potest esse aliud quam superbia»[8].

Superbiam proxime consequutum est peccatum invidiae, quatenus angelus aestimavit bonum divinum et creaturarum esse impedimentum propriae excellentiae.

1 Cap. *Firmiter:* Denz-Bannw., 428.

2 *Contra Maxim.,* lib. 2, c. 12, n. 2; ML 42, 768; cfr. *Catechismus Rom.,* p. 1, c. 2, n. 17.

3 Scotus, *In II Sent.,* dist. 6, q. 2, n. 14. *Ideo dico; et* Biel, *In II Sent.,* dist. 6, q. un., a. 1, videntur huic thesi contradicere, cum dicunt angelorum peccatum fuisse luxuriam quamdam spiritualem seu nimiam complacentiam de proprio bono; sed longe communius in scholis defenditur illud peccatum fuisse superbiam.

4 *Tob.,* 4, 14.

5 *Is.,* 14, 11-14. «Communiter interpretes, ait Knabenbauer, *Is.,* 1, 323, haec de rege Babylonis accipiunt historico sensu, allcgorico tamen de diabolo».

6 *De civ. Dei,* lib 14, c. 13, n. 1; ML 41, 420.

7 *De Gen. ad litt.,* lib 11, c 14, n. 18; ML 34, 436.

8 S. Thomas, *I p.,* q. 63, n. 2. Cfr. Salmant., *De angelis,* disp. 10, n. 207 sqq.

Scholion. *De objecto superbiae angelorum.* 1) *Docuerunt aliqui* angelos peccasse appetendo omnimodam aequalitatem cum Deo appetitu saltem inefficaci et conditionato. Ita *Major;* et possibile putant *Vazquez, Becanus* et alii h

Sed certe falluntur, ut bene probant S. *Thomas, Ferrariensis, Medina,* etc. -. Quia a) angeli naturali cognitione bene noverant hoc esse impossibile; et, b) dato quod fuerit possibile, angeli non poterant appetere omnimodam aequalitatem cum Deo, quia hoc fuisset contra naturale desiderium angelorum, quo volunt conservare suum esse.

2) *Alii dixerunt* objectum excellens, quod angeli appetierunt et circa quod primo superbierunt, fuisse unionem hypostaticam, quam, dum erant in via, cognoverunt per revelationem esse futuram. Ita *Catharinus, Suarez* et alii 3.*

Sed hoc non videtur esse satis fundatum. Nam primum peccatum angelorum debuit versari circa ultimum eorum finem. Sed unio hypostatica non fuit ab angelis apprehensa ut ultimus eorum finis. Ergo. «Ille (motus), ait *Angelicus* de primo peccato hominis, habet rationem primi peccati, ih quo primo inordinatio invenitur. Manifestum est autem, quod primo invenitur inordinatio in motu interiori animae, quam in actu exteriori corporis... Inter motus autem interiores prius movetur appetitus in finem quam in id, quod quaeritur propter finem; et ideo ibi fuit primum peccatum hominis, ubi potuit esse primus appetitus inordinati finis» '. Idem dic de peccato angelorum.

3) *Alii voluerunt* objectum superbiae angelorum fuisse tyrannicam potestatem et principatum supra alias creaturas. Ita *Molina, Becanus* et alii 5.

Haec sententia rejicienda est. Quia appetitus tyrannicae potestatis et principatus supra alios spectat proprie loquendo ad ambitionem. Ambitio autem est filia superbiae.

4) *Multo probabilior est sententia thomislarum,* quae dicit objectum excellens, circa quod angelus primo superbiit, fuisse suam beatitudinem naturalem, adeo ut voluerit se esse similem Deo in hoc, quod, sicut Deus est se ipso beatus, ipse «appetiit, ut finem ultimum beatitudinis, id, ad quod virtute suae naturae poterat pervenire, avertens suum appetitum a beatitudine supernatural!, quae est ex gratia Dei» 6; vel, ut alii explicant, voluit suam beatitudinem naturalem consistere in propria excellentia, non servato ordine a Deo praefixo. Ita, post S. *Thomam, Cajetanus, Ferrariensis, Banez, Salmanticenses* et alü 7.

1 Major, *In II Sent.,* dist. 6, q. i; Vazquez, *In I p.,* disp. 234; Becanus, *In I p.,* tr. 3, c. 4, q. 5.

2 S. Thomas, *I p.,* q. 63, a. 3; Ferrariensis, *Contra Gentiles,* lib. 3, c. X09; Medina, *In I-II,* q. 13, a. 5.

3 Catharinus, *De angelorum bon. gloria et lapsu malorum;* Suarez, *De angelis,* lib. 7, c. 13.

4 *II-II,* q. 163, a. I.

5 Molina, *In I p.,* q. 63, a. 3, disp. un., memb. 5, conci. 5; Becanus, *In I p.,* tr. 3, c. 4, q. 8.

0 S. Thomas, */ p.,* q. 63, a. 3.

' Cajetanus, *In I p.,* q. 63, a. 3; Ferrariensis, *Contra Gentiles,* lib. 3, cc. 109-110; Banez, *In I p.,* q. 63, a. 3; Saimanticensos, *De angelis,* disp. 10, n 102 sqq

Fundamentum hujus sententiae in eo consistit, quod angeli habuerunt praeceptum referendi suam beatitudinem naturalem suamque perfectionem ad Deum, ut ad finem supernaturalem. Angeli autem rebelles, proprio bono naturali intumescentes, propriam perfectionem appetierunt, ut beatitudinem sibi sufficientem sine subjectione et ordine ad Deum.

Potest etiam dici angelos superbiisse simul circa beatitudinem supernaturalem, in quantum voluerunt eam naturaliter habere. «Vel si appetiit, ait S. *Thomas,* ut ultimum finem, illam Dei similitudinem, quae datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem suae naturae, non ex divino auxilio secundum Dei dispositionem. Et hoc consonat dictis Anselmi, *De casu diaboli,* c. 3 et 4, qui dicit, quod appetiit illud, ad quod pervenisset, si stetisset» L

902. THESIS **III. Angelus, qui primo peccavit, fuit probabilius supremus omnium.**

Arg. S. *Gregorius* ait: «Primus angelus (qui peccavit)... dum cunctis agminibus angelorum praelatus est, ex eorum comparatione clarior fuit»2.

Hoc suadet conjectura S. *Thomae* dicentis in supremo angelo fuisse majus motivum superbiae 3.

Scholion. Princeps daemonum, qui primo cecidit, ab antiquis temporibus vocatur Lucifer, sed ex Scriptura non constat hoc fuisse ejus nomen.

Lucifer, vel quisquis fuerit supremus peccator, induxit alios ad peccandum 4, non solum malo exemplo, ut volunt S. *Albertus M., Alensis, S. Bonaventura et Argentina* 5, sed etiam vera suasione, ut docent S. *Thomas, Cajetanus, Altisiodorensis, Molina* et *Suarez*6. Nam *cauda ejus* (draconis) *trahebat tertiam partem stellarum caeli, et misit eas in terram* 7. Probabilius videtur id a Lucifero factum esse vera suggestione et persuasione.

Quamvis multi angeli hac suggestione inducti in peccatum ceciderint, multo probabilius est eos in majori numero fideles Deo permansisse. S. *Joannes* vidit tertiam partem stellarum a dracone tractam fuisse in gehennam.

ARTICULUS II

DE POENA DAEMONUM

903. Poenae praecipuae daemonum sunt: *donorum gratuitorum privatio, exclusio a beatitudine et in infernum detrusio, intellectus obeae-*

1 *1 p.,* q. 63. a. 3. Cfr. Salmanticenses. *De angelis,* disp. 10, n. 199.

2 *Lib.* 2, *hom.* 34 *in Evang.;* ML 76, 1250.

3 *1 p.,* q. 63. a. 7.

4 Guillermus Parisiensis, *De universo, 1 p.,* 2'partis, c. 112, contendit omnes angelos rebelles, ex se, sine aliorum inductione peccasse.

5 S. Albertus M., *In II Sent.,* dist. 5, C, a 3; Alensis,p. 2, q. 99, n. 1; S. Bonaventura, *In II Sent.,* dist 5, a 2, q. 2; Argentina, *In II Sent.,* dist. 6, q. 1, a. 4.

6 S. Thomas, *1 p.,* q. 63, a 8; Cajetanus, *Ibid.;* Altisiodorensis, *Summa,* lib. 2, tr 2. c 5; Molina, *In 1 p* , q 63, a 6, conci 3-4; Suarez, *De angelis,* lib. 7, c. 17, n. 15.

7 *Apoc.* 12, 4.

catio, voluntatis obstinatio in malo, et vehemens dolor. De singulis pauca.

I. *Donorum gratuitorum privatio.* Peccatum superbiae angelorum fuit gravissimum, et ideo, juxta S. *Augustinum,* «quanto incredibilius, tanto est damnabilius» [1] Dona autem gratuita erant cum hujusmodi peccato incompatibilia. Unde angeli rebelles spoliati sunt donis supernaturalibus a Deo liberaliter concessis.

II. *Exclusi sunt e caelo et in infernum detrusi.* S. Scriptura et SS. Patres hanc veritatem crebro docent. *Videbam Satanam,* ait Christus, *sicut fulgur de caelo cadentem* [2]. *Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in fartarum tradidit cruciandos* [3]. Unde S. *Athanasius* ait: «Superbia illum (Satanam) inde praecipitavit ad inferiores abyssi partes» [4].

Aliqui docent angelis peccantibus concessum fuisse a Deo locum poenitentiae et oblata esse auxilia debilissimae entitatis, quibus poterant simpliciter et physice converti. Ita *Scoius, Biel, Salmeron* et *Francisons de Lugo* [5]. Communissime tamen defendunt SS. Patres et theologi angelis praevaricantibus nullum fuisse concessum poenitentiae locum. «De angelis quidem, ait S. *Fulgentius,* hoc disposuit (Deus) et implevit, ut, si quis eorum bonitatem voluntatis perderet, nunquam eam divino munere repararet»[6]. S. *Augustinus* affirmat «bonorum omnium creatorem reparandis angelis malis nihil gratiae contulisse» [7] Imo S. *Joannes Damascenus, S. Thomas,* et thomistae [8] existimant angelos malos ita irrevocabiliter peccato adhaerere, ut nequiverint physice mutare consilium.

III. *Intellectus obcaecatio. S. Joannes Damascenus* ait: «Daemon, lux a Creatore conditus bonusque procreatus, libera voluntate caligo factus est»[9].

Hoc tamen ut recte intelligatur, animadvertendum est, in angelis, dum erant in via, triplicem fuisse cognitionem, scilicet, naturalem, supernaturalem speculativam et supernaturalem affectivam.

1) *Cognitio naturalis* mansit integra in angelis apostatis, quia species rerum, quas in creatione acceperant, non amiserunt. Unde *pseudo-Dionysius* docet dona naturalia in eis mansisse integra [10]

Nihilominus, cognitio conjecturalis de cogitationibus cordium et de futuris contingentibus, et judicium practicum de agendis, non parum a rectitudine in eis deflexit [11].

2) *Cognitio supernaturalis speculativa* non omnino disparuit in eis,

1 *Contra Jul. op. imperf.,* lib. 6, n. 22; ML 45, 1553.

2 *Luc.,* 10, 18.

3 *II Petri,* 2, 4.

4 *De virginitate,* 5; MG 28, 257.

5 Scoius, *In II Sent.,* dist. 6, q. 2 ad 4: Biel, *In II Sent.,* dist. 6, q. 1, a. 2; Salmeron, *In II Petri,* 2. disp. 3, dub. 3; Franciscus de Lugo, *De angelis,* disp. 26, c. 1.

6 *De fide ad Petrum,* c. 3, n. 30; MI. 65, 687.

7 *In Joan, ev.,* tr. 110, n. 7: ML 35, 1924.

8 S. Joannes Damascenus, *De fide orth.,* lib. 2, c. 3; MG 94, 867; S. Thomas, *I p.,* q.64, a. 2.

9 *De fide orth.,* lib. 2, c. 4: MG 94, 875.

10 *De div. noni.,* c. 4, n. 23: MG 3, 725.

11 Cfr. Franciscus de Lugo, *De angelis,* disp. 26, c. 3.

sed diminuta est. Aliquas siquidem revelationes accipiunt mediantibus angelis bonis, vel alio modo, providentia divina sic mirabiliter disponente, sed multo parcius secreta Dei cognoscunt post peccatum quam in statu gratiae.

3) *Cognitio supernaturalis ajjectiva* Dei ac bonorum operum totaliter in eis evanuit. Daemones enim nullum amplius amorem Dei nullumque affectum ad ea, quae conducunt in Deum, conservant x.

Hinc daemones privati sunt donis Spiritus Sancti, quae pertinent ad intellectum, sapientia, nempe, scientia, intellectu et consilio. Carent etiam fide proprie dicta, ut theologi communiter docent 2 contra *Alensem* et *Durandum* 3. Fides enim est habitus sperandarum rerum. Daemones autem sperare nequeunt ea, quae sunt objectum fidei. Unde illa verba Jacobi: *Daemones credunt et contremiscunt* 45 intelligenda sunt de fide informi late sumpta pro admissione veritatum ex evidentia signorum s.

IV. *Obstinatio voluntatis daemonum in malo.* Voluntas dicitur esse obstinata in malo, quando immobiliter et inflexibiliter est determinata ad malum. Etsi obstinatus possit inter duo mala, unum vel alterum eligere, nequit tamen bonum facere, neque a peccato commisso flectere.

1) Veteres quidam insinuarunt aliquando fore, ut daemones resipiscantur seu poeniteant, et vitam aeternam adipiscantur6.

Sed veritas catholica est daemones nunquam poenitentiam acturos et in aeternum esse cruciandos, quia ignis aeternus *paratus est diabolo et angelis ejus* 7.

2) Imo certo tenendum est diabolum esse ita obstinatum in malo, ut non possit nec velit facti poenitere. Nam *superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper* 8. In ea sunt voluntatis dispositione, ut, si possent, repeterent primum peccatum.

3) Non conveniunt theologi in adsignanda causa hujus obstinationis.

a) *Scotus* 9 eam tribuit carentiae gratiae habitualis, quae in perpetuum denegabitur reprobis.

b) *Alii* censent obstinationem daemonum repetendam esse primario a subtractione auxiliorum supernaturalium. Ita S. *Bonaveniura, Durandus, Vazquez, Suarez* et *Franciscus de Lugo* 10.*

c) *Thomistae* communiter contendunt obstinationem daemonum primario et principaliter provenire ex natura et conditione intellectus

1 Cfr. S. Thomas, *I p.*, q. 64, a. I.
2 Cfr. Banez, *In II-II*, q. 5, a. 2; Salmanticenses, *De fide*, disp. 8, n. 10 sqq.
3 Alensis, 3 p., q. 64, menib. 7; Durandus, *In HI Sent.*, dist. 23, q. 9.
4 *Jac.*, 2, 19.
5 Cfr. Salmanticenses, *De fide*, disp. 8, n. 19.
° Haec opinio tribuitur Origeni, *Periarchon*, lib. 1, cc. 5 et 6; MG 11, 160 sqq.; sed alii Origcnem excusant.
' *Matth.*, 25, 4X.
8 *Ps.* 73. 23.
° *In 11 Sent.*, dist. 7, q. un., n. 18, § *Ad propositum ergo.*
111 S. Bonaveniura, *In II Sent*, dist. 7, part. t.ll. a. I, q. 1; Durandus, *In II Sent*, (list 7, q. 2; Vazquez. *In I p*, disp. 239. c. 7; Suarez, *De angelis*, lib. 8, c. 7; Franeisous de Lugo, *De angelis*, disp. 27» *I 2.

voluntatisque angelorum, quibus proprium est objectis perfecte apprehensis atque libere electis immobiliter adhaerere.

Haec est expressa sententia S. *Thomae* 1, mihique probabilior.

Fundamentum hujus opinionis est, quia voluntas sequitur intellectum. Intellectus autem angelicus id, quod semel perfecte apprehendit, immobiliter tenet, quin possit mutare sententiam, quia uno eodemque intuitu comprehendit principia et conclusiones. Ergo et voluntas angelica, cujus electio mensuratur apprehensione intellectus, immobiliter adhaeret his, quae perfecta deliberatione eligit 2.

4) *Circa extensionem hujus obstinationis daemonum* non una est doctorum sententia.

Nonnulli putant daemones, quamvis obstinati sint in malo, posse tamen efficere aliqua opera honesta ex omni capite bona. Ita *Scolus* et *Valentia* 3.

Communius tamen et verius defendunt theologi obstinationem daemonum esse talem, ut nullum possint efficere opus ex omni capite bonum, et idcirco opera daemonum, etiamsi aliquando sint ex objecto bona et honesta, semper aliqua mala circumstantia vitiari. Ita S. *Thomas, S. Albertus M.,. 1lensis, Gandavensis, Altisiodorensis, Banez, Salmanticenses,* et thomistae communiter 4.

Hanc sententiam tenuisse videtur S. *Fulgentius,* cum ait: «In quo (igne) illi omnes praevaricatores angeli, nec mala voluntate possint unquam carere, nec poena»5.

Ratio est, quia daemones semper operantur vel circa finem perversum, cui pertinaciter adhaerent, ct peccant; vel circa alia objecta sub influxu pravae electionis finis, et etiam peccant. S. *Thomas* ad rem: «Quamvis diversa eligant (daemones) per liberum'arbitrium, in omnibus tamen peccant, quia in omni eorum electione permanet vis primae electionis ipsorum» 6.

V. *Vehemens dolor.* Dolor dicitur *uno modo* passio appetitus sensitivi; et hoc sensu, utpote forma organi corporalis, non est in daemonibus. *Alio modo* est actus vel renisus voluntatis ad id, quod est vel non est; et hoc sensu certe dolorem vehementissimum patiuntur daemones; quia multa vellent esse, quae non sunt, vel non esse, quae sunt; privantur enim beatitudine, quam naturaliter appetunt, et in multis eorum iniqua voluntas cohibetur.

1) *Locus poenalis daemonum* ratione culpae est infernus, cui traditi sunt in aeternum cruciandi 7; ratione probationis hominum potest

1 Z *p.,* q. 64, a. 2.

2 Cfr. Philippus a SS. Trinitate, *De angelis,* disp. io, dub. 2; Billuart, *De angelis,* diss. 6, a. i, § 2.

3 Scotus, *In II Sent.,* dist. 7, q. un., n. 24; Valentia, *In 1 p.,* disp. 4. q. 15, p. 2, *Contra vero Scotus.*

4 S. Thomas, *I p.,* q. 64, a. 2, ad 5; S. Albertus M., *In II Sent.,* dist. 5, B, a. 6; Alensis, p. 2, q. I02,,numbr. 2 et 3; Gandavensis, *Quodlib.* 8, q. 11; Altisiodorensis, *Summa,* lib. 2, tr. 2, c. 7, q. 2; Banez, *In I p.,* q. 64, a. 2; Salmanticenses, *De angelis,* disp. 13, n. 56 sqq.

5 *De fide ad Petrum,* c. 3, n. 31; MI. 65, 687.

8 *De malo,* q. 16, a. 5.

7 *II Petri,* 2, 4.

esse air iste caliginosus, in quo sunt *rectores tenebrarum harum* [1] Omnes tamen puniuntur eadem poena, quia, qui sunt in aëre, sciunt alligationem in inferno sibi deberi.

2) *Ignis inferni est corporeus,* ut S. Scriptura saepe insinuat, et theologi communiter docent [2].

Difficile admodum est explicare, quomodo igne materiali torqueantur daemones.

Non satisfacit opinio quorumdam dicentium daemones in inferno cruciari sola apprehensione ignis, ut sibi nocentis, nullum tamen nocumentum inducentis. Intellectus enim daemonis non potest ita facile decipi, ut putet igne torqueri, ubi non est nisi sola apprehensio.

Ignis inferni probabilius torquet daemones, quatenus virtute divina alligat eorum potentias, ne operentur, quod vel quomodo volunt, nec sint, ubi volunt. *Angelos vero,* ait Judas, *qui non servaverunt suum principatum... vinculis aeternis sub caligine reservavit* [3]. Hoc probat daemones torqueri per modum alligationis. Unde S. *Augustinus* ait: *«Adhaerebunt...* spiritus daemones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi... Daemones autem spiritus sine corporibus, haerentes sumendo poenam» [4].

ARTICULUS III

DE IMPUGNATIONE DAEMONUM

904. Diabolus saepe, Deo id permittente, infestat homines, ut patet ex plurimis antiqui et novi Testamenti locis. Sub serpentis figura seduxit Evam [5]; expfetivit apostolos, ut cribraret sicut triticum [6]; et ipsum Christum trina tentatione decipere voluit [7].

Triplici via solet diabolus infestare homines, *tentatione, obsessione et magia.* De singulis pauca.

§ 1

De daemonum tentationibus.

1) *Certum est homines saepe tentari a diabolo.* Tentare nihil aliud est, qüam experimentum sumere de aliquo. Experimentum autem sumit aliquis «quandoque, ut sciat tantum..., quandoque vero, ut juvet, quandoque, ut noceat. Diabolus autem semper tentât, ut noceat, in peccatum praecipitando» [8].

Homines tentari a diabolo patet ex S. Scriptura. *Induite vos artna-*

1 *Ephes.,* 6, 12.
2 Ecclesia tamen nondum definivit expresse hanc doctrinam.
3 *Jud.,* 6.
4 *De civit. Dei,* lib. 21, c. 10, nn. 1-2; ML 41, 725.
5 *Gen.,* 3, 5-6.
6 *Luc.,* 22, 31.
7 *Matth.,* 4, 3 sqq.
8 S. Thomas, *I p.,* q. 114, a. 2.

luram Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli[1].—*Ne jorte lentaverit vos is, qui tentai* [2].—*Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quaerens, quem devoret* [3].

Id ipsum SS. Patres unanimi consensu tradiderunt. Diabolus, ait S. *Augustinus,* «omnibus modis instat die ac nocte... sagittas venenatas contra nos dirigens, ut interficiat animas nostras» [4].

2) *Rationes, quibus movetur diabolus* ad tentandos homines, sunt plures: Odit Deum et non patitur homines ad eum accedere; odit nos, et quaerit nostram perditionem; invidet omnibus, et quemlibet a felicitate avertere conatur.

3) *Modus etiam tentationis diabolicae* considerandus est. Aliquando enim daemones *per agentia extrinseca,* ut per malos homines, ad peccandum nos inducunt, aliquando *per suggestionem internam,* ut per motionem phantasiae, ad malum incitant; interdum mala physica[5], non semel angustias animae, producunt, Deo id permittente.

Non videntur omnia hominum peccata, diabolo immediate suggerente, committi, quia homo, instigante sola concupiscentia vel mundo stimulante, non semel delinquit. Remote tamen potest dici diabolum se immiscere omnibus hominum peccatis, in quantum Adamo fuit causa peccandi.

4) *Remedia contra diabolicas tentationes* sunt: a) *Vigilantia et oratio,* juxta illud: *Vigilate el orate, ut non intretis in tentationem* [6]. b) *Occupatio continua.* Unde S. *Hieronymus:* «Te semper diabolus inveniat occupatum» [7]. c) *Frequentia sacramentorum;* anima enim, cum recipit sacramenta, firmatur in bono.

§ 2

De obsessione diabolica.

905. 1) Obsessio diabolica est *occupatio corporis et usus facultatum hominis a daemone, renuente voluntate ipsius hominis.* Duo sunt ejus gradus.

Quando daemon occupat intrinsecus hominem et utitur ejus facultatibus, renitente hominis voluntate, vocatur proprie *obsessio.* Quando in tali occupatione et usu facultatum cessat hominis renixus, dicitur *possessio.*

2) Antiqui protestantes cum Luthcro putabant plures morbos a diabolo provenire, et idcirco ultra modum multiplicabant obsessos. At recentiores protestantes et rationalistae, quibus favet catholicus *Jahn* [8], volunt daemoniacorum nomine solum intelligi epilepticos, lu-

1 *Ephes.,* 6, 11.
2 *I Thess.,* 3, 5:
3 *I Petr., 5,* 8.
4 *Soliloq.,* c. 16; ML 40, 877.
5 «Dolores autem corporum, ait S. Augustinus, plerumque immittuntur ab angelis satanae». *Enarrat, in psalmum* 130, 7; ML 37, 1708.
6 *Matth.,* 26, 41.
7 *Ep.* 125, n. 11; ML 22, 1078.
8 *Archaeol. bibi.,* § 195 sqq.

naticos, hystericos, etc., non vero obsessos vel possessos a daemone. Nihilominus sit:

906. Thesis. **Eveniunt aliquando verae obsessiones diaboli.**

Arg. 1) Evangelistae hoc clare exponunt. *Obtulerunt ei omnes niale habentes, variis languoribus et tormentis comprehensos, et qui daemonia habebant*1. *Obtulerunt ei multos daemonia habentes, et ejiciebat spiritus verbo* 2. *Magdalene, de qua septem daemonia exierant*3.* *Et* (Christus Dominus), *convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem et omnem infirmitatem* ***i***. Apostoli hac virtute aucti daemoniacos saepe liberarunt, ut constat ex *Actibus Apostolorum:* 5, 16; 8, 7-8; 16, 16; etc.

2) *Ex SS. Patribus. S. Irenaeus:* «Nonnulli—Christi discipuli—in veritate et absque omni dubio daemones expellunt, ita ut saepe etiam, a malis spiritibus liberati, credant atque Ecclesiam ingrediantur» 5. Hanc doctrinam implicite tradit Ecclesia, cum praescribit formulam ad exorcizandos energumenos.

3) *Ex ratione.* Diabolus, utpote spiritus purus, potest ex una parte agere in corpus humanum, et ex altera potest obtinere a Deo licentiam occupandi corpora.

Cave tamen, ne leviter, visis effectibus extraordinariis, judices aliquem esse a daemone obsessum.

«Permittit autem hoc Dominus, ait S. *Bonaventura,* sive ad gloriae suae ostensionem *(Joan.,* 9, 3), sive ad peccati punitionem, sive ad peccantis correctionem *(I Cor.,* 5, 3 sqq.), sive ad nostram eruditionem. Sed ex qua istarum causarum determinate permittat, latet hoc humanam industriam, propter hoc, quod occulta sunt Dei judicia; hoc tamen planum est, quod non sunt injusta, et ideo non permittit talia sine causa»e.

§ 3

De magia.

907. Antiqua magia a diversis diversimode redacta est, sed hodie exhibetur *magnetismo, hypnotismo* et *spiritismo.*

I. *Magnetismus* est revera systema antiquissimum, sed quoad formam hodiernam invectum est a Friderico Antonio Mesmer (a quo *mesmerismus)* saeculo xvm. Ejus fautores defendunt a corporibus viventibus, praesertim humanis, manare fluidum quoddam cosmicum subtilissimum ad modum magnetis, vel fluidum electricum, quo corpora animata cum aliis corporibus, praecipue viventium, mutuum influxum

1 *Matth.,* 4, 24.
3 *Matth.,* 8, 16.
3 *Luc.,* 8. 2.
* *Matth* , 10, 1.
6 *Adv. haer.,* lib 2, c. 32, n. 4; MG 7, 829.
* *In II Sent.,* dist. 8, p. 2, a. un., q. t.

exercent. Vi hujus influxus, ubi imaginati^ subjecti apta est, mira phaenomena obtinentur.

Haec phaenomena sunt: 1.° *Affectiones physicae corporis,* ut convulsiones variae, motus repentini ad modum ictus electrici, manuum gesticulationes, etc. 2.° *Somnus magneticus* seu *somnambulismus,* in quo solum cum magnetizarite agit, et, licet privata sensibilitate, audit et loquitur, recreatur lucidis visionibus, augetur novis facultatibus, intuetur proprium organismum, et praevidet plura occulta ac morbos, futuros. 3.° *Catalepsis,* in qua magnetizatus amore ardentissime adhaeret magnetizanti, et verificatur sensuum transformatio, adeo ut magnetizatus possit legere occipitio, audire epigastrio, gustare manibus[1]; ac denique legere quemlibet librum, quin unquam norit alphabetum.

908. II. *Hypnotismus.* Haec theoria exculta est circa annum 1841 a Jacobo Braid, qui, negato fluido magnetico vel electrico inter hypnotizatorein et hypnotizatum, cuncta phaenomena petit a systemate nerveo et imaginatione hypnotizati.

Non omnes dicuntur aeque capaces status hypnotici [1], neque omnes pollent facultate obtinendi phaenomena mirabiliora ab hypnotizato [3]. Ad hypnotizandum requiritur consensus hypnotizandi, saltem prima vice. Somnus diversimode immitti dicitur, id est, ostenso splendenti objecto in altum posito, attrectationibus vel frictione oculorum simul cum intuitu fixo, suggestione directa, vocis imperio, etc.

Schola Salpêtrière cum Charcot, aliis reclamantibus, distinguit tres status in hypnotizato: 1.° *Status .lethargicus* seu somni profundi, in quo operantur membrorum resolutio, anaesthesia, cessatio actuum intellectualium, etc. 2.° *Status catalepticus,* per apertionem palpebrarum productus, in quo persona ita redditur immobilis et rigida, ut ad nutum hypnotizantis moveatur ad quemlibet locum, et acquirat quamlibet positionem etiam violentam, fiatque suggestionis capax. 3.° *Status somnambulismi,* cujus character specialis est anaesthesia habitualis, excitabilitas sensuum et partis cognoscitivae, et magna aptitudo recipiendi omnes suggestiones hypnotizantis[4].

In his statibus, praesertim in tertio, occurrunt plurima phaenomena, scilicet: *in ordine vegetativo,* variatio pulsus, maculae rubrae in pelle, effusio sanguinis e qualibet corporis parte: *in ordine sensitivo,* anaesthesia et analgesia, qua amittitur omnino sensibilitas; hyperaesthesia, qua augetur sensuum perceptio; duplicatio personae, qua hypnotizatus putat se esse duas personas; transpositio sensuum ,visio ad distantiam, vel etiam interposito objecto opaco: *in ordine affectivo,* caeca obedientia hypnotizati ad nutum hypnotizantis: *in ordine intellectivo* penetratio cogitationis et imperii interni latentis in hypnotizante [a], eventuum futurorum cognitio, actiones et suggestiones in distans, linguarum ignotarum locutio, etc.

1 Cfr. Mir, *La Profecta,* lib. 3. c. 9, n. 5.
2 Cfr. Casteleim, *Psychologie,* p. 685 sq. (nouvelle éd.).
3 Vide Coconnier, *Revue thomiste,* i.e« année, p. 352 sqq.
1 Vide Casteleim, *Psychologie,* p. 695 sq. (nouvelle éd.).
s Cfr. Gurney, *Les hallucin. télepath.,* p. 37·

909. III. *Spiritismus.* Praxis spiritistica, quae docet commercium habendum esse cum spiritibus, orta est Londini, auctore Swedemborg, anno 1743.

In principio dicebatur spiritus forma sensibili apparere, sed ab anno 1847 obtinebantur oracula, mediantibus feminis scribentibus vel loquentibus, quia, spiritu manum aut linguam movente, scribebant vel loquebantur. Hae feminae erant et vocabantur *mediums* inter spiritus et consulentes. Sed ab anno 1851 tributa est ratio mediorum tabulis rotan tibus, tripodibus, aliisque rebus materialibus, quae saepe respondent quaesitis voce, scripto per calamum lapideum, numero percussionum conventionali, etc.

Ut recte dignoscantur phaenomena spiritismi, oportet distinguere manifestationes spirituum a communicationibus hominum cum eisdem.

Manifestationes sunt: 1) Motus gravium corporum in aëra et in omnes directiones occulta quadam vi productus. 2) Miri splendores illuminantes totam aulam sine ullo corpore lucido. 3) Rumores omnis generis et sonitus instrumentorum ac concentus suavissimae vocis, quin eorum causa appareat. 4) Perturbationes psychologicae in corporibus adstantium, ut rigiditas membrorum, difficultas respirationis, cohibitio libertatis, etc. 1.

Communicatio cum spiritibus, indeque evocatio spirituum ad obtinenda oracula, fit interpositis personis vel rebus, quae *mediums* appel lantur, quaeque dicuntur a) aliquando *audire* spiritus vel cum eis sermocinari; b) quandoque *videre* spiritus sub specie et forma visibili; c) interdum *scribere* sub directione et impulsu spirituum, aut *legere.* quae manu invisibili scribuntur, et d) saepe *interpretari* ictus, percussiones, etc., quibus spiritus respondere dicuntur ad propositas quaestiones.

910. IV. *Quae sil causa phaenomenorum magnetismi, hypnotismi et spiritismi.*

Aliqui negaverunt vel in dubium verterunt realitatem horum phaenomenorum, sed, ut reor, immerito. Tot enim testes oculares, doctrina et prudentia celebres, qui haec phaenomena ut visa retulerunt, omnino falli vel ad alios fallendos unanimiter convenire nequiverunt. Unde puto aliqua horum phaenomena revera produci.

Sed cui causae adseribenda sint, non facile resolvitur. Doctrina communior et probabilior sequentibus aperitur.

911. THESIS I. **Plura magnetismi, hypnotismi et spiritismi phaenomena videntur causis naturalibus produci posse.**

Arg. Ex scientiis naturalibus constat in hominibus saepe excitari dispositiones occultas, et per vires ignotas operari mira phaenomena. Sive oriantur ex fluido magnetico, sive ex fluido electrico, sive alio quopiam elemento, certum est rara phaenomena, quae explicare non possumus, in hominibus verificari. Quis negaverit haec mira opera, de

1 Cfr *Civiltà caltolica.* serie 5. vol. 11. p 190; Urraburu, *Psychologia,* lib. 2, n 3-!.|, Hurlor, ZΛ· *tiHtfelis,* n .137,

quibus agimus, naturae viribus partim patrari? Aliqua revera phaenomena magnetismi, hypnotismi et spiritism! non videntur esse talis conditionis, ut applicando activa passivis et excitando vires naturae, nequeant obtineri. Unde.

In magnetismo affectiones physicae corporis, ut convulsiones variae, etc., possunt naturaliter produci per excitationem nervosam, sicut et somnus magneticus per defatigationem potentiarum animae. *In hypnotisme* possunt naturaliter obtineri lethargia et catalepsis per defatigationem, suggestio per commercium dormientis vel soporantis cum instigatore, effectus ordinis vegetativi per excitationem imaginationis, et aliqui effectus ordinis cognoscitivi per repraesentationem imaginum. *In spiritisme* possunt a causis naturalibus produci motus gravium, splendores varii et alia phaenomena.

Haec generatim admittuntur a nuperis scriptoribus, sed valde difficile est determinare, an reliqua horum systematum phaenomena tribuenda sint causis naturalibus vel proficiscantur ab agentibus praeternaturalibus x.

912. Thesis **II. Aliqua phaenomena magnetismi, hypnotismi et spiritism! sunt praeternaturalia et diabolo adscribenda 1.**

Arg. Haec phaenomena sive in se considerentur, sive quoad modum, quo producuntur, excedunt vires naturae, ac proinde a causis naturalibus produci nequeunt.

Hinc multo probabilius sunt effectus praeternaturales: 1) *in magnétisme,* transpositio sensuum, lectio libri clausi, vel lectio scripturae sine notione alphabeti, etc.; 2) *in hypnotisme,* transpositio sensuum, duplicitas personae, penetratio cogitationum, eventuum futurorum cognitio, linguae ignotae locutio, etc.; 3) *in spiritisme,* locutiones tabularum, responsiones a spiritibus obtentae, scripturae manu invisibili factae, et alia hujusmodi non pauca.

Diximus autem hos effectus praeternaturales tribuendos esse diabolo. Quia, ut bene arguit *P. Berlin Hermans* 3, produci nequeunt nisi a Deo, angelis bonis, animabus separatis, vel diabolo. Porro, non valent a Deo, angelis bonis et animabus defunctorum in caelo vel in purgatorio exsistentibus causari, quia saepe illiciti sunt; neque ab animabus damnatis, quia hujusmodi animae detinentur in inferno a justitia divina, quin evocationes mediorum sufficiant ad eas solvendas. Relinquitur ergo phaenomena praeternaturalia magnetismi, hypnotismi et spiritism! plerumque adscribenda esse diabolo 4.

1 Dominus M. Trotin, professor theologiae moralis in Instituto catholico Lille, defendit in *Jlevue des Sciences ecclésiastiques,* Nov. 1887, phaenomena hypnotismi, majori saltem ex parte, naturaliter explicari posse. Alii contradicunt.

2 Ita Urraburu, *Psychologia,* lib. 2, n. 316 sqq.; Hurter, vol. 2, η. 439; Honoratus del Val, *De Deo creante,* η. 232.

3 *Les anges,* ch. 11.

4 In hac materia consulendi sunt: Coconnier, *El hipnotismo franco* (hisp. vers., 1898); P. Franco, *L'hipnotismo tornato di moda;* Casteleim, *Psychologie* (nouv. éd.), p. 669 sqq.; Mir, *El Milagro,* lib. 3, cc. 10 et 12; et *La Profecia,* t. 3, cc. 9-11; Urraburu, *Psychologia,* lib. 2, n. 303 sqq : Antonelli, *Medicina pastoralis, ι,* η. 245 sqq.;

/■cehsiae doctrina. Sequentes decisiones prodierunt ab Ecclesia circa haec systemata.

1) *Zλ· magnetismi abusu.* (Ex encyclica S. Off., 4 Aug. 1856). «Nonnullae jani hac de re a Sancta Sede datae sunt responsiones ad peculiares casus, quibus reprobantur tanquam illicita illa experimenta, quae ad finem non naturalem, non honestum, non debitis mediis adsequendum ordinantur; unde in similibus casibus decretum est, feria IV 21 Aprilis 1841: *usum magnetismi, prout exponitur, non licere.* Similiter, quosdam libros ejusmodi errores pervicaciter disseminantes, prohibendos censuit S. Congregatio. Verum, quia praeter particulares casus, de usu magnetismi generatim agendum erat, hinc per modum regulae sic statutum fuit feria IV 28 Julii 1847: «Remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita daemonis invocatione, usus magnetismi, nempe, merus actus adhibendi media physica, aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum aut quomodolibet pravum. Applicatio autem principiorum et mediorum pure physicorum ad res et effectus vere supernaturales, ut physice explicentur, non est nisi deceptio omnino illicita et haereticalis» [1]

2) *De hypnotismo.* Cum medicus quidam interrogasset Sedem Apostolicam, an sibi liceret partem sumere in disputationibus instituendis circa suggestiones hypnoticas in cura infantium adhibitas et in novis experimentis faciendis, S. C. S. Off., sub data 26 Julii 1899, respondit: *Quoad experimenta jam facta,* permitti posse, modo absit periculum suggestionis et scandali, et insuper orator paratus sit stare mandatis S. Sedis, et partes theologi non agat. *Quoad nova experimenta,* si agatur de factis, quae certo naturae vires praetergrediantur, non licere; sin vero de hoc dubitetur, praemissa protestatione nullam partem haberi velle in factis praeternaturalibus, tolerandum, modo absit periculum scandali» [2].

3) *De spiritismo* haec habet S. Congregatio S. Officii, sub die 4 Aug. 1856: «Mulierculae illae gesticulationibus non semper verecundis abreptae, se invisibilia quaeque conspicere effutiunt, ac de ipsa religione sermones instituere, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota ac longinqua detegere, aliaque id genus superstitiosa exercere, ausu temerario praesumunt, magnum quaestum sibi ac dominis suis divinando certo consecuturae. In hisce omnibus, quacumque demum utantur arte vel illusione, cum ordinentur media physica ad effectus non naturales, reperitur deceptio omnino illicita et haereticalis, et scandalum contra honestatem morum» [3].

D'Annibale, *Summa theol. moralis,* 2, 38 sqq.; Lapponi, *Ipnolismo c Spiritismo,* ‹ t alii plures.

1 Denz-Bannw., n. 1653.

2 *Acta S. Sedis,* vol. 32, p. 189.

3 Denz-Bannw., 1654. Cfr. Decretum S. C. S. Officii, 27 Aprilis 1917. *Acta Ap. S.,* 9, 268.

LAUS DEO VIRGINIQUE MATRI

INDEX

TRACTATUS I

DE DEO UNO

QUAESTIO I

DE EXSISTENTIA DEI

QUAESTIO 11

DE ESSENTIA ET ATTRIBUTIS DEI IN COMMUNI

QUAESTIO III

DE SIMPLICITATE DEI

QUAESTIO IV

DE PERFECTIONE DEI

QUAESTIO V

DE BONO IN COMMUNI

QUAESTIO VI

DE BONITATE DEI

QUAESTIO VII

DE INFINITATE DEI

QUAESTIO VIII

DE IMMENSITATE DEI

QUAESTIO IX

DE IMMUTABILITATE DEI

QUAESTIO X

DE AETERNITATE DEI

QUAESTIO XI

DE UNITATE DEI

QUAESTIO XII

DE VISIONE DEI

QUAESTIO XIII

DE NOMINIBUS DEI

QUAESTIO XIV

DE SCIENTIA DEI

QUAESTIO XV

DE VITA DEI

QUAESTIO XVI

DE VOLUNTATE DEI

QUAESTIO XVII

DE PROVIDENTIA DEI

QUAESTIO XVIII

DE PRAEDESTINATIONE

QUAESTIO XIX

DE REPROBATIONE

QUAESTIO XX

DE POTENTIA DEI

TRACTATUS II

DE DEO TRINO

QUAESTIO XXI

DE EXSISTENTIA SS. TRINITATIS

QUAESTIO XXII

DE DIVINIS PROCESSIONIBUS IN GENERE

QUAESTIO XXIII

DE DIVINIS PROCESSIONIBUS IN PARTICULARI

QUAESTIO XXIV

DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI

QUAESTIO XXV

DE RELATIONIBUS DIVINIS

QUAESTIO XXVI

DE RELATIONIBUS DIVINIS COMPARATE AD PERSONAS

QUAESTIO XXVII

DE SUBSISTENTIIS DIVINIS

QUAESTIO XXVIII

DE NOTIONIBUS DIVINIS

QUAESTIO XXIX

DE AEQUALITATE DIVINARUM PERSONARUM

QUAESTIO XXX

DE MISSIONE DIVINARUM PERSONARUM

QUAESTIO XXXI

DE MYSTERIO SS. TRINITATIS RELATE AD RATIONEM HUMANAM

TRACTATUS III

DE DEO CREATORE

Sectio I. —De creatione, conservatione et gubernatione rerum in genere.

QUAESTIO XXXII

DE RERUM CREATIONE

QUAESTIO XXXIII

DE MUNDI CONSERVATIONE ET GUBERNATIONE

Sectio II. De creatione mundi materialis.

QUAESTIO XXXIV

DE OPIFICIO MUNDI MATERIALIS

Sectio III.—De primo homine.

QUAESTIO XXXV

DE NATURA HOMINIS

QUAESTIO XXXVI

DE ORIGINE HOMINIS

QUAESTIO XXXVII

DE PROTOPARENTIBUS ELEVATIS AD ORDINEM SUPERNATURALEM

QUAESTIO XXXVIII

DE EXSISTENTIA PECCATI ORIGINALIS

Sectio IV.—De angelis.

QUAESTIO XXXIX

DE EXSISTENTIA ANGELORUM

QUAESTIO XL

DE NATURA ANGELORUM

QUAESTIO XLI

DE INTELLECTU ET VOLUNTATE ANGELORUM

QUAESTIO XLII

DE GRATIA ET GLORIA ANGELORUM

QUAESTIO XLIII

DE ILLUMINATIONE ET LOCUTIONE ANGELORUM

QUAESTIO XLIV

DE MISSIONE ANGELORUM AD HOMINES

QUAESTIO XLV

DE ANGELIS MALIS

INDEX ALPHABETICUS HUJUS VOLUMINIS

Referuntur numeri marginales.

B

D

G

H

I

J

K

L

M

N

0

P

R

S

T

u

V